Universidad de Deusto
Biblioteca

22

SERARIUS
IN
Tobiam Jud
Esther
& Machab.

Universidad de Deusto
Biblioteca
Estante C
Plúteo 1

IN SACROS

DIVINORVM BIBLIORVM LIBROS,

TOBIAM, IVDITH, ESTHER, MACHABAEOS,

Commentarius,

NVNC MVLTIS IN LOCIS AVCTVS ET RECOGNI-tus, addito Indice Rerum præcipuarum locuplete.

AVCTORE NICOLAO SERARIO, RAM-beruillano, Lotharingo, è Societate Iesv.

FACULTAD DE TEOLOGIA Univ. de Deusto BILBAO

IHS

D. AVGVSTINVS IN SPECVLO.

NON SVNT OMITTENDI, ET HI LIBRI, QVOS QVIDEM, ANTE Salvatoris *aduentum, constat esse conscriptos: sed eos non receptos à Iudæis, recipit tamen eiusdem* Salvatoris Ecclesia.

MOGVNTIÆ,
Excudebat Balthasarus Lippius.
Cum Gratia & Privileg. Sacræ Cæs. Maiest. & Christianiss. Galliarum Regis.

Anno Domini cIↃ. IↃ. cx.

Universidad de Deusto
Biblioteca

REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI DOMINO D. CAROLO Lotharingo, S. E. R. Cardinali, Apostolicæ sedis Legato à latere, Ecclesiæ Metensis, & Argentoratensis Episcopo, Alsatię Landgrauio, &c.

NICOLAVS SERARIVS.

AVdiui, Reuerendissime & Serenissime Domine, de ea, qua, superioribus hisce annis, conflictatus es, inualetudine. audiui optimi Serenissimique Domini Parentis mœrorem & curam de sospitate TVA maximam: carissimorum Serenissimorumque fratrum HENRICI LOTHARINGIÆ Principis, Barrique Ducis, & FRANCISCI VADIMONTANI Comitis incredibilem in TE pietatem, dum non preces tantum, sed & religiosas pro salute TVA peregrinationes precabundi ambulabundique susceperunt. audiui etiam Lotharingiæ totius, & TVO nuper sancto zelo conseruatæ Alsatiæ timorem, solicitudinemque de TVA, è qua suam ipsę aptam nexamque omnino ducebant: incolumitate testatissimam. Tumque ego, in Germania licet, Orientalique Francia commorans, cogitare cœpi, num & ipse erga tam carum omnibus, tam hisce temporibus necessarium, tantum denique RAMBERVILLÆ meæ Principem & Antistitem officij etiam aliquid deferre possem. & occurrebant duo. Vnum, vt communibus aliorum omnium votis & suspiriis meas ipse qualescumque preces & gemitus, mari scilicet guttulas pauculas, adderem. Alterum vero, vt Tibi TOBIAM, aut RAPHAELEM, aut vero vtrumque potius mitterem. Cum enim in ea, quam Herbipoli, pro eximia sua in Christianam Rempubl. in Germaniam totam, in suamque potissimum Francam diœcesin charitate, Reuerendissimus & Illustrissi-

ſtriſsimus Herbipolenſis Epiſcopus FRANCIÆQVE Orientalis Dux IVLIVS excitauit; academia biennali ſpacio, Bibliacæ hiſtoriæ, quæ quidem veteri teſtamento, cõtineretur, libros docendo abſoluiſſem, placere quibuſdam videbam, vt quæ intra Gymnaſij parietes, ſua in ſchedia mei tũ retuliſſent Auditores, ea, quo, prout illi quidem iudicabant; prodeſſent pluribus, iuris, lucisq; publicę fierent. Et licet omnia ſimul edenda & quidem ab ipſo, vnde inchoaram; Geneſeos principio, editionis inchoationem vellent; meũ tamen conſiliũ, quod ipſi tandem nõ improbarunt, fuit, vt, in exigua vna particula, ſperatæ illius vtilitatis periculum facerem, & Homericum illud cõtritiſſimum, τὸ προβύσσεον, valeret, quòd quatuor iſtos potiſsimum priſcę Bibliorum hiſtorię libros vltimos feroculi noſtri huius temporis cormupetę incurſarent: & aliorum quidem aliquos viri iam cum doctiſsimi tũ diligentiſsimi optimis accuratiſsimisq; commentationibus illuſtraſſent: hi vero fere omnes noſtrorum adhuc induſtriam ſtudiumq; requirerent. Tũ ergò Tibi REVERENDISSIME & SERENISSIME PRINCEPS ægrotãti Tobiam Raphaelemq; meum penitus deſtinaui, quòd ille cõſolari TE: ſanare hic: ad æternam vterque ſoſpitatem, vitamq; morbo mortiq; nulli obnoxiam, poſſet deducere. Cui enim ſanctiſsimi illius viri tam æquè fortiterq; tolerata captiuitas, paupertas, cæcitas non perſuadeat, morbos ęrumnas aduerſaq; omnia æquo etiam fortique animo proferre? *Nam*, inquit ipſe libri contextus, *cum ab infantia ſua ſemper* DEVM *timuerit*, & *mandata eius cuſtodierit, non eſt contriſtatus contra* DEVM, *quod plaga cæcitatis euenerit ei: ſed immobilis in* DEI *timore permanſit, agens gratias* DEO *omnibus diebus vitæ ſuæ. Ab infantia ſua* vir ille magnus DEVM timuerat. & quidem eo & loco, & tempore, quo funeſta triſtisq; à priſca maiorum religione defectio graſſabatur: Hieroſolymitanæ vrbis ſacerdotium, templum, cæremoniæq; omnes deſerebantur. *Hic enim*, ait rursũ cõtextus, *ſolus fugiebat conſortia omnium, & pergebat in Ieruſalem, & templum Domini & ibi adorabat Dominum* DEVM *Iſrael, omnia primitiua ſua & decimas ſuas fideliter offerens, ita vt in tertio anno proſelytis & aduenis miniſtraret omnem decimationem. Hæc & ſimilia ſecundum legem Dei puerulus obſeruabat.* Quia verò fit interdum, vt qui ætate prima pietatem, pudorem, modeſtiamque omnem coluerunt, ij iam adultiores, quaſi ſupremum illud Numen venerari, puerile neſcio quod aut negotiolum aut ludicrum foret, omnia illa virtutis inſtituta deſerant, de hoc noſtro TOBIA dictum cum fuiſſet, *ab infantia ſua Deum timuit*, additur, *ſemper*. vt ſanctũ illum limpidumq;, quod à parentibus infantulus ſuxerat, veræ almæque pietatis lac & adoleſcentulus, & iuuenis, & vir, & deinceps in omni ſemper vita retinuerit. nullisque ipſe voluntatem illecebris, nulla eorum, quibuſcum viuendum erat, cõtagione, nulla patrij ſoli, cœlique mutatione, nulla hoſtium crudelitate, quadruplatorum criminatione bonorum omnium direptione, à Dei mandatorum via vnguem

guem vel minimum, deduci vnquam potuerit. Et tamen talis, tantuſque cum eſſet, cæcitas ei grauis immittitur: ijs ipſis, quibus ad Hieroſolymitanum viam templum olim indagare, iam verò egentes & inſepultos quæritare paſſim ſolebat, oculis orbatur. idque tum, quod magna calamitatis acceſſio eſt, cum in ipſo pietatis officio, inſigni miſericordiæ opere occupatus, imo ex eo ipſo admodum iam feſſus, furtiui velut ſomni paululum, ad parietem quendã, caperet. Atque hæc quaſi vel nihil, vel parua forent, acceſſit vnguis plane in vlcere, vxoris, aliorumq; familiariũ & propinquorum irriſio peracerba. *Ille tamen*, ait idem contextus, *non eſt contriſtatus, non ea triſtitia, quæ* naturali doloris ſenſu corpus cruciat, mentemque modice vellicat: ſed vehementiore illa, quæ contra DEVM, rectamque rationem eſt. Quin vero quaſi malorum, quæ multa & magna erant, ſentiret nihil, & Ariſtotelij tetragoni inſtar, *immobilis in Dei timore permanſit, Deoq; gratias egit*. & tunc in illa ipſa moleſtia, miſeria, & cæcitate, & verò poſtea ſemper omnibus diebus vitę ſuæ. *Iſto* igitur, aliaque toto libello plura, cum diceret ſpectandaq; proponeret TOBIAS, futurum ſperabam, vt ſi corpori opis ferre nihil poſſet, principem tamen tui ipſius partem, rationem dico, & mentem in ægritudine firmam, celſam & rectam, fortaſſis etiam alacrem & lætam efficeret. Sed ſanctus RAPHAEL fuit tandem à Deo, vt bonum iſtum, qui & à bonitate nomẽ acceperat, virum ſanaret, è ſupremo illo cœlitum domicilio ablegatus. At quando & quomodo eũ ſanat? An ſtatim, atque ipſius domum inijt, cœcum præſens præſentem aſpexit? Nõ ſanè ipſius domum ingreſſus eum ſalutauit quidem: ſed nõ ſanauit. filium eius in Mediam ſe perducturum, & in Aſſyriam illinc reducturum ſpopondit: at reſtituendi aſpectus medicamenta ſe allaturum nulla promiſit, nullam vel minimã curandæ cœcitatis ſpeculam iniecit. vt ſcilicet intelligamus, etiam ſanare cum vult DEVS ægros, nõ idipſum ſemper è veſtigio facere: ſed maioris boni causâ, differre interdum pauliſper, & expectare. An non fuit TOBIÆ multo lætitia cumulatior, dum, quam iam pæne deſperarat, ſanitatem conſequutus eſt vno eodemq; temporis articulo & oculos recepit, & oculis allatam ingentem pecuniæ vim aſpexit, & quod caput erat: vnigenam cariſſimumq; filium reducem coniuge ſuæ ipſius gentis, pia, pudica, formoſa, & locuplete auctum vidit: magnis ipſum periculis ereptum, Raguelem affinem graui cacodæmonis importunitate liberatum audijt. Poterat illo ipſo temporis momẽto Raphael præſentiſſimam huius oculis medicinam facere, cum diceret, *gaudium ſit tibi ſemper*: ſed nõdũ tunc expedijt: maior adhuc æquabilitatis & patiẽtię corona illi texenda erat. *Quia*, inquit, *acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tẽtatio probaret te*. Prorſus ita eſt. Nõ bonum modo & vtile, ſed *neceſſe* prorſus *eſt*, vt probos probet tentatio: tumq; quando & quomodo diuini maieſtati viſum eſt, clinicos, morboſos infirmoſq; cœleſtis ille Medicus erigit, curat, cor-

rat, corroborat. Et hunc ergo RAPHAELEM veri vtiliſq; ſolatij allaturũ aliquid confidebam: malebam tamen eam, qua TOBIAM tandem affecit, incolumitatem afferret. Ægrotante ſiquidem TE, ad eundem affligi lectulum Lotharingiam, Alſatiamq; videbam: valente verò, valere iſtas & florere. *Inuitabat porro etiam, vt hoc TIBI, TUIſque opuſculi offerrem, non ditionis TUÆ patria tantùm mea, quæ vt ſanctus ait Ambroſius, nobis *mater* quædam eſt *minime deſerenda*; ſed & multo magis, eximium LOTHARINGICÆ domus decus, quod etſi plurima iam ſęcula fuit in orbe Chriſtiano quam celeberrimum, præſertim cum anno ab hinc quingẽteſimo, magnus ille in Lotharingia Heros, & zeloſiſſimus Dux GODEFRIDVS eam quam hæreticus Imperator ante ann. 465. amiſerat Heraclius, vrbem terramq; ſanctam fortiſſime recuperauit: hoc tamen ſæculo, tot tamque variarum & compugnãtium hęreſeon fœcundiſſimo enituit maxime. dum in ea, licet ampliſſima, latiſſime longiſſimeq; diffuſa, adeo quidem, vt hoc ipſo tempore viri fœminæque Principes in viuis, quæ Dei bonitas eſt, numerẽtur quatuor & quadraginta, omniũ tamen nemo extitit, quem vel minima graſſantium errorum vel contagio, vel ſuſpicio afflarit. O quanta hæc apud Deum, Angelos hominesq; iudicij ſyncerioris, & eos præſertim, qui poſterioribus adhuc ſæculis naſcentur, quiq; de noſtri ſæculi rebus & perſonis quietius incorruptiuſq; iudicabũt, laus & gloria! Neq; ſuo illa bono tanto contenta, omni etiam conatu id ſemper egit, vt authoritate, prudentia, legibus, armis, omniq; ope auitam, vbicumq; poſſet, religionem ſartam tectam conſeruaret, pro ea, ſe, ſuos, ſuaq; omnia in apertiſſima etiam pericula conijceret. Cœpit qui ob excellentiſſimam religionem, iuſtitiã, & comitatem BONVS cognominatus fuit, Proauus TUUS ANTONIVS, dum Lutherica tuba excitis, omniaq; turbantibus & tumultuantibus in Germania Ruſticis ipſe in Alſatiam, parua quidem manu, ſed ingenti fide, & alacritate occurrit, plurimaq; eorum millia, vt quæ viui rura colere amplius nolebant, ſuis ea mortui cadaueribus incolerent, occidione occidit. *Inſequutus eſt & Auus FRANCISCVS. omnium tamen maxime, cui tot iam annos, maximæ datæ occaſiones, SERENISSIMVS PATER CAROLVS, ex illo ipſo tempore, quo è Frãcia rediit. TUAMq; è regio Valleſiorũ ſanguine CLAVDIAM marrem adduxit. Sed præclariſsimũ illud, cui TU & adfuiſti & præfuiſti, dum TUÃ argentoratenſis Epiſcopatus opem, nõ equidem pacate iam, prout bono maiorum more oportebat, adeundus & regundus, ſed quod luporum iãiam faucibus degluberetur, eripiendus & armis defendendus imploraſſet. Hæreticorũ iã ſigna volitabant, copiæ progrediebantur, non ex iure manu conſertum, ſed vi & iniuria pagos, arces, opida occupatum ibant, cum Tu repente veniſti, vidiſti, viciſti, neq; abſq; pręcipua quadam cœleſti ope. Sancti, niſi me quid fallit, Martyris LAVRENTII dies erat cum valde hoſtium copias augeri nũciatũ eſt, AT Tu, eo, quo ſoles vultu,

vultu placido reniđente, prout mihi, qui aſtabat digniſſimus fide vir narrauit: bono eſſe omnes animo iuſſiſti: aſſumptæ in cœlum Beatiſſimæ Virginis feſtum diem inſtare: hanc LOTHARINGICÆ domui præſidem & patronam eſſe: futurum, vt, ipſius precatu & auxilio, victoria obtineretur. Fuit vox iſta, oraculum. *Illo ipſo Virgineæ aſſumptionis die, totum pæne matutinum tempus, in ſacris poſuiſti: ſacroſancto Miſſæ officio affuiſti: diuini verbi explicationem & cohortationem audiſti: de peccatis confeſſus es: angelicam corporis ſanguiniſq; Dominici mẽſam iniiſti. & iam denique ipſi etiam corpori neceſſarius ad menſam cibus vocabat, cum ſubitò núciant vnus & alter, magnas hoſtili exercitui, qui mole quidem paruum, religione, animiſq; magnũ, tũc Molshemium obſidebat, ſuppetias aduentare. Quaſi ergo laureatæ iam è cœlo litteræ veniſſent, prandio, quod paratum erat, omiſſo, taratantara canitur: arma capiuntur: equi aſcendũtur: Dagſteinio exitur: in hoſtem procurritur. O diem fauſtum & candidum! O Virginem, TUI TUORUMque fidam ſemper adiutricem! Vix ad manus ventum: & in pedes hoſtis ilico. Fit fugiẽtium, palantiumque ſtrages, ſed in eos maxime globos, qui coierant, & victi ſeptiq; fugere nequibant, victor TUORUM enſis furebat, cum verum TE hoſtibus TUIS Eccleſiaſticum bellatorem, imò verum ipſorum Paſtorem, benigniſſimumq;, ſi quidem vellent; Patrem monſtraſti. Ebrios enim & ira iuſta, & fuſo iã ſanguine TUORUM mucrones, cum difficilius nunc eſſet cohibere, quã ſobrios antea & ieiunos adhuc incitare, pręſentia tamen TUA, voce, adequitatione, imperioque perfeciſti, vt qui hoſtium infra mortuos omnes amandati pęne iam erant, reſidui viuerent, captique tantum in Dagſteinianam arcem TUAM deducerentur, deducti benigne haberẽtur, liberique poſtridie dimitterentur. Et tamen cum, recrudeſcente bello, Cæſarea poſtmodum Maieſtas, communis pacis amantiſſima, ne ſanguinis deinceps plus funderetur, armiſtitium iuſſiſſet, ea in illius voluntatem & nutum obſeruantia obedientiaque fuiſti, vt cum as deberetur, ſemiſſe tantiſper eſſes contentus. quoad auguſta illa æquitatis & iuſtitiæ trutina, illud aduerſarijs, quod ceſſiſſes, dimidium abiudicaret; totum Tibi cum ſummo Tuo, eorumque, qui te, in atrociſſima illa tempeſtate, ad Argentoratenſis Eccleſiæ clauum vocaſſent: honore, adiudicaret. De quo etiam vt gratularer, ſimulq; de valetudine, quę in dies melior & valentior nunciatur: TOBIAM, alioſque adiunctos libellos Tibi, & per Te, SERENISSIMIS Tuis fratribus Amitis, ſororibus, & Parenti libentiſſime, demiſſiſſimeq; offero & inſcribo. ſimulque mecum, qui Tuam erga ſanctiſſimam Catholicam religionem, Societatem noſtram, Collegiumque Molshemenſe, amorem & ſtudium, depręđicare ſatis vix poteſt, illius tum Collegij Rector, nunc Præpoſitus noſter Prouincialis. *Confitere* ergo, Reuerendiſsime & Sereniſsime DOMINE *confitere* (libet enim Tobiæ noſtri verbis affa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bis affationem hanc meam claudere) *Domino in bonis Tuis: & benedic Deum sæculorũ, vt reædificet in Te tabernaculum suum*, quod in Alsatia olim sancti AMANDVS, ARBOGASTVS, FLORENTIVS excitarunt: Austrasij Reges, Maioresque tui locupletarunt, nuper vero quidam è Martijs, prophanis, & harpasticis Lutheri Caluinique officinis, diruere aut diripere potius conati sunt. *& reuocet ad Te*, immò rursum, per te, ad se, suamque sanctam Ecclesiam *omnes captiuos*, planos, & errabundos, & vna cum SERENISSIMO PARENTE, SERENISSIMISQVE FRATRIBVS Dominis & Principibus meis perpetua obseruantia colendissimis *gaudeas in omnia sæcula sæculorum*. AMEN. Pridie Natiuitatis Beatissimę Virginis, anno Domini cIↃ. IↃ. IC. Moguntiaci, vbi erga sacras litteras animi tui nobilissimum, in ædis Metropolitanæ Bibliotheca, monimentum videre gauisus sum, Biblia scilicet, quæ, etsi merito alias Regia vocantur, tuo tamen fibulato, bullatoque argento & cultu, verè iam Regia sunt.

IN TO-

IN TOBIAM PROLEGOMENA OCTO:

PRIMVM.

Cur liber hic Tobias inscriptus?

TOBIAS (ait S. Athanasius in Synopsi) *vocatur hic liber, propterea quod Tobiæ historiam habeat*. Sed Tobiæ duo cum sint, Pater & Filius, à patre potius inscriptio petita est, quòd de ipso potissimum, à vitæ principio vsque ad mortem, deque variis eius casibus, & prophetia diligenter, & accuratè agatur. Huius verò nominis interpretatio est, vt sit Tobias, BONVS DEVS, VEL BONVS DEI, VEL BONVM, SEV, BONITAS DEI. Et sunt alia, quæ idem etiam valeant, nomina, hebræum scilicet *Tobi*: latinum *Tobis*, apud Augustinum de tempore, sermone 226. Græcum τωβὶθ apud Complutenses, & Suidam, & τωβὶτ in 70. editione. Atque hoc melius esse declarat maior cum Hebræo & Augustiniano illo affinitas. Soli verò patri omnia ista tribuuntur, qui & idcirco à quodam *Tobæus* vertitur, at filius Tobias tantummodo dici solet. Sunt & alij Tobiæ in Scriptura 2. Paral. 17. Esdræ 2. Nehemiæ 4. 6. 7. 13. Zachariæ 6. 2. Mach. 3. etiam apud Iosephum *l. 14. c. 6. S. Epiphanium*, hæresi 66. Græcorum Menologos, nostrosque Martyrologos die 2. Nouembris.

II. PROLEGOMENON.

Quis libri author?

NON constare ait Rabanus lib. 2. de institutione Clericorum c. 54. Videntur tamen Authores, ipsimet duo Tobiæ. Iis enim, vt historiam istam literis mandarent, ab Angelo mandatum est c. 12. v. 21. Nam vbi Latinus ait, *Narrate omnia*, narratio intelligenda est, quæ patefacta sit, non quæ fluxo tantum fugacique verbo fiat, sed quæ diuturno etiam & stabili, scripto scilicet. Hebraicè siquidem & Græcè, disertis ibi verbis dicitur: *Scribite omnia hæc, quæ contigerunt in libro*; Sicque sentiunt etiam Iohannes Benedictus, & Sixtus Senensis lib. 1. Neuter tamen Tobias librum totum scripsisse videtur. Nam c. 13. narratur Patris ipsius mors, & quæ post eius mortem acciderunt, ita vt vel mortuus scribere ista debuisset, vel viuus quidem, sed vaticinans, & quæ post futura erant, ante prospiciens & præscribens. Sed foret præter morem, vtrumque: absque miraculo neutrum. Vsitati verò moris infringendi, nouique miraculi faciendi nulla hic necessitas, nullum argumentum. Et, quod in vltimis Deuteronomij Periodis, Moysi negatur, Tobiæ cur arrogemus? Par de filio ratio, cum capitis eiusdem 13. Pater ad c. 13. scripsisse: filius verò id caput ad indicatum iam versum 16. perduxisse. Nam & in illius principio Hebraicè ita scriptum: *In isto tempore scripsit Tobias vltima verba hæc in gaudio*, Tobias inquam filius. Nam Patrem, vt supra dictum, vocare solet Hebræus ille textus non Tobiam, sed Tobi, quemadmodum & statim, dum subiungit: *Et dixit Tobi, Benedictus Dominus Deus*. Quis verò sit ille tertius, qui extremos duos versus addidit, mihi haud compertum, quemadmodum neque constat, manum Deuteronomio vltimam quis imposuerit, etsi de Iosue quorundam opinio est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

III. PROLEGOMENON.

Qua lingua liber hic scriptus?

REferre epistola centesima, quæ ad Chromatium & Heliodorum Episcopos est, D. Hieronymus, fuisse librum hunc sermone Chaldæo scriptum, & extat hodie Græca libri eiusdem versio, & Hebraicæ duæ, quarum alteram à Constantinopolitanis accepram, ante annos amplius 40 nostra hæc edidit Germania: vt valde mirer, quæ vel ignorantia, vel impudentia Britannum illum doctissimi Bellarmini, vel doctrinæ potius Catholicæ hostem, Caluinianum Vittakerum subierit, dum hoc ipso decennio; controuersia prima de libris Canonicis, quæstione prima cap. 10. scribere ausus est; *Non nisi in Græco, & Latino Tobias legitur.* Hoc enim ab ipsis etiam hæreticis aliis, falsi damnatur, Fagio, Munstero, Genevensis editionis Vatablo. vel potius Baduello & Drusio. Quin verò, & in Bibliothecis quibusdam, Syriaca vertio inuenitur, prout de sua Bibliotheca refert in Iosuam, dedicatoria ad Philippum Regem epistola, doctissimus Andreas Masius.

IV. PROLEGOMENON.

Tot libri huius versionum authores qui?

CVm liber hic olim, vt iam ostensum; Chaldæus fuerit: hodie verò Latinus, Græcus, Syrus, Hebræus inueniatur, singularum versionum author quisnam sit, videndum inueniri nequit. Et Latinæ quidem author D. Hieronymus. sed eum exemplaria Hebræa secutum imprudens coniicit c. 3. v. 10. Claudius Baduellus, cum ille Caldæum exemplar, è quo transferret; proposium habuerit; interpretemque tantummodò, qui Hebraicè Chaldæa enunciaret; adhibuerit. Hæc enim, loco citato, eius verba sunt. *Quia vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico, vtriusque linguæ peritissimum loquacem reperiens, vnius diei laborem arripui: & quidquid ille mihi, Hebraicis verbis, expressit, hoc ego, accito notario, sermonibus latinis exposui.* Græcam versionem ex Hebreis factã asserit idem Baduellus c. 1. v. 5. & 15. Sed asserendi ratio quę? In Hebraicis versionibus, in prima pſona de se ipso, loqui solet Tobias. Sed nisi aliud quid addatur, non hinc magis conficitur Græca ex Hebræis conuersa esse, quam ex Græcis Habræa, cum in iisdem Hebræis non ille purus putus Hebraismus, qui alius in libris est; appareat, sed è Rabbinorum, qui post Christum Dominum fuerunt; idiotismis olere nescio quid videantur. Verum quia in diuinorum etiam librorum quibusdam, non summa semper Hebraici sermonis puritas, verbi causa, in Iob & Daniele: & quia iam, vetustis temporibus, ante S. Hieronymi ætatem, vt ex citata epistola intelligitur; Chaldæum inter Iudæos exemplum erat, vt Hebræis ipsi versionibus nihil indigerent: & denique quia cæteri libri omnes ex Hebręis potius Græcè, quàm ex Græcis Hebraicè conuersi sunt, videtur Græca versio ab Hebræis traducta, & quidem per eosdem Interpretes, per quos & librorum aliorum Græca nobis interpretatio est. Eos verò in generalibus Bibliorum prolegomenis, etsi aliorum aliud iudicium haud culpem; docui esse 70. Syram porro versionem ex ipsa Græca, quæ in Origenis olim hexaplis legebatur; manasse, testatur, loco citato, qui habuit & legit; Andreas Masius. Sed Hebræus ipse textus vnde tandem? Non enim, prout paulo ante concludebatur, è Græco est, ideoq; nec è Syro. Nec vero etiam è Chaldęo, cum iste, sicuti & Latinus, in tertia persona loquentem de seipso Tobiam faciat, Hebræus verò in prima. Et cum sit Hebræus textus non vniusmodi, sed duplex; an ab altero alter, an ab alio quopiam vterq;? Extat Osvvaldi Schrekenfuchsij Hebraica quædam epistola Hebræo Tobiæ præfixa, in qua refert ille putasse ac scripsisse Munsterum, è latino Hebræum traductum. Sed eum refellit, quòd magna inter vtrumq; textum dissimilitudo sit, cum Hebræus primam, vt dixi, personam Tobiæ tribuat; Latinus tertiam. Ipse verò addit, Hebræum aliunde textum deductum non esse. sed, ab Hebræorum, qui tum vixerunt, aliquo, Hebraicè scriptum fuisse. Quisnam vero is fuerit, inuestigari certò num potest? Ego, quoad fulgidior alicunde scintilla emicet; quod occurrit, proponam. Præceperat, quemadmodum suprà ostensum est; Angelus, vt perfectam narrationem Pater & filius instituerent, litterisque omnia mandarent: huic Angelico præcepto, vt quam cumulatissimè morem duo illi gererent, Chaldaicum primò commentarium, coniunctis veluti operis, conscripserunt: deinde separatim vterque Hebraicum vnum. Prius quidem Pater, qui αὐτοπροσώπῳ in persona prima sermonem texit: postea verò, ad eius imitationem, & in ipsius etiam persona; filius. At, eadem de re, diuersis linguis, vnusne aliquis commentetur? Sane vero. Nam hoc ipso sæculo de Africa cùm Arabicè, tum Italicè scripsit Iohannes Leo: de miseriis humanis Gallicè Latineque Petrus Boisteau. Et putat Munsterus, eundem esse Iosephum, qui, iisdem de rebus Iudaicis, Græcam Hebraicamq; historiam condiderit: & modo Flavius, modo Gorionides vocetur, quod ei tamen assentiri non queo, cum l. 2. belli Iudaici, c. 42. ipsum, ab altero

ab altero Iosepho Gorionis filio, signatissimè Flauius distinguat. Verum quia versionum istarum authores non omnino certis argumentis demonstrantur, venerit forsasse cuipiam in mentem, neque certam esse huius libri totius authoritatem: sed tantam tantummodo, quanta istorum authorum exploratio est; probabilem scilicet, quæ respui tamen, contemniq; possit. Secus tamen habet res. Alioquin, eâdem profectò machina, multos grauissimosque diuini operis Codices quatefieri oportebit. Quis enim exploratè certòque asseuerârit, quinam sint Iosuæ, Iudicum, Ruth, Paralipomenon, Hesteris, aliorumque quorundam scriptores? Quis, si 70. cum quibusdam nouæ mittas, eorundem, & Isaiæ, Ieremiæ, cæterorum Propherarum Græcus interpres? Quę, quæ D. Matthæi, & Marci Euangelium ab ipsis editum, & Græcè quis id conuertit? Veri quædam similia tradunt plerique omnes, quæ credendi necessitatem afferant, nulla sunt. Sed de libri huius authoritate iamiam pluria.

V. PROLEGOMENON.

Quæ libri authoritas?

DIcam, ordine, de Catholicorum, & Hæreticorum sententia.

PRIMA PROPOSITIO. *Liber hic fuit olim apud Christianorum nonnullos, extra Canonicarum scripturarum catalogum.* Cum eum in Iudæorum canone ipsum non inuenirent, neque vllum adhuc Ecclesiæ decretum scirent, verbo, aut certè, dum canonicas numerant, silentio, apocryphum censuerunt. D. Hieronymus epistola 110. 115. Prologo Galeato. & præfatione in Ioram. in Danielis 8. Athanasius in synopsi. Nazianzenus carmine de libris sacris, Melito apud Eusebium l. 4. c. 26. Origenes apud eundem l. 6. c. 25. Laodicense Concilium Can. 19. Ruffinus Expositione symboli Radulphus lib. 14. in Leuiticum c. 1. Hugo S. Victoris prolog. lib. de Sacramentis c. 7. l. 4. Didascalicon cap. 8. Hugo Cardin. in Iosuæ prologo, & hoc loco. Richardus de S. Vict. l. 2. exceptionum c. 9. Scholastica historia prologo isto. Lyranus hic, & l. 1. Regum c. 16. Abulensis eodem loco. Caietanus in fine Commentariorum in historias veteris testamenti

SECVNDA PROPOSITIO. *Fuit idem liber olim, apud alios Christianos Patres verè Canonicus.* S. Irenæus l. 1. c. 34. Sanctos Propheras enumerans quos male Gnostici tractassent, & fictis nescio quibus hominibus distribuissent, Tobiam recenset. D. Cyprianus, cum, è sanctis tantum scripturis testimonia in libris ad Quirinum colligeret; sæpè Tobiam citat, vt l. 3. c. 16. c. 62. & libro de opere & eleemosynis, ferè initio, citans libri huius caput 4. ait, Spiritum Sanctum loqui in scripturis diuinis, epistola 52. contra Nouatianos, hinc fidei dogma probat; dari posse lapsis pœnitentiam, & sæpè alias eundem librum citat, vt libro de exhortatione Martyrij, lib. de Mortalitate, lib. de oratione Dominica, lib. de bono patientiæ. Hilarius in psalmo 129. ex Raphaële ad Tobiam loquente, probat, angelos esse, & pro hominibus intercedere. Ambrosius librum integrum de Tobia ex isto scripsit. Et c. 1. hunc librum vocat prophetiam, c. 2. ipsum Tobiam, propheram, rursumq; lib. 6. Hexamer. c. 4 librum propheticum, & citat. l. 3. off. c. 14 D. Chrisostomus homilia 15. ad Hebræos, Petrum nonnulli, apud D. Hilarium prologo in psalmos; vt sint 24. Bibliorum libri secundum alphabeti Græci numerum, Tobiam & Iudith numerant. Clemens Alexandrinus l. 1. Stromatum, cum sacrarum literarum historias ad Chronologiam reuocaret, huius etiam meminit. D. Augustinus l. 2. de doctrina Christiana c. 8. se scripturarum canonem afferre inquit, & Tobiam ponit, ex eoq; libro ad populum concionatur sermone 226. cum eius lectio in Ecclesia recitata fuisset; Ait enim. *Patienter lectionem percepta, quæ nuper est recitata, admirabamur patru filiq, tractatum, quemadmodum Angelus monet, quem æstimabant terrenum sub cœlesti gloria mercenarium.* Hunc verò sermonẽ dicit quædam notatiuncula ex Ambrosio haustum, ita vt huius etiam tanti viri nomen maiorem ei sermoni authoritatem afferat. Sed eundem Tobiæ librum idem. D. Augustinus citat etiam libro de cura pro mortuis c. 3. isdemque pene verbis l. 1. ciuit. c. 13. & tractatu 13. in Ioannem, sermone 18. in Matthæum & lib. Speculi, dum ex scripturis tantum canonicis, prout in præfatione testatur; sententias excerperet. Sic & author quæstionum ex vtroque testamento mixtim c. 119. S. Isidorus lib. 6. originum c. 1. Cassiodorus libro de diuinis lectionibus c. 6. vnà cum ipso Iob, Tobiam inter hagiographos ponit. Rabanus l. 2. de institutione Clericorum c. 15. Amalarius de ordine antiphonarij c. 23. Patres etiam illi, à quibus se hunc, alios q; libros, sub nomine diuinarum scripturarum, in Ecclesia legendos accepisse profitetur Concilium Carthaginense, de quo infra: Prudentius hymno 10. Alcimus Auitus libro ad sororem. D. Clemens epistola 1. ex veteri testamento se citare ait, quod huic c. 4. scriptum est: Quod ab alio oderis fieri, vide ne tu aliquando alteri facias. Sic & epistola 2. & S. Anacletus epistola 2. S. Calixtus primus, epistola 3. S. Alexander epist. 1. de Sacrosancta Trinitate ex c. 7. huius libri.

TERTIA PROPOSITIO. *Ecclesia tandem iudicio sua dirempta, & apud omnes, Canonicus haberi iam debet, & ab annis amplius mille debuit.* Prior pars probatur ex Tridentina, Sessio. 4. cuius

Universidad de Deusto
Biblioteca

nominor, in eiusmodi rerum diiudicatione authoritas, quam superiorum Synodorum, vt ex Bellarmino lib.2.de Conciliis cap.23.& 24.perspicuum. Posterior probatur ex Pontificibus, Innocentio I. in epistola ad Eupertum, & Gelasio I. decreto de libris sacris apud Burchardū lib.15.c.217. Deinde ex Concilio Carthaginiensi, celebrato circa Domini annum 419. Bonifacij Pontificis & Imperatorum Honorij & Theodosij temporibus, quod à D. Augustino epistola 235. laudatur, dum in eo videri vult, quænam scripturæ sacræ sint. Est autem eius Canon, qui à nonnullis (contra quos Tomo 5. Reuerend. Baronius) Carthaginiensi 3. Concilio inseritur, & numeratur quadragesimus tertius. Rupertus vero de diuin. Offic. lib.12.c.25. *Hæc duo*, inquit, *volumina Tobiæ & Iudith, non sunt in Canone, sed Nicæna Synodus auctoritate ad instructionem Sanctæ Ecclesiæ.* Tertiò probatur ex vsu Ecclesiæ, quæ, vt tam allatus Carthaginiense Concilium Canone citato loquitur; *sub diuinarum scripturarum nomine hunc librum legit*, idemq; habetur apud Gratianum distinct.15. Augustin. sermone citato. Rabanum lib.2.institut.c.53. Amalarium 11. Et, quia D. Hieronymus olim dixerat, legi tantum ad eorum ædificationem; notetur, quas scripturas in sacris Ecclesiæ conuentibus recitari, & vere sacras nominari, huc q; pertinet, quod, in solennibus Ecclesiæ precibus, Sanctus Raphaël nominetur, cum eius tantum hoc libro fiat mentio, vti apud Glycam p.2. docet Psellus, de quo pluribus postea. Rectissimum vero citati, Canonicum eum senserunt, quòd eos, qui alteram opinionem olim sequebantur, Iudæorum Canon nonnihil tardarit; quod iidem tamen eum, similesq; libros, tanquam veracis & vtiles valdè semper probarint, vti etiam fatetur Vrrakerus & alij, quod ipsi etiam hæretici eundem librum valdè commendent, vt infrà patebit; denique, quod omnia, quæ Canonicam eius authoritatem enervare videntur, rectè dissoluantur.

Qvarta Propositio. *Hæretici plerique Apocryphum adhuc eum esse volunt*, de quibus lib.1. de Verbo Dei c.10. Bellarminus. Certè apud Lutherum in Sympotiacis c.29. magnus Lutheri Symmystes Ionas, multa in libello isto ait esse ridicula & fatua: ipse verò Lutherus, nouus videlicet Apollo; pronunciat ibidem, esse Iudæorum cōmentum & comœdiam quandam, in qua de mulieribus agatur, idque copiosius præfatione in suam libri huius versionem Germanicam, explicat. Primo, ait, dubitandum, an vera historia sit: deinde potius concludendum, esse *poema quodpiam*. Sed, per superiorem propositionem, ista hæretici censura nunc explosa: Eius tamen & hæreticorum aliorum, vt in hisce fingendis poëtæ quanti sint, liqueat; argumenta videamus.

HÆRETICORVM ARGVMENTA SOLVVNTVR.

Primvm Argvmentvm. In Hebræorum Canone liber iste non fuit. Ergo non est Canonicus. Negat loco citato S. Isidorus consecutionem. *Quartus est*, ait, *apud nos ordo veteris testamenti eorum librorum, qui in Canone Hebræo non sunt, Sapientiæ, Ecclesiasticus, Tobiæ, Iudith, duo Machabæorum, quos etsi Hebræi inter Apocrypha seperent, Ecclesia tamen* Christi *inter diuinos libros & honorat & predicat.* Similiter omnino S. Augustinus lib.18. de Ciuitate, cap.36. & in Speculo, vbi ait: *Non sunt omittendi & hi libri, quos quidem ante Saluatoris aduentum, constat esse conscriptos, sed eos non receptos a Iudæis, recepit tamen eiusdem Saluatoris* Ecclesia.

Secvndvm Argvmentvm. Patrum nonnulli Canonicum, non esse censuerunt, & recentiores supra citati. Respondeo, sub iudice tum adhuc erit lis, quæ postmodum diiudicatis & D. Hieronymus epistola illa 100. Pharisæos vocat, qui contra Iudæorum Canonem, Latinis auribus librum istum transferri quærebantur. Falsum verò quod de eodem S. Hieronymo ait controuersia quarta Vrrakerus, ipsum Chaldæo exēplari nihil omnino tribuisse. Nam & in epistola citata nihil eiusmodi legitur, & contrarium ostendit præfatione in Ionam, vbi, cum, quibus in Scripturis sanctis, mētio Ionæ fieret, interrogasset, librumq; Regum quarum citasset, adiunxit; *Liber quoq; Tobiæ, licet non habeatur in Canone, tamen vsurpatur ab Ecclesiasticis viris.* In Danielis c.8. cum de Angelis, quos in scriptura, certas ad functiones mitti legimus, ageret, ipsumq; Raphaëlem memorasset, propter quorundam opinionem, de qua ibi locus disputandi non erat, subiunxit. *Si tamen cui placet Tobiæ librum recipere.* Clarius epistola 115. testatur, hunc librum *ab Ecclesia legi, etsi non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmādam* (quod tamen iam receptum) *ad plebis tamen ædificationem.* Qui tantum igitur huic libro tribuit, quomodo nihil omnino tribuit? Recentiores verò, qui obiectantur, ij ad Diui Hieronymi authoritatem illam, quod in omnibus ferè Bibliis legatur, tanquam ad saxum quodpiam adhæserunt, & Pontificum, Conciliorumq; iudicia superius citata, vel nunquam legerunt, vel festinantiore certè trutina expenderunt.

Argv-

Argvmentvm Tertivm. In eo absurda nonnulla sunt. Quomodo igitur Canonicus? At quod ipsi sumunt, probare numquam poterunt, & quæ cauillantur, singula suo postea loco explicabuntur. Video enim, cum testamentum vetus, eodem argumento, vel importunissimo potius cauillo, reiicerent Adamantus, Faustus, Secundinus, aliique omnes Manichæi, D. Augustinum ita respondisse, vt quæ illi tamquam absurda obiectabant, absurda negaret, probéque omnia exponeret.

Argvmentvm Qvartvm. Sed suam iterum comœdiam probat Lutherus, quia in prima persona de se loquitur Tobias; deinde quia nomina bene conueniunt. Refellitur tamen ex tota narratione, quæ omnino historica est. Et si in prima persona de se ipso loqui, historiæ officeret, aut libri veritati reiiciendus esset Neemias, qui c.1. de se ipso ait: *Ego eram in Susis castro, cum audissem verba huiuscemodi*, & quæ sequuntur, itemque cap.2. *Leuaui vinum, & dedi Regi, & eram quasi languidus ante faciem eius.* Isaias, *quando vidit gloriam Dei*, vt ait Ioannis cap.12. Dominus; nonne scripsit c.6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum?* Et dixi: *Væ mihi, quia tacui, &c.* Quid Ezechiel c.1? *Et vidi, & ecce ventus turbinis: Et vidi quasi speciem electri*, cap.2. *Et vidi & cecidi in faciem meam, & audiui vocem loquentis.* Sic cap.3. 4.6.7. 8. aliisque pæne omnibus. Hæreticorum est, in extrema tendere: omnia vndique, modo apud imperitos, speciem difficultatemque aliquam habeant, etiamsi falsissima & ineptissima sint, corradere. Ecce tibi è contrario Faustus Manichæus, Euangelium S. Matthæi negabat esse Matthæi, quia in prima de seipso persona non scripsisset: *Quam elegantem*, ait D. Augustinus, lib.17. contra ipsum cap.4. *rem sibi visus est Faustus dicere, vbi propterea voluit non credi hæc scripsisse Matthæum, quia cum de sua electione diceret, non ait, Vidit me, & dixit mihi, sequere me. sed, vidit Matthæum, & dixit ei, sequere me.* Cum verò, vt, libri de arte Poëtica initio, tradit Aristoteles; Poësis veritatis imitatrix sit, quamlibet veram historiam licebit, propter Lutheri argumenta; dicere veritatis tantum imitationem esse. Sed faciamus, quod reuera non est; esse Poëticam hic scriptionem, nunquid ideo liber Canonicus non esset? nonne & in Scripturis à Spiritu sancto parabolæ, apologiique narrantur? nonne Poëtici Psalmi sunt? nonne D. Hieronymus epistola 115. in Iob hexametros versus esse ait, Dactylo Spondæoque currentes? Sunt tamen hæretici, qui huic Tobiæ libro plurimum tribuunt, vt Ioannes Drusius epistola 11. epist. 105. principio lectionum in Nahum, & præfationum in hunc librum: *Liber iste*, ait, *ab Ecclesiasticis viris olim receptus, publicéq; in Ecclesia lectus, ac tantum non pro diuino habitus semper fuit.* Munsterus verò, præfatione in Meleceth haddikdouk, aliis veteris testamenti libris omnibus anteponit. *In quo*, ait, *Biblico libro veteris instrumenti inuenies tam efficaces, ad opera pietatis monitiones, quæ habent tam viuidissima adiuncta exempla, vt in hoc libro? Vbi vsquam locorum inuenies tam syncera, paterna, & omni acceptione dignas institutiones, qualiter te geras erga Deum, erga parentes, erga pauperes, præsertim domesticos fidei, erga coniugem, denique erga cunctos mortales, atque erga defunctos ipsos, vt in Tobia?* Ita ille.

VI. PROLEGOMENON.

Vtilitas.

Ad omnem vitæ partem, fortunam ac officium, documenta & exempla pulcherrima suppeditat, in prosperis, in aduersis erga Deum, erga proximum, erga viuos, erga mortuos. Continet etiam illustrem diuinæ prouidentiæ, suos in famulos demonstrationem, & luculentem de Ecclesia prophetiam. V. Beda initio expositionis allegoricæ in Tobiam: *Liber*, ait, *Sancti Patris Tobiæ, vt in superficie litera salubris patet legentibus, vtpote, qui maximis vitæ moralis & exemplis abundat & monitis.* Aliquot tamen Ecclesiæ hostium testimonia subiungam, vt re videantur fateri, quod verbo negant. Primvm Munsteri, qui præfatione citata, *Libellus*, inquit, *est verè aureus, & iuuentuti accommodatissimus. Ediscendus esset a pueris, haud secus quam Decalogus, & in imo pectoris diligentissime condendus, in quo non nisi mera pietatis semina, amœnores & fructus inueniuntur.* Secvndvm Bullingeri, qui tractatu de libris sacris; *Inter historias*, inquit, *in plerisq; exemplaribus primum locum tenet liber Tobiæ, qui mea quidem sententia multò felicius Xenophonte & Aristotele Oeconomiam tradit. Nam & exemplis vitæ omnia demonstrat, & præceptis salutaribus.* Tertivm Lutheri, qui Germanica præfatione citata: *Si Tobias*, ait, *liber, gestum quoddam est, præclarum & sanctum gestum est: si verò commentum est, verè est bonum pulchrum, salutare, & vtile commentum, ac lusus Poëtæ cuiusdam Spiritu pleni.* At verissimum gestum esse, supra demonstratum. Verè igitur præclarum & sanctum opus est. Et sub finem addit ille; *Hic liber nobis Christianis lectu est vtilis & bonus, tanquam boni cuiusdam Hebræi Poëtæ, qui leue nihil, sed bonas res tractat, casdemq; supra modum Christianè vrget ac describit.* Hæc ille, vt pristinam suam, vel alienam certè hoc in libro explodendo, temeritatem damnare penitus videatur. Angli etiam hæretici, suis in Synagogis, cum nihil nisi sacras scripturas velint, librum hunc in diuino suo cultu legunt, vt obiicit Vrrakero, libro contra ipsum, Duræus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VII. PROLEGOMENON.

Interpretes.

PRÆTER glossam ordinariam, Lyranum, Hugonem, Carthusianum; interpretes quidem bonos, sed vulgo notos, librum istum quinque libris olim, mille ab hinc annis, expositum Bellator, Cassiodoro teste loco citato. Et circa Domini annum 1381. Richardus Labenhaim Carmelita, Matthæus Vindocinensis presbyter, quem in duos authores, sua Bibliotheca, male diuidit Gesnerus. E recentioribus verò, Gerardus Lorichius Hadamarius, Germanicè Hoffmeisterus, & apud Senensem lib. 4. Fridericus Nausea. Suggerit etiam ad bonos mores non inutilia Petrus Bertorius Pictauiensis lib. 17. Moralitatum. & V. Beda expositionem scripsit allegoricam. Sancti etiam Ambrosij liber de Tobia, vocatur à D. Augustino lib 1. contra Iulianum Pelagianum c. 3. *Expositio libri Tobiæ.*

VIII. PROLEGOMENON.

Diuisio.

GRÆCOS nonnullos ait Sixtus Senensis, libro primo, diuidere librum hunc in 903. capita, cum tamen vix sint versus 328. Sunt verò partes duæ: Narratio videlicet de Tobia, generatim instituta, & speciatim. Illa narrat de Tobia, partim quę ante captiuitatem in ipsum cadunt, partim quæ post. Ante captiuitatem sunt potissimum quatuor. Tobiæ scilicet genus, patria, minor ætas, & virilis, quæ capite primo continentur omnia.

PRIOR LIBRI PARS
ET CAPVT I.

1 TOBIAS *ex tribu, & ciuitate Nephthali (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam, quæ deducit ad Occidentem, in*
4 Re. 17 2. & 18. 9 *sinistro habens ciuitatem Saphet.)*
2 *Cum captus esset in diebus Salmanasar Regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viam veritatis non deseruit.*
3 *Ita vt omnia quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.*
4 *Cumque esset iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.*
5 Re. 12 28. 5 *Denique, cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium,*
6 *Sed pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominũ Deũ Israel, omnia primitiua sua, & decimas suas fideliter offerens.*
7 *Ita vt in tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.*
8 *Hæc & his similia secundum legem Dei puerulus obseruabat.*
9 *Cum verò factus esset vir, accepit vxorẽ Annam, de tribu sua: genuitq; ex ea filium, nomen suum imponens ei.*
10 *Quem ab infantia, timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.*
11 *Igitur, cum per captiuitatem deuenisset cum vxore sua & filio in ciuitatem Niniuen cum omni tribu sua.*
12 *Cum omnes ederent ex cibis gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam contaminatus est in escis eorum.*
13 *Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis.*
14 *Et dedit illi potestatem quocunq; vellet ire, habens libertatem quæcunq; facere voluisset.*
15 *Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis.*
16 *Cum autem venisset in Rages ciuitatem Medorũ, & ex his, quibus honoratus fuerat à rege, habuisset decem talenta argenti.*
17 *Et cum in multa turba generis sui Gabelem egentem videret, qui erat ex tribu eius, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.*
18 *Post multum verò temporis, mortuo Salmanasar rege, cum regnaret Sennacherib filius eius pro eo, & filios Israel exosos haberet in conspectu suo.*
19 *Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatq; vnicuiq;, prout poterat, de facultatibus suis.*
20 *Esurientes alebat, nudisq; vestimenta præbebat, & mortuis atq; occisis sepulturam solicitus exhibebat.*
4 Re. 19 35. Ecc. 48. 24. Esa. 37. 36. 1. Mac 7. 41 2. Mac 8. 19. 21 *Denique cum reuersus esset rex Sennacherib, fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphemiam suam, & iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum.*

22 *At*

22 *At vbi nunciatum est regi, iussit eum occidi, & tulit omnem substantiã eius.*
23 *Tobias verò cum filio suo, & cum vxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum.*
24 *Post dies verò quadraginta quinque occiderunt regem filii ipsius, & reuersus est Tobias in domum suam, omnisq; facultas eius restituta est ei.*

COMMENTARIVS.

HVIVS vt dixi, partis & capitis sunt particulæ quatuor. PRIMA est Tobiæ genus. Et primò quidem, eius tribus Nephtali nominatur in Græco & Hebræo textu: eius pater Tobiel: Auus Ananiel: Proauus Aduel; vel fortè Adiel, vt primo Parali. cap. 4. versic. 37. & 9. cap. versic. 12. pro quo male Ariel in Hebræo loci huius contextu, & in Complutensi, Adui: Abauus Gabaël, & Hebraicè Habiel: Tritauus Asiel, vt primi Paralip. capit. 4. versic. 36. vel Asael, vt 2. Reg. 2. Additur Hebraice tritaui huius pater Nenathiel. Eiusdem verò Tobiæ auia paterna, infra Græcè & Hebraicè Debbora dicitur, quemadmodum Genes. 35. & Iudicum 4. & 5. & fratris eius minus quidem certum nomen vt infra dicetur, filii tamen eiusdem fratris duo, Achicarus & Nasbas, vel Nabac. Cum verò tenuiorum etiam hominum genus in Scripturis interdum recenseatur: non potest, ex ista genealogia, vllus Tobiæ splendor & nobilitas colligi. quamquam, vt ait epistola 44 lib. 5. Seneca; *Bona mens omnibus patet. Omnes ad hoc sumus nobiles. Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit.*

SECVNDA capitis particula est Tobiæ Patria. Est ea Galilæa superior: facit enim Iosephus libr. Captiuitatis capit. 4. Galilæam duplicem. Superiorem, & inferiorem. describitque vtramque insigniter. sicuti & in vita sua. Superior porro sic appellata, quòd, quæ versus Septentrionẽ sunt partes, altiores sunt, vt ait capite primo, libro secundo Meteorolog. Aristoteles. propter quam altitudinem ipsis auguribus orientem spectantibus, apud gentiles, augurii læua videbantur prospera, vt ait Syntagm. decimoseptimo Giraldus. Potest etiam videri dicta superior, quod versus eam partem sit, vnde, tamquam è superiore loco, celeberrimus Hebræorum amnis Iordanis defluit, sicuti, ob Rhenum nostrum, Germania superior & inferior dicitur. In Græco tamen dicitur Galilæa supra Aser, quæ non est Manassæ oppidum, de quo Iosuæ decimoseptimo (Cur enim tam procul versus Austrum dissita vrbs, tot interiectis vrbibus omissis, nominaretur? Sed supra ipsam tribum Aser. & quia Naasson supra eandem tribum proxime est, eadem sententia manet, siue supra Naasson, siue super Aser constituatur: licet hoc pro illo positum esse potuerit. Eadem Galilæa superior, dicitur etiam *Galilæa gentium*, Isaiæ 9. non tam, quod eas maris oportunitas alliceret, vt in Iosue duodecimo ait Matius, quam quòd eas aduocarat Salomonis donatio facta Tyrio regi, tertio Regum nono, versu vndecimo. A præcipua verò vrbe vocatur eadem regio hic, in Hebræo, Samaria. Licet enim propriè Iudæam inter & Galilæam Samaria sit, vt ait l. 3. belli Iosephus cap. 2. & patet ex Iohannis cap. 4. Lucæ 9. quia tamen qui in Galilææ tribubus regnabant, pro vrbe regia Samariam maximè celebrabant. tertio Regum capite decimosexto, & sequentibus, th. 7. & 8. ideò ipsum etiam Samariæ nomen ad Galilæam totam interdum profertur, adeo, vt quos libr. 18. antiq. capit. 5. Iosephus, l. 2. de excidio capit. 5. Egesippus, Samaritanos vocat, eos Christus Dominus Luc. decimotertio Galilæos nominet. Vrbs, in qua Tobias natus, idem cum ipsa tribu nomen habet, Nephtali. sed in 70. Thisbe vocatur, pro qua vellet, Iosuæ capite 40. Matius legi, Thebes. præsertim, cum apud Stephanum, in Syria Thebe quædam ponatur, Thisbe nulla. Sed ad Hebræum magis accedit Thisbe. &, Thisben, in Israelis tribubus, quandam esse, perincit Elias Thisbites tertio Regum decimoseptimo. Existimat verò quidam, Nephthalim, inter Manassæ vrbes reponendam, sed contra textum apertè. Et dicitur, supra Naasson esse, quia tribus ferè milliaribus orientalior est, iuxta viam vel post, quæ ad occidentem ducebat, in cuius sinistro latere Septentrionali erat vrbs Sephet, vno amplius milliario, & quæ dicitur in Græco Cades Nephtalim, ad aliarum scilicet Cades distinctionem, ita vocata, quæ Iosuæ vicesimo, vrbs refugii erat. Matius loco citato legi vellet Græcè vel Sisiz & Syrin, vt est apud Adrichomium. Sanè Cades ab Herodoto libr. 2. & 3. dicitur etiam καδύτης.

TERTIA capitis particula est eiusdem Tobiæ minor ætas, pueritia nimirum & Adolescentia. Vtroq; parente puer orbatus, Hebraicè & Græcè orphanus fuisse dicitur, ab auia Debora in Dei timore, legisque Domini obseruatione institutus. Hinc verò triplex eius laudatissima commendatio. PRIMA versu 4. *cum esset iunior nihil tamen puerile gessit in opere.* Quod puerile dici solet duplex est. Vnum leue quidem & ludicrum, sed ab omni vitio & malitia remotum, vt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ædificare casas, plostello adiungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Et apud Homerum Iliad. 15. & Odyssea 15. ἀβύρματα, apud nos crepundia, & nuces. Alterũ, quod leuitatem & malitiam habet, vt ociari, potare, lasciuire, tempus malè traducere. Illud omni ætati semper fugiendum, illud in pueris minimè vituperandum, vt ait de Senectute Cicero, & Diuus Paulus prioris Corinthiorum decimotertio. *Cum essem paruulus loquebar vt paruulus.* Sed in natu maiorib. hoc ipsum improbatur, vt ostendit vetus illud apud Platonẽ primo de Republica; bis pueri senes. nisi fortè relaxandi animi causa, vel alia quæpiam iusta subsit, vti de Agesilao, & apud Ciceronem 2. de Oratore, de aliis legitur. Eleganter, aut potius sapienter, ad Lucilium epistola 4. Seneca. *Tenes*, ait, *memoria, quantum senserit gaudium, cum prætexta posita, sumpsisti virilem togam, & in forum deductus es. Maius exspecta, cum puerilem animum deposueris, & te in viros Philosophia transcripserit. Adhuc enim non puritiam in nobis, sed, quod est grauius, puerilitas remanet. Et hoc quidem peius est, quod authoritatem habemus senum, vitia puerorum: nec puerorum tantum, sed infantium.* O quam ille insipiens & delirus, qui caluus & canus iam cum esset, dicebat

ὡς τῷ γέροντι μᾶλλον
Πρέπει τὰ παιδνά,
Ὁ τῷ πέλας τὰ μείρακ.

Id est, seni tanto magis congruere, vt iucundè ludat, quanto fata ei propiora. Qui verò indole maiore pueri sunt, ij non tantum ludos istos posteriores semper, sed priores etiam illos quam maturrimè deserunt, aut fortè vix attingunt, vti de Themistocle narrat Plutarchus, cæteris pueris ludentibus, solitum orationes meditari, adeò vt Magister diceret. Te, ô puer, paruum nihil, sed magnum aliquod aut bonum, aut malum futurum auguror. Diuus Bernardus initio historiæ sancti Malachiæ, *Agebat*, inquit, *senem moribus, annis puer, expers lasciuiæ puerilis.* & vnum quoddam subiungit, *quod non modo bonæ, sed & magnæ cuiusdam insigne spei in puero dedisse indicat. Cum enim excitus opinione Magistri cuiusdam, ad eum litterarum discendarum causa venisset, eumque fabula ludentem, & sulcos nescio quos in pariete facientem vidisset, eo*, inquit, *solo visa offensus puer serius, quod leuitatem redoleret, resiuit ab eo.* Talem etiam describit, Nazianzenus Oratione 20. sanctum Basilium. Cæterum de intempestiuis minutarum parumque vtilium rerum studiis exclamat libro sexto, Epistola quadragesimanona Seneca. *O pueriles ineptias: In hoc supercilia subduximus, in hoc barbam demisimus, hoc est, quod tristes docemus pallidi? Quid mihi lusoria ista proponis?* Diuus Augustinus in Psalmum centesimum duodecimum, *Sit senectus vestra pueritiis, & sit puericia senilis: id est, vt nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, vt laudetis Dominum ex hoc vsq; in sæculum.*

Secvnda Commendatio. ver. 5. Cum irent omnes ad vitulos aureos (de quibus dixi 3. Reg. 12.) hic solus fugiebat consortia omnium, & pergebat in Ierusalem, in templum Domini. Causa cur solus, quia, vt in Græco & Hebræo, cum puer esset, defecerat à vero Dei cultu, & Hierosolymitano templo, tribus Nephtalica, aliæque nouem Apostatiæ. non quod tunc primò defectio ista cœpisset, cum ab eius initio, 3. Reg. 12. anni plus quam ducenti effluxissent, sed quod in ea omnes adhuc perseuerarent, ideoque præteritum Hebræum, & Aoristus Græcus per plusquamperfectum explicanda, vti alias non rarò. Idolum verò vocatur in 70. non δάμαλις, id est bucula, tantum, sed etiam ἡ βάαλ quod exposui Iudicum secundo. Rursum Dei templum dicitur ὁικ@- τῆς ἐκλεγείσης, id est, electæ, subaudiendo, πόλε@- vel φυλῆς. Deus enim Psalmo 77. *repulit tabernaculum Ioseph.* quòd scilicet in Ephraimitarum Iosephi posterorum vrbe Silo fuit. 1. Reg. 1. *Et tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iudæ montem Sion, quem dilexit.* Chaldæus Paraphrastes Canticorum, cap. 3. versic. 10. *Dominus fecit habitare nomen suum in Hierusalem, magis quam in omnibus vrbibus terræ Israel.* Sed quomodo Solvs in templum pergebat, cum capit. 5. in Græco idem secum fecisse narret Ananiam & Ionatham, seu Hebraicè Hananielem & Nathanem? Respondeo, vel isti ex eadem tribu Nephtalica, de qua hic sermo, non erant; vel si erant, intelligendus Solus, quia valde ipsum pauci comitabantur, quemadmodum 4. Reg. 17. versu. 18. dicitur tribus Iuda μονοῦλάτις, cum tamen cum ea, tribus Beniamin iungenda esset; aut verò quia licet aliqui aliquando Tobiæ socii, sæpe tamen solus erat, quemadmodum signate monet Græcus, Tunc ait, πλεονάκις. Magna verò & exaggerata virtus, in hæreticorum & Apostatarum regione, veram religionem, in flagitiosorum & impurorum medio, sanctitatem & puritatem retinere, ideòque tales comparantur lilio inter spinas. Cant. 2. lucernæ in caliginoso loco lucenti. 2. Petri primo, luminaribus in mundo fulgentibus, Philip. 2. ipsique adeo soli, qui quia solus lucet, Sol dictus. Vnde Thalmudicorum verum illud prouerbium. *Myrtus semper est, semperq; vocatur myrtus, etiamsi inter vrticas sit.* Legendus toto capite primo libri primi moralium D. Gregorius vbi, *Sicut*, ait, *grauioris culpæ inter bonos bonum non esse, sic immensi est præconij bonum etiam inter malos extitisse.* D. Bernardus sermone 48. in Cantica. *Non mediocris*, ait, *titulus perfectæ virtutis inter prauos vincere bonum, & inter malignantes innocentia*

centia retinere candorem. Exempla sunt in Machabæis, Iob, Loth, quem idcirco laudat S. Petrus secundæ Epistolæ secundo, in Noë, & Abraham, & in Philippensibus cap. 2. in Pergamenis Apoc. 2. Laudatissimus ille apud sanctum Epiphanium hæresi 30. Iosephus, à Constantino Magno comes factus; ab eodem Epiphanio variis nominibus commendatur; sed maximè quod Scythopoli; *Solus ex orthodoxus esset*, omnes verò alij Ariani. Diuus Nazianzenus Oratio. 20. sibi & S. Basilio Athenensem Academiam, quæ quoad animum, plurimis oberat, nihil obfuisse tradit, &, *si quis*, ait, *fluuius per falsum mare dulcis fluere creditur, si quod in igne, quo omnia consumuntur, animal saltitare, id nos inter omnes adolescentes, prauos scilicet & corruptos, eramus.* Et quia multorum risus & conuitia sunt audienda, audiatur Epictetus Enchirid. capite decimonono. *Sapientiæ*, inquit, *studium suscipere cupis? ad hoc te ipse statim para, vt deridearis quasi te subsannaturi sint multi, & quasi dicturi: Iste nobis repente Philosophus aduenit; & vnde nobis hoc supercilium.*

Commendatio Tertia. è factis quinque. *Primum*, fugere consortia malorum, quæ sane pix sunt aterrima & tenacissima Ecclesiastici cap. 13. Diuus Nazianzenus loco citato. *Cum sodalibus versabamur, non petulantissimis, sed temperatissimis, non pugnacissimis, sed maximis pacificis, & quibuscum agere vtilissimum, scientes facilius esse malitiam à sociis accipere, quam in iuniore illo Iudæorum patriarcha Iuda, etiamsi præceptores bonos haberet, apud Epiphanium loco citato: & in adolescentulo illo, quem Episcopo cuidam S. Ioannes Euangelista commendarat, prout in ipsius historia, libello de Apostolis, ex Eusebio, Clemente, Chrysostomo, ipse Antiochum lauræ sermone de Episcopatu, nunc addo; notaui.*

Alterum factum. pergere ad templum Domini, versu 6. Addit Græcus: in festis, sicut præceptum toti Israel præcepto sempiterno, ter videlicet quotannis, festo Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum, quorum primo Christus Dominus interfuit. Luc. 2. Et hosce dies festos vocat, ordine secundo, Thalmudica explanatio, *Regalim*, quod pedibus iter illud fieri soleret. Vnde & in Chaldaica Paraphrasi Canticorum 7. v. 1. legitur. *Dixit Salomon in spiritu prophetiæ à facie Domini. Quam spectosi sunt pedes Israelis, quando ascendunt, vt appareant coram Domino, tribus vicibus in anno, cum sandalia tuxeis, & offerunt vota sua, suasq; voluntarias oblationes!* legantur & Exodi capita 23. 24. Deuteron. 16.

Tertium factum. Ibi adorare Dominum Deum, vti. Reg. 1. Ecce quid in templis agendum, *Domus mea domus orationis vocabitur*, inquit Dominus Matthæi 21. Legatur D. Augustinus de tempore Sermon. 251. Chrysostomus hom. 15. in Epistolam Hebræam, Epiphanius hæresi 37.

Quartum factum. Deferre primitias & decimas, idque fideliter, & omnes. Quæ Græcè dicuntur omnium, quæ nascerentur, adeoque lanarum detonsarum, harum siquidem primitiæ sunt, quas vocat ille textus πὴς πεωλοκτείας, Hebraicè vero numerantur decimæ, primitiæque frumenti, musti, olei, ficuum malogranatorum, & omnium rerræ fructuum. Et erant duplices. Primæ Leuitis generatim sumptis, quatenus scilicet etiam Sacerdotes comprehendunt; dabantur, vt hic Græcè & Hebraicè dicitur versu 6. & 7. Secundæ conferebantur in epulum sacrum, cuius & Leuitæ & egenes participes fiebant. Tertiæ, dabantur, inquit Græcus, quibus oportebat, id est, triennio quolibet, peregrinis, pupillis, & viduis. & addit Hebræus alter, in fabricam etiam, seu restaurationem templi, vt 4. Reg. 12. Vide dicta cap. 5. in Iosuanis sacerdotibus numero 61. & sequentibus. Et fiebant huiusmodi oblationes, & decimæ priores, quotannis, in festis diebus supra nominatis.

Quintum. Similia pia & bona religionis instituta obseruare. Verbi causa, maiores nam reuereri, domum legem edisce re, quotidianas domi preces, mane & vesperi fundere verecundiam tuem, obscœnum ad aures nihil admittere, à voluptatum omnium illecebris cauere. Narrat libro 2. contra Apionem, Iosephus, Hebræorum liberos solitos, à primis statim vnguiculis, quæ in animis penitus insculperent. *Hæc igitur*, ait textus, *& similia secundum legem Dei, pueri ista observabant.* O puerulum! qui non pueris & adolescentibus tantum, sed & viris, adeoque senibus exemplar esse debeat. Lege, si libet, D. Augustinum in Psalmum 112. D. Ambrosium epistola 59.

Qvarta capitis particula, est Tobiæ virilis ætas, & explicatur, ante captiuitatem versu 9. & 10. vbi notandum, eum duo filium docuisse, Timere Deum, et Abstinere Ab Omni Peccato. Atque hanc bene liberos instituendi curam, parentibus omnibus suadet Ecclesiasticus Cap. 30. Salomon Prouerbiorum 4. versu 3. & suo ipsius exemplo Dauid psalmo 33. *Venite*, ait filij, *audite me. Timorem Domini docebo vos.* Negligant alij filiorum suorum doctrinam. Ego inquit, non item. *Venite filij, audite me.* Doceant eos alij, & diligenter, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

artes mundo huic placendi opes & honores coaceruandi: imò etiam illas ipsas, quæ liberales vocantur, vel per se ipsos, vel per alios doceant, Ego, quod hisce omnibus præstantius, vtilius, magisque necessarium est; *timorem Domini docebo vos.* videri potest Origenes apud D. Hieronymum Danielis 13. Plutarchus libro de institutione. Et verò, quemadmodum ad litteras discendas apud Græcos, pueri ad scholas adibant, sic, apud Persas, vt iustitiam discerent, prout libro primo Cyropædias à Xenophonte litteris mandatum. Quanto id apud Christianos seruari æquius? Fuit verò, cum vxore ac filio, captiuus abductus, anno sexto Ezechiæ Regis Iuda, Oseę Israël Regis nono, mundi ter millesimo quadringentesimo secundo, in Assyriam, & quidem in Niniuem, quæ à Plinio, Ptolomæo, & aliis Ninus vocatur, vt Genes. 10. dixi. & hic Hebraicè CIVITAS MAGNA vocatur, quemadmodum etiam Ionæ c. 1. & 3. quòd, vt ait Diodorus lib. 2. murorum suorum ambitu, stadia contineret 480. Salmanasser verò, de quo 4. Regum 17. Græcè iam nominatur Ενεμεσσὰρ & Ενεμισαρος, licuit & apud Athanasium in synopsi. Hic porro videmus, quemadmodũ communib. malis inuoluantur etiam iusti, sed ad maioté eorum exercitationem, meritum & gloriam. Diuus Ambrosius cap. 1 lib. de Tobia. *Ob virtutes scilicet augendas, quibus præatus fuerat, subiit ærumnam captiuitatis, quam ferebat humiliter, ac patienter, communem magis iniuriam quam priuatam dolens, nec sibi virtutum suffragia nihil profuisse deplorans, sed magis eam contumeliam minorem suorum peccatorum precio arbitratus.* Similia etiam author quæstionum ex vtroque testamento q. 119.

II. POST CAPTIVITATEM.

QVÆ egerit, hoc primo capite tribus temporibus continentur.
PRIMVM TEMPVS est regnante Salmanasare, à quo abductus fuerat. Et notanda in eo potissimum sex. PRIMVM. Constantia in fide, ac religione. versu 2. SECVNDVM. Misericordia & liberalitas. versu 3. Et misericordia ista infrà copiosiùs explicatur per misericordiæ opera spiritalia, vt daret aliis monita salutis. versu 5. Consolari afflictos. versu 19. & corporalia vers. 3. 16. 20. Et quidem vtraque faciebat, non domi suæ tantam desidens, aut in vrbe Niniue, sed totam regionem obibat versu 15. adeò vt in Mediam etiam excurreret. versu 16. TERTIVM. à Gentilium cibis, abstinentia. etiamsi alii omnes ederent vers. 11. 12. quemadmodum Daniel Cap 1. Eleazarus 2. Machabæorum c. 6. Machbæi fratres c. 7. Vocantur verò ij Gentilium cibi Græcè ἄβρωτα, id est, panes, quibus omnis esca comprehenditur, vt in oratione dominica. *Panem nostrum quot dianum da nobis hodie.* QVARTVM. DEI, eiusque mandatorum memoria in toto corde. v. 13. QVINTVM. Remuneratio quædam diuina hoc in sæculo, & in ipsa captiuitatis terra. *Quoniam* inquit textus v. 13. *memor fuit Dominus, dedit illi* DEVS *gratiam in conspectu Salmanasar*, vt ei videlicet placeret, gratusque esset, Græcè dicitur ei dedisse DEVS gratiam & pulchritudinem. Vnde videmus, vt honorem & beneuolentiam acquiramus, diuinũ valere auxilium. veramque probitatem; quemadmodum monebat Xenocratem Plato, vt, eam ob causam Gratiis faciificaret, à quibus tamen, cum eæ nullæ sint, nihil expectandum. Sed à DEO gratia omnis pendet, etiam coram hominibus, vt Exodi 12. versu 36. Iudith cap. 10. vers. 4. Esther cap. 5 & 15. Sunt verò tria Tobiæ à Rege concessa. *Primum.* Potestas eundi, quo veller, & faciendi, quod vellet. vers. 14. *Secundum.* Functio quædam palatina & officium. Nam Græcè dicitur factus ἀγορανόμος, id est, omnium, quæ ad Regem spectarent, emptor & procurator, siue esset annona, sine vestis, equi, arma, prædia, quemadmodum factus etiam Ioseph. Genes. 41. Ideoque & hic Hebraicè dicitur constitutus supra omnia quæ habuit Salmanasar. *Tertium.* Munera vers. 16. & ea quidem ampla, cum exiis, quæ honoris gratia acceperat, plurimum aliis dare posset. SEXTVM. ex iis, quæ regnante Salmanasare, in Tobia notanda fuerunt; est, bonus acceptæ potestatis, & dignitatis vsus. Nam egenti amico, Gabelo Rhageno, dedit argenti talenta decem. Solent vero quidam, summam istam putare, coronatos Gallicos ter mille septuaginta duos. Alii sexies mille, cum talento cuilibet coronatos dent sexcentos. Alii, vt Cardanus libro de suis libris; vni talento ducatos dat quingentos, ideoque hic forent quinque millia ducatorum. Videtur verò ea dedisse, non mutuò, sed in depositum, cùm Græcè sit παρακαταθήκη, & depositum παρακαταθήκη vocetur; idemque significet Hebræum verbum hiphkadthi Peris, Qui legenti profuisset deposita pecunia? Respondeo. ita olim deponebatur, vt si voluisset depositarius, vteretur, quemadmodum ait Vlpianus lege prima §. *si pecunia. ff. depositi.* Gabelus verò iste Græcè dicitur, & Hebraicè Gabael, & quidem Gabriæ frater expresse, licet ex cap. 4. versu 21. Græce coniicere quidam velint, Gabriæ potius filium fuisse. Sunt etiam Hebræi, qui Abrielem vocent Gabrielis filium, aut Corebi fratrem. Quam verò Rhagam, Rhagas, & Rhaga profani scriptores nominant, eam semper interpres vocat Rhages; Hebræi scilicet sermonis, in quo indeclinabile id nomen; imitatione, nisi forte vna interdum littera mutata sit, & *Rhages* lectum pro *Rhagas*, aut *Rhagis*, quemadmodũ Actorum 8. *Candacis* pro Candaces; *Phœnicis*, pro *Phœnices*, in libris Machabæorũ sæpè.

Accepit

Accepit porro vrbs illa nomen à rupturis & labibus, quas terræ motus excitarant, vt ait lib. 29. Diodorus, & Strabo lib. 12. qui addit motibus illis plus quam duo millia vrbium & vicorum periisse. Non esse à Seleuco Nicanore conditam, vt ait Stephanus, vel ex hoc loco patet, cum hisce temporibus fuerit Seleucus multò posterior. Videtur Rhagum à Rhagis infrà distinguere cap. 6. Græcus. sed in eum id locum differatur. Italica per Ioannem Baptistam Firmii edita de sancto Thoma historia, & alii quidam scriptores, Emesam isto nomine appellant. sed cum in Media Rhagæ sint, in Syria Emesa, vt ait l. 5. c. 15. Ptolomæus, l. 5. c. 23. Plinius. è Plautina forte Trinummo iis acclamet quispiam, *Ebo, an etiam Arabia est in Ponto.*

SECVNDVM TEMPVS. Regnante huius Filio Sennacherib, Iudæorum res aduersissimæ fuerunt. Nam præter ipsum captiuitatis incommodum, à regni sui principio, eos statim affligere cœpit; & multò magis post acceptam diuinitus in Iudæa cladem 4. Reg. 19. quemadmodum & Turca Selimus, anno 1571. victus facere voluit apud Natalem Comitem, sub finem lib. 22. Tum verò fuit Tobias aurum in igne. versu 18. & 19. & quo maiora mala fuerunt, eo ipsius virtus maior. *Interdicto*, ait D. Ambrosius. cap. 1. *non reuocabatur magis, quam incitabatur, ne deserere officium pietatis, mortis metu videretur. Erat misericordia precium mortis pœna.* Iussus est & fortunis omnibus & vita spoliari. Cum enim eum, vt in Hebræo & Græco est; operum tam piorum Niniuita quidam accusasset, illas amisit, hanc inops & nudus retinuit, sed fuga extra Niniuen, & latebras; quam ei, vxori, & filio ipsimet Assyrii præbuerunt, quia ex iis, versu 23. *multi diligebant eum.* Nam de Iudæis id putandum non est. cum calumniatoribus, satellitibus, & carnificibus omnia ipsorum tunc obiecta essent. Sic verò latuit vsque ad Tyranni huius cædem, cuius modus, & locus explicatur 4. Reg. 18. & hic Græcè, multòque copiosius Hebraicè, vbi & causa ponitur, quod, vt prosperitatem ab idolo Dagon impetraret, duos ei filios immolare voluerit, sed isti peruerterint, eumque mactarint, quorum nomina referuntur Adrammelech & Saretser. Id versu 24. factum, post dies 45. ab regni eius, vel cladis potius acceptæ principio. quia Hebræorum textuum vnus dicit, Tobiam dies tantum 19. delituisse. In Græco, eádem sententia, dicitur, non præterierunt dies 50.

TERTIVM TEMPVS. Huius filius tertius fuit Asaraddon, qui Græcè Σαχεδονὲ dicitur, & sequit etiam in filios Israël, vt capite sequenti patet, versu 8. & 9. Fratris tamen Tobiæ filium Achiachar, vel, vt in altero Hebræo dicitur; Akikarum magnis affecit honoribus. Fecit enim eum primò, pincernam: deinde ab annulo regio, vt Esther cap. 3. versu 10. tertio totius regni διοικητὴν, seu Gubernatorem: quartò rationibus omnibus præfectum, seu Rationalem: quintò, secundum à se, seu vicarium suum, vt Græcè & Hebraicè traditur. Et asseritur iste Achiachar in Græco, filius Anaëlis, vel Hebraicè Hananelis. ideoque certum hinc fratris Tobiæ nomen haberetur, nisi essent, qui ex Græco assererent eundem esse, qui Achiacharus & Anael vocetur. Possent enim ita intelligi Græca ἔσχεν Αχιάχαρον τὸν Ανανὴλ, υἱὸν τοῦ ἀδελφοῦ μου. Multò tamen simplicius & verius apparet eum, qui fuit Tobiæ frater, ipsum Anaëlem esse. omninoq; id Hebræus asserit. Huius Achiachari precibus, Niniuem rediit Tobias, facultatulas, cum magna ex parte direptæ fuissent; residuas accepit, sed absque dignitate pristina. *Vix tandem*, ait Ambrosius loco citato, *per amicum potuit, direpto patrimonio, egenus & exul restitui suis.* Facultatem, pro, facultatib. dixit interpres, vt Cicero copiam, pro copiis lib. 8. ad Atticum epistola 17. & 19. sicuti etiam Paulus à quibusdam accipitur. L. Cum pluris ff. de admin. tutel. §. vltima.

SECVNDA LIBRI PARS.

In qua vitæ Tobiæ reliquum, & quæ ad eius mortem spectant explicantur. Sunt verò ea varia, sed eorum singulis capitibus, distinctio.

CAPVT II.

POST hæc vero; cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit filio suo.
2 Vade, & adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, vt epulentur nobiscum.
3 Cum abiisset, reuersus nũtiauit ei vnum ex filiis Israel iugulatum iacere in platea.
Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus.
4 Tollensque illud portauit ad domũ suam occultè, vt dum sol occubuisset, caute sepeliret eum.
5 Cumque occultasset corpus, manducauit panem cum luctu & tremore.
6 Memoransque illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam. Dies festi

vestri

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 *vestri conuertentur in lamentationem & luctum.*
1.Mac. 14. 7 *Cum verò Sol occubuisset, abiit, & sepeliuit eum.*
8 *Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei causa interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos?*
Sup.1.2 9 *Sed Tobias plus timens Deum quam regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat.*
10 *Contigit autem vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suã, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset.*
11 *Et ex nido hirundinũ dormienti illi calida stercora incidérent super oculos eius, fieretq; caecus.*
12 *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posterũ daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.*
13 *Nam cum ab infantia sua semper Deũ timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis euenerit ei.*
14 *Sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.*
15 *Nam sicut beato Iob exultabant reges, ita isti parentes & cognati eius irridebant vitam eius dicentes:*
16 *Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas?*
17 *Tobias verò increpabat eos, dicens.*
18 *Nolite ita loqui: quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suã nunquam mutant ab eo.*
19 *Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.*
20 *Vnde factum est, vt hœdum caprarum accipiens detulisset domi;*
21 *Cuius cum vocem balantis vir eius audisset, dixit; Videte ne fortè furtiuus sit, reddite eum Dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Deut. 23.1.
22 *Ad hæc vxor eius irata respondit: Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modo apparuerunt.* Iob 2.9
23 *Atq; his, & aliis huiusce modi verbis exprobrabat ei.*

COMMENTARIVS.

TOBIÆ facta potissimum quatuor isto capite proponuntur.

PRIMVM est, inuitatio fratrum, seu contribulium ad conuiuium, non tamen quorumcunque, vel quandocunque, sed pauperum, & in die Pentecostes. Vtrumque siquidem admonet Hebræus & Græcus. Addit verò amplius Latinus & Græcus, è pauperibus eos magis delectos, qui DEVM timerent, eiusque mandatorum meminissent. Diuus Ambrosius lib.4. Cap.1. officiorum; *Tobias formam honestatis expressit euidentius cum, relicto conuiuio, mortuos sepeliret, & ad cibos pauperis mensæ inuitaret inopes.* Sic & hortatur Dominus Luc.14. Senec. lib.2. de beneficiis c.31.32. Etsi verò cuilibet egenti eleemosyna rectè datur: in meliores tamen melius confertur. Ecclesiast.12. *Benefac iusto & inuenies retributionem magnam. Da misericordi, & ne suscipias peccatorem*, & quæ sequuntur. D. Thom.2.2.q.31. art.2.q.32.a.9. Stobæus serm.37. vbi de Alexandri in Phocionem munificentia. S. Cyprian. lib.3. ad Quirinum c.10. locum istum citat, sed, vti solet, ex Græco textu. Si dicas quomodo captiuus Tobias cõuiuiũ magnũ, vt Hebraicè dicitur, instituit, & obsonia tam multa, vt Græcus textus habet; apponit? Nonne cõtra ipsius statum & temperantiã? Respondeo primò: dies erat, vti loquebatur, bonus, seu festus: deinde obsoniorũ copiam, ipso nesciente, procurat vxor. Neq; tamen immoderatũ quid fuisse putandũ est, sed ipsius modestia & temperantia plus quiddã & maius pænè, quàm vellet, iudicabat, quemadmodũ S. Ioannes Eleemosynarius, S. Ottho Bambergens. Episcopus, & sanctus ille, in vitis Patrum, Palæmon, cui cũ ipsius discipulus S. Pachomus. ipso gloriosissimę Domini Resurrectionis festo die, olei, præter morẽ, aliquantulum apposuisset; ille manib. frontem fricans, & vbertim lachrymas fundens, dixit: *Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedã?*

SECVNDVM. Sepultura, cum aliorum aliàs, tum præsertim vnius, eo ipso conuiuij tempore. D. Ambros. loco citato de Tobia. *Magnum*, inquit, *hoc opus. Si viuentes operire nudos præcipimur, quanto magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad lõgiora deducere solemus, quanto magis in illam æternam domum profectos, vnde iam non reuertentur? Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi iam non potuit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporib. dedisse produntur, homines negabunt?* Prudent. hym. 10.

Sancti fator ille Tobiæ,
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus iam ritè paratis
Ius prætulit exequiarum.
Iam stantibus ille ministris
Scyphos & fercula liquit,
Studioq; accinctus humandi
Fletu dedit ossa sepulchro.

Mortuo

Mortuo simpliciter nil obest insepultum iacere, obest tamen, vt ait, D. Thomas 2. secundæ. quæstio.32.a.2 ad prim. quadantenus quoad eum, quem in corpus viuens habuit, mortuusque retinet; amorem, & quoad honorem, quem omnibus penè gentibus, per sepulturam afferri persuasum est. Neque mortuis tãtum honor iste aliquis est, vt ait in Iliade Homerus; sed communi etiam hominum naturæ, quam in hominum conspectu computrescere, à canibus aut alitibus lacerari, dirum, durumque. Videatur Augustinus lib. primo Ciuit: cap.12. lib. de cura pro mortuis. cap.1.2.& 3. vbi ait; *Tobias, sepeliendo mortuos*, DEVM *promeruisse, teste Angelo, commendatur.* Maximè verò fidelium & iustorum cadauera curanda esse monet, quòd iis tanquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est spiritus. Videatur & Alcimus lib. ad sororem, Stobæus sermone 122. Huic facto subiungitur recordatio prophetiæ, Amos cap.8. versu.6.& 1. Machabæorum c.1.v.41. eademque recordatio dicitur sicuti Tobiam, sic & affecisse S. Annonem Archiepiscopum Colonien sem. lib.3. eius vitæ cap. primo, dum vnicè sibi charum vita defunctum, ipso itidem Pentecostes die, lugeret. Accessit reprehensio quædam versu 8. ei ferè similis, quę est Ioan.11. versu.7.& 8. *Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?*

TERTIVM. Excęcatio versu.10.& notandũ in ea, primò, tempus, deinde modus, tertiò causa. *Quadam*, inquit, *die fatigatus à sepultura.* Ecce post tot bona opera, etiam per boni operis occasionem, ex tanto tamque raro, DEI causa, labore susceptо, venit calamitas. Quis eorum qui mundi huius felicitatem, opes, formam, valetudinem tanti faciunt, secus fieri oportuisse non opinetur? sed causa post exponetur. Nunc Græcus textus habet, *eadem ipsa nocte*, quæ Pentecosten scilicet consequuta est; cæcitatem istam euenisse. *Modus* verò fuit, quod cum mortuum sepeliisset, domumque reuertisset, neque tamen, quia propter cadaueris mortui contractum vel contagem, inquinatus erat; ingredi domum voluisset, ex lege, Num. 16. versu. 11.& 16. quamadmodum hic Hebræus & Græcus textus tradunt, sese ad parietem quendam, extra domum, iactarit, & aperta facie dormierit, ipsiusque oculos hirundinis stercora, fœdis albuginibus, affecerint. In Hebræorũ vno, & Græcis omnibus vox *tsiporim* & *chelbia* est, quæ omne auicularum genus comprehendere potest, vt Gen.7.v.7. sæpè tamen pro passere accipitur, quemadmodum & D. Ambrosius cap.2. de Tobia hunc locum legit. Verum & passeris nomen apud Latinos, interdum pro auiculis etiam aliis sumi potest, quemadmodum Prouerb.26. vers.1. vbi passerem quolibet vadentem ait D. Hieronymus, pro eo, quod alij hirundinem dicunt; & psalmo.83. vers.4. vocat Hieronymus auem, quam 70. turturem, nostra versio hirundinem. Hic ergò fuisse non auem quamlibet, neque propriè dictum passerem, sed hirundinem ostendit noster D. Hieronymus, & Hebræus alter, qui habet, *deror*: & confirmatur ex hirundinis intima cum hominibus consuetudine. Vnde &, à volandi, cumque hominibus habitandi libertate, nomen Hebræum istud accepit, vt ait Rabbi Dauid Kimhi. Sic enim legimus & in Pyrrhi tabernaculo, Cyri, Dionysiique tectis hirundines nidulatas. Vnde & Fastorum primo de hirundine ait Ouidius.

Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo.
Et luteum celsa sub trabe fingit opus.

Accedit, quod præ multis aliis hæc, è nido suo, auis excernere, omniaque circumcirca commaculare soleat. Et ex hac fortè historia, Pythagoræ, qui cum Iudæis, vt ait lib.1. Stromatum, Clemens, & contra Apionem Iosephus; versatus est; symbolum illud manauit; *hirundines sub eodem tecto, ne habeas*: quod D. Hieron. apologia aduersus Ruffinum, & Clemens Stromate 5. c. 3. Aristotelis authoritatem secuti, interpretatur, à commercio garrulorum & susurronum abstinendũ esse. quod refellit quidem Plutarchus Symposiorum decade 8. & ex eo Erasmus. sed refelluntur ambo ex Hesiodo, Anacreonte, Nicostrato, qui hirundinem garrulam vocant. Est etiam infidæ amicitiæ similitudo in hirundine, vt ait author ad Herennium, quia vere aduolat, hyeme auolat. Hugo & glossa monent, ne in bonis operibus fatigemur, alioqui futurũ, vt mundi huius blanditiis, adulationibus, opibus excæcemur, quæ sunt hirũdinum stercora, garrularum, inconstantium, veris tantum & æstatis amicarum. Carthusianus dormienti ait Ecclesiæ incidere nonnunquam ab hæreticarum hirundinum nidis stercora, & multos excęcari. Sed lib.2. c.56. Thomas Cantipratensis explicat, quemadmodum apibus hirũdines & aues infestæ sint, id est, pijs cassisq; animis dæmones. *Potest*, ait, *& aliud tentationum genus, hirundinum, quarũ stercore Tobias cæcatus est, vel aliarum auium vexatio designare, vt, sub virtutum specie, viriorum tenebris inuoluamur. Verbi gratia: Captat quis diues fieri, & congregare diuitias, vt in fine cõdat vbertim testamentum faciatq; hæredem* CHRISTVM, *qui copiarum suarũ dereliquit vel dominos terræ vel parentes, aut clientulos suos vel raptores quoslibet nequissimos possessores. Hoc maximè in Clericis videmus, quorum tamen bona pauperum esse deberent, & quæ eis omni die superfluunt, non in marsupiis, vel in arca, sed indigentium famelici & in ventribus esurientium deberent liberaliter erogare.* Hactenus ille.

Cęcus tam Tobias medicorum opem in Græco textu adhibuit, quemadmodum monemur Ecclesiastici 38. nihil ei tamen proferunt. Sed *quæstio* triplex est.

PRIMA. An stercora ista oculorum albugines naturaliter induxerint? Duę opiniones. Prior negans

Universidad de Deusto
Biblioteca

negans Lyrani.& quidem,quia non ea stercori vis naturalis insita,vt excæcet. Deinde quia Tobiæ oculi clausi erant.ideoque vult ex DEI,qui mali pœnæ actor est,ordinatione, id euenisse, vt patientiæ magnum exemplum foret. Altera opinio aiens,verum ita,vt fateatur,id casu non euenisse, sed, ob finem tam dictum, ex diuina voluntate, præsertim cum non in alterum tantum,sed in ambos oculos sordes istæ inciderint.

ALTERA verò quæstio est. An naturalis excæcandi vis,in stercoribus istis fuerit ex occulta quadam hirundinum proprietate:an ex aperta, quòd calida scilicet & spurca essent? Prius illud asserunt apud Vallesium cap.42.sacræ Philosophiæ,nonnulli,duas ob causas. Vna est,quòd hirundines ipsæ oculorum morbis obnoxiæ sint, quemadmodum ex herba intelligi potest, qua ad illis medendum vti solent, quæque ab iis nomen accepit Chelidonia; prout est apud Plinium lib.8 cap.27.Tertullianus lib.de pœnitentia c.12.*hirundo*, ait,*si excæcauerit pullos,nouit illos oculare rursus de sua Chelidonia.* Imò, & si quis pullorum istorum oculos punctione aliqua vulneret, eos, nulla etiam Chelidoniæ facta mentione, curari, docet philosophus de historia animalium l.6.c.5.& de eorundem generatione l.3.c.6.Hinc enim colligitur,hirundinum succos, & alimenta, quæ succorum causa sunt, & excrementa, quæ cum alimentis cognationem habent,ad oculorum vexationem aliquid efficere. Altera est, quia fimus caprum hirundinum medetur oculorum albuginibus, vt est apud Aëtium sermone 7.cap.39. Solent autem plerorumque animalium partes medicamento iis esse, quibus per morsus, aut excrementa sua,detrimẽto fuerunt,quemadmodum in scorpionibus patet, araneis, canibus rabidis & similibus. Posterius tamen, ex aperta scilicet caloris & spurcitiei qualitate, illud accidisse; malunt Carthusianus & Vallesius loco citato,quia calidus istiusmodi humor in pupillas,& oculorum hirquos illapsus, nimium eos calefacit & exsiccat. deinde quia excrementitiæ fecis impuritas purissimo delicatissimæ partis humori non nocere non potest. 3. quia non fuit videndi facultas omnino Tobiæ adempta, sed videndi tantum impedimentum obiectum, membranula scilicet quædam prætenta, vt patebit cap.11.versu.15.quemadmodum in talpis est,inquit lib.11.Plinius cap.37. Huiusmodi verò membranula potuit ex incidentibus excrementis, & quadam exustione concrescere. Mihi vtraque qualitas,aperta & occulta,concurisse videtur;quia & caloris in textu mentio fit,& hirundinum.quasi aliam vim habeat earum fimus,quàm columbarum,vel auium aliarum.Præstantis Medici Leuini Lemnij,l.1.de naturæ miraculis,c.30.verba huc transcribam.*Eruitur*,ait, *ineunte autumno, crescenteque luna ex hirundinis ventre lapillus, ab ea auncula Chelidonius dictus. qui præsentanea vi pollet aduersus morbum comitialem. Valde enim exsiccat, absumitque humorem tenacem ac glutinosum,qui huic morbo præbet seminarium. Est siquidem hirundo,* cuius excrementa Tobiæ adenerant oculos; *calide siccaque natura. Quo fit, vt in fornicibus ac concamerata testudine,ex vdo molliq; limo tam artificiose nidos suspendant & affigant. Contactu enim suo humorem absumunt, coguntq; lutum indurescere. Hinc medici cataplasmata ex eis conficiunt, atq; horum diu combusta rum pulueres in discutiendis gutturis, anginæq; tumoribus efficacissimum experiuntur.* Priorẽ ergo Lyrani rationem,patet esse negandam. Ad posteriorẽ dico, Tobiæ oculos clausos non fuisse.Nam Græcus textus expresse ait,τῶν ὀφθαλμῶν ἀνεῳγότων. id est,apertis oculis.& S.Athanasij in Synopsi verba sunt, Tobias cum mortuos aliquot sepelisset, extra septa obdormuit, & cum, pro more suo, apertos haberet inter dormiendum oculos, albuginem illis contraxit. Excipies,dormuisse Tobiam. At apertis oculis dormit nemo.Respondet Plinius lib.11.cap.37. *Patentibus oculis dormiunt lepores, multique hominum, quod κοιλοβλεφαρίτας Graci dicunt*; & leonibus ab Horapolline tarpius tribuitur. Vnde & Corobantiasmus,imaginosus morbus est, quando, vt ait Varro Promecheo;

Leui somna mens sonorinae imagines.
Affatur:non vmbrantur somno pupulae.

Eo igitur morbo laborauit Tobias? Fieri quidem posset,vt ex labore fatigationeque nimia,tũc laborarit, quemadmodum sanctis quibusdam viris quandam veluti amentiam euenisse legimus:nihil tamen id affirmare necesse est, cum absque morbo isto,possit somnum quis capere, neque oculos claudere,vt ex Plinio dictum est.

TERTIA QVÆSTIO.Cur extra domum,in vestibulo quopiam dormiuit? Iam ex Numerorum capite XIX. causa indicata. Sed cum in Græco antea dicatur; posteaquam mortuum è platea sustulisset, reuertisse, lauisse, prandiumque antea relictum sumpsisse; cur iam non lauit,vt mundus intrare domum posset? In Hebræorum textuum vno respõdet ipsemet; *Eadem nocte, postquam sepelui mortuum,parauit lauacrum,sed non potui purificare memetipsum in terra immunda, sicut iacuisset in terra Israel.* At cur in aliena terra minus quam in Israelitica purificare se poterat? Quia lustrali,è ruffæ vaccæ cineribus,quæ ad purificationem istam, vt ex citato Numerorum capite planum est; adhiberi debuit,aqua carebat. Estque hæc generalis veluti causa, quemadmodum mihi vetulus quidam Iudæorum Rabinus fatebatur; ob quam fere hodie apud nos, aliisque in terris peregrinis, semper immundos Iudæi agnoscunt, quanquam è re per aquæ illius typam significata, quia eam impij respuunt;ipsorum impuritatis causa multo veriori petẽda.*Si*,S. Paulus Hebr. cap. 9. *hircorum & taurorum & cinis vitulæ asperso inquinatos sanctificat ad emun-*

mundationem carnis,quanto magis sanguis CHRISTI,*qui per Spirit.sanct. semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Quæ tamen Tobiæ aduersus Deum erat pietas, cum aquam illam non haberet, puram interdum aliam quamcunq; sumebat:interdum verò, vt hic, se ab immundorum contagione minus elui querebatur.& in Hebræo textu, Hieremiam testem laudat. *Quemadmodum*,ait,*de nobis prædixit Ieremias Propheta: Non mundaberis in posterum aliquandiu.* Nequaquam tamen hoc à seniore Tobia insertum testimonium crediderim.Primò,quia,vt Ierem.1.v.2.notat D.Hieronymus;cœpit Ieremias anno Iosiæ decimotertio vaticinari.At huc vsq; secundum Latinorum calculum,de quo infra; vitam non propagauit Tobias. Deinde alius videtur Propheræ sensus. ideoq; 70.verterunt;*Væ tibi Ierusalem,quia mundata non es. Post me, quousq; adhuc?* Noster verò; *Non mundaberis post me,vsquequo adhuc?* Ab aliquo igitur in Hebræi textus margine notatum id erat,& in textũ postea irrepsit;vel certe,per aliquam accommodationem,à iuniore Tobia,qui Ieremiæ suppar erat,fuit appositum.Porro in cœcitate tertio loco notanda erat causa,quę versu 12. ita proponitur. *Hanc tentationẽ ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplũ patientiæ eius,sicut & sancti Iob.* Et triplex omnino causa significatur. Prima, vt excellenti ipsius virtuti & patientiæ materia & exercitatio daretur.Quemadmodum enim liberalitatis & munificentiæ actus edere non potest,cui opes nullæ sunt: ita neq; fortiter & patienter quidquam agit,quem difficilia & aspera nulla cruciant. Altera causa est, vt eadem eius virtus aliis manifesta & perspicua fieret.Nam,vt in Tristib.lib.4. Eleg.3.canit ille.

Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus.
Apparet virtus, arguiturque malis.

Tertia,vt nõ quoquo modo aliis ea virtus manifesta fieret,sed ita, vt iis, ad imitandum, veluti exemplar & idea præstantissima proponeretur,idq; in omnem posteritatẽ. Vnde & causa quarta exiitit,quæ;vti prima,ipsam Tobiam attingit,planeq; beat, vt ipsius videlicet, apud Deum; meritum & merces cresceret,cum ipse non nudos virtutum habitus teneret,sed bonas ex iis actiones promeret, in ipsiusq;, aliorum imitatio,gloriam redũdaret. Addi etiam *quinta* potest; Deum scilicet huiusmodi ærumnis iustos interdum homines afficere, vt,quantopere aliorum sitiat salutẽ,demonstret. *Quanta* inquit S.Ambrosius Sermone 14.*est circa nos Dei nostri sollicitudo? illos examinat,vt nos erudiat;illos cõterit, vt nos acquirat, eorum cruciatus, nostros vulti esse profectus.* Item S.Bernardus lib.de modo viuendi ad sororem serm.16. *Propterea* inquit,*posuit Deus virtutes sanctorum ad exemplum nostrum, vt per vestigia ipsorum peruenire possimus ad regna cœlorum.* Rectissimè verò à Iulio nostro Fatio lib. de mortificatione cap.21.notatũ, Deum nõ facere,quod pictores optimi solent,qui in picturis nihil aliud propositum habent, quam vt intuentiũ oculos pascant:sed Phrygionem potius aliquem imitari,qui, *vt opus à se delineatum perficiat, pretiosissimam auri vel argenti, siue alterius materiæ telam in minutissima frusta concidit, atq; inde pulcherrimũ opus texit: ita Deus ipse permisit ac voluit tot Sanctorũ millia, vel ab ipso nascentis orbis exordio capite plecti,secari ac in frusta dissecari, quasi pretiosissimas auri & argenti telas; vt hoc clarissimo laborũ, mutilationum & aliarũ,quas passi sunt,armamentario, ipsius denique eximiæ mortis exẽplo sanctam ornarent Ecclesiam.Sic permisit iustũ Abel impietate fraterna necari: Abrahamum charissimi filij holocausto tentari;Iosephũ à fratribus impie vendi: Moysen cum toto populo Israelita à crudeli Pharaonis tyrannide opprimi. Dauidẽ implacabili Regis Saulis odio subiici:Susannam impudicorũ calumnijs exponi:Propheta Isaiã medium serra secari, Danielem obijci leonib. Iob & Tobiam tam in corpore quam in bonis externis grauissimè affligi,quorum afflictionis causam sacra Scriptura expresse posuit;cum dicit:* Hanc tentationẽ (loquitur autem de Tobia) *ideo permisit* DEVS *euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius,sicut & sancti Iob.* Hasce verò, quibus iusti quandoq; premuntur; calamitatũ causas,aliasq; plures insigni planeq; aurea oratione pertractat D.Chrysostomus homilia prima ad populũ.& illarum summa his ipsis eius verbis continetur. *Multos audiui talia querentes. Quid tandem ille modestus & mansuetus homo ab alio quodã impio,& improbo per singulos dies trahitur, & innumeras patitur molestias: & Deus permittit, Quare alter accusatus iniuste mortuus est. Ille submersus est inquit:alius præcipitatus? & multos possemus referre sanctos & teporibus nostris,& maiorũ nostrorum, qui multas sustinuerunt tribulationes differẽtes & varias. Vt igitur horum omnium rationẽ videamus, & neq; ipsi tumultuemur,& neq; alios scandalizatos negligamus: nunc diligenter audiendi intendamus. Varie.n.& omnimode sanctorum afflictionis causas numero octo charitati vestræ dicere possum. Iccirco omnes vos ipsos cum diligẽtia colligite cicles quod nulla deinceps nobis venia & excusatio dabitur:si de contingentib.scandalizemur:quippe cum sint multæ occasiones,tanquã nulla sit,ita tumultuabimur & perturbabimur. Itaque prima quidẽ est,quod cum facile in arrogantiã propter meritorum magnitudinẽ & miraculorum tolluntur:ipsos sinit affligi. Secunda:ne cæteri maiorẽ habeant de ipsis opinionẽ quã humana patitur natura; & ipsos Deos,non ante homines esse arbitrentur. Tertia, vt & Dei virtus appareat per egrotantes & cõpeditos exuperans, & prædicationẽ augens. Quarta, vt ipsorum illorum patientia manifesta fiat non propter mercedẽ Deo seruientium.sed & tanẽ exhibentium gratitudinẽ. vt & post tot mala syncera in ipsis beneuolẽtia ostendatur. Quinta, vt de resurrectione cognoscamus, cum. n. verum iustum,& multa plenum*

Universidad de Deusto
Biblioteca

virtutibus innumera passum mala. & sic hinc digressum videris: oportet ex hoc omnino aliquid de illo iudicio cogitare. Si enim homines per se laborantes sine præmijs & retributione migrare non permittit: multo magis eos qui tantum laborauerunt nunquam in coronatos remanere Deus decerneret. Si autem ipsos laborum suorum, retributione priuare non eligit: omnino necesse est quoddam aliud tempus esse post præsentium finem, per quod præsentis vitæ laborum retributiones reciperet. Sexta vt omnes in grauia incidentes, sufficientem consolationem & mitigationem habeant in eos respicientes & malorum quæ ipsis accidere recordantes. Septima, ne quando exhortamur vos ad illorum virtutem & cuius dicimus imitare Petrũ, imitare Paulum propter gestorum excessum alterius ipsos naturæ participes fuisse cogitantes ad imitationem torpeatis. Octaua, vt quoniam beatos vel miseros censere oportet, discamus quos quidem beatos: quos autem miseros & erumnosos putare debeamus. Si verò oportet & nouam dicere causam: illud dicere possemus, quod spectabiliores tribulatio faciat tribulatos. Tribulatio enim patientiam operatur: patientia verò probationem: probatio autem spem: spes vero non confundit. Vides quod ex tribulatione probatio futurorum nobis spem adfert & in tentationibus, manere bonum de futuris sperare facit? Itaq; non temere diceham, quod hæ tribulationes resurrectionis spem nobis designant, & vexatos meliores efficiunt. Quemadmodum enim inquit, in fornace aurum examinatur, sic & homo acceptus in humiliationis camino. Post sumus & decimam dicere causam. Qualem verò hanc? quam & iam sæpius dixi superius, quod si aliquas habeamus maculas, & eas deponimus. Et bene Patriarcha declarans, ad diuitem dicebat: quoniã Lazarus sua mala recepit, ita consolationem accipit. Et ad hanc aliam rursus inueniemus. Qualem verò hanc? vt corona & præmia nobis augeant. Quantum enim tribulationes ampliabuntur: immo verò & multo plus, nõ enim condignæ sunt passiones præsentis temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Tot igitur causas habentes de sanctorum afflictione dicendas ne in tentationibus indignemur: neq; angustiemur, neq; tumultuemur, sed & ipsi nostros instruamus animos, & alios hoc doceamus. Ista sanctus ille. nos ad Tobiam redeamus. Quia sancti Iob exemplum attigerat, nonnullæ patientiæ argumenta quibus ei similis intelligatur; ostendit, quæ in Græco tamen & Hebræo desiderantur. Primum est, v. 13. *Non est contristatus contra Deum.* Duplex vti hunc locum exponens, optime monuit Gretserus noster lib. 4. de cruce cap. 8. tristitia est. Vna, inquit Apostolus 2. Corinth. 7. *secundum Deum.* quæ videlicet, vt ibidem additur, *pœnitentiam in salutem stabilem operatur*, vel certe ob Deum suscipitur, æquaq; mente toleratur. Altera contra Deum. quæ modum non tenet: de constantiæ gradu deiicit. impias aduersus Deum voces aut cogitationes exprimit. Prior in sanctos cadit. Cum enim honorum, possessionum, fortunarumque naufragiis vexantur, morbis, plagis, variisq; dolorum stimulis peruelluntur, an non sentiant? an, vt nihil omnino moueantur, inferiores in iis animi partes brutæ prorsus & lapideæ sint? Cum abesset non procul dominicæ crucis tragœdia, *cœpit ipse dominus pauere, tædere & tristis esse.* Matth. 26. Marc. 14. *Tristitia*, inquit S. Paulus Rom. 9. *mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.* Et infra c. 5. Tobias noster. *Quale* ait, *mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lucem cœli non video?* Attamen *non est*, ait textus, *contristatus contra Deum.* Alterum est. *immobilis in Dei timore permansit.* Multi sæpe in florescentibus arboribus flores, sed in cerasa & poma non euadunt omnes. In officio cõstantiam laudabat, qui Matth. 11. v. 7. dixit. *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* Mordebat in oculis Tobiam cœcitas: sed è vero Dei metu cultuq; nihil mouebat. Tertium. *Agens gratias Deo omnib. dieb. vitæ suæ.* Dixit c. 1. v. 21. Iob. *Sit nomen Domini benedictum.* Tobias quasi summũ Dei beneficium sit, exilium, paupertas, oculorum amissio, gratias agit, neq; id semel, vel paucis aliquot diebus, sed *omnibus diebus vitæ suæ.* Quam excelsum, quam Deo plenũ pectus hoc! Quartum est v. 15. ittritonum & contumeliarum à familiaribus propinquisque coniectarum tolerãtia. de qua postea. Ideoq; duplex, *nam*, quod in textu v. 13. & 15. legitur, causam reddit vnius illius comparationis quæ tacta v. 12 fuerat. Sed verba illa. v. 13. *cum ab infantia sua, semper Deum timuerit, & mãdata eius custodierit*, possunt dupliciter accipi. Primò, *aduersatiue* quasi diceret; Etsi à primis, vt aiunt, vnguiculis, in Deum pius religiosusque fuerit, eamq; ob causam existimare potuerit se prosperis potius quam aduersis rebus ab illo afficiendum; non est tamen contra Deum contristatus. Deinde *causaliter.* Quia vna cum materno lacte pietatem veluti suxit, deincepsq; in omni semper vita coluit, ideo non est contristatus contra Dominum. vt hic causa & veluti radix ostendatur, è qua, in ætate prouecta, tot & tam insignes fortitudinis, religionis, gratitudinis, cæterarumq; virtutum fructus exiterint. Et omnino magis hæc sententia textui consentanea. dignumque prorsus exemplum quod minime strictim & per transennam iuuẽtus aspiciat. *A teneris*, vt tamque in partem, *assuescere multum est.* In meliorem verò bona indoles quidni cupiat? Quæstiunculas nunc aliquot audiamus.

QVÆSTIVNCVLA PRIMA.

Iob, versu 12. sanctus, ver. 15. beatus cur vocatur?

DVPLEX & sanctitas & beatitas. Vna, hoc in peregrinationis nostræ itinere, inchoata, & instabilis: Altera in termino consummata & perpetuo stabilis. Prior nulla potest amitti: hęc nunquam. quia, quoad in viuorum numero versamur, est voluntas nostra volubilis, ad bonum malumque libera, &, vt Iurisconsulti verbum habet; ambulatoria. Quam ob causam plenè ac perfectè sanctus

-------- dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Quia tamen animi puritas & sanctitas, quæ Dei dono, in viuentibus inest, vera est, summãque tranquillitatẽ & gaudium afferre solet, ita vt æternæ felicitatis quoddã veluti auctoramentum & principium sit, ideo qui adhuc peregrinantur, sancti nõnunquã & beati appellantur. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum* Psalmo 1. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.* Psal. 31. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius.* Psal. 32. *Beatus vir qui sperat in eo.* & alibi etiam de sanctitate Exodi 22. v. 31. Leuitici 11. 44. cap. 20. 26. cap. 21. 6. Romanæ 1. 7. cap. 12. 13. c. 15. 31. cap. 16. 2. & 13. Sed è viuentibus, iis maximè beatitudinem quandam tribuit scriptura, qui, ob iustitiam & veritatem, vel certe patiente, bono æquoque animo mala nonnulla perpetiuntur. *Beatus vir*, ait S. Iacobus cap. 1. ver. 12. *qui suffert tentationem. quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Si quid*, ait S. Petrus 1. cap. 3. *patiamini propter iustitiam, beati.* & cap. 4. ver. 14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* Et Dominus Matth. 5. Luc. 5. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati, qui nũc fletis, quia ridebitis. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Vtraque igitur sanctitate ac beatitate Iob sanctus & beatus rectè dictus est. *Ecce*, ait S. Iacobus cap. 5. *beatificamus eos, qui sustinuerunt.* & quasi ad istũ Tobiæ locum mente calamoq; conuersus fuisset, ilico adiungit. *sufferentiã Iob audistis. Beatus fuit Iob*, ait epistola 2. cap. 9. S. Fulgentius, *cum in diuitijs iuste viueret: sed beatior cum in paupertate iustior extitisset. Beatus fuit, cum decem circumdaretur filijs: sed beatior, cum vna sanctorum simul orbitate percussus in Dei dilectione permãsit immobilis. Beatus etiam fuit in corporis sospitate: sed beatior est factus in vulnere. Beatior etiam in aceruo squalorib. pleno, quam in palatio marmorib. adornato.* Addo ego, tum beatissimus, cũ è beatitudine ipsa nullis amplius hostium vllorũ machinis, nulla voluntatis incõstantia & deflexu, dimoueri potuit. Et de hoc exploratæ certæque beatitudinis modo loqui potissimũ textus videtur. quia è viuis iampridem Iob excesserat: &, quamuis in Patrum limbo tum adhuc esset: erat tamen extra illius amittendę aleam omnem positus. Voluit verò iis eum elogiis Tobias ornare, *primo* vt stultum ac demens eorũ iudicium caperet, qui fortunatos putant, quorum filij sicut nouellę plantationes in iuuentute sua: filiæ eorum compositæ, circumornatę vt similitudo templi: pròptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. ita vt intenta cum Dauide Psal. 143. voce clamare videatur: *Beatum dixerũt populum, cui hæc sunt: Beatus populus cuius Deus eius. Deinde*, vt eorũ procul à nobis facessere iuberet insaniam, quibus apud Bellarminũ l. 1. de verbo c. 5. Iob fictitia & scenica persona est, sicuti Luthero Iudith & Tobias ipse, vt supra vidimus. At lõge secus Ezechiel cap. 14. & Apostolus Iacobus paulo ante allatus. *Tertio.* vt intelligeremus, quemadmodũ honorifica etiã appellatione cœlites afficere bonũ sit. quos nisi festinatio vel alia quædam causa proba interueniat, solent in sermonibus Catholici sanctos & beatos præfari. aut certo alio quopiã, prout idiomatum ratio fert, honoris titulo celebrare. Quod enim nobis sanctus Petrus, sanctus Paulus, sanctus Marcus, id Chaldæis Christianis hodie Mar Phetros, Mar Paulos, Mar Markos. id est, Dominus Petrus, dominus Paulus, dominus Marcus. Vnde qui hæreticorum nostrorum, præsupercilio & contemptu, ne isto quidem tam exiguo verborum honore illos dignantur, quam omnis ipsi sanctitatis & beatitatis exortes sint, palam produnt. *Sine honoris præfatione Dominum seruus non appellat*, inquit homil. 7. ad populum Chrysostomus. nobis eorum, qui super omnia bona sua Rex regum constituit Matth. 25. 47. quib. transiens idem ille ministrat Lucæ 12. 37. qui sedebant super duodecim sedes, iudicantes 12. tribus Israel Matth. 19. 28. quibus dominantiũ omnium Dominus & Imperator suo in Throno secum sedere dedit, Apocalypsis 3. 2. plebeia & contempta nomenclatio sit? Et tamen istis semper in ore non Caluinus, sed Dominus Caluinus; nõ Lutherus, sed carus Deo vir, Doctor Lutherus. Nimirum λέγονται, ait Plutarchus lib. de Stoicorum & Poetarum comparatione, οἱ καὶ ἥρωες τὸ μύρον κατάλειπτειν τοῖς δυσώδη διώκειν. Dicuntur Scarabei vnguentum fugere, graueolentia verò consectari.

QVÆSTIVNCVLA II.

Cur ipsius Iob amici, Reges hic vocantur?

QVia in ipsius Iob volumine cap. 2. & vltimo à 70. Interpretibus Reges nominantur. Ita enim apud illos est. Ελιφὰζ ὁ Θαιμανῶν βασιλεὺς, Βαλδὰδ ὁ Σαυχέων τύραννος, Σωφὰρ μιναίων βασιλεὺς. Eademq; ex hisce ipsis Interpretibus Aristeas & Alexander Polyistor apud Eusebium l. 9. præparationis, nisi quod ab iis vltimus, μιναίων Rex dicatur. E tribus ergo amicis, disertim Reges duo: reliquus verò quomodo Tyrannus? Bonam scilicet in partem, vt principem hoc loco Tyrannus denotet, cum & Regem etiam quandoque significet. Apud Eusebium siquidem loco citato, Moysis socerum Iethronem vocat Ezechielus Tragœdus sacerdotem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, principem, & Tyrannum. & Virgilius, vno eodemque loco, Æneam modo Regem, modo Tyrannum appellat l.7. Æneid.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.
Vos contra Regi mea nuncmandata referte.

Quem in locum Seruius, *Apud Græcos*, ait: *Tyranni & Regis nulla discretio est.* Intellige tamen, *frequenter.* Alioqui suis in politicis discernit Aristoteles l.3.c.5.l.4.c.5.& l.8, Ethic.c.10, Plutarchus de iis, qui sero à numine corripiuntur. Isocrates de pace.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quales ipsi Reges?

SI *potentiæ & imperij amplitudo* spectetur, haud quaquam tales, quales hodie, nostra in Europa, Reges appellantur: vel quales etiam olim, dum apud Xenophontem l.8. Cambysen esse Regem iubebat Cyrus. filium verò alterum Tanoaxarem Medorum & Armeniorum non Regē, sed Satrapam. & cum apud Iosephum l.19. cap 19, ægre ferebat Herodias Agrippam Regē vocari, virum verò suum Herodem, Tetrarcham. Sed iis erant consimiles, de quibus Iosuæ 12. cū vnum & triginta Reges deuicerunt Israëlitæ, ipsorumq; ditiones occuparunt & Iudicum primo, cum sub Adonibezec mensa, 70. Reges ciborum analecta carperent, qualis & Romanorū Rex primus, Romulus, quales item, nostro isto sæculo, in Iaponia & India prout prudēter monuit sua in historia Indica Maffeus. Vnde & Genes. 36.v.31. cum Regum istiusmodi recensetur catalogus; vna quædam iis vrbs, amplior & splendidior vt Iosuæ 10. ver. 2. attribuitur, licet non desint, qui non absurdè veluti primis conditoribus attribui censeant. *Regnauit Bela filius Beor. nomenq; vrbis eius Danaba. Regnauit Adad & nomen vrbis eius Anith. Regnauit Adar. Nomen vrbis eius Phau.* Si verò *sapientia* consideretur, erant ij, quemadmodū Orientis Reges nonnulli, varia reconditaque perpoliti doctrina. Id enim tota eorū cum Iob altercatio indicat. Quem & apud D. Hieronymum Traditionibus in Genesin, tradunt Iudæi, Eliu qui Iob cap. 32. & 33. loqui cœpit, quique, ob istorum ætatis & sapientiæ authoritatem, adusque conticuerat; illum fuisse Balaam, qui ad Israëlitis maledicendum accersitus cum esset, suam ipse asinam loquētem audiit. Idemq; repetit Commētarius in Iob c.32. qui in eiusdem D. Hieronymi operibus. Si *religio* demum attendatur, fideles, vniusque veri Dei cultores fuisse dixi olim l. 1. contra Filidinum cap. 5. & docet in Romanæ caput secundum Theodoretus. Sed, præ isto cultu & sapientia, huc maximè, quod primo loco de ipsorum dominatu, & ditione posui; spectabat. ideoque addo, *Themanæos*, in Idumæa fuisse, vt ait in Amos cap. 1. D. Hieronymus; *Su hæos* itidem, quos, εὐθυμαυρίτας vocat apud Stephanum Dexippus, quia Æthiopum, prout in Genesi dictum; Maurorumque nomine, totum quandoque Arabum genus ob faciei colorem afficitur, quemadmodum contra Lutheranum Reineccium docet Leunclauius in historiæ Turcicæ Pandectæ cap. 165. Pachymerum ait, *temere arguit erroris Reineccius, quod in tertio, Bendecarem Cairensem vocarit Æthiopum Soldanum. Addit enim, hoc abeo factum perperam. Immo recte locutus est Pachymerius, quum Ægyptios vocat Æthiopas qui reuera facie colorata sunt. Cepit enim, nomen Æthiopum veteris linguæ Græcæ lata significatione, sicut hodie Græci Mauros, vnde Mori nostri, nigros in genere dicunt, siue sint Arabes, vel Ægyptij, vel Aphri, vel Æthiopes illi proprie sic adpellati. Denique doctissimus Eustathius, & antiquior hoc Stephano, vrbium Nomenclatore auctor, Ægyptum perhibent Æthiopiam vocatam, propter habitantes in ea nigros homines.* Et cap. 211. à *Turcicis Annalibus & Sansonino* rursum ait Arabas & Ægyptios appellari Mauros. Iam *Minnæi* sunt ad mare rubrum in eadem scilicet Idumæa vel Arabia populi, vt apud eundem Stephanum tradit Marcianus.

QVAESTIVNCVLA IV.

An, ob Reges istos, Iob etiam Rex.

SI Reges amicos habuit Iob, in regio & ipse solio collocandus. Est enim inter æquales amicitia. Sic nimirum olim apud Abulensem in Genes. 36. quidam, & non ita pridem suis in Iob commentariis, doctus vir Stunica ratiocinatur. At miserrimus Regum status esset, si nullus, nisi Rex, iis amicus. Quam enim ab amicis inopes desertique forent? Cum in confertam amicorum turbam, clauis quendam opulis, glebam coniicere Cyrus apud Xenophontem lib. 8. iubebat, nunquid Reges, omnes illi erant? etiamne qui gleba illa tactus fuit, Pheraules cursor, Rex putandus? Mortui us verò hanc ibidem auream vocem fundebat. *Non est aureum hoc sceptrum, quod regnum conseruet: Sed amica multis sceptrum sunt Regibus verissimum atque turissimum.*

Num so-

Num solos Regibus Reges amicos volebat? Sane & Aristoteles 8. Ethicorum cap. 7. & 11. posse inter eos qui præsunt & subsunt, amicitiam constare, docuit. Ideoque plus coniectura ista firmitatis habuerit, si Iobo non amicos tantum Reges dicamus, sed addamus, è suis etiam regionibus & regnis ad Iobum & quidem simul, & de compacto, venisse. Ad quem enim, eo modo, Reges, nisi vel parem, vel etiam superiorem proficiscantur? Regem tamen fuisse aliter adhuc ostendamus.

QVÆSTIVNCVLA V

An Iob sit Iobab, de quo Geneseos cap. 36. ver. 33. & 1. Paralip. cap. 1?

SI est, iam quin Rex Iob fuerit, nulla esse amplius debet quæstio. Nam, vocalissimo, clarissimoque illic præconio, Iobab Rex pronunciatur. Sed an Iob sit Iobab, tres sunt opiniones. Prima Rabbi Salomonis in Numerorum caput 14. non esse. sed ipsum Iob Chananæum fuisse, qui, promissionis terram ingredientibus Israëlitarum exploratoribus, è vita excesserit. Altera similiter Iobabum eum negat. Sed aliam ob causam, quod ex Abrahami fratre Nachor propagatus sit, non autem ex Esau, è quo satus Iobab Genesis trigesimo sexto Nachoris enim primogenitus fuit Huz Genesis vigesimo secundo, versic. 21. & *vir erat in terra Hus, nomine Iob*, vt ipsius libri canit proœmium. Atque hanc opinionem tradit scholastica historia, & ante ipsam olim Philippus Presbyter Commentariis in Iob, Diuus Hieronymus Traditionibus in Genesin, & Commentarius ille in Iob cap. 1. & 32. qui in ipsius Tomis est. Tertia eundem Iob & Iobab affirmat. &, vt mihi quidem videtur, non paulò credibilius. Primo quia 70. Interpretes, post Hebraicum libri Iob finem, addiderunt. Προυπῆρχε δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβάβ. Ἐτέκνου δὲ αὐτὸς πατὴρ μὲν ζαρὲ ἐκ τῶν ἡσαῦ υἱῶν, μητρὸς δὲ Βοσορρὰς ὡς εἶναι αὐτὸν ἀπέμπτον ἀπὸ τοῦ Ἀβραάμ. Rursumque. Μετὰ τὸν Βαλὰκ ὁ καλούμενος καὶ Ἰωβάβ. Quod meridianum hisce iubar clarius? Hi verò septuaginta, si nihil aliud, certè tamen vetustissimi sunt, & Israëliticarum rerum callentissimi. Et licet nudam tantū vel historicorum vel paraphrastarum authoritatem haberent, quantum tamen hoc eorum testimonium? Suffragatur præterea posterior Græcus Interpres Theodotio, & plurimi grauissimique scriptores, D. Chrysostomus in catena in Iob, S. Epiphanius l.1. Seuerus Sulpitius in historia, Eusebius in Chronicis, Ambrosianus Cōmentarius in Romanam, D. Augustinus lib. 18. Ciuit. c. 47. apud aliquem in Genes. q. 121, pro, *Iobab, cui successit in regno Balac.* correctè legendum, *qui successit.* Origenes in Iob, Glycas in Annalibus, Cedrenus in historia, Abulensis in proœmio Bibl. c. 7. in Genes. 22. & 36. Exodi 2. q. 8. Tamque apud veteres contrita & declamata fuit hæc sententia, vt eam etiam apud Eusebium l. 9. præparationis, asseuerarint Aristeas & Polyistor antea citatus Alexander. Tertiò, Iobi hoc regnum vel hinc stabilitur. quod ei neque illa, quæ obiecta est, terra Hus; neque aliud quidquam aduersetur. Licet enim fuerit Nachoris filius Hus, ab alio tamen potuit Iobi terra nomen accipere. Fuit enim & in Esau stirpe quidam Hus Genes. 36. ver. 27. 1. Par. 1. v. 42. rursumque alius v. 17. licet in Græcis horum nominum, vti & propriorum sæpè aliorum, non vna scriptio ὡς, ὧς, ἓξ. Hanc sanè Iobi etiam sepulchrum non in Mesopotamia, sed in Palestinæ Idumæaque finibus adhuc hodie visitur, inquit loco citato Abulensis. Alia verò, quæ aduersari quis putaret, huic potius regno patrocinantur. Sed quia plura & difficiliora sunt, in quæstionem aliam transferantur.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Quæ Iobi regnum oppugnent, neque tamen expugnent:

SI Rex fuit Iob, cur eius nullum in Scriptura vsquam regnū, sceptrum, nomen est? Quomodo tam repente ad tantam inopiam & paupertatem detruditur, vt in sterquilinio sedeat, & quidem vt Græci habent, extra vrbem & sub dio? Non ipse vrbis illius erat Dominus? nullos in ea propinquos, amicos, subditos, seruos habebat? Nullius omnino recto recipi, nullius misericordia & benignitate iuuari potuit? Vix in vllo etiā Dionysio & importunissimo Tyrāno tātā vllibi opis, auxiliiq; humani solitudinem legimus. Mouet enim plurimum homines repentina eorum, qui regiā paulo ante maiestatem obtinebant, calamitas. Vix tam durus quisquam, qui eorum misericordiam non capiat. Quanto minus ita subito, tam ab omnibus, deseri Iob potuisset, qui summa semper in omnes beneuolentia beneficentiaque fuisset? *Oculus*, ait, cap. 29. *fui cæco & pes claudo. Pater eram pauperum. & causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

gabam. & alia ibidem plura. Quid Reges amici? Non potuerunt amici Regis nunc afflicti & inopis egestatem opibus diuitiisque suis sustentare? Non argenti aurique tantum, quantum statui reminendo satis videretur; donare vel saltem mutuum dare? Neque enim ad eum ita venerunt, vt de ipsius ærumna nihil inaudissent, sed omnia cum intellexissent, & de compacto vnà venissent, vt sibi viaticum, sic & amico solatium aliquod, suis è thesauris, afferre nõ valuerunt? Ad hæc, si Rex fuisset, cum postea pristinam ad affluentiam splendoremque postliminio rediit, imò conduplicata recepit omnia, filiorum suorum aliquem regiæ dignitatis hæredem reliquisset. At Genes. 36. qui Iobabo in regno successit, Husam fuit. cuiusmodi Iobi filium nullum legimus. Et ipsum Iobi nomen totam hanc laruam regiam Iobo detrahit. Etsi enim in Latino & Græco quædam cũ Iobab similitudo apparet, in Hebræo tamen & Chaldæo maior multò dissimilitudo est. Neque enim syllaba illa posterior tantũmodo abest, sed in ipsa etiam fõte habet Hebræa & Chaldæa vox literam Aleph, cuius in Iobab nullum prorsus vestigium. Postremo ipse Iob cum pristinas suas fortunas, clientelas, honores c. 29. v. vltimo exaggerat, nõ se Regem vocat: sed Regi similem fuisse ait, qui in satellitio suo medius habitat. Nõ nisi ergo cõmentitius & velut in comicorum scena personatus Rex videtur. Sed quæ adeo fortia videntur, possunt tela ista excuti. Nam primo etsi nomen vel sceptrum regium in Iobi libro ei nunquam datur, regia tamen ei res, & abundantia c. 1. & c. 29. tribuitur. prout etiam postea rursum dicetur. Quę vero adiunguntur de tanta, tam subita calamitate, de sterquilinio, de subdiali cõmoratione, de subditis & amicis, omnia hæc admirabilem quidem viri tanti ærumnam & patientiam demonstrant, sed Regem haud fuisse non efficiunt. Alioqui non Regem tantummodo, sed nec splendidum antea, diuitem, honoratum & gratiosum fuisse probaret. Si vero animum aduerterimus, omnem istam inopiam & egestatem, quam etiam coniunctissimi & misericordissimi deseruerint: trunculento à dæmone inuectam conflatamq; intelligemus. Quemadmodum enim is eius armenta diripuit, seruitia occidit, greges inflammauit, domos funditus euertit, ipsumq; tandem eius corpus grauissimè contudit, vlcere scabieque teterrima inquinauit & excruciauit: ita, quæ tantis in malis, residua ei adhuc esse poterant, omnia, præter ea, quæ animi propria sunt, & inuito nemini eripi vnquam possunt; bona detraxit, ita vt vel omnino vel magna ex parte, famam ei, gloriam, clientelas, amicitias, hominum beneuolentias & misericordias omnes adimeret, vnoque veluti turbine, omnia vitæ humanæ præsidia & solatia, simul abriperet. Dixit, & quidem verissimè, veterum quidam.

Dum fueris felix, multos numerabis amicos.
Tempora si fuerint nubila solus eris.

Quanto magis hæc à propinquis, subditis, & seruis solitudo nostro huic, in quem, catenis velut emissa tartarea illa fera, impetu furoreque tanto incurrebat, euenire potuit? Coniecturis nullis opus est. Ista ipsa omnia ipsemet c. 6. v. 13. & 15. sed maxime c. 19. v. 7. 13. 15. 16. 17. 19. lamentatur. Et ea in ipso animi magnitudo, rerum humanarũ despicientia: cuiuslibet asperitatis perferendæ studium exstitit, vt neq; aliorum, vt ab illibentibus quidquam extunderet; misericordiam magnopere solicitarit, prout c. 7. v. 22. indicat: neq; vel ea, quæ sponte à quibusdam interdũ offerebantur, admiserit. vt ideirco à S. Ephrem. sermone de sacerdotio, magnus *paupertatis amator* nuncupetur. Regni verò eius hereditatẽ à filiis aditam non esse, si quis neget, quomodo probatur? Et sane probabiliter negari potest primo. quia, qui Iobabo successit Husam, à 50. vertitur ἀσὼμ. cuius valde cum Iob significatio conuenit. Nam Iob & Iobab dolens est; Asom desolatus & aliena culpa violatus: Chusam, eorum silentium vel festinatio. Deinde c. 46. v. 14. pro Iob. qui in Hebræo, Latino, & Chaldæo est; posuerunt 70. seniores Ασὼμ. quasi valeant idẽ ea nomina. Cum ergo filios septem Iobus habuerit (Iob c. 42. v. 13.) & eorum vnus, apud 70. in eius libri extremo, itemque apud D. Hieronymum in præfatione, Ennon vocetur, cur non potuit cæterorum alius, patris nomen gerere, eodemque significatu, modo Chusam, modo Iob vel Asom appellari? Quid si & ipsemet Ennon iisdem nominibus omnibus insigniretur? Neq; enim infrequens, plura in vnũ aliquẽ nomina congruere. præsertim si eorum eadem vel pæne eadem notitio sit. Accedit quod in Regum istorum indiculo, dũ quorundam Pater indicatur, quorundã tacetur, eo ipso innui videatur, hos eorum, qui ante ipsos nominati, quibusq; in regno ipsi successerunt, esse filios. Regnauit enim in Edom *Bela filius Beor*: pro eo mortuo, *Iobab filius Lare*: pro eo mortuo, *Chusam de terra Themanorum*: pro eo mortuo, *Adad filius Badad*: pro eo mortuo, *Semla de Masreca*: pro eo mortuo, *Saul de fluuio Rohoboth*: pro eo mortuo, *Balanan filius Achobor*. Cur obsecro, cuius filius sit Bela, Iobab, Adad & Balanam afferretur, cuius verò sit Chusam, Semla & Saul taceretur? Ne tamen de hisce posteriorib. nihil omnino attingeretur, loca, in quib. antea possessiones & domicilia obtinebant, & vnde ad regnum euocati sunt; scriptura recensuit. Atq; isto modo paternũ regnũ adisset Iobi filius. Sed dici & aliud potest. motis tũ in Idumææ parte illa non fuisse, vt hæreditario veluti iure paternum à filiis diadema susciperetur. Reges ipsos libero populi aut procerũ suffragio deligi, & vnde ipsis collibuisset; vocari solitos fuisse. Manifestum id in eodem posito iam indiculo apparet, dum Belæ, Chusamo, Sauli

Sauli, non eorum filij, sed alij quidam succedunt. Cæterum, de ipso Iob nomine, duæ subindicatæ controuersiolæ. Vna est, quomodo *Iob* & *Iobab* nomen idem censeri possint, cum monosyllabum illud, hoc dissyllabum sit. Qui modice tamen Hebræas litteras attigerunt, satis norunt, cùm alia multa, tum verò sæpissimè illa, quæ literam consonantẽ secundam duplicant; contrahi, vnicaq; syllaba pronunciari. Altera est, quomodo ei aleph interdum præfigatur. septuaginta Iobi librum è Syriaco conuersum aiunt, D. Gregorius l. 20. Moralium c. 24. ex Hebræo & Arabico idiomate. Diuus vero Hieronymus præfatione in Danielem, clarius, Iob cum Arabica lingua plurimam habere societatem refert. Iam vero tam in Syriaca quam Arabica lingua vsitatum, vt quam creberrime aleph istud præscribatur. Pro monte Sinai, est in Thargum Exodi 2. & 33. Asana. pro iom, id est, die, sæpe legitur aimama, & pro iichar, id est, honore, aikara. Postelli sua in Arabica Grammatica monitum est, *ab Arabicis nominibus raro aleph abesse*. Ad postremum tandem, eorum, quæ Iobi regnũ tremefaciebãt, respondeo, particulas, *sicut & quasi*, non similitudinem semper, sed ipsam interdum veritatem importare. Tradunt siquidẽ Hebræi esse *caph* quoddam *amithith*, id est, caph veritatis. quemadmodum Ioãnis 1. vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Vnde & noster interpres cum Iob. 29. v. 25. vertisset; *Cum sederem quasi Rex circumstante exercitu*; alteram, quæ in Hebræo est, similitudinis particulam simpliciter vertit, *Eram tamen mœrentium consolator*. An Rex non erat, quo, vt eodem loco dicitur; *loquente* PRINCIPES *cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, vocem suam cohibebãt* DVCES, *& lingua eorum gutturi suo adhærebat*. Et c. 19. v. 9. eius etiam verba sunt. *Deus spoliauit me gloria mea: & abstulit* CORONAM *de capite meo*. Neq; n. prudentiam & sapiẽtiam; quæ Prouerb. 4. Ecclesiastici 8. similia per tropum ornamenta, parere dicitur; ei abstulerat Deus. Iobum ergo Regem, qualem sane tempora & loca illa ferebãt, quis. cum 70. illis senioribus, arbitrari deinceps veretur? vt videlicet non infimæ tantũ, aut mediocris fortunæ homines, sed ij etiam, quos purpuræ & sceptra ornant; proposito, in aduersis, quod semper intueantur; exemplũ habeant.

QVÆSTIVNCVLA VII.

Iobo Reges isti num insultarint?

VPVD Euripidem Andromache, *Calamitatibus*, ait, *hominum infortunatorum*
Nunquam insultaui, metuens ne quid etiam ipsa paiar.
Insipientia siquidem est non parua, cadentib. tanquam si ruere ipse nõ possis, insultare. At Reges istos; sapientes antea diximus. Quomodo amicum ergo Regem & ærumnosum lusissent? Deinde venerunt illi, quemadmodum capite 2. v. 11. explicatur, vt Iobum ipsum visitarent & consolarentur. tantumque ex ipsius malis mœrorem ceperunt, vt exclamarint; complorarint, vestes discinderint, septem cum eo diebus in terra consederint, verbum eloqui ausi non fuerint. Videbant enim dolorem esse vehementem. Constat verò, miseris ac mœrentib. solatium esse non parum, si eorum alij misereantur, cum iisque lugeant. vti verissima, Menandri apud Stobæum sermone 112. sententia est. Quænam igitur ab Hisce Regibus, insultario? Textus tamen cui refragari nefas; verba sunt v. 15. *Beato Iob insultabant Reges*. Imuo videlicet, boni illi amici cũ dolente doluerunt, & ad eum consolandum sapienter venerunt, multaque sapientibus digna postmodum dixerunt, plurima tamen suis in sermocinationibus peccarunt, & afflictos integerrimi viri casus importunius exagitarunt. omnino contra humanitatis illud apud eundem Stobæum sermone 111. oraculum.

Μὴ σκυθρωπὸς ἴσθ' ἄγαν πρὸς τὰς τύχας
Πρὸς ὄντας· ἀνθρώπου γεγώς.
Ne nimium seuerus & grauis esto ergà infeliciter
Agentes, homo cum sis.

Neq; verò viros tantos, meo è sensu, criminor. sed ipsum eos Iobi volumen accusat. Nã vt multa, quæ c. 11. v. 1. c. 12. v. 2. & 4. c. 15. v. 2. 3. 4. & sequentib. c. 21. v. 2. & sequẽtibus inserta præteream, nonne c. 7. v. 25. referuntur *detraxisse sermonibus veritatis?* v. 26. *ad increpandum tantum eloquia cõcinnasse. & in verum verba protulisse? super pusillum arguisse, & amicũ subuertere voluisse?* None c. 13. v. 4. vocantur *fabricatores mendacij, & cultores peruersorũ dogmatũ*: c. 16. v. 9 *falsiloqui?* Et c. 19. v. 2. *usquequo*, ait Iob, *affligitis animã meã, & atteritis me sermonib. En decies, confunditis me, & non erubescitis opprimentes me. Vos contra me erigimini & arguitis me in opprobrijs meis*. Tandẽ vero quis, cõtra eos, Deo ipso vel testis vel Iudex grauior? Eorũ certe vni c. 42. v. 7. cœlitus occlamat. *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniã non estis loquti contra me rectũ, sicut seruus meus Iob*. Atq; hinc intelligimus primo quidem, quã non absurde D. Gregorius l. 2. Moralium c. 17. & Hieronymianus in Iob Cõmentarius c. 32. asserant, istos Iobi amicos hæreticorũ, qui Ecclesiæ Catholicæ arroganter insultare audeant, personã sustinuisse. Deinde quã satis non sit, bono ad quãpiam animo aggredi, nisi omnis ipso in progressu offensio semper caueatur. Demũ, quam ab

insulta-

Universidad de Deusto
Biblioteca

insultatione nobis abstinendum sit. adeo vt iis etiam, qui ad veram fidem conuersi nondum sunt, insultari vetet D. Augustinus in psal. 97. quia *insultationis*, ait, *tuba in fructuosum bellum facit.* Quando quidem vero loci eius mentio incidit, abs re non fuerit, regiâ hanc de Iob disputatiũculam, sonoro ipsius tubæ clangore, domũ veluti prosequi & celebrare. Nam ad illa eius psalmi verba, In tubis ductilib. & voce tubæ corneæ. *Quid sibi*, ait, *volunt tubæ ductiles & tubæ corneæ? Ductiles tubæ æreæ sunt, tundendo producuntur. Si tundendo, ergo vapulando erit is tubæ ductiles. ad laudẽ* DEI *productæ. Si cum tribulamini proficiatis, tribulatio, tunsio: profectus, productio est. Tuba ductilis erat Iob, quando repentè percussus tantis damnis & orbitate filiorum, tunsione illa tantæ tribulationis factus tuba ductilis sonuit: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est. sit nomẽ Domini benedictum. Quomodo sonuit, quam suauẽ sonum dedit ista ductilis tuba? Adhuc tunditur, datus est in potestatẽ, vt & caro eius percuteretur. Percussa est, cœpit putrescere, scatere vermibus. Suppositæ Euæ ad seductionẽ vxor eius seruata ad ministerium diaboli, non ad solatium mariti, suggerit blasphemias: nõ obtẽperat ille. Obtẽperauit Adã Euæ in paradiso, repellit Adã Euã in stercore. In stercore.n. sedebat Iob, cũ flueret & putresceret vermibus. Melior Iob putris in sterc ore, quã integer ille in paradiso. Sed adhuc ille Adã non erat. Respondit Euæ præparatæ ad istã supplantationẽ & tentationẽ, & ait illi: Ecce audiuimus quomodo tunditur tuba ista. Percussit eum diabolus à capite vsq; ad pedes graui vulnere. & putrescẽs vermibus sedebat in sterc ore. Audiuimus quẽadmodum tunsus est, audiamus quomodo sonet vox tubæ huius ductilis. Dulcẽ vocem si placet audiamus. Locuta est, inquit, tanquã vna ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? O sonum fortem! ô sonum dulcem! ô Quem non dormientem excitet sonus iste? Quem nõ excitet præsumptio in* DEO, *vt aduersus diabolum securus procedat in prælium: non suis viribus obtenturus, sed illius qui probat?* Videri etiam potest de tempore Sermo 105.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Qui Tobiam irriserint. & quid ipsè?

QVI Tobiam irriserunt parentes eodem v. 15. noũ sunt propriè dicti parentes, cum eum ab illis pupillũ relictum supra viderimus; sed sunt propinqui, & consanguinei, qui etiã Gallis, *parens* appellantur; vti notat Genebrardus in psal. 37. vnde & pro cognatione, *parentela* nomen, quo, vt in S. Kiliano dixi cap. 7. vtitur Egwaldus Cantipratensis l. 2. c. 30, Iulius Capitolinus in Gordianis; & *parentalia*, quæ non presse tantum dictis parentibus sed propinquis etiam omnibus fiebant, idem indicant. Ideoque additur, *& cognati*, pro, id est; cognati. Nam istud, *&*, exegeticon à Grammaticis vocatur. Acerbissimum verò est, & plane, vt dici solet; vnguis in vlcere, afflictos homines ab amicis non modo solatij nihil accipere: sed contemni etiam & irrideri. Leniendus erat Tobiæ dolor: suspicienda & deprædicanda eius in opere bono sedulitas & constantia. Sed, quæ mundi huius prauitas est; fit plerumque, quod ait Iob c. 12. v. 4. *deridetur iusti simplicitas*: & quod Salomon Prouerb. c. 14. v. 2. *Ambulans recto itinere, & timens* DEVM *despicitur ab eo, qui infami graditur via.* Sed Tobias sannis & irrisionibus non modo non fractior & languidior efficiebatur: verũ multò etiam robustior & ad omne officiũ incitatior. *Increpabat illos*, ait textus. Potuisset existimare, si despici se ludique tacitus pateretur, abunde satis esse. vel si saltem, superpositis oti digitis, eorum proteruiam miseraretur. At perire ipsos non vult: pro malo bonum iis reddit: pro contemptione monitionem, pro subsannatione doctrinam & instructionem vtilissimam. v. 18. Author quæstionum ex vtroque testamẽto, quæst. 119. *Quam laudabilis*, inquit, *sit sanctus Tobias, scriptura docemur, cuius deuotionem nec captiuitas minuit, nec oculorum amissio, quo minus* DEVM *benediceret, persuasit: neque exhausta substantia a via iustitiæ & veritatis auertit. Necessitas enim probat iustum. In egestate æquitatem seruare, vera & perfecta iustitia est. Vnde enim quorundam deuotio minuitur, inde augmentum facit laude dignus Tobias.* Et paulo post; *S. Tobias erectus ad* DEVM *animus, nec captiuitate fractus, nec inopia humiliatus.* Sunt verò in illa institutione, quæ aduersus omnes fortunæ, dæmoniscque impetus egregie hominem armare queant; duo consideranda. Vnum quidem quod præteriit: alterum quod futurum est. In priori genere sunt parẽtes, maioresque nostri. à quorũ virtute ac sanctitate nos degenerare turpissimum est. *filij*, ait, *sanctorum sumus*: Abrahæ scilicet, Isaac & Iacob. Quorum ad imitandum nobis proposita esse debent præclarissima, secundis aduersisque temporibus, exempla. Similiter infra c. 9. v. 5. In posteriori genere vita æterna est. Errant, qui sola vitæ huius temporalia bona veteris testamenti hominibus proposita existimant. Canticorum 2. v. 3. Ecclesiæ veteris hæc in Thargum verba sunt. *Verba legis* DEI *dulcia fuerunt gutturi meo: & præmia præceptorum eius seruantur mihi in sæculo venturo. Vitam*, ait Tobias, *illam expectamus, quam* DEVS *daturus est.* quasi iam è Nicæno illud symbolo recitaret. *Expecto resurrectionem mortuorum, & vitã venturi sæculi. Expectabant*, inquit Apostolus Heb. c. 11. v. 10. *fundamenta habentem ciuitatem cuius artifex & cõditor Deus*, seq. v. 13. confitentur *peregrinos & hospites super terrã. Qui.n. hæc dicunt, significant se patriam*

etiam inquirere. Sed vide, quibus vitam illam daturum DEVM asserat. *His, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Fides omnium, quę ad sempiternam felicitatem adesse oportet; fundamentum est, eaq; non habenda tantum, sed & constantissimè perpetuò retinenda. ita vt cum morte vita potius miles, quam cum hæresi perfidiaue vlla, fides commutanda sit. Quam igitur vitam expectent, qui à Catholica fide ad noua sese dogmata contulerũt? qui fidem penè sæpius, quam vestem hodie commutant? iam Catholici, postea Lutherani, non multò post Caluiniani, Trinitarij Athei? Sed actum de his, & in Athanasio symbolo, & libro 1. contra Filidinum. Nos cum Tobia nostro quaslibet rerum difficultates, aliorum etiam probra, contumelias, irrisiones, tanti, tamque beati præmij expectatione feramus, prout monet S. Paulus Hebræ. 11. S. Iacobus c. 5. & à bonorum virorum officio ne tantillum quidem vnquam recedamus. *filios nos* esse meminerimus *sanctorum*, id est, Sanctorum Bonifaciorum, Kilianorum, Augustinorũ, omniumque martyrum & Apostolorum. qui in sanctissima nos Christi IESV Ecclesia genuerunt, nobisque amplissimarum, charitatis, patientiæ, modestiæ, sobrietatis, virtutumque omnium hæreditatem reliquerunt. Plurimum verò duobus istis calamitosis felicissimis vel hoc nomine debemus, quod de futuri sæculi spe tam luculentum nobis ambo elogium dederint. De Tobia iam vidimus; de Iob verò, ita epistola 103. D. Hieronymus. *Resurrectionem corporum sic prophetat, vt nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit. Scio*, inquit, *quod redemptor meus viuit. & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo* DEVM *saluatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

Videtur verò post cæcitatem rursum ab aliquo apud Regem accusatus, & bonis spoliatus, sed vt habet Græcus & Hebræus, ab Achiacare altus, & sustentatus. Achiachar verò, eam ob causam, videtur & ipse calumniam passus, prout Græcè cap. vltimo dicitur, tumque Tobias vel relegatus esse, vel profugisse in Elymaidem, vt in Græco legimus. Si tamen prima, quæ in eo est, persona, in tertiam emendaretur, τρίτου βιου, melius soli Achiacharo relegationẽ vel fugam istam tribueremus, idque significat Hebraicus alter cap. vltimo. Nec videtur causa, cur è Ninive rursum profectus sit Tobias, nec tempus apparet, quando redierit, nec ratio, cur, si Gabelo, in Elymaide, tam vicinus fuisset, ad eum non ierit. Est autem Elymais Mediæ regio, quam Plinius lib. 6. cap. 26. & 27. duplicem ostendit.

Quartum denique Tobiæ factum, est furti & alienæ rei detestatio vers. 19. vbi, dum dicitur Tobiæ vxor textrinum opus fecisse, duobus modis explicatur. Primò, secundum Hebræos, vt faciendos conduxerit pannos, & texendos, qui in tabernaculis extenduntur vt vela, cortinæ, aliaque id genus. Secundò, vt seruierit aliis mulieribus, in earum domibus, & operibus cuiuscumque generis ea essent opera secundum Græcos, Nam ἐν τοῖς γυναικείοις ἐργάζεσθαι est nõ simpliciter seruire, sed in rebus etiam vilibus & abiectis, prout ex Aristotelis Politicorum libro quinto colligitur. Atque isto modo se Iobi vxor πλανωμένην, καὶ λάτριν contemptè appellabat Iob 2. quasi, quæ huc illuc erraret, omnibusque ancillaretur. Dum vero Baduellus γυναικεῖον locum esse ait, in quo mulieres versantur; videtur significare illud ἐν τοῖς γυναικείοις, accipiendum pro huiusce modi mulierum ἔργοις seu operibus accipiat potius Hebræus, in quo sic. *Et, in tempore isto, Hanna vxor mea fecit opus mulierum seu opus mulierum.* Sed opus hoc partim alienis in domib. fecisse viderut, quia in textu nostro est; *ibat ad opus*: partim domi suæ, quia in Græco est, eam *opus iam factum dominis misisse.* ἀπέστειλε πρὸς τοὺς κυρίους. Iam quod in Græco ait Tobias ἤρυθρίων πρὸς αὐτὴν, id est, erubescebam ad ipsam, seu propter ipsam, putat quidam forte legẽdum ἠριζον πρὸς αὐτὴν, id est, litigabam cum ea. Nam & in Hebræo est, *baunou mithoretim ia had hal hefek haggidi.* id est, *fuimus vna litigantes super negocio hœdi*, siue *propter hœdum inter nos contendimus.* Ita enim Rabbi Camius in libro Radicum, & alij exponunt verbum istud psalmo 94. *Quadragesimo anno litigans vel contendi*, vt dubitandum non videatur, quin aberrarit Munsterus, dum verba illa vertit. *Alias enim onerosos nos pariter reddemus propter hœdum illum.* Et sane textus noster litigium quoddam, datis & acceptis vltro citroque responsis, indicat. itemque D. Augustinus de verbis Domini serm. 18. secundum Matthæum c. 15. cum *accusationem defensionemque* inter eos fuisse ait. Eius verba postea citabuntur. Græca tamen illa vox retineri potest, vt, ab effectu, idem ipsum litigium significetur. Rubent enim eorum, qui rixantur, vultus, ardentque oculi, vel certe, cum sunt homines pauulo veliniores, vel mitiores ac modestiores, erubescunt quidem, sed eo rubore, quem verecundiæ colorem aiebat quidam. Duo verò hic quæruntur. Prius est; *Num esset ipsa Tobiæ vxor hœdum furata?* Videtur ita opinari D. Augustinus loco iam indicato, cum ait, ipsam de furto monitam, defendisse factum suum, & paulo post. *Quam cæca*, inquit, *erat, quæ furtum defendebat?* Sed sane ab hoc eam scelere absoluit clare, in textu Græco, Tobias. *Domini*, ait, quibus nummum leborarat, *reddiderunt ei mercedem*, μισθὸν ἔδωκεν αὐτῷ, id est, *vitra mercedem donantes & hœdum.* Explicat enim quid ipsa vere quidem dixisset; sed ipse antea dicenti fidem non adhibuisset: nunc verò scribens adhibeat. δίδωμι δόξαν μοι καὶ τῷ μισθῷ. Eademque in Hebræo absolu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

absolutio est, non enim ipsa tantummodo dixit; *datus est mihi hœdus supra mercedem meam*; sed ipse etiam Tobias, cum librum istum scriberet, perfectiusque veritatem totam indagasset; *factum est*, ait, *quodam die, & dederunt ipsi hœdum vnum in mercede ipsius*. id est, cum mercede, vel vltra mercedem. Male siquidem, in vtriusque verbis, vertit semper Munsterus, *pro mercede*. Sunt enim diuersæ propositiones Hebraicæ *beficarab*, & *halsicari*. & licet alibi possent, *pro* aut *propter* significare, non tamen hoc loco, vt aperit textus Græcus, & ipsa facti circumstantia. Si enim pro mercede datum hœdum dixisset, causæ quid fuisset, cur ei Tobias non crederet? Laborasse norat: mercede dignam sciebat: pecuniam nullam videbat: mercedem si quam aliam accepisset, occulere ipsa poterat. Quid mirum ergo vel incredibile fuisset, in mercedem hœdum datum? At gratis donatum, & in mercedis auctarium, quoddamque veluti corollarium, id verò apud exteros nouum, & inusitatum videbatur. Atque hanc donationem innuunt etiam verba *dandi*, quibus tam Græcus quàm Hebræus vtuntur, quibus in Latino respondet *accipere*. *Factum est, vt hœdum caprarum accipiens*, scilicet dono, *detulisset domum*. Idemque in suo Tobia Perionius, *Cum textrino*, inquit, *opere, quotidie ea, quæ ad victum communem pertinebant, pararet, aliquando hœdum, præter mercedem, acceptum, intulit*. Sed, quæritur *secundo peccarine Tobias, de vxore suspicando, ipsi neganti non credendo, & cum ea altercando?* vti dictum est? Respondeo, Non peccasse. Potuit enim meritò suspicari. Primò, quia domi vix vnum alterumue teruncium esse sciebat, vnde hœdus emi non poterat: neque tantum lucratam vxorem, vt cum necessariis aliis, hœdum emere posset; existimabat denique, malesuadam esse famem, &, quod ait Ecclesiasticus cap. 27. *propter inopiam, multos deliquisse*. Sciebat ipsam interdum paupertatis & miseriæ impatientiorem, ita vt parum quandoque grauiter ac moderatè loqueretur & ageret. Erat ipse Paterfamilias, cui, ne quid domi mali accideret, curæ esse debebat. Erat cæcus, vt minus oculis, quid fieret perspiceret.

Vxoris porro responsio versu. 22. similis est ei, quam adhibuit Iobi vxor. Iob. 2. vers. 9. *Adhuc tu permanes in simplicitate tua, Benedic* DEO *& morere*. Sed quemadmodum Tobiæ nostri vxor, pluribus, quam quæ exprimuntur, verbis vsa est; prout apertè monet versus XXIIII: ita longiores Iobi vxoris opprobrationes & conuitia fuisse, dubium non est, quemadmodum etiam 70. notarunt. Apud hos enim hæc illius oratio. *Quousque perseuerabis dicens: Ecce modicum adhuc tempus operior expectans salutis meæ spem. Ecce nunc tui memoria è terra euanuit, filij scilicet & filiæ, vteri mei partus & labores, quos cum doloribus frustra enixa sum. Tu verò ipse in vermium putredine sedes, sub die pernoctans, & ego errabunda & famulabunda, locum ex loco, & domum ex domo circumeo, expectans quando sol occasurus sit, vt requiescam a laboribus & erumnis, quæ me nunc detinent. sed dic verbum in Dominum & morere*. Hanc è Græcis orationem cum versione nostra quæ ex Hebræis expressa est; coniunxerunt aliquando quidam Latinorum libri, vt vberiorem explanationem, quandamque veluti paraphrasin haberent. Vnde parum considerate collegerunt nonnulli, versionem nostram mendosam mutilamque esse. Qui enim Philippi Presbyteri commentarios in Iob edidit, Ioannes Sichardus, ante libri primi principium, è *vetustissimo*, vt ait, *libro Iob. Dalburgi Episcopi VVormacensis*, hæc affert: *Sæpe quæstus sum scripturam sacram, pluribus in locis, à vera interpretatione esse deprauatam, non Hieronymi, viri doctissimi & sanctissimi culpa, sed vitio librariorum*. Hic ego quidem, de quibusdam exemplaribus, quæ per Tridentinum Concilium, Pontifices Maximos, doctissimosque homines assiduè corriguntur; nihil repugno, sed deprauationis perineptum, quod subiungit exemplum esse contendo. *Mitto*, ait, *quæ nuper, in Badagiensi monasterio, in veteri Biblia reperi verba vxoris Iob, in emendatis Bibliis nostris deficientia. Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Vsquequo tu nunc sustines, & dices. Ecce expecto paucum tempus, adhuc sperans spem salutis? Ecce exterminata est, & perijt memoria tua de terra. Filij tui, & filiæ tuæ, venter mei gemitus & dolores, quos in vacuum portaui cum labore, tu autem ipse ecce sedes in putredine vermium pernoctans, & vigilans sub dio, & ego vaga, & habitu ancillæ ambulans de loco in locum, & de domo in domum operis causa, expecto, quando sol occidat, vt requiescam à gemitibus meis, & laboribus, qui me nunc temporibus his comprehenderunt. sed dic aliquod verbum, benedic in domino & morere*: Clarè apparet vtramque hic versionem copulatam, simulque aggestam & confusam esse. Quod bene vtiliterque, vt versioni vertio lucem afferat, sæpè fit, sed non idcirco vel cuttatior textus vnus, vel redundantior alter est. Cæterum huiusce modi, quæ ad malè agendum maritos solicitant, vxores, vocant Dinus Augustinus Eugubinus lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos cap. 3. & in psalmum 103. vbi de Iob plurima & pulcherrima, sed è sermone 18. in Matthæum ante citato ipsum iam audiamus. *Quanta*, inquit, *putatur infelicitas hominum, qui lucem istam corpoream non vident! Excæcatus est aliquis, continuo dicitur, fratum* DEVM *habuit: aliquid mali commisit. Hoc vxor Tobiæ dicebat viro. Clamabat ille propter hœdum, ne de furto esset, nolebat sonum furti audire in domo sua. Illa defendens factum suum, opprobrio percutiebat maritum: & cum ille diceret. Reddite, si de furto est: illa respondebat insultans, vbi sunt iustitiæ tuæ? Quam cæca erat, quæ furtum defendebat! & quam lucem videbat, qui furtum reddi imperabat! illa erat foris in luce solis, ille erat intus in luce iustitiæ. Quis eorum*

eorum erat in luce meliore? Patet quidem. respondet tamen lib. 2. de Anima c. 2. ipse, & libro ad sororem S. Alcimus;

Tobias melius cæcato in corpore cernens.

At libro de mortalitate S. Cyprianus cum S. Iob virtutem deprædicasset, subiunxit. *Et Tobias post opera magnifica, post misericordiæ suæ multa & gloriosa præconia, cæcitatem luminum passus timens, & benedicens, in aduersis, Deum per ipsam corporis sui cladem, creuit ad laudem, quem & ipsum vxor sua deprauare tentauit dicens: Vbi sunt iustitiæ tuæ, ecce quæ pateris. At ille circa timorem Dei stabilis & firmus ad omnem tolerantiam passionis fide religionis armatus tentationi vxoris inualidæ, in dolore non cessit, sed magis Deum patientia maiore promeruit: quem postmodum Raphael angelus collaudat*. Notetur hic, quam abstinendum sit à bonis male partis, furto, vsura, simonia, fraude quacunque alia, cum S. Tobiam, quod furtiuum putabat, à suis non modo retineri, sed ne contingi quidem voluisse videamus. In summa rerum inopia & fame, oblatum diuinitus panem, *timens ne forte alienus esset, & culpam, velut ex pietate perpetraret*, suis apponere mercenariis formidabat sanctus Sanctulus. apud D. Gregorium Dialogorum lib. 3. c. 37. & videri posset lib. c. 38. Cæsaris. Admodum verò flebiliter D. Augustinus lib. 2. confessionum cap. 4. & 6. deplorat pyrorum quorundam furtum, à se adolescente semel admissum. Notetur insuper, quæ suis in ministeriis & operibus, seruorum, mercenariorumque sedulitas esse debeat. Hæc sane Tobiæ vxor, licet in istâ rerum asperitate minus patiens, minusque erga maritũ modesta esset, in iis tamen, quos aliis præstabat, laboribus, ita sedula erat, vt eorum tibi beneuolentiam demereretur, & ab iis, vltra pactam mercedem, plus impetraret. E contrario vero, hi, quibus eadem vxor operam locabat, domini, monent, quo in seruos & mercenarios animo esse nos oporteat. vt iis videlicet non ea tantum, quæ debentur, sed cum nauos fideleíq; sentimus; plus etiam reddamus. *Mercenarius*, inquit lib. 3. de beneficiis c. 22. Seneca, *beneficium dat, vbi plus præstat, quam quod operis locauit*. Et lib. 6. c. 17. *Sordidissimorum quoque artificiorum institoribus, supra constitutum, aliquid adiicimus, si nobis opera illorum enixior visa est, & gubernatori & optifici vilissimæ mercis, & in diem se locanti corollarium aspergimus*. Notetur etiam bonis bene agentibus conuitia interdum, etiam ab infimis, ferenda, quemadmodum, ad Tobiæ exemplum, S. Annoni euenisse, memorat lib. 3. historiæ ipsius author. Illustrissimum verò, & Tobiæ, Ioboque consimilimum est, quod ab hæreticis, pro Catholica fide, olim pertulisse sanctum Saturum narrat sub libri primi de persecutione Vandalica extremum, Victor Vticensis. Cum enim esset Ariani Regis domus procurator, & vt Catholicam fidem desereret, inuitaretur, constantissimè reculauit. *Promittuntur honores* (libet enim iam rem totam ipsius Victoris verbis recensere) *& diuitiæ multæ, si faceret: præparantur supplicia dira, si nollet. Hac optione proposita, vt si regalibus iussis non obediret, primo facta discussione, & ante amissa domo vel substantia, distractis omnibus mancipiis ac filiis, vxor eius, ipso præsente, Camelario in coniugium traderetur. Quod ille plenus Deo, magis vt velociter proueniret, impios prouocabat. Ob quam causam vxor eius inducias visa est, ab his qui exequebantur, nescientes marito, petisse. Accedit ad maritum alia Eua, consilio magistrata serpentis. Sed ille Adam non fuit, qui illecebrosa vetitæ arboris poma contingeret, quia non indigens, sed saturatus ab vbertate domus Dei & torrente deliciarum eius potatus. Aduenit mulier ad locum, vbi maritus singularis orabat, conscissis vestibus, crineque soluto secum comitantibus filiis, vnamque infantulam, quæ tunc lactabatur, manibus gestans, quæ nescientis proicitur ad pedes mariti. Etiam ipsa suis genua complectitur vlnis, sibilans vociferatione draconis. Miserere mei dulcissime, simul & tui, miserere communibus liberis, quos conspicis ipse. Non subiaceant conditioni seruili, quos claros prosapia reddidit generis nostri. Non subiiciar ego indigno & turpi coniugio, viuente marito, quæ mihi semper inter coætaneas plaudebam de Saturo meo. Cognoscit Deus quia inuitus facturus es hoc, quod forte voluntariè aliquantis fecerunt. Cui ille, Iob sancti voce, respondit: Tanquam vna ex insipientibus mulieribus loqueris. Formidarem mulier, si sola esset huius vitæ amara dulcedo, artificio coniunx diaboli ministraris. Si diligeres maritum, nunquam ad secundam mortem attraheres proprium virum. Distrahant filios, separent vxorem, auferant substantiam, mei domini, ego, securus de promissis, verba tenebo: Si quis non dimiserit vxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit esse discipulus. Quid vltra? discedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus, ad coronam discutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur.*

CAPVT III.

1 VNC Tobias ingemuit, & cepit orare cum lacrymis, dicens.

2 Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ, misericordia, & veritas & iudicium.

3 Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea vel parentum meorum.

4 Quoniam non obediuimus præceptis Deut. tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & 28.13. captiuitatem, & mortem, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5 *Et nunc Domine magna iudicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, & non ambulauimus syncerè coram te.*

6 *Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum: Expedit enim mihi mori magis quam viuere.*

7 *Eadem itaque die contigit vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum & ipsa audiret improperium ab vna ex ancillis patris sui.*

8 *Quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox vt ingressi fuissent ad eam.*

9 *Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filiū, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.*

10 *Numquid & occidere me vis, sicut iam occidisti septem viros. Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculū domus suæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit.*

11 *Sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, vt ab isto improperio liberaret eam.*

12 *Factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dominum, dixit:*

13 *Benedictum est nomen tuum Deus patrū nostrorum: qui cum iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.*

14 *Ad te Domine faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo.*

15 *Peto Domine vt de vinculo improperii huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me.*

16 *Tu scis Domine, quia numquā cōcupiui virum & mundā seruauī animam meam ab omni concupiscentia.*

17 *Numquā cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui.*

18 *Virum autem cum timore tuo, non cū libidine mea consensi suscipere.*

19 *Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alii conseruasti me.*

20 *Non est enim in hominis potestate cōsilium tuum.*

21 *Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiā tuam venire licebit.*

22 *Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum, exultationem infundis.*

23 *Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula.*

24 *In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei.*

25 *Et missus est Angelus Domini sanctus Raphael, vt curaret eos ambos, quorum vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.*

COMMENTARIVS.

DVÆ Capite isto precationes, earumque effecta traduntur. *Precatio prior*, est ipsius Tobiæ, quæ in Latino & Græco facta dicitur, *cum suscepto dolore magno, & quadam etiam corporis ægritudine.* Continet porro *primò*, Præfatiunculam de admirabili diuinæ misericordiæ, veritatis atque iustitiæ coniunctionem in operibus omnibus. Viæ Domini dupliciter dicuntur. Primo eæ quas ipse nos ambulare vult: deinde eæ, quas ipse ambulat. Priores illæ sunt sanctissima eius præcepta, monita & consilia, quorum obseruatione ad extremum peruenire bonum possumus. *Custoauit*, ait Psalm. 17. Propheta. *vias Domini nec impiè gessi a Deo meo.* & Psalm. 36. *Expella Dominum & custodi viam eius, & exaltabit te.* Posteriores sunt ipsamet opera, quibus absque vllo motu, ad sibi propositum finem, sui videlicet nominis gloriam, adeoque se ipsum, Proverb. 16. ver. 4. tendit Dominus. vel sunt modi, quibus res ipsas eundem in finem, elicit. Priores sunt *misericordia, veritas, & iudicium*, quia vult Deus omnibus in actionibus nostris *misericordiam* quandam inesse, vt vel alios subueniamus, vel certe nobis ipsis: *veritatem*, vt conuenienter naturæ ac rationi, conuenienter etiam fini nostro, & si quid vlli dixerimus, dictis ipsis conuenienter agamus: *iudicium*, vt cuilibet, quod suum est, Deo, proximo, nobis ipsis tribuamus, prudenterque viuamus. Posteriores sunt item *misericordia*, quia semper ad intelligentis creaturæ commodum & vtilitatem, agit Dominus. Sunt *veritas*, quia nunquam à se ipso, qui summa veritas est, dissidet, suis in promissis constantissimus semper & certissimus est. Sunt *iudicium*, quia vnicuique semper quod vllo modo debitum, rependit. In æternis etiam inferendis suppliciis *misericordia* est, dum eorū qui puniuntur, aspectu, alios ad felicitatem adducit, & eos ipsos, qui cruciantur infinitis quam possent, cruciatibus afficit: eosdemque eorum ipsorum cruciatuum metu ab omnibus cruciantibus eripere volunt. Similia verò sunt illa Ps. 24. *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.* Ps. 18. *Prope es tu Domine & omnes viæ tuæ veritas.* Rursus; *Iustus es Domine, & rectū iudiciū tuū*, seu, vt 70. ver. erūt, *& recta iudicia tua.* Quod eo moneo, vt videam⁹ vnde S. Ephrem tom. 2. Paræ-

neſi 59. verba illa citarit, cum ait. *Tunc nos valde ingemiscentes, fletu exclamabimus amaro, dicentes, Iustus es Domine, & iudicia tua recta.* Non enim, quemadmodum qui magno cum fructu, Patrem illum interpretatus est, existimauit, hunc Tobiæ locum affert sanctus Ephrem: sed Dauidis verba, licet ambobus eadem sententia sit. Quam etiam ob causam, rectè huc S. Hilarij in tſade Psalmi 118. accersi monituncula hæc potest. *Indefessa & perseuerantis fidei necessarium est, vt immobilis in nobis & inconcussa confessio sit, ne vel aliqua temporum iniuria, aut persecutionum dolore commoti, deuotionis studium relaxemus, sed quando morbi vexabunt, passiones & cruciatus corporum desæuient, damna defatigabunt, luctus & orbitates affligent, semper vtemur his, quæ nunc Propheta vsus est voce, dicens:* IVSTVS ES DOMINE, ET RECTVM IVDICIVM TVVM. Sed, hic, in Græco Dei *opera omnia*, dicit Tobias ἐλεημοσύνας, id est, misericordias. & pro *iudicio* addit, *Iudicium verum & iustum iudicas in æternum.* Continet *deinde* petitionem vers. 5. cum peccatorum demissa confessione tam eorum, quæ ipsi, quam quæ maiores admisissent. Atq; hinc sumptum, quod ante Psalmos pœnitentiales Ecclesia vsurpat. *Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum* & cætera. Putandum tamen non est, pro mortuis orationē hic esse. sed tantum petitur, ne maiorum, etiamsi vita iam defunctorum, scelera viuis posteris officiant, in iisque vindicentur. Ita enim expresse textus Græcus. *Ne imputas ob peccata mea, & ob ignorantias meas patrumque meorum, quæ ipsi coram te peccarunt.* Itidem & in Hebræo est. Quomodo vero in liberos, ob patentum culpas, quandoque animaduertatur, dictum est Exodi 20. & Deuteronom. 5. idque præter Theologos, disputarunt etiam Couarruuias libr. 2. Var. relo. c. 8. Lipsius l. 2. de Constantia c. 16. Plutar. li. de iis, qui tardè à numine corripiuntur.

Altera precatio est Saræ, quæ *in Rhages* fuisse dicitur. Sed Medina lib. de recta fide cap. 14. & alii, legendum existimant, *in Ecbatanis.* Primo, quia cap. 19. ver. 3. alia vrbs erat, in qua Raguel iste habitabat, alia, in qua Gabelus. huius verò Gabeli vrbs cap. primo. c. 4. & 5. dicitur *Rhages Medorum.* Ipsius ergo Raguelis vrbs Rhages esse non potest. Secundo, quia Hebræi textus, & Græci omnes hoc loco legunt, *in Ecbatanis.* Et sanè fuit hoc loco Ecbatana intelligenda. nihilominus tamen legi potest *Rhages*, quod Ecbatana etiam *Rhages* vocentur in Græcis omnibus cap. 6. ver. 9. Et in Hebræorum altero *Rhigeu, aut Rhaigau*, vbi in altero rursum Ecbatana, eodem c. 6. legimus. vt satis appareat, Rhagæ, aut Rhagarum nomen Ecbatanis etiam tribui. Atq; id confirmatur ex prophanis etiam scriptoribus. Cum enim isti scribant, solitum Persarum Regem Ecbatanis æstatem transigere Xenophon lib. 8. Cyrop. l. 5. ἀναβαίνειν, AElianus l. 3. de animalibus c. 13. Curtius lib. 5. Strabo. lib. 15. hoc ipsum refert Athenæus lib. 11. ἐν ἐκβατάνοις, cum tamen li. 12. aperte etiam dixerit ἐν Ῥαγαῖς. Accedit, quod facilè id fieri potuerit, cum Rhagis vicina esset Ecbatana, vt ait lib. 19. Diodorus. Et Stephanus tradit, Ecbatana esse magnam Mediæ partem: facitque Asiæ tabula 5. Rhagianam, Mediæ regionem Ptolomæus. Vocantur à Stephano Agbatona, ab Othone Frising. lib. 7. hani, hodie Achatane Esbahan, vt in Synonymis monet Ortelius: à Pirkamero in cap. 2. lib. 6. Georg. Ptolemæi, Europus. De huius vrbis magnitudine Iudith. 1. vbi & eorum minuetur opinio, qui Taurisum autumant. Fuerunt & Ecbatana in Syria, de quibus lib. 5. capit. 29. Plinius, Iosephus in vita, Herodotus li. 3. Vide Bellarminum lib. 1. de verbo cap. 11.

In precatione verò Saræ consideranda quinque, eius scilicet, *causa, locus, modus, tempus, & precatio ipsa. Causa* fuit mœror, qui Græcè *ad suspendium vsq;* magnus fuisse dicitur, de quo postea. Mœroris causa fuit, ab ancilla, contumelia. contumeliæ verò, eiusdem ancillæ ira, iræ, adhibita reprehensio, &, vt ipsa irata in Græco & Hebraico exaggerat, verberatio. Quemaddum enim apud S. Augustinum li. 9. Confessionum cap. 8. ancilla irata, per conuitium, matrem illius *meretibulum* vocauerat: ita hæc Saram conuitiis affecit. Hæc conuitiorum istorum materia triplex fuit. Prima, Imprecatio sterilitatis versu 9. Secunda, Depravatio nominis Hebraicè. Aiebat enim ipsam esse non Saram, id est, principem, sed *Thasaram*, id est, afflictam & miseram. Tertia obiectio falsi criminis ver. 8. cuius occasio ex historia vera quidem illa, sed falsè ac indignè interpretata, extrahebatur. Illam enim viros septem interfecisse, procax obiectabat ancillula, cum eos non ipsi, sed Asmodæus interfecisset. Hic verò, in Latino textu præcisè vocatur *dæmonium*, in Græco conuncte, *malum dæmonium* τὸ πονηρὸν δαιμόνιον: in Hebræo *melach Hasshedim.* Sed hæc & quæ his connexa sunt alia, quæstiunculis explicanda.

I. QVÆSTIVNCVLA.

Cur Dæmonium, & non Dæmon, vocetur Asmodæus?

DÆmonas quasi δαήμονας, id est, scientes appellatos putat in Cratylo Plato, & approbant non Martinus modo, & in Timæum Calcidius, sed Lactantius etiam lib. 2. Divin. Instit. cap. 14. & D. Augustinus lib. 9. Ciuit. c. 20. Eusebius verò mauult à δαίειν

Universidad de Deusto
Biblioteca

terrere ac pauefacere nuncupatos. Alii δαίμονας δαΐους, quasi essent hominum δαιτυτὰς καὶ δαιτυμονας, id est, gubernatores. Eugubinus porro l. 8. de Philosophia c. 19. ab Hebræo nomine *Sdaim*, id est, euertores & vastatores dictos potius arbitratur. Cum enim ab Hebræis in Græciam nomina quam plurima fluxerint, & Latini Græcique vetusti diphtongos pronunciarent, videtur, vnius literæ detritu, ex *Sdaim* Daimon factus. Horum verius quidnam sit, etsi quædam perspicue mania, mea iam nihil interest. Sed cum δαιμόνιον diminutionis formam habeat, vt monuit Apologia cap. 32. Tertullianus, sitque veluti κοράσιον, πολίτιον, χωνάριον, id est, puellula, ciuitatula, runicella, de quibus Isaiæ 26. D. Hieronymus, num paruus minutusque dæmon Asmodæus erat? num inquam rudior & imperitior? num minus vel terribilis vel gubernans? num ad euertendum & vastandum lentior aut lenior? Certe, in furiali illa inferorum gente, regnum quoddam obtinet Asmodæus, vt infra magis patebit, vt per diminutionem, *Dæmonium* dici non debeat, nisi forte ad asium, ipso adhuc maiorem comparetur. Ideoque illud potius dicendum, esse diminutiuorum non pauca, quæ significationem nihil diminuant, sed plenorum nominum instar, vsurpentur, vti flagellum, scutella, cutriculum. Atque hoc ista voce ita certum, vt cum *dæmonas* forte septies scriptura nominet, *dæmonia*, pro iisdem, plus septuagies constituat. idemque faciat Plutarchus lib. de ijs, qui sero puniuntur, in Galba, & alibi, Demosthenes, Isocrates, Aristoteles lib. 5. Meth. c. 8. & lib. de insomniis.

II. QVÆSTIVNCVLA

Malum dæmonium, idem Asmodæus, cur vocatus?

APud Ethnicos habebantur dæmonum quidam boni, vti apud Psellum docet Chalcidius, Plotinus, & Porphyrius libro de responsis Philosophorum. Quin vero dæmonis nomine, Deum insigniebant, non quemcunque tantum minutum & patellarium, vt Homerus, Orpheus, Euripides, sed summum etiam, vt Plato, qui & ipse, quemadmodum Aristoteles, δαιμόνιος quasi diuinus, à Plutarcho lib. de liberorum educatione dictus est: Homerus vero à Dionysio δαιμονιοτάτους, prout notauit lib. 2. cap. 2. Rhodiginus. Et hinc sæpe apud scriptores ἀγαθὸς δαίμων, cuius à cœna calicem inferri solitum, refert Athenæus, & è contrario κακοδαίμων. Vt à bonis ergo dæmonibus distinguatur Asmodæus, posset quispiam eum opinari, à Græco textu non simpliciter *dæmonium*, seu *malum* appellatum, quemadmodum à nocturnis & loquacibus *meridianum* Psal. 90. & *mutum*, Matthæi 9. distinguitur. Attamen falsa hæc causa est. Licet enim, vt ait libro de Gigantibus Philo, & apud D. Augustinum lib. 9. Ciuitatis, cap. 19. Labeo, quos *Angelos bonos* dicimus, eos Ethnici *bonos dæmonas* dixerint, idque Platonica illa à rerum peritia & cognitione ducta origo ratio concedat, nunquam tamen vllos scriptura diuina, quæ bonos tam crebro angelos indicauit, bonos vllos dæmonas nuncupauit. Infame semper & tetrum dæmonis, dæmoniumque nomen in illa & exinde apud nos, imo, apud posteriores etiam Gentiles, habetur. adeo vt quem Plutarchus & alii *dæmonium Socratis*, dixerant, cum de eo Platonicus Apulcius librum scriberet, vsitatam inscriptionem erubuerit, & *de deo Socratis*, illum prænotarit, quemadmodum ait lib. 8. Ciuit. cap. 14. D. Augustinus. *Ita enim per sanam*, inquit, *doctrinam, quæ humanis rebus illuxit, omnes vel pene omnes, dæmonum nomen exhorrent, vt quisquis ante dissertationem Apulei qua dæmonum dignitas commendatur, titulum libri, de Dæmone Socratis, legeret, nequaquã illum hominem sanum fuisse sentiret.* Idemque lib. sequenti cap. 19. *Nos*, ait, *sicut scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, angelos quidem partim bonos, partim malos, nunquam vero bonos dæmones legimus. Sed vbicunq; illarum literarum hic nomen positum reperitur, siue dæmones, siue dæmonia dicantur, non nisi maligni significantur spiritus. Et hanc loquendi consuetudinem in tantum populi vsq; quaq; secuti sunt, vt eorum etiam qui pagani appellantur, & deos multos ac dæmones colendos esse contendunt, nullus fere sit tam literatus & doctus, qui audeat in laude vel seruo suo dicere, Dæmonem habes: sed cuilibet hoc dicere voluerit, non se aliter accipi, quam maledicere voluisse, dubitare non possit.* Addo vero etiam, à vetustioribus nonnullis, idem vocabulum, nudè sine vllius epitheti adiunctione, ita quandoq; sumptum, vt eosdem, quos dum illud audimus, ita intelligimus, significarint. Nam vt alia, quæ libro de philosophia octauo cap 15. collegit Eugubinus, præteream, lib. de his, qui sero à Deo puniuntur, Plutarchus impios, cum è vita excesserint, docet ad supplicium *trahi dæmonibus*. & in Galba, Centurionem induxit, qui milites grauissimè obiurget, quod ad Imperatoris proditionem toties, absque consilio & ratione vlla, absq; vllo meliorum delectu, sed *solo dæmonis alicuius impulsu*, ferantur. δαιμονῶν, inquit τινὲς ἕνεκα δοσίας εἰς σφᾶς δαίμων ἐκίνησεν. Non ergo discriminãdi à bonis Asmodæi causa, *dæmonium malum*, Græce vocatum est, sicut neq; Actor. 19. in Latino textu, dæmonium pessimum, licet in Græco, quia est, τὸ πνεῦμα τὸ πονηρὸν, discriminatio concedi possit. Spiritus e-

tus enim agnoscit scriptura bonos & malos. Vnde & eandem ob causam legimus ad Ephes. 6. v. 12. τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας, id est, spiritualia nequitiæ. Causa igitur epitheti huius vera est, q. quæ in simplici vocis alicuius notione latent, ea, alius alicuius nominis adiunctione, luculentius expromantur & patefiant, quemadmodum Deus O. M. dicitur *sol splendidus. Tyrannus crudelis, impura meretrix.* & tamen Deum, solem, Tyrannum & meretricem tantummodo si dicamus, illa etiam quæ reticentur, innoluimus omnia. Quare in Latino quidem hic, & in ipso etiam Græco infra cap. 6. dæmonium simpliciter: in Græco hic dæmonium nequã & improbum dicitur.

III. QVÆSTIVNCVLA.

Quænam Asmodæi eiusdem malitia?

DÆmonum omnium duplex malitia est. Vna culpæ dicitur: pœnæ altera. Πονηρία enim, vnde ipsi semper in scripturis πονηροὶ; vel vitiositatem & nequitiam importat, vel quemcunque cruciatum & ærumnam. Vtraque verò vel in dæmonibus ipsis est, vel ab ipsis. Sunt enim ipsi vitiosissimi, sceleribusque maximis & plurimis contaminatissimi: & vt nos homines iisdem contaminent, adlaborant enixissimè. Rursumque miseriis & supplicijs exquisitissimis & numerosissimis assiduè discrucientur & mactantur. nosque mortales vt quam miserrimos ærumnosissimosque faciant, vnicè auent, fatiguntque plurimum. Et sunt quidem è diuinis literis omnia hæc & certa & perspicua: sed eorum improbitas & maleficentia tanto testatior vt sit, ipsos, vt D. Aug. lib. 9. Ciuitat. c. 19. verbo vtar, *dæmonicolas* idem superioribus iam quæstiunculis testatos meminerimus. Qui Trismegistus dictus fuit Mercurius, libro, quod in solo Deo bonitas, *dæmonas*, ait, *in hominum animis serere*, τὴν ἰδίας τὸ σπέρμα, semen inquam, propriæ suæ vis & actionis. Sed quod illud? pergit enumerare μοιχείας, φόνους, πατροτυπίας, ἱεροσυλίας, ἀσεβείας, ἀγχόνας, κατὰ κρημνῶν καταφοράς. ἡ, ὅλως πάντα, ὅσα δαιμόνιον ἔργα, id est, adulteria, cædes, parricidia, sacrilegia, impietas, strangulationes, per præcipitia deiectiones, & mala alia omnia, quæ *dæmonum*, inquit *opera sunt.* Et apud Psellum Chaldæus eosdem vocat *terrestres feras*, Trismegisti discipulus Asclepius ἀγρίους πονηρούς Empedocles *detestabiles.*

——quos in Pontum deiecerit æther.
Pontus at in terram pellit, sed terra remittit
Ad solem rapidum, iis vbi sit conuersio cœli.
Ex alioque alius fugat, execrantur & omnes.

Atque hinc eorundem Gentilium furiæ, Atæ, Alastores, &, κάκαλοι, id est, sicarii & prædones, de quibus lib. 2. cap. 7. Rhodiginus. & idcirco censent nonnulli, nostra in precatione illud positum, *Libera nos à malo:* τοῦ πονηροῦ. Tota verò hæc malitia fuit Asmodæo, cum aliis inferorum monstris, communis, sed erat alia quædam ei propria & singularis, qua insignis veluti Iarco aliis præstabat. de qua in eius nomine infra. Hanc enim monstrat Græcus, dum non quomodo δαιμόνιον πονηρὸν nuncupat, sed cum intensiuo & exaggerante articulo τὸ πονηρὸν prout etiam noster intellexit Interpres, dum Act. 19. cum superlatione *dæmonium pessimum* vertebat & S. Prosper, dum libro de promiss. par. 2. c. 39. *Asmodæum dæmonum nequissimum* appellabat.

IV. QVÆSTIVNCVLA.

Melech hasichedim cur appellatus?

APud Hebræos Rex *melech*. dæmonia omnia, *schedim* appellantur Deuteronomii c. 32. v. 17. Psal. 105. v. 37. Vnde & pro singulari suo scilicet in Christianos amore solent, vt ab Antonio Margarita olim Iudæo memoriæ proditum est, Iudæi Germani venienti ad eos Christiano, per salutationis & officii speciem dicere: **Sched willkom** pro **Seidt willkom**. significat porro **Sched** prædonem & vastatorem. Nam Schadad est euertere, prædari & vastare. Isaiæ. cap. 16. 21. 22. 23. Ierem. 12. & 49. Ezech. 32. Psal. 16. Et merito id ipsum dæmonibus nomen indutum. Quid enim agunt aliud, quam vt domini hæreditatem deprædentur, sacrosanctã Ecclesiam peruastent, sempiternum animis nostris exitium afferant. Latrones sunt, in quos incidunt, qui Hierosolymis Hierichuntem proficiscuntur Lucæ. 10. qui solitarios incautosque mundi huius viatores omnibus, quas Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, cæteraque mysteria dederant, opibus dispoliant: iisdemque flagitiorum scelerumque variorum grauissimas plagas infligunt. Homicidæ sunt ab initio Iohan. 8. & bonorum, quæ diuinitus nobis data, depeculatores & vastatores funestissimi. vt per eos, & ab iis omnia gratiæ diuinæ, cha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ritatis, fidei, iustitiæ, sobrietatis, castimoniæ, cœlestis demum hæreditatis detrimenta, quæ illorum nomini conuenienter Schaden vocantur, importari dubitandum non sit. *Si quod*, ait apud S. Athanasium S. Antonius, *dæmones in pectoribus, malæmentis & pauoris semen inuenerint, quasi latrones, qui deserta obtinent loca, cæpros cumulant timores, & crudeliter imminentes infelicem puniunt animam*, Tam præclaræ ergo gentis Asmodæus Rex est. ipse scilicet latro, prædoque immanissimus. Quemadmodum enim quadrupedum animantium Rex, animans quadrupes est, auium auis, hominum homo: ita atrocissimorum tetertimorumque prædonum Rex, quis nisi atrocissimus, teterrimusque prædo? Rex verò dicitur, quia inter Dæmonas ordo est, vt alii præsint, subsint alii. Matth. 9. & 12. Mar. 3. Lucæ 11. *princeps dæmoniorum*, tam à pharisæis, quam à Domino commemoratur, & quin sit, nihil disputatur. Matth. 25. *Ignis æternus paratus est Diabolo & Angelis eius*. Apocalyp. 12. *Draco pugnabat & Angelus eius*. Probat hanc rem D. Thomas 1. par. quæst. 109. artic. 2. ex ipsorum natura, qua sunt alii aliis præstantiores, ideoque & quorundam actiones aliorum actionibus præsident, cum hæ naturam sequantur. Itemque Augustinus Niphus lib. 3. de dæmonibus, cap. 17. *Quemadmodum*, ait, *in corporibus cælestibus est ordo, qui determinatur per eorum operationes, sic & in dæmonibus. Et hoc dictat ratio naturalis. Omnis enim multitudo dictat ordinem, & maximè in perpetuis substantiis. Ergo ratio naturalis dictat aut quendam Dæmonem esse altioris gradus, quemadmodum Leo est altioris perfectionis formica, & Simia altioris operationis quam Leo: & Pygmeus quam Simia*. Quia tamen naturarum inter Angelos diuersitas non omnibus probatur: & quia, cum ab hominibus non differant homines natura, principatum tamen quendam obtinent, & verò quia, vt eidem D. Thomæ videri ait Molina, dæmonum, post iudicii diem vltimum, natura manebit, neque tamen principatus manebit, cur à fine, quem propositum dæmones habent, eorum Respublica, ordo, & principatus non arcessatur? Quemadmodum enim homines, vt vitam honestius, melius, commodiusque agant, Magistratuum sibi ipsis imperia & leges præstituunt: ita & hominum hostes dæmonia, illis, vt oportunius, grauius, infestiusque noceant principes, Regesque salutis humanæ spes omnis concideret, dum impediendæ *virtutem euacuaturus Christus Dominus*, 1. Corinth. 15. traditur, non à glossa tantum, quam ibidem laudat Molina, sed à Sereno etiam apud Cassianum collatione 8. cap. 14. Quæcunque verò dæmoniacorum ducum & principum causa statuatur, eos tamen esse, dum scripturam, Patrumque omnium consensum perspicimus, inficiari quis possit? Suggerit idem cap. 16. experientiam nimirum crebram, minimeque fallacem. *Regi*, ait, *immundos spiritus æquioribus potestatibus esseque subditos esse, præter illa scripturarum testimonia, quæ in Euangelio quoque, calumniantibus Pharisæis, Domini legimus responsione descripta: Si ego in Beelzebub principe dæmoniorum eicio dæmones: etiam perspicuæ visiones & experimenta sanctorum multa nos edocent. Nam cum vnus ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret aduesperascente iam die, antrum quoddam reperiens, ibidem substitit, vespertinam volens in eo synaxim celebrare. Vbi dum psalmos ex more sedisset, repente cepit cateruas dæmonum vndique confluentium innumerabiles intueri, quæ infinita confusione atque ordine longissimo procedentes aliæ præibant principem suum, aliæ sequebantur. Qui tandem aliquando & magnitudine procerior cunctis & aspectu terribilior aduenit: ac posito solio cum in tribunali quodam sublimissimo consedisset, & vnius cuiusque actus diligenter cepit examinatione discutere.* Quin verò & apud Lactantium lib. 2. Instit. cap. 14. Mercurius Trismegistus *Dæmonarchas* rum Hebræorum esse, Dæmonem quendam inter alios principatum tenere, qui propter velocitatem, dicatur *Reicheph*, vel ob maledictionem, cum Euam tentasset Genes. 3. Ait S. Chrysostomus, homilia de lapsu primi hominis, & homil. de Adam & Eua, *Sathaelem* appellat, & magi, vt idem Niphus subiungit, solent in virtute principis, Dæmonas alios excantare, & Ptolemæus lib. 1. de concordia orbis, cap. 8. dæmonum ait ordines esse nouem. Nimirum quia, vt ait D. Thomas 1. q. 63. art. 9. ad 3. & q. 109. art. 4. *communiter dicitur, ex omnibus Angelorum ordinibus*, qui nouem sunt, præcipitasse quosdam, & in dæmonas degenerasse, de quo videri etiam potest Cassiani collatio 8. cap. 8. Cæterum nisi vulgari receptoque more, loqueretur scriptura, non regnum sed meram iis tyrannidem tribueret, à quibus omnis abest iustitia.

V. QVÆSTIVNCVLA.

Sitne dæmonum omnium Rex Asmodæus?

NOn opinor quia ipse barathri Architirannus, in barathrum ita iam detrusus videtur, vt vel exinde quoquam egredi et non liceat, vel certe nonnisi ad exiguum aliquod tempus vt ait

vt ait lib. 4. moralium cap. 12. D. Gregorius, & probat Ribera noster Apocalyp. cap. 20. Qui enim omnium grauissimè deliquit, eum grauissima omnium pœna plecti consentaneum est. At vt alia multa sint, quæ dæmonas crucient, summa tamen, & à qua maximè abhorrent, iis carnificina est, in abyssum deiici, eaque inclusos teneri. Legionaria dæmonia Lucæ 8. v. 21. cum ex eo, quem ferocissime torserant & exagitarant, misero quodam extruderentur, in quodam veluti mœroris sui solatium, dominum quid rogabant? *Ne imperaret illis, vt in abyssum irent*. Et ab Exorcistis nostris, nulla pœnè furiis istis pœna infligi solet grauior, quam dum subitam in tartarum deiectionem comminantur. Asmodæus verò in Media commorabatur. in Raguelis domo pœnè habitabat. Præsto in Saræ thalamo semper aderat, dum noui ad eam sponsi accederent, &, vti postmodum audiemus, is ipse tandem in Aegypto, ad annos complures, religatus est. Deinde solet, qui in cæteros omnes dominatur, vocari *Lucifer*, Isaiæ 14. interdum etiam *Satanas*, Lucæ 10. & antonomastikῶς *draco & diabolus*, Matthæi 25. & apud Lactantium loco citato. Asmodæum vocari, nemo quod sciam, dixit hactenus. Postremò, quia cum tota ista caliginis natio numerosissima sit, adeo vt in vno interdum homulo legiones latitent, Marci 5. Lucæ 8. & ipsi omnium, qui sunt, hominum multitudinem superent, multi in ea Dynastæ ac Reges intelliguntur, vt necesse nihil sit, dum dæmoniorum Regem quempiam audimus, eum statim summum omnium Imperatorem existimare. verbi causa, dum *dæmoniorum Princeps* Beelzebub vocatur, Matthæi 12. dum cum maximis, quos Iob cap. 41. descripsit, terroribus *dæmonem principem* sæpe visum ait, apud S. Athanasium S. Antonius, dum ad eundem adductus est adolescentulus, *principalem habens dæmonem*, quem ad discipulum suum ablegans. dicebat, *Non est hoc meum opus. Nam contra hunc dæmonum ordinem*, principalem scilicet, *nondum sum donatus gratia. Sed hæc est Pauli gratia simplicis*, prout refert Palladius cap. 28. Sunt alia id genus plura.

VI. QVÆSTIVNCVLA.

Quorumnam Dæmonum Rex, idem Asmodæus?

VAria in genera possunt Dæmones tribui, sed duo iam satis. Vnum est à *locis*, in quibus ii commorantur, hominibusque insidiantur. Alterum à *vitiis*, ad quæ potissimum impellere & excitare connituntur. Ad illud pertinent, quos apud Psellum, Rhodiginum libr. 2. cap. 4. 5. & 7. Scaligerum exercitatione 355. Thargum Cantic. 4. v. 6. Thomam Cantipratensem lib. 2. cap. 57. num. 9. & sequentibus, vereres dixerunt igneos, aërios, terreos, aqueos, septentrionales, Australes, Persicos, Africos, tenebriones, σωρεῖτας αἱμονίας, id est, sepulchrales. Ad posterius vero, illi, qui apud Cassianum lib. 5. Instit. & sequentibus, item collat. 2. 5. & aliis, spiritus gastrimargiæ, fornicationis, Philargyriæ, iræ, tristitiæ, acediæ, cenodoxiæ & superbiæ. *Diuersa*, inquit apud S. Athanasium S. Antonius, & *partita Dæmonum nequitia est. Quidam enim ad summum nocendi verticem peruenere: alii ex comparatione peiorum videntur esse leuiores, atque omnes pro virium suarum facultate, diuersa contra singulas causas seu virtutes sumpsere certamina*. Serenus verò collation. 7. cap. 17. *Hoc*, ait, *nosse debemus, non omnes dæmones vniuersas hominibus inurere passiones. sed vnicuique vitio certos spiritus incubare, & alios quidem immunditiis ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, alios iræ furorique peculiarius imminere, alios pasci tristitia, alios cenodoxia, superbiaque mulceri & vnumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet, inserere*. Nihil equidem ambigo, quin ad plura flagitiorum genera eorum quilibet nos incitare possit, & quandoque inciter, iis tamen vnum potissimum, in quo singuli occupentur, & quod laqueos tendiculasque suas omnes conferant, propositum est, prout idem Serenus eadem collatione cap. 32. admonet. *Tot*, ait, *esse in immundis spiritibus, quot in hominibus studia non dubiè comprobatur*. Et enumerare deinceps dæmones quosdam ioculares & ridiculares: quosdam truculentos & noxios: quosdam vero tumidos & ambitiosos: mendaces nonnullos & blasphemos, qui hæreseon authores sunt. Tandemque præclara hæc verba subnectit. *Incensores etiam libidinum atque luxuriæ quosdam spiritus esse prophetæ commemorat, spiritus inquiens, fornicationis decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo. Nocturnos quoque siue diurnos ac meridianos Dæmones similiter scripturarum authoritas docet. De quorum diuersitate per longum est si volumus omnia scripturarum volumina perscrutantes sigillatim percurrere, qui per prophetam onocentauri, qui lamiæ, qui vlulæ, qui struthiones, qui erinei designantur, qui aspis, qui basiliscus in psalmo, qui leo, qui draco, quive scorpius in Euangelio nuncupetur, qui princeps mundi huius, qui rectores tenebrarum harum, quive spiritalia nequitiæ ab Apostolo nominentur. Quæ vocabula non casu nec fortuito indita illis debemus accipere, sed significatione istarum ferarum, quæ apud nos vel manus nuxiæ, vel magis perniciosæ sunt, illorum ferocitates rabiesq; distingui, & ex similitudine nequitiæ virulentæ seu principatus, quæ istis inter cæteras feras siue serpentes quadã excellentia malitiæ suæ confert, illos quoq; eorũ vocabulis nũ-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

supari, vt scilicet alius quidem ob vehementiam furoris & rabiem ferocitatis suæ, leonis appellationem alius basiliſci ob illud mortiferum virus, quod priusquam sentiatur interimit, alius vero ob teporem malitiæ suæ onocentauri, aut ericii nomen, struthionisue sortitus sit. Vide & S. Bernardum serm. 13. super Psalmum: Qui habitat. Asmodæus ergo Rex erat, primo quidem eorum tunc omnium qui Mediam, vicinasque fortè prouincias incolebant. Cum enim in Media versetur, vbi Regum, nisi in ea ipsa regione ageret? Num extra regni sui fines aut exul aut peregrinus Rex. D. Hieronymus lib. 8. in Isaiam, cap. 24. & in Danielis caput 10. eum Persarum principem, qui, cum Angelum bonum pugnare oportuit Danielis 10. fuisse censet dæmonem, qui infestam Persidem teneret, vt ex ipsius mente, videatur is fuisse vel Asmodæus ipsemet, vel similis quispiam Tyrannus. *Principem regni Persarum*, inquit Cassian. collat. 8. c. 13, *aduersariam potestatem esse, quæ fauebat genti Persarum, inimicam populo Dei minime dubitandum est.* Eademque Ruperti sententia est lib. 9. de victoria, c. 6. & seq. Erat præterea idem Asmodæus geniorum omnium Rex, qui ad libidinem, & carnis voluptates hominum genus inflammant, ita vt sit principalis ille omniumque importunissimus spiritus, quem paulo ante à prophera dici audiuimus, *spiritum fornicationis*. Intelligi siquidem id potest, ex ea, quæ ipsi c. 6. v. 17. concessa potestas est. *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum a se & sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet Dæmonium potestatem super eos.* Solent vero Dæmones eorum ipsorum quos deceperint, esse carnifices. Quos ante titillabant, iucundissimoque illecebrarum melle permulcebant, eosdem sæuissimis postea doloribus lancinant: aloe, pice, sulphure, aconitisque amarissimis excarnificant. ideoque & ipsorum etiam in quos potestatem acceperunt, Reges interdum dicunt Iob 41. v. 25. D. Cyril. Catech. 2. Rupertus lib. 5. Iustissimum enim diuinæ iustitiæ iudicium est, vt quos, præ Deo, audire & sequi maluerunt, ab iisdem ipsis debita mercede afficiantur. Quia igitur Asmodæum Regem Hebræus textus nuncupat, & eidem in libidinosos & salaces datum ius legimus, non inepta ratiocinatione colligitur, eius ad impurissimos illos dæmonas regnum pertinere, qui commouendis libidinibus, earumq; scintillis hac illac spargendis flagitiosissima sese nequitia manciparunt. Suffragatur & eius nomen de quo infra, & non paucorum sententia, qui dæmoniis mortiferorum criminum authoribus nomina dum imponunt, luxuriæ præpositum & dam è S. Francisci familia Hierosolymitano: sed qui suum Deo tantum nomen cognitum voluit.

VII. QVÆSTIVNCVLA

Sitne Asmodæus omnium, quæ vbique sunt, libidinis mancipiorum Rex.

POsset tamen quæri amplius, num qui certorum flagitiorum principes & Reges sunt, ii omnium, qui toto terrarum orbe, ad flagitia illa impellunt, principatum obtineant, an verò certis eorum iste principatus prouinciis ac regionibus circumscribatur. Si illud, magna illius erit potestas: plurimi ab eius nutu satellites vbique pendebunt: qui incredibili quadam celeritate totum terrarum orbem peruolent, ad eumque de flagitiis omnibus referant, idque sentire videtur D. Bernardus in Cantica serm. 59. vbi cum magnos tartarei Pharaonis Principes describeret, de hoc ea loquendi forma, qua sceleratum hominem scelus olim quidam dixerat, adiungit. *Luxuria omni immunditia & turpitudini carnis præst.* Si istud, erit quidem ipsimet omnes, qui criminis eiusdem Reges sunt, nomine vocitentur. Quemadmodum enim quisquis impiè, improbè, crudeliterque vel in extremis quibusdam oris, imperat, Nero aut Phalaris rectè dicitur, ita etiam Dæmonum quisquis est in Media, Perside, Græcia, Germania vel alibi obscœnis præsit voluptatibus, ad eaque per se suosque cupidines & genios prolectat, tum obscœnitates, impuræ tactiones, sordidæ cogitationes, prostibula, & quidquid fuliginosis illis voluptatum gurgustiis obtectum. Ad hunc Venetes omnes, earumque ministri, & instrumenta spectant, lenones, perductores, philtra, carmina, theatra, & quicquid flagitiosos incendere am res consuetuit. Hic ille quē Venereorum præsulem, & ζοης ἐ κωμάζειν, *Comum* vocari ait in Iconibus Philostratus. Huius imperio subditus erat ille, quem in S. Iustinum virginem immittebat Cyprianus, tum Magus, postea sanctus apud Nazianzenum orat. 18. ille, quem ad Virginem aliam expugnandam Gazensis adolescens, Magicis artibus, subter domus limen defixerat, qui à S. Hilarione interrogatus, cur in adolescentem ipsum ingressus non esset, *vt quid*, respondit, *intrarem in eum, qui habebat collegam mecum, amoris Dæmonem*, prout narrat S. Hieronymus in illo ipso S. Hilarione. ille item, qui quendam velut amoris furorem & insani-

niam pudicissimæ virgini apud S. Basilii vitæ authorem, excitauit, & ille, apud Palladium ca. 19. castam quandam coniugem, vt adultero conciliaret, tantas intuentium oculis præstigias effundebat, vt illa non fœmina, sed equa videretur. Et vt omittam, quas à fornicationis spiritu sibi exhibitas molestias apud eundem Palladium c. 87. refert Euagrius, hic ipse cœnosus ille spiritus est, qui plurimis importunissimisque puriſſimam adolescentis Antonii mentem cogitationibus polluere quondam, sed frustra studuit, adeo vt tandem *coram eo, qualis est merito, talis appareret & vultu, puer horridus & niger*, quemadmodum in ipso S. Antonio scripsit D. Athanasius, qui & ista lectu sane perutilia subtexit. *Dæmon ille ad Antonii segnitiem prouolutus, humana voce fiebat, dicens: Multos seduxi, plurimos decepi; nunc autem vt in cæteris Sanctis, ita & tua sum labore superatus. Quem cum interrogaret Antonius quisnam esset, qui talia loqueretur, ait, Ego sum fornicationis amicus, ego multimoda aduersum omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi, hinc & spiritus fornicationis vocor. Quantos pudice viuere disponentes fefellit quos tenuiter incipientes, ad sordes pristinas redire persuasit! Ego sum propter quem Propheta lapsos increpat, dicens: Spiritu fornicationis seducti estis, & reuera per me illi fuerant supplantati. Ego sum, qui te ipsum sæpe tentaui, & semper repulsus sum.* Huius, loco citato, Pharaonicum splendidumque currum ita describit S. Bernardus. *Luxuriæ currus, quadriga voluitur vitiorum, ingluuie videlicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otii, soporisque resolutione. Trahitur equis duobus, prosperitate vitæ & rerum abundantia: & qui his præsident, duo, ignauiæ torpor, & infida securitas, quia & copia in ignauiam soluit, & secundum scripturam prosperitas stultorum perdet illos, non sanè ob aliud, nisi quoniam male sectros reddat. Cum autem dixerint pax & securitas, tunc subitaneus superueniet eis interitus. Hic calcaria minimè habent, neque flabella, vel aliquid huiusmodi, sed pro his vtuntur parulo papilione, conopeo ad faciendam vmbram, & flagello ad citandum ventum.* Et sermone de septem Spiritibus. *Quoties*, ait, *importunè (vt assolet) carnalis cogitatio mentem pulsat. Verbi gratia, cum de potu, de cibo, de somno, cæterisq; similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes humano quodam inardescimus desiderio, certum sit nobis, spiritum carnis esse, qui loquitur, & tanquam aduersarium repellamus eum, dicentes. Vade retro Satana, quoniam non sapis ea quæ Dei sunt, sed magis sapientia tua inimica est Deo.*

VIII. QVÆSTIVNCVLA.

Vnde suum Asmodæus nomen acceperit.

HEbræi istum vocant Asmodai, & nominis causæ plures afferuntur. *Prima*, quod sit peccatum abundans, seu peccari abundātia, id est, nequissimus, & ad nequitiam homines vehementer solicitans, ab hebræis scilicet vocabulis, *Asham & Dai* quorum illud iniquitatem & peccatum, hoc abundantiam significat. *Altera*, quod perditor & vastator sit truculentissimus à *schamad*, id est, perdere & vastare Psa. 36. Deut. c. 2. 4. 6. 7. 9 alibi *tertia*, vt sit Asmodæus quasi metiens ignem, concupiscentiæ scilicet. diligenter notando quam ea impura sit, immoderata & inflammata. Nam *esch* est ignis, & *modach*, metus. *Quarta*, vt per Asmodæum significetur ignis Mediæ, quia in Media versabatur, & ibidem libidinem ignis inflammabat. D. Gregorius in 1. Reg. c. 15. *More*, ait, *ignis libido succenditur, & si neglegenter extinguitur, adiacens stipula velociter inflammatur.* Sunt vero causæ istæ omnes probabiles. Sed ea mihi ad veritatem accedere propius videtur, quæ quasi vastatorem Asmodæum indigitat. Solet enim non raro ad nominis efformationem præponi & in Arabico Siroque idiomate frequentissimè id fieri, supra iam indicatum. Et videmus alia fere dæmoniorum nomina ita in scripturis efficta, vt vel odium, quod erga homines acerbissimum gerunt, vel exitium & perniciem, quam iisdem, noctes & dies machinantur, subindicent. Hinc enim *Satan, draco, serpens, diabolus, sibed*, & Apocalyp. 9. v. 11. & Iob. 30. v. 22. Hebraicè *Abadon* Græcè *Apollyon* Latinè verò *exterminans* seu disperdens. Neque negandum, posse omnia in dæmonum singulos quodammodo conuenire, certis tamen de causis, vnum vni potius quam alteri tribui solet. Ideoque paucis deinceps exquirendum, cur tam execrabile, tamque terrum & funestum *vastatoris* nomen Asmodæus hic habeat. Nimirum, causæ duæ sunt. vna est quod per illud, cui præsidet, peccati genus, maxima plurimaque hominum generi vastitas inferri soleat. Patet enim libido per omnes prouincias, omnes omnium hominum ordines, ætates, status & sexus quam latissimè. ipsius pestis adeo præsens & noxia est, vt ceruicosissimam, nisi quam citissimè occurratur, perniciem afferat, eiusque ad hominum animos deuastandos adeo varii, multiplicesque modi sunt adeo tecti & blandi, adeo suaues & iucundi, vt mortalium vix sit, qui contagionis interdum aliquid non hauriat. Quemadmodum enim duæ hominis partes sunt, animus & corpus: ita duo vitiorum genera homini pestilissimum cognata, &, vt Cassiani collat. 4. cap. 7. nomen retineam, *insita* sunt, superbia & libido. Et illa quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidem in animo, hæc in corpore grassatur: sed tanto ista maiores strages edit, quanto plures maioresque omnibus illecebrosæ occasiones. Illa enim præstantiam quandam, vel veram vel animo saltem fictam requirit, quæ neque omnibus, neque semper adest, hæc vero carnem, quam omnes & semper vbique circumferunt, tantummodo postulat. Altera cur *vastator* meritò dæmon iste vocetur, causa est, quod iis ipsis, quos blandissimis olim voluptatum lenociniis permulsit, grauissima tandem tormenta imponat. Notum enim illud Apocalyps. 18. v. 7. *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Sane verò tristissimum suæ huius immanitatis exemplum in Saræ nostræ procis edidit: quos, vt olim libidine nimia inflammarat: ita crudelissimo postmodum mortis genere peruastauit.

QVÆSTIVNCVLA IX.

De Asmodæo, Iudæorum Rabbini quid?

ARithmeticum suo cuidam libro nomen imposuit Elias Leuites, eumque à 712. vocibus explicatis, Thisbi appellauit. In eo igitur, è Rabbinorum placitis, de Asmodæo tria memorat. *Primum*, è Nahema quadam, quæ Thubalcaini soror, Schimronis vxor fuerit: natum esse. Quatuor siquidem esse dæmonum matres, hanc ipsam Nehemam, & Lilith, quæ apud D. Hieronymum Isaiæ. 34. vertitur à Simacho Lamia, reliquas duas Ogereth & Machlahr. *Deinde*, eundem ipsum esse, qui in Thargum Iob. 18. alio nomine nuncupetur Samael. *Tertio* in versu, qui Ecclesiastæ primo est, *Ego Ecclesiastes fui Rex*, Thargum vertere, *Aschmedai malcà deschebidim*, id est Asmodæus Rex Dæmonum. Beniamin verò Iudæus Tudelensis, suo in Itinerario, ait in valle sub Libano sita, vbi in Pharaonis filiæ gratiam, Bagahlam condiderat Salomon, sibi visas eius palatii parietinas, quod non hominum, sed Asmodæi manu factum vulgo ferretur. Zohar verò, vt etiam sub tractatuli, de Salomonis pœnitentia, finem attigi, Salomonem regno expulsum, ab Asmodæo in solitudine detentum fuisse narrat: ius tamen interim ab eodem Asmodæo Salomonis schema induto, Hierosolymis dictum esse. At, si qui autem vel aures iis dent, nugiuendi egregii sunt Rabbini. Quæ siquidem Angelorum, quos vti postea etiam precans, in Hebræo textu, profitetur Sara, condidit Deus, matres? qui parentes? *Vna*, inquit D. Augustinus lib. contra Epistolam fundamenti c. 6. & serm. de pastoribus c. 8. *hæreticorum omnium mater est, vnaque omnes genuit, superbia.* Eodem prorsus modo, dæmonum omnium vna mater, vna genitrix, superbia, vt in D. Augustini Tomis explicat liber de salutaribus documentis c. 19. sed multo illud magis nugatorium, quod apud eundem Eliam, à Rabbinis memoriæ proditum est, Adamum centum & triginta (mendose, in Fagiana versione cétum & viginti) annos ab Heua separatum vixisse: tunc ad eum dæmones venisse, ex ipso concepisse: sicque illum dæmonum, spirituum & nocentium lemurum parentem factum esse. Quod verò, cum Salomone, Asmodæo negocij tantum tribuunt, videntur, quasi ænigmatixῶς effusissimam illius intemperantiam, nimiamque mulierositatem, qua sese huic luxuriæ dæmoni totum dediderat, accusare: & hoc quidem meritò, vt ex 3. Regum 11. & Ecclesiastici 47. intelligitur: sed fabulas comminisci quid opus? De Saræ igitur maritorum cædis effectrice causa hæc satis. suum postea locum tenebunt alia.

Secundum quod in Saræ precatione considerandum, est ipse *Locus orationis*, qui fuit *superius cubiculum domus*, seu cœnaculum, & Græce ἀνάβασις, *ad fenestram*. Solebant enim libenter, in superioribus huiusmodi locis, veteres orare. Iudith. 8. Daniel 6. Actorum primo 10. & 20. Christus Dominus in monte Luc. 6. Vnde & cœnacula habuerunt Elias 3. Regum 17. Elisæus. 4. Reg. 4. D. Hieronymus in Danielis c. 6. dicit iisiusmodi ὑπερῶα, καὶ ἀνώγαια. Latine dici, mœniana, cœnacula, tecta, solaria.

Tertium, Modus orationis, versu 10. fuit, cum lacrymis & ieiunio.

Quartum erat *tempus*. idem scilicet quo & Tobias orabat. Vtrique tribuitur totum triduũ versu 11. Sed *quæritur*, An in precatione, lacrymis & ieiunio totos, absque vlla intermissione, dies tres posuerit? Respondet Lyranus potuisse perparum quid intermittere, edere ac bibere, quasi nihil hoc ipsum æstimetur, ex 2. Physicorum c. 5. Melius tamen verborum proprietas retinetur, quemadmodum apud eundem ab aliquibus fit. Id enim naturaliter fieri potest, & sæpe factum, in mœrore, morbo, precatione, aliisque causis Lucianus de luctu tradit Græcos in funeribus, totum triduum, cibi nihil omnino cepisse. Et bonus Galliæ Poëta, Adrianus Turnebus, cum Calotum, à fortissimo duce Guisio, Anglis extortum panegyri celebraret, de Angliæ Regina scribebat:

Tres illam perhibent secretam ex ordine luces,
Et totidem noctes potu caruisse, ciboque
Ieiunis quarta vix faucibus admouet escam
Luce. - - - -

Eruor

Eruor orationis & prolixitas inducit obliuionem cibi & potus, inquit ipse Lyranus, & *sola oratione pinguescit, quam macies corporis pascit*, inquit Glossa.

Quintum considerandum est, *precatio* ipsa vers. 12. quæ tria complectitur.

Primum est proœmiolum laudationis diuinæ Num. 13. Nam, vt ait D. Ambrosius c. 2. Instit. Virg. *Bona oratio, quæ ordinem seruat, vt primo à diuinis inchoemus laudibus. Si enim cum apud hominem agimus, benevolum volemus iudicem facere, quanto magis, cum Dominum nostrum precamur? Primo ergo immolemus Deo sacrificium laudis.* In eo proœmio priora hæc verba: *Benedictum nomen tuum Deus patrum nostrorum*, copiosiora in Græco sunt, sic: *Benedictus es Domine Deus meus: & benedictum nomen tuum sanctum & gloriosum in sæcula. Benedicant te omnia opera tua in seculum.* Posteriora verò hæc: *Qui cum iratus fueris, misericordiam facies*, & quæ ad versum vsque 14. sequuntur, ab eodem quidem Græco absunt, pulchram tamen institutæ iamiam laudationis causi ostendunt, admirabilem Dei scilicet, in ira remittenda, misericordia præstanda, peccatis ignoscendis, clementiam. Quocirca & cap. 2. Ecclesiasticus, *Pius* ait, *& misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata.* Rursumque cap. 3. *In die tribulationis commemorabitur tui Dominus, & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.* Peccatum verò & si propriè culpam, non raro tamen in scripturis vel pœnam, quæ ipsi debetur, vel causam eiusdem significat: vt Zachariæ vltimo v. 19. *Hoc erit peccatum Aegypti & hoc peccatum omnium gentium*, id est, pro peccato *pœna*, seu vt paulo ante ibidem v. 12. & 18. *plaga & ruina.* Threnorum cap. 4. *Completa est iniquitas tua filia Sion*, id est pro iniquitate *pœna*, ideoque additur: *Non addet vltra Dominus, vt transmigret te.* Ad Romanos 7. *Lex peccatum est?* id est, peccati *causa*, & respondetur: *Absit. Deus ergo in tempore tribulationis, dimittit peccata*, id est, culpas earumque pœnas tam æternas, quam temporales. Sed certis tamen hominibus, & certo quodam modo. Alioqui, quam variis vari calamitatibus diuexantur, neque suorum idcirco criminum veniam consequuntur? *Dimittit* sane *peccata Deus*, Sed *iis*, ait Sara, *qui inuocant te.* Atrursum inuocant illum non pauci, neque iis, vel culpæ vel pœna condonantur, vt fuit Antiochus 1. Machab. 6. lib. 2. cap. 9. & ille de quibus Prouer. 1. v. 28. *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient me.* demum illi, de quibus Isaias cap. 1. v. 15. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Certus igitur inuocationis modus adhibeatur, oportet cum fide scilicet diuina, vero animi dolore, sincero vitæ corrigendæ proposito, religiosa etiam eorum, quæ ad peccatorum expiationem, præscribere Deus voluit, susceptione, cuiusmodi olim erant sacrificia nonnulla, aliæque cæremoniæ, hodie sacramenta nostra. Qui sic inuocauerint, iis à Deo peccatorum venia est. & quidem *in tempore tribulationis* maximè, quia hæc ipsa moderatè patienterque tolerat, satisfactionis vim quãdam obtinet, plurimumque, per inuocationem illam, accidit ur, & imminuitur. Vnde in graduum Cantico propheta regius Psal. 119. *Ad Dominum cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me.*

Alterum quod complectitur Saræ precatio, est petitio v. 14. 15. cuius ratio triplex apponitur. *Prima*, à precantis ipsius conditione, dum Hebraicè & Græcè sese refert puram ab omni viri peccato, sese que vnigenitam, & patri nullum esse filium, neque fratrem aut propinquum aut cognatum, cuius filio nubere possit. Ita enim ipsa putabat. In nostro textu, de se ipsa quinque proponit v. 16. 17. 18. non se ipsam iactando, aut maniter gloriando, sed Dei dona, vt ipsum magis moueat commemorando, quod etiam Dauid in Psalmis facit, Ezechias, Isaiæ 38. Ieremias cap. 15. Mardochæus cap. 13. Esther. illorum primum est, *nunquam concupiui virum.* concupiscentia, quæ scilicet immoderata & peccato coniuncta esset, de qua & alterum est: *mundum seruaui animam meam ab omni concupiscentia*, non viri tantum sed omnium aliarum voluptatum. Tertium. *Numquam cum ludentibus miscui me.* per ludum illum intelligit Hugo choreas, quas *patet*, inquit, *peccatum esse*, quasque apud Cæsarium lib. 4. cap. 11. pius admodum vir *ludum Diaboli* appellat. Et verò sic ludendi verbum accipitur etiam Exodi 32. 1. Corinth. 10. Satius tamen, huius verbi generalem significationem retinere, vt omne puellaris ludi, & lasciuiæ genus amplectatur, quemadmodum aiebat Mostellaria Plautinus nescio quis. *Seu solere illam statuem talos ludos ludere*, vel potius quemadmodum apud D. Gregorium lib. 4. Dialogorum, cap. 17. hortabatur Musam virginem Virgo beatissima, *vt nihil vitæ laue aut puellare ageret, locis ludicque abstineret.* Vnde sanctus etiam Ieremias, cap. 15. *Non sedi*, ait, *in concilio ludentium & exsultaui, qui futura non cogitant.* Sic etiam Psal. 25. Dauid, *Non sedi cum concilio vanitatis.* Quarum quod de se refert Sara, est. *Neque cum his qui in leuitate ambulant, participem me præbui.* Quintum & postremum, *Virum cum timore meo non cum libidine mea consensi accipere.* Sunt hæc puellarum omnium, earum etiam, quæ cum Sara nuptias iamiam destinantur, ornamenta longe pulcherrima, quibus tamen multo magis eos, quæ sese Deo vel consecraturæ sunt, vel ia consecrarunt, excellere oportet. vti pluribus exponunt D. Hieronymus epist. ad Demetriadem, ad Saluinam, ad Eustochium, alibi: D. Ambrosius libro exhortationis ad Virgines, libro Institutionis Virginis, & libris tribus de Virginibus: D. Bernardus

toto

Universidad de Deusto
Biblioteca

toto pœnè libro ad sororem de modo viuendi, maximè sermone 57. 58. 59. & sequentibus. *Altera* Saræ, vt Deum exoret, ratio est v. 19. à diuinorum decretorum veneratione, quæ etsi occulta & mirabilia, optima tamen semper & rectissima sunt. Videtur ait, à te ô Domine, decretum vt in coniugio sim, & quidem cum pari aliquo, id est, bona cum bono, vt & ego illo, & ille me dignus sit. Nunc vero vel ego non bona, maritisque mihi hactenus datis digna non fui, vel ipsi forsitan mali, meque indigni fuerunt. quia mihi amore omnes erepti, idque quia me viro forsitan alii, qui melior, mihique moribus & vita similior sit, reseruasti. Et dico iam bis *forsitan*, quia cur isti desubito sic mortui sint, & num alii, & cui viro me reseruatã velis & si aliquid suspicor, te tamen vera ignoro. *Non est enim in hominis potestate consilium tuum*, quo sapientissimè quidem & optimè, modis tamen obscurissimis & latentissimis, nos mundumque totum gubernas. Tibi ergo me summitto, comitoque toram. Prout diuinæ tuæ maiestati visum fuerit, ita fiat. Hæc mihi orationis huius vis videtur. in qua notandum, ea Deo maximè probari coniugia, in quibus morum similitudo bonorum est. Deinde, quam de seipsa senserit Sara demisse, quæ & si de suis aliquid virtutibus verè iam attigerat, suis tamen ille maritis se non anteponit, non in eos repentinæ ipsorum mortis causa confert, non eorum leuitatem & proteruiam, quam ex aliquo, vt videtur, verbo vel gestu cognouisse potuerat, accusat. Præterea quam illud Ecclesiastæ cap. 9. v. 1. verum, *nescire hominem vtrum amore, an odio dignus sit*. Licet enim tantæ integritatis, quantam paulo ante memorarat, esset Sara, per disiunctiuas tamen & dubitatiuas particulas. *Aut ego*, ait, *indigna fui illis, aut illi forsan me non fuerunt digni*: quemadmodum S. Paulus 1. Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est*. Notandum denique, contra humani arbitrii libertatem, nullum hinc telum vibrari. Quod si & ex dictis perspicuum, addo tamen *consilium* Dei vocari, non, cuiusmodi in nobis est, sollicitam nutantemque de re quapiam agendam inquisitionem, sed id, quò inquisitio ista peruenire tandem cupit, iudicium & decretum. Id verò rursum consideratur vel in Deo ipso est, vel pro rebus ipsis, de quibus consilium est, quod obiectiuè vel terminatiuè consilium vocant. De priori satis constat non loqui Saram, cum eo modo, consilium sit ipsemet Deus, quem in nostra potestate non esse si illa diceret, quorsum quæso diceret? sed posterius consilium vel vniuersè, prout vniuersi totius ordinem, rerumque omnium gubernationem complectitur, vel singillatim pro singulis rebus accipi potest. Licet enim hæ in toto vniuersi ordine comprehendantur, aliter tamen spectantur singulæ, quasi à magno illo corpore auulsæ, aliter prout in eo toto sunt. rursumque istiusmodi res, aut sub actiones nostras cadunt, aut non. Sara igitur Dei consilium vocat res ipsas à Deo decretas, partim vniuersè sumptas, partim singillatim eas, quæ sub actiones nostras haud veniunt, vt viros illos è medio tam repente sublatos esse, ignoto sese cuipiam reseruari, idque ad maiorem Dei gloriam, cuius tamen modum ipsa nondum videat. Sic enim & Ecclesiastes cap. 8. v. 4. *Sermo Dei potestate plenus est: nec dicere ei quispiam potest: Quare sic facis?* Cum ergo dixerit quispiam. *Non est in hominis potestate Dei consilium*. At quidquid agimus, est Dei consilium. Ergo nihil, quod agimus, est in hominis potestate, respondebis in propositione *consilium* accipiendum non vniuersaliter vti loquuntur Dialectici, sed vt exposui, vniuersè & singillatim, pro iis rebus, in quas nostra non porrigitur actio, eoque modo assumptionem esse falsam. Quin vero arbitrii nostri libertas non modo hic non minuitur, sed inuitur potius. Dum enim ait Sara, *Non esse in hominis potestate Dei consilium*, nonne subindicat in hominis potestate, hominis consilium? quod intento, vt aiunt, digito indicat Ecclesiasticus cap. 15. v. 14. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui*. De quo loco aduersus Caluinum libr. 2. Instit. cap. 5. 9. 18. ita libro de gratia & libero arbitrio cap. 2. D. Augustinus, *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium*. Iam *tertia* Saræ ratio v. 21. est à magna & manifesta diuina bonitate, quam fide certa nobis, in afflictis etiam rebus, præstari credimus, & declaratur dupliciter: *primo* ex fine, ob quem bonis interdum vitæ acerba quædam immittit Deus, eumque breuiter triplicem Sara ostendit, vt scilicet illi *probentur*. quemadmodum Sapientiæ 3. v. 6. Iob. 23. v. 10. deinde *tribulentur*, seu molestia quapiam exagitentur, & è quodam veluti torpore ac veterno excitentur, postremo vt *corripiantur*, & omnes insigne quodam exinde comodum referant, primi quidem *coronam*. vti etiam dixit S. Iacobus 1. v. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Et sic 2. Timoth. 2. v. 5. cap. 4. 8. 2. Pet. 6. 4. Apocalyp. 2. 10. cap. 3. 11. Rom. 5. 4. Secundi verò *liberationem* adipiscuntur, seu veram libertatem, dum variæ ipsius peccatorum ansæ, quas bona corporis valetudo & pulchritudo, rerum affluentia & securã quædam quies affert, subducuntur: *Qui enim facit peccatum, seruus est peccati*: Iohan. 8. 34. Sed & cum diuinæ bonitati ita visum ab omnium etiam mundi huius malorum seruitute liberantur, quod in votis vtique illi, qui Rom. 17. clamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*? In Psalmum: Qui habitat, serm. 10. D. Bernardus: *Optandum*, ait, *nobis est ab vtroque liberari: sed cauendum sane interim magis peccati pœnam, & eo studiosius à malo, quam à flagello declinandum, quo perniciosius & omnino infelicius sit, à* DEO *animam quam à corpore separari*. Tertius porrò, vt peccatorum, in quæ impegerant; maculas pœnasq; omnes penitus deterant, reposita *misericordia* est. Est enim quarumlibet acerbitarum concursus, quoddam veluti verber, quo mitissimus proteruientes natos pater corripit. Nam, *correptio* hic v. 21. cum Romana editione legenda videtur ex cap. 13. infrà vers. 5. Psal. 37. 38. 98. Prouerbiorum 1. Sapient. 1. Iudith 8. Iob. 5. 2. Machab. 6. & 10. Ephes. 6. Si tamen cum aliis quibusdam libris *corruptio* legeretur, quemadmodum Ionæ 1. intelligenda esset via ad corruptionem, prout apud Iob 33. v. 22. *Appropinquauit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis*. & 24. *Libera eum vt non descendat in corruptionem*. v. 28. *Liberauit animam suam ne pergeret in interitum, sed viueus lucem videret*. Eadem porro DEI bonitas declaratur *secundo* ex diuina cum beneuolẽtia tum beneficentia. *Non enim delectatur in perditionibus nostris*. Quæ, obsecro, architecto, ex eorum, quæ construxit, ædificiorum ruina, voluptas? Quæ figulo, ex eorum, quę finxit, vasorum confractione? DEVS, ait Sapientiæ liber cap. 1. *mortem non fecit, non lætatur in perditione viuorum*. Apud Ezechielem cap. 18. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impij dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* & v. 32. *Nolo mortem morientis dicit Dominus* DEVS, *reuertimini & viuite*. *Omnes*, ait S. Paulus 1. Timoth. 2. *Homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. At Isaiæ 1. *Ego consolabor super hostibus meis*. & Prouerb. 1. 26. *Ego*, ait Dominus, *in interitu vestro videbo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit*. Loquitur *ad hominem*, hominum scilicet more. quippe, si verbi causa, cæcum videant in foueam ac lutum pergentem, eum, vt caueat, aliamque viam teneat, admonent. Si verò ille admonentes contemnat, & porro illabatur, seque insigniter lutulet, rident & cachinnantur. non quod ipsius casu & sordidatione simpliciter oblectentur, (cur enim alioqui præmonuissent?) sed quod veritate ac iustitia, quæ in obstinati cæci huius lapsu apparet, gaudent veræ suæ admonitioni reipsa testimonium tam reddi, gratum iis, illius vecordiam & arrogantiam castigari. placet huius exemplo moneri omnes, vt sint bene monentibus obsequentiores. Neque vero vnis animorum exitiis, quæ vera sanè mala sunt, non delectatur DEVS, sed nec aliis vllis, quæ vel exilem duntaxat homini molestiam afferunt, non inopia, non facultatum amissione, non morbo, minimaue alia vlla doloris morsiuncula, nisi quatenus maiora & veriora ex iis bona progignuntur. Et fortè, vt interiora exterioraq; tam animi quam corporis & fortunæ mala complecteretur, non *perditionem*, sed *perditiones*, dixit Sara, prout in simili notat serm. 40. in Cantica D. Bernardus. & serm. 11. *Necesse*, ait, *habet homo clamare ad Dominum, non de necessitate, sed de necessitatibus meis erue me*. Quæ verò adduntur, *post tempestatem, tranquillum facis*, nõ illud modo vulgare sonant, *post nubila Phœbus*, sed multò magis, quod Psal. 125. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*. Et Apocalyp. 7. ac 21. *Absterget* DEVS *omnem lacrymam ab oculis eorum*. Iob. 5. *Ipse vulnerat, & medetur: percutit & manus eius sanabunt*.

Tertium tandem in precatione Saræ, clausula est v. 23. *Sit nomen tuum*, DEVS *Israel, benedictum in sæcula*. Non est ea clausula in Græco & Hebræo. Cum enim longa & triduana precatio ista fuerit, alias atque alias ex ea particulas excerpsit Chaldæus, Latinus, Hebræus & Græcus.

QVÆSTIO.

An recte mortem orarint Tobias & Sara?

VIDETVR nimia eorum ex ærumnis, verborumque contumeliis tristitia, præsertim, quod ad suspendium vsque Sara, vt Græcus textus ait, mœreret, adeo vt de præfocanda seipsa cogitaret, seu vt Hebræorum alter ait, vt quæreret, aut cuperet seipsam strangulare. Aduertenda tria. PRIMVM, tantum esse nonnunquam malorum concursum, vt sanctis hominibus afferat mortis, quasi minoris mali, desiderium, quoad appetitum inferiorem simpliciter, quoad superiorem verò, cum conditione, *si* DEO *placeret*. Sic Moyses Exod. 32. Elias 3. Regum 19. Iob cap. 3. vers. 15. *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea*. & Diuus Paulus 2 Corinth. 1. *Supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt taderet nos etiam viuere*. ALTERVM; Quod desiderare licet, hoc idem, eãdem cum conditione, à DEO petere fas, vti etiam cautissimè prudentissimeque faciebat apud Possidonium cap. 29. D. Augustinus. Cum enim ab hæreticorum exercitu ipsius vrbs obsideretur: *Noueritis*, aiebat, *me, hoc tempore nostræ calamitatis, id* DEVM *rogare, vt aut hanc ciuitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur, aut, si aliud ei videtur, suos seruos ad perferendam suam voluntatem, fortes faciat, aut certè, vt me de hoc sæculo ad se accipiat*. Vide Ecclesiasticum cap. 30. ver. 17. & cap. 40. ver. 29. Plinium cap. primo, lib. 26. Espencæum post S. Chrysostomi dissimilitudines. TERTIVM. Magna & multa Tobiæ Saræque mala obuenerant, siue quoad se illa spectentur, siue quoad personas, tempus, alias que circumstantias. Mortem igitur ambo, sed moderatione, quam dixi, adhibita, precabantur. Ideo enim sibi ipsi manus neuter affert: ad DEVM rem totam vtrique refert: vnam eius voluntatem sibi & viuendi & moriendi normam constituit. Neque Saræ eò infamię processit, vt vel interiore voluntate in suspendium consentiret, vel ipsum idem deliberatè quæreret, prout etiam neque sanctus Iob, sed tantummodo, ad hoc quærendum & cogitandum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulisset animum eius tristitiæ grauitas & magnitudo: et tamen tentationi recta eius ratio. Nam cùm alij, tum hæc ipsa, quæ in Græco scribuntur, secum locuta est; *Vnica patri meo sum, illud si faciam, ipsi dedecus sempiternum erit, & præsentissima mortis occasio, quia eius senectutem cum mœrore ad inferos deducam*, id est, ad mortem seu sepulchrum, vt cap. 6. vers. 7. Et in Hebræo dicit ipsa; *si tibi bonum visum, si ego sum indicium à conspectu tuo. si nolueris, me interfice.* Sed notanda de iis, qui in rerum aduersitatibus mortem precari solent; D. Augustini oratio de verbis Domini, sermone 17. *Nonne audimus & videmus homines, in aliquibus tribulationibus & angustiis, & conflictationibus, & ægritudinibus dum sunt constituti, & videntes se laborare, nihil aliud dicere, nisi.* DEVS *mitte mihi mortem, accelera dies mori; Ecce adsum, quam paulò ante à Domino petebas. Quid me modo fugere vis? Inueni te falsatorem & mitidem.* Sanè apud S. Cyprianum lib. de mortalitate c. 7. tales increpat Angelorum quidam dicens: *Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?*

ALTERA CAPITIS PARS.

De Tobiæ Saræq; precum effectis.

PRecationis effectum duplex fuit, verum scilicet vnum, putatum alterum. De hoc agitur capite sequenti. Sed verum illud tripliciter exponitur. PRIMO ex cap. 12. vers. 12. vbi dicuntur preces DEO, ab Angelo Raphaële, oblatæ. Libet enim, ordinis, lucisque maioris causa, illud huc illine transferre.

QVÆSTIO I.

De RAPHAELIS nomine & causa.

NON est, vt annotat epistola 68. S. Bernardus, in eo beatorum spirituum perfecta posita cognitio, vt Michaelis, Gabrielis, Raphaelis norim nomina: est tamen hoc ipsum aliqua eius cognitionis prolutio & exordium. Ab eo igitur inchoemus. Valet *rapha* Hebraicum, curare, mederi, parcere, ac remittere: *el* DEVM significat, ideoque Raphaëlis nomen vertitur aut *curans* DEVS, aut *ignoscens*, aut *curatio seu medicina* DEI, vt aiunt D. Gregorius hom. 34. D. Hieronymus in Danielis c. 8. Isidorus lib. 7. Orig. cap. 5. Magister sentent. 2. distinct. 10. Quocirca post hoc nomen primo & perfectissimè DEO conuenire, qui cum sit *el*, crebrò etiam *raphe* in scripturis dicitur. Exodi 15. v. 26. *Si audieris vocem Domini* DEI *tui, & quod rectum est, coram eo feceris, & obedieris mandatis, custodieris omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te. Ego enim sum Dominus* DEVS *tuus Saluator tuus.* Hebraicè *rophecha*, id est, sanans te. seu vt in Græco, ὁ ἰώμενός σε, est, *sano te. die tertio ascendes templum Domini*, & v. 7. Psalm. 29. v. 3. & Psalm. 39. v. 5. *Raphaah nafschi: sana animam meam.* & sunt similia Psalm. 59. v. 4. Psalm. 120. v. 3. Psalm. 106. v. 20. Isai. 6. v. 10. c. 19. v. 22. c. 57. v. 29. Hoseæ 11. v. 3. Genes. 20. v. 17. Ierem. 27. v. 14. Deinde per quandam medicæ virtutis largitionem, & impositum à summo illo Medico munus, Angelus iste, Raphaël nuncupatus est, vt sit hoc loco idem dicendum, quod à S. Bernardo dictum, cum de S. Gabriele; qui DEI virtus aut fortitudo exponitur, ageret sermone primo super Missus est: *Non*, ait, *dedecens aut incongruum videatur, dominum & nuncium communi censeri vocabulo; cum similis in vtroque appellationis non sit tamen virtusque similis causa.* Hinc ergo canit in S. Machaëlis laudum hymno, Ecclesia. O CHRISTE

Angelum nobis medicum salutis
Mitte de cœlis Raphael, vt omnes
Sanet ægrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.

Apud S. Augustinum serm. 226. ait ipse Raphaël: *Ego sum minister curationis;* DEVS *est auctor sanitatis.* D. Hieronymus loco citato: *Vbicunque*, ait, *medicina & curatio necessaria est, Raphael mittitur, qui interpretatur curatio vel medicina* DEI, *hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod sit medicina vera.* Hebraicus textus paulo infra: *Misit*, ait, *Dominus Angelum Raphaelem Principem curationibus præpositum, siue, qui sanitatum præses est.* Vnde & in Romano Missali, quod Anno 1520. Parisiis editum; Missa est de S. Raphaële, pro ægrotantibus & peregrinantibus. Ab his enim, & à Medicis, quos in Hebræo vocat Scriptura *rophim*, Genes. 50. v. 2. Ieremiæ 8. v. 22. 2. Paral. 16. 11. meritò sanctus iste Angelus colatur & inuocetur. ab illis quidem, vt salubertima huius operæ proficiscuntur, terminum rectè perueniant: ab his vero, vt arduum & difficile medendi munus, ea præside atque adiutore, diligenter feliciterque obeant. Quod si eum ad finem rectè S. Cosmas & Damianus, S. Sebastianus, aliiq; cœlites inuocantur, quidni & S. Raphaël? Videas ex iis, quibus hodie

hodie vel sanctorum putet, vel Musarum nimium placet inuocatio, Hygiæ nescio cui, Æsculapio & Apollini vota, pro sospitate, facere, adeò vt horum quidam æger, DEOS ita istos, prout in Epigraphe monuit, alloquatur.

Magne minorq; DEI. quamquam mihi magnus vterq;
Magne pater. solo sed patre nate minor.
Aspice me dulcis linquentem luminis haustus.

Sed de Raphaële, quâ itinerum dux sit; postea.

QVÆSTIO II.

Equonam Angelorum ordine Raphael?

CAluiniani Wittakeri hæc ad Catholicos, libro contra Edmundum Campianum fol. 17. oratio est, *Hierarchias vestras graduq; multiplices Angelorum libenter ignoramus, atq; hanc scientiam vobis omnem permittimus.* Rursumque lib. primo contra Duræum fol. 63. *Omnis illa cœlestium regionum ac functionum descriptio Dionysiana, nullis scripturarum testimoniis nititur. ingenium curiosum delectare poterit: mentem non poterit firma fide solidaque scientia stabilire.* Ideoque facile quæstionem hanc nouus ille Theologus excuteret, Magistro suo Caluino lib. primo instit. cap. 14. §. 8. pænè audacior. Videlicet, qui tantam, in terra, ordinum, rerumque omnium perturbationem excitarunt, eos cœlum etiam aggredi, & omnem ex eo ἰσονομίαν exterminare oportebat. Scripturarum verò pro istis ordinibus affatim vel vnus Paulus suppeditat. Ephe. 1. Coloss. 2. & 1. ad Corinth 15. quemadmodum S. Gregorius hom. 34. ostendit. Neque solus Dionysius. (et si ad eum vnum Wittakeri & Caluini omnes ne pili quidem sunt) illos docet, sed & Damascenus, Isidorus, Bernardus, Origines, Athanasius de Deipara, &, quem pro se citare audet Wittakerus; S. Irenæus. lib. 2. cap. 54. legique potest D. Thomas 1. q. 108. apud quem, ex scripturarum Patrumque sententia, tres Angelorum Hierarchiæ, & chori, seu ordines nouem statuuntur. eaque veterum Hebræorum sententia fuit, quam veluti certam, omnibusque receptam subinde attingit D. Paulus, & à Iudæis mutuatus etiam est Iamblichus lib. de mysteriis. Nam quod Æthiopum Canon vniuersalis Angelorum ordines 99. enumerat, allusio est ad illas 99. oues vt vnam perditam requireret à Pastore nostro Christo IESV relictas. Eas enim Angelos esse bonos dixerunt Irenæus l. 3. c. 21. Ambrosius apolog. Dauidis c. 5. Gregorius hom. 34. alij, quorum edit nomina Maldonatus noster Matth. 18. Cæterum de Raphaële duas refert opiniones Magister sententiarum lib. 2. distinctione 10. Vnam; esse ipsum ex ordinibus altioribus: alteram ex infimo. Et hanc sequitur eo loco Diuus Thomas, dicens Michaëlem ex ordine Principum esse, Gabrielem ex Archangelorum, Raphaëlem ex Angelorum. Vnde & quendam, qui eo progressus est, legi, vt diceret, proprium & tutelarem Tobiæ Angelum fuisse Raphaelem. Vidi & alium, qui è virtutum ordine ipsum fuisse doceret. Noster verò Blasius Viegas, qui post primam horum editionem editus est, in c. 12. Apocal. sect. 28. *Michael*, ait, PRO CVI DVBIO *ex supremo fuit ordine suprema hierarchiæ, hoc est, ex seraphim.* fol. 551. At sane proprium Tobiæ vel etiam Saræ custodem non fuisse, perspicuum ex eo videtur, quod ipsi Tobiæ vel Saræ antea non adesset, sed ad eos missus tùm fuerit; cum preces ambo suas ad Dominum fudissent. Sic enim c. 3. v. 25. *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi* DEI, *& missus est Angelus Domini sanctus Raphael, vt curaret eos ambos.* Iam c. 12. v. 15. non se tutelarem eorum Angelum ait, sed vnum è septem, qui astant ante Dominum. Ordinis vero cuiusnam sit, minus explanatè significatum. Archangelum tamen fuisse crediderim libentiùs. Primo quidem, quia, vt iam dictum, è septem illis, qui ante DEVM astant, vnus fuit. At maior hic quidam principatus & dignitas, quam quæ in Angelorum infimos conferenda sit; innuitur, prout ex iis, quæ eo loco dicentur, eliceſcet magis. Deinde in eadem videntur sententia veteres. Nam lib. de promissionibus pagin. 2, cap. 39. S. Prosper. *Raphaël*, inquit, *Archangelus missus à Deo, non tantum captiuis solatia, quantum etiam beneficia cœlestia orantibus ministrauit.* Similiter *Archangelum* eum vocat Diuus Seuerus Episcopus Minoricensis in Epistola de Iudæorum conuersione, quæ Domini Anno 418. apud Reuerendissimum Baronium Tomo 5. Annalium, legi potest. Vocat etiam D. Isidorus Originum l. 7. cap. 5. dum ait; *Ad Tobiam idem Raphael Archangelus missus, oculis eius curationem adhibuit, & cæcitate detersa, visum ei restituit.* Æthiopica Missa, sicuti Michaëlem & Garielem, ita & Raphaëlem è maioribus; splendidioribusque Angelis; vnum constituit. An & hoc septuaginta non significant Interpretes, dum non simpliciter Angelum Raphaëlem, sed *magnum* appellant? neque tam insigni epitheto contenti, substantiuum, quod eius præstantiam admodum illustret, apponunt, dicentes τὸν τὸ δεξιὸ μεγάλον Ραφαὴλ, id est, gloriam magni Raphaëlis. Liceret verò recentiores recentioribus etiam opponere, Martyrologii videlicet Germanici collectorem Octobris die 6. Angelicæ litaniæ, quæ in edito Bruxellæ precationum Thesauro est; conditores, & alios. Sed quemadmodum, quod 3. p. q. 30. a. 2. ad 4. tradit S. Thomas; Gabrielem fuisse Archangelum è D. Irinæo l. 5. cap. 25. Dino Ambrosio l. de Spiritu Sancto c. 7. Augustino l. 4. de natiuitate, aliisque veteribus rectè colligimus, quidni &, è priscis antea ci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatis de S. Raphaële idem ratiocinemur? Neque enim causa vlla est, cur Archangeli nomen à priùs illos vsurpasse suspicari liceat. Nostet tamen in Apocalypsis c. 12. Blasius Viegas contendit, omnes septem Angelos de quibus Prætor, esse è suprema supremæ hierarchiæ ordine, seraphim scilicet. fol. 542. in Hisp. edit.

QVÆSTIO III.

Cur cum Archangelis aliis, Sanctus quandoque Raphael non nominetur?

IVstinianus Imperator Nouella 8. tit. 3. in iureiurando, quod ab iis qui administrationes accipiunt præstari sanxit, duos tantum Archangelos Michaëlem & Gabrielem numerat. Num ergo Raphaëlem ignorauit, vel in Archangelorum esse numero non putauit? Nihil equidem absurdi reor, si à Iustiniano cum Theologis nonnullis, de quibus quæstiuncula superiore, aliam Raphaëli quasi tribũtiõ. Sæpe siquidem fit, vt è plurib. vnum, vel duos aliquos nominemus, non ideo tamen alios eiusdem cum ipsis ordinis negemus. In quotidiana generali peccatorum confessione solius Archangeli Michaëlis mentio est, nunc reticitur Gabriel? soli ex Apostolis, sancti Petrus & Paulus commemorãtur, capite cæteri an minuuntur? Et in litteris diuinis, solius interdum Patris nomen inuenias, num è sanctissima ideirco Trinitate Filius & Spiritus Sanctus amouẽtur? Mihi vero videtur Imperator Minima edantur, in veteri nõ reticeantur. fortassis etiam q̃ maiore in istos duos obseruantia & religiositeis, Politicis, Academicisque honoribus, fidei professio nupera omnino videtur, è veteri illa Iustinianea iurandi formula, si verba, quæ huc spectant, modicè libemus, abs re non fuerit. *Iuro ego per* DEVM *omnipotentem, & filium eius Vnigenitum, Dominum nostrum* IESVM *Christum, & Spiritum Sanctum, & per sanctam gloriosam* DEI *genitricem & semper virginem Mariam, & per quatuor Euangelia quæ in manibus meis teneo, & per sanctos Archangelos Michaëlem & Gabrielem, puram conscientiam gerere, & traditæ mihi ab eorum pietate administrationem: & omnem laborem ac sudorem cum fauore sine dolo & sine arte quacunq; suspicio in commissa mihi, ab eis administratione de eorum imperio atq; republica: & communicaquemcunque permitto, quantum possibilitatem habeo. Si vero non hæc omnia ita seruauero: re ipsa hic & in futuro sæculo in terribili iudicio magni Domini* DEI *& Saluatoris nostri* IESV *Christi: & habeã partem cum Iuda, & lepra Giezi, & tremore Cain.* Hæcibi. Rupert. vero sub lib. 5. in Apocalipsin principiũ, Raphaëlis etiam non meminit, qa sanctorũ Michaëlis & Gabrielis præstantiã ei propositum erat explicare.

QVAESTIO IV.

An hominum preces offerant Deo Angeli?

OFFERRE porro Angelos DEO preces nostras ostendit iste locus, dupliciter. Primo quia c. 12. v. 12. dicitur. Ego obtuli orationem tuam Domino. Deinde quia in Græco ibidem posteà subditur. Ex septem spiritibus, qui offerunt orationes sanctorum. Confirmatur ex Actorum 10. & apertius ex Apocal. cap. 8. vbi dicitur Angelus, *ante altare thuribulum aureum habere, ipsiq; de Sanctorum orationibus incensa seu thymiamata multa data: vt ea daret supra altare aureum, quod est ante thronum* DEI. Patres vero idem frequentissimi docent. & quidem ita, vt simul interdum moneant, discendum hinc nobis, quàm libenter precibus vacare oporteat, quàm studiosè, quam venerabunde ac religiosè. Anastatius Nicæus, quæstione 61. citat Constantinopolitanum Nilos, siquidem verum illud. *Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris. quid agentes aut operantes? nisi quod nostras petitiones ad aures Domini Sabbaoth animo adhærentes, eum reddunt propitium ea, quæ postulamus.* Apud D. Augustinum. sermone 226. *Ego*, ait Raphaël, *medullata intuli sacrificia pro venerabili sepultura. Videtis quantum profit mortuos sepelire: vt oblatio eius, per Angelum Raphaelem, ad cœlestem extenderet municipatum.* Rupertus lib. 9. de victoria verbi cap. 8. *Scire debemus sanctos Angelos, inter* DEVM *& homines* DEI *seruos, esse administratores: & nos in conspectu eorum psallere & orare, eosque semper esse paratos ad offerendas* DEO *orationes Ecclesiæ.* Diuus Bernardus sermone 7. in Cantica *Credimus*, ait, *Angelos sanctos adesse orantibus, offerre* DEO *preces. & vota hominum, vbi tamen sine ira, & disceptione leuari puras manus perspexerint. Probat hoc Angelus ita loquens ad Tobiam. Quando orabas cum lacrymis, & sepelichas mortuos & derelinquebas prandium tuum: & mortuos abscondebas per diem in domo tua & nocte sepelichas eos, ego obtuli orationem tuam Domino* (cap. 12. v. 12.) *Ea propter attendite Principes vestros, cum surgitis ad orandum, vel psallendum: & state cum reuerentia & disciplina. & gloriamini, quia Angeli vestri quotidie videant faciem Patris: nimiram missi in ministerium propter vos, qui hæreditatem capi-*

mus salutis: deuotionem nostram in superna ferunt: referunt gratiam. Et posteà, *Animæ in his* (sanctis exercitationibus) *exercitatæ, cœlestes nunciæ sese familiares exhibent, & frequentes*, præsertim, si frequenter orantem persenserint. Et serm. 3. super Missus est; *Solent*, ait, *Angeli astare orantibus, & delectari in his, quos vident leuare puras manus in oratione. holocaustum sanctæ deuotionis gaudent se offerre* DEO *in odorem suauitatis.* Molanus cap. 12. De picturis, *Angelorum*, ait, *thuribula, quibus cum pinguntur, significant, quod orationes nostras Domino offerant, & recitent, vt est apud Tobiam.* Hebræi Genes. 1. vt ait Zohar, aiunt esse firmamenti faciem, *volucres, quæ* DEO *referant omnia.* figurata scilicet oratione Angelos notant. sicuti & cum tradunt, eorum qui DEO sacrificia & orationes offerunt; principem esse Sandalphon, vti notat Franciscus Georgius Tomo 6. problemate 179. & 181. Est autem Sandalphon quasi συνάδελφος, quem Exodi cap. 4. Mosi occurrisse, tradit in Exodum Zohar columna 120.

QVÆSTIO V.

Cur Deo ipsi hominum preces offerant?

ANGELI verò reuera nihil, quòd DEO ignotum sit, patefaciunt, sicuti neque nos, quando preces & vota recitamus, aut cantamus, cum intimas aliorum cogitationes, non modo dum sunt, sed etiam antequam sunt, norit diuina mens perfectissimè. Offerunt tamen, quia DEO ita visum est, sicque maior ipsius immensæ maiestati ab omni creaturarum, quæ quidem proprie honorem cuipiam facere possunt, honos fit. Tunc enim & humana & Angelica natura simul coniunctis veluti operis illam venerantur: eam boni omnis fontem prædicant: ab ea sese rotas pendere: absque ipsa nihil omnino posse profitentur. Quin & in eo magnus quidam eidem summæ maiestati honos positus est, quod angelica natura, tam nobilis, tam præstans, tanta tam felicitate circumfluens, ob ipsius DEI non vllam vel egestatem vel necessitatem, sed solam voluntatem & præscriptum, obsequendi tantummodo & venerandi gratia; eo sese lubentissima & promptissima demittat, vt inferioris naturæ precibus animum aduertat: eas accipiat, eas tabellariorum instar, ad DEVM referat: isdemque, studio & alacritate tanta seruiat. Quemadmodum enim, citra vllam Angelorum operam, potest nos DEVS tueri & gubernare: ad maiorem tamen suæ potestatis & bonitatis demonstrationem & gloriam omnes illos fecit administratorios spiritus, omnes in ministerium misit, propter eos, qui hæreditatem capient salutis Hebr. 1. versi. 14. ita nostras vt preces audiat, desideria nostra cognoscat, nulla ei Angelorum opus opera: eam tamen vberioris, vti expositum est, boni causa, interponi sapienter, benignè, potenterque volut. Atque hæc, hisque plura libro 15. de Trinit. cap. 13. vt alibi posteà citabitur, & illum etiam, cui in manibus est, Tobiæ locum explicando; indicauit S. Augustinus epistola 120. in qua, quæ huc valde faciant, leguntur hæc: *Annunciabitur*, *inquit Psalmus vicesimus primus, Domino generatio ventura, & annunciabunt cœli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Non ait: Annunciabitur Dominus generationi venturæ. sed annunciabitur Domino generatio ventura. Quod non sic accipiendum est, tanquam rejcienti aliquid annuncietur, vt sciat, sed sicut annunciant angeli non solum nobis beneficia* DEI, *verum etiam illi preces nostras. Nam scriptum est*, Tobiæ 12. in Græco, *vbi angelus hominibus dicit? Ego obtuli memoriam orationis vestræ: nam vt tunc* DEVS *noverit quid velimus, vel quo indigeamus. Nouit enim Pater vester. ait Dominus, quid vobis necessarium sit priusquam petatis ab eo: sed necesse habet rationalis creatura obtemperans* DEO, *temporales causas ad æternam veritatem referre, sine petendo quid ergo sese fiat, sine consulendo quid faciat, qui pius mentis affectus est, vt ipsa construatur, non vt* DEVS *instruatur. Nam & hæc quædam contestatio rationalis creaturæ est, quod non sibi ipsa sit bonum quo beata fiat, sed illud incommutabile, cuius participatione etiam sapiens efficitur.* Similiter D. Bernardus loco citato, non DEO, sed Angelis, & Sanctis aliis nostras preces notas fieri annotat & subiungit. *Quis dabit mihi per vos, ô benigni principes, petitiones meas innotescere apud* DEVM? *Non enim* DEO, *cui etiam cogitatio hominis confitetur. sed apud* DEVM, *hoc est, ipsis, qui, cum* DEO *sunt, tam beatis virtutibus, quam pro carne solutis spiritibus.* Alia etiam casu est, vt suas nostris preces adiungant, frigidioribus calidiores, ignauioribus efficaciores, impurioribus puriores. Quæ de re pòst pluribus. Diui modo Hilarij vna nobis vox, sed egregia sanè, sufficiat. *Intercessione.* ait in Psal. 129. *Angelorum non natura* DEI *indiget, sed infirmitas nostra. Nisi enim sunt propter eos, qui hæreditabunt salutem,* DEO *nihil ex his, quæ agimus, ignorante: sed infirmitate nostra, ad rogandum & promerendum, spiritualis intercessionis ministerio indigente.*

QVÆSTIO VI.

Quonam modo nostras preces offerunt Angeli?

OFFERRE DEO illas illi nequeunt, nisi eas à nobis prius acceperint. Quæri ergo potest, & quis modus, quo nostras à nobis preces accipiunt, & quis, quo acceptas præpotenti DEO fistunt. Prior modus est, in preces nostras cognoscendo: alter incognitas proponendo. Cognoscunt vestrum. Prior modo est, in preces nostras cognoscendo: alter incognitas proponendo. Cognoscunt verò illas cognitione vel supernaturali, quæ aut essentiam diuinam planè intuendo, aut reuelatione quandam diuinitus accipiendo, fit; vel naturali, quam per lumen, & species iis à prima ipsorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum conditione inditas existere censet D. Thom. 1. par. q. 57. Et ista quidem naturali, eas tantum preces percipiunt, quæ aliquo exteriore actu funduntur, non solis purisque mentis agitationibus & voluntatis affectionibus continentur. Supernaturalis verò cognitio ad omne precum genus & modum fundi potest. licet hisce de rebus possint, & plura & subtiliora indagari, quæ apud D. Thomam loco citato, Capreolum 2. dist. 8. Ferrariensem 3. contra Gentes, cap. 154. aliosque videri possunt. Illud tamen silendum iam non est, quomodo potuerit Raphaël Tobiæ Saræque preces simul accipere, cum ille Niniuen, Ecbatana hæc, vt supra dictum, incoleret. An in duobus tam remotis tamque distantibus locis simul esse, quæ vtrobique agerentur simul videre, quæ dicerentur, simul audire potuit? Certe Græcus textus capite sæpe citato, tempus idem fuisse ait. *Quando*, inquit, *orasti tu & sponsa tua Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ coram Sancto.* & hoc cap. 3. ver. 24. Latinus: *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi*: DEI: *& missus est Angelus Domini sanctus Raphael, vt curaret eos ambos, quorum* VNO *tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.* Sed intelligendum, primo quidem posse Angelum sibi locum, in quo præsens sit, vti minimum, & qui puncti instar habeat, ita & maximum, longissimeq; patentem absque vlla tamen quantitatis mole, accipere. Deinde, etiamsi à loco quopiam absens sit, posse tamen acerrima & illuminatissima, qua pollet, mentis acie intueri, penitusque pernoscere, quæ illic vel agantur, vel dicantur. modo ea, vt paulò ante dicebam, aliquo, extra mentis voluntatisque claustra, vestigio prodeant. Si enim nos tam longè posita in aquarum & camporum æquoribus, in montibus & cœlis videmus, & vt canit libro quarto Manilius:

Paruula sic totum peruisit pupula mundum:

Cur ea tantum, quibus proximè adsunt, Angeli videant? *Iam* inquit lib. 8. de ciuitate DEI, cap. 15. D. Augustinus, *quis hominum videndo, æquabitur aquilæ & vulturibus?* Nam, vt idem Augustinus ait lib. de diuinatione dæmonum, cap. 3. *illæ sublimiter volantes interuallo maximo, natantem sub fluctibus piscem perueniunt: hi proiecto cadauere, eximpromptu longinquitate aduolant.* Quod sensuum ergo in his efficit acrimonia, id & multo amplius, in Angelico intellectu, non efficient tot & tam illustria inscripta rerum sigilla, vis & celeritas tanta? Num hominum custodes Angeli, ita eorum lateribus affixi, vt alio quoquam abire nequeant, vel si abeant, eorum iam facta & dicta non perspiciant? Concludo igitur præter supernaturalem modum, potuisse Raphaëlem naturaliter, trium modorum aliquo Tobiæ Saræque vota excipere. vt vel scilicet vtrique præsens simul adesse, vel neutri, vel ab vno quidem abesset, intelligendi tamen vi, quid precaretur vterque vel tantum alter, longissimè spectaret. Neutri verò affuisse, sed vtriusque precationem, mentis obtutu, cognouisse, vel certè Tobiæ potius quàm Saræ astitisse opinor, non, quia Tobiæ custodem egerit, vt aliquos sensisse supra dixi, sed quia ad istam ab illo venerit, illiusque potissimum facta memorarit infra cap. 12. Licet enim motu quam ocyssimo ad Tobiam à Sara venire potuisset, cùm tamen nullum eius exteat indicium, contrà vero ad illum esse missum videamus, magis placet Tobiæ astitisse, vel potius vt dixi, neutri. Cum enim è magnis Angelorum principibus vnus sit, vni eum hactenus Tobiæ adcimus aut loquimur; cognitionem venire contendat, quod nullas iis formas imprimere, nulla pressionem, vel signorum ostensionem loqui Angelus Angelo. At sine tota hæc per formas & signa loquendi angelica ratio admittatur sine non; dico Angelis ad nostras vel actiones vel orationes contpiciendas, aliis formis opus non esse, quam iis ipsis, quas olim acceperunt: easque specierum nouarum acceptionem, sed earum, quas iam pridem habuerunt, vsum, non per rerum ignitas preces nostras DEO *fiunt*, est non vt ipsas voces ac sonos, vel phantasmata certè nostra prosiu. c. 24. sed vt ea ipsa DEO significent. significant vero ei loquendo. Loquuntur autem ea lingua *vsquequo non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda?* Lingua porro & ratio ista, quæ alia, quam voluntaria conceptionum mentis ad DEVM applicatio? Loqui enim aliis Angelos, nihil aliud generatim est, vt ait 1. q. 107. a. 1. D. Thomas quam conceptum mentis manifestum alteri facere. At, quemadmodum idem art. 3. persequitur & suprà iam ex Patribus docui; non fit ea cum DEO locutio, vt ei quippiam, quod obscurum vel absens esset, cómunicetur: sed potius vt ab eo Angelis ipsis quippiam tribuatur, eo modo, quo doctori. vt ab eo doctrinæ aliquid accipiat, loquitur discipulus: quo in naturalibus ad efficientes causas conuertuntur, quæ efficientiæ illarum indiga sunt. Quod verò per eiusmodi sermonem, Angelis à DEO tribuitur, est hoc interdum ad ipsorum tantummodo commodum, interdum etiam ad aliorum, quorum scilicet illi apud DEVM causas agunt, & proponunt. Denique *modus* iste fit cum insigni quadam Angelorum diuinæ maiestati loquentium, humanasque preces offerentium, demissione, & eximio aduersus illam cultu. quem metaphoricè, *thuribulo & suffimentis* depingere voluit. S. Iohannes Apocalypsis 8.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

De Angelicæ oblationis modo quid hæretici?

QVI oblationem istam negarit, ex iis, qui vel Angelos vel Apocalypsin agnoscant, nouit adhuc neminem: sed in modo ineptit supra modum Beza in Apoc. 8. *Quod sit*, ait, *hoc Angelorum ministerium (per quod sanctorum orationes DEO offeruntur) quis nouit? Mediatores quidem non esse ex verbo DEI constat: neque à nobis inuocandos. Quæ de re vide Augustinum lib. de Trinit. 13 15. Qui subtilius hic volent contemplari, mirum nisi etiam Angelicam aliquam Missam in cœlo fabricent.* Quinque potissimum, bene si numeres, proponit Beza; quorum primum modestiæ plenum videretur, nisi quæ citra modum, modo tam aduersa, quam quæ vltra sunt, essent. *Quod sit hoc Angelorum ministerium quis nouit?* Pro ingenij humani tenuitate, adhibitis & bonis ratiocinationibus, & scripturarum, Patrumque sententiis, norunt Theologi, & breuiter hactenus exposui, cur illis ratione nulla oppugnatis nudum expugnatis, non assentiamur? Sit tamen modestiæ: etsi scio quid in calceo Bezam premat, de quo paulo post videnimus. Alterum: *Mediatores quidem non esse, ex verbo DEI constat.* Quorsum quæso istuc de mediatoribus? Iam incipit prodere, cur Angelorum illud ministerium ignorari velit. Metuit ne, si nouerimus, quid sit Angelos nostras preces offerre; intelligamus, eos nobis aliquid petere, nobiscum DEVM laudare. ideoque esse inter nos & DEVM Mediatores. Fit hoc vlcus illud, quod tangi nolunt. *Mediatores*, ait, *non esse, ex verbo DEI constat.* Si è DEI verbo non esse Mediatores constat: & ex eodem tamen verbo constat, precum eos nostrarum oblatores ac internuncios esse, id est, mediatores, nonne in DEI verbo contraria ineunt, in DEI ore calidum & frigidum, etiam & non? sed è quonam verbo huius loco mediatores non esse constat? Taceo Beza, nisi, quod tuo isto, *constat*, sè illud 1. Timoth. 2. *Vnus est mediator DEI & hominum homo* CHRISTVS IESVS, intelligere demonstrat. Verum de mediatore illic agi non qualicunque, sed eo, qui inter debitorem & creditorem, offendentem & offensum, sese medium proprio solutionis atque satisfactionis pretio interposuerit, clarissimè ostendunt, quæ mihi attexuntur: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis.* Alios vero alterius generis esse mediatores, vel Moyses indicat, qui Deuteronom. 5. v. 5. de seipso id scribit, quem ipse D. Paulus Galat. 3. v. 19. *μεσίτην*, id est, mediatorem appellat, vti, contra Calumnum suum, sex vel septem argumentis ipsemet eo loco Beza probat. & rursum, *Ex his*, ait, *concludo ἐν χειρὶ μεσίτου, id est, per manum mediatoris, idem declarare atque per fidum DEI famulum Mosen.* Addit Beza tertium; *neque à nobis inuocandos Angelos*, hoc vero est, quod in Angelorum mediatione inuocanda maxime satagit Beza. de quo non ita multo post. Sed quod ad librum 13. de Trinit. c. 15. lectorem ablegat, malo typographi mendum, quam ipsius fraudem putare, etsi aliquando notauí quosdam lucifugas prauè, opera data, quædam errare, quæ videnda quidem aiant, reuera tamen videri nolint. Liber igitur de Trinitate, est decimus quintus & caput 13. in quo docet S. Augustinus DEO ab Angelis nostra quædam nunciari, & cur id fiat exponit, prout alia quæstione supra dictum est. Verba sic habent. *Nunquid DEVS pater ea ipse, quæ non per corpus, quod est ei nullum, sed per seipsum scit, aliunde ab aliquo didicit, aut nuncios vel testibus vt ea sciret, indiguit? Non vtique. Ad omnia quippe scienda quæ scit, sufficit sibi illa perfectio. Habet quidem nuncios, id est, Angelos, non tamen qui ei, quæ nesciat, annuncient. Non enim sunt ista quæ nesciat, sed bonum eorum est, de operibus suis eius consulere veritatem: & hoc est quod ei dicuntur nonnulla nunciare, non vt ipse ab eis discat, sed vt ab illo ipso, ipsi per verbum eius, sine corporali sono, nuncient quod voluerit: ad eo missi ad quos voluerit: totum ab illo per verbum eius audiendo, id est, in eius veritate inuementes, quid sibi faciendum, quid quibus, & quando nunciandum sit. Nam nos oramus eum, nec tamen necessitate nostra docemus eum. Nouit enim, ante verbum eius, Pater vester, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo.* Quinto negatur Beza, *mirum esse nisi qui nobilius ista contemplari volent; Missam in cœlo Angelicam fabricent.* At nullam hactenus Theologi, nullam supra citati D. Augustinus & Bernardus fabricarunt. Num tamen hi horum, aliorumque similium pingues, crassiq; contemplatores? Verum ne coniector omnino vanus Beza sit, aio ego, quale ibi altare, quale thuribulum & suffitio est, talem & Missam esse. Illa vero esse metaphorica, quis adeo rudis, qui nesciat?

QVÆSTIO VIII.

Angelica ista precum oblatio Ethnica num censenda?

APVD Ethnicos scriptores, præsertim Orpheum, Deorum nuncios ἀγγελικὸς & ἐναγγελικὸς legitur Mercurius, qui & idcirco eorundem διάκονος, id est, camillus & minister, vt explicat Festus, nuncupatur. Sed, quæ apud Patres leguntur, feriunt vehementius. Commentarius, qui D. Ambros. tribui solet, in Rom. c. 1. *Solent Ethnici*, ait, *pudorem passi negotii DEI, misera vti excusatione, dicentes: Per istos posse re ad DEVM, sicut per comites peruenitur ad Regem. Age, nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, vt honorificentiam Regi vindicet Comiti, cum de hac re si qui etiam cultare fecerint inuenti, iure vt rei damnentur maiestatis? Et isti se non putant reos, qui honorem nominis DEI deserunt, creaturæ, & relicto domino conseruos adorant, quasi sit aliquid pius quod referuetur DEO. Nam & ideo*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad regnum per tribunos aut comites itur, quia homo vtique est rex, & nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad DEVM *autem (quem vtique nihil latet, omnium enim merita nouit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente deuota.* D. Augustinus lib. 8. de Ciuit. 19. *Necessarios asserebat Apuleius dæmonas persequendis ad Deos nostris precibus.* Et cap. 22. *Nullo modo credendum est, quod Apuleius persuadere nititur, & quicunque alij philosophi sunt eiusdem sententiæ, ita esse medios dæmones inter deos & homines tanquam internuncios & interpretes, qui hinc ferant petitiones nostras, inde referant deorum suppetias. Et, Dæmones qui-bescant vitia eorum attentius & diligentius intuentibus, non potuerunt persuadere quòd dij sint: atque ideo inter deos ac homines internuncios ac beneficiorum impetratores se esse finxerunt.* At vero hinc potius vera bonorum Angelorum mediatio confirmatur. Moris enim prophanis authoribus, quæ sacris in litteris bene vereque tradita sunt, ea vbi legerint, vel audierint, depraua re: solentque dæmones in ea quæ sanctissimis illis mentibus à Deo vel hominibus rectè tribuuntur, inuadere, sibique ea mendaciis, fraudibus & præstigijs vsurpare; sed ita, vt longè plus quam bonis Angelis veritas vnquam ascripsit, ipsi concupiscant, nonnullisque improbis persuadeant. Se liquidem Deos faciunt, honoremque summum, qui DEO soli debetur, flagitant: vel consequi hoc si nequeunt, in eam famos & cæcos mortales opinionem adducunt, vt credant, absq; his interpretibus, iguora DEO esse omnia: nihil, nisi eorum intercessu, nobis ab illo dari posse. Atque hæc deliria sunt, quæ Simon olim Magus inuexit, quæ D. Paulus Coloss. 2. quæ Theodoretus in eum locum, quæ citatis locis Commentarius Ambrosianus, & Augustinus insectantur. Hinc in illo: *Dominum horum spernentes, stultos factos esse, & honorificentiam Regu Comiti vindicare, honorem nominis* DEI *deferre creaturæ, & relicto Domino, conseruos adorare, Regem nescire, quibus debeat Rempublicam credere.* Breuiter etiam Augustinus cap. illo 16. *Quæro, quales preces hominum dijs bonis per dæmones allegari putat, magicas, an licitas? Si magicas, nolùt tales: si licitas, nolunt per tales.* Vide eundem in Psalmum 135. Enchiridii, cap. 56. & sequentibus: Bellarminum lib. 1. de Sanct. Beatit. c. 20. & Reuerendissimum Baronium Tomo 1. Annalium.

QVÆSTIO IX.

Solasne hominum preces offerant DEO Angeli?

VIDENTVR ita loqui textus, ex c. 12. ante citati, Latinus & Græcus. Dicendum tamen DEO ab iisdem bona etiam hominum opera offerri. Primo quidem, quia qui ad Cornelium venit Angelus, Act. 10. ei dixit v. 3. *Orationes tuæ & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu* DEI. quasi diceret: Ego tuas obtuli & orationes & eleemosynas. Nam quod dicit ascenderunt in memoriam, idem valet, quod hic cap. 12. in Græco, *obtuli memoriam orationis vestræ.* & vtrobique est τὸ μνημόσυνον. Deinde offerendi ratio eadem, vt DEO scilicet honos maior sit. Præterea sanctæ hominum actiones crebrò sacrificia, imò & preces quædam vocantur. Postremo D. Augustinus serm. 226. sepulturarum, quas fecerat Tobias, oblationem per ipsum Raphaëlem factam ait: sed multò vberius serm. 3. de Natiuitate, vbi hortatur, vt nascenti Domino & Saluatori CHRISTO IESV munera offeramus & vota. quæ duplicia ipse constituit, bona & meliora. De bonis, *Sunt*, ait, *multi, qui vouent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctu, alius vt vinum non bibat per aliquot annos, alius vt ieiunia certo tempore faciat, alius vt carnes non comedat.* Meliora verò ea vocat, quibus ipse DEO animus offertur; viriorumque nostrorum extirpationes, & virtutum exercitationes. idque generatim explicat: deinde, per nouem veluti gradus, specialim. Ad extremum concludit omnia hæc DEO, ab Angelis, offerri, summamque idcirco suauitatem & dulcedinem afferre. Locus lectu senatuque longè vtilissimus. Gradibus; vt dixi, distinctum proponam.

1. *Quicunque iram contra alterum tenet, tantum propter amorem* DEI *dimittat, & obtulit votum.*
2. *Si quis consuetus iam longa diuturnitate in luxuria volutari, resipiscat aliquando, & excutiat sordes suas per compunctionem, & clamet in corde suo in oratione secretius ad Dominum: Piissime Domine, misericordissime DEVS, sufficiat mihi, hucusque peccaui, quòd contempsi, quod fœtoribus carnis meæ satisfeci, tam nunc te inspirante votum me à nequitia mea conuersurum. Cum hæc fecerit, & iste obtulit votum.*
3. *Si iterum inuidia tenetur fratris, & felicitate illius aut actione prospera non delectatur, quod est peccatum vsque ad mortem; promittat & ipse in corde suo, meditaturum se potius actus bonos, quam liuorem eundem habiturum: & cum fecerit, & ipse obtulit votum.*
4. *Si quis verò sibi conscius est de homicidio, inducat sibiipse in corde suo pœnitentiam, & vindicet in se ipsam malæ conscientiam, & statuat sibi ante DEVM cruciatum pœnitentiæ & spatium: & plenum animū veneno quem ante effusio sanguinis proximi sauciauit, cruciet per abstinentiam & humilitatem: & communicare nullatenus præsumat, vt non dupliciter se infelix damnet, dum in corde criminum horroribus pleno sacratissimum corpus Domini periculosè præsumit accipere. Quod si quis se talem agnoscit, & hæc fecerit: & ipse offert votum.*
5. *Si quis fortè, vt assolet, detrahere semper consuescit, & aliorum actiones obloqui, nec suas respicere, vouerit hodie Deo in corde suo & dicat: Hucusq; de aliis dixi, me non inspexi: ego eram miserior, & alios miseros existimabam: & ideo nunc sufficit, quod peccauit lingua mea, amodò emendare delibero. Ecce qui hæc facit, offert votum.*
6. *Si quis crudelem se sentit, misericordiam animi vouerat* DEO.
7. *Si quis superbum, vouerat humilitatem.*

8. *Si quis vino nimium est deditus, sobrietatem vouerat.*
9. *Si quis seniori suo peccauit, veniam petat, & si ille non sapuerit petere, ille tamen dimittat.* Conclusio est; *Et cum hæc omnia feceritis, charissimi, offertis* DEO *votum placitum, & quasi remuneratu Christum. Et post hæc veniet vobis benedictio, & vota vestra offerentur ante tribunal Christi. Putamus quam dulce est, quando vota nostra talia, qualia dixi, Angeli qui custodes vitæ nostræ sunt, ante conspectum diuinæ maiestatis obtulerint?* Ecce, quæ & qualia DEO ab Angelis offeruntur.

QVÆSTIO X.

An eorum tantum, qui pij sunt, preces & opera offerunt Angeli?

OMnino id asseuerare S. Raphaël, in Græco, videtur c. 12. *Ego sum Raphaël vnus è septem Angelis,* ὁι προσφέροντες τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων. *qui offerunt preces sanctorum* Vnde & Act. 10. antequam narretur, quemadmodum Cornelij precationes & eleemosynæ in memoriam, in conspectu DEI, ascendissent, præmonet S. Lucas *Erat Cornelius religiosus ac timens* DEVM *cum omni domo sua.* Apoc. 5. v. 8. & 8. 3. solæ *sanctorum* orationes, quæ à sententoribus & Angelis offeruntur; traduntur. Et causa est, quòd solæ istorum preces & opera DEO grata sint, sola suauitatis odorem coram cœlesti altari fundant, sola æternæ felicitatis præmium ferant. Etsi enim falsum est, quod aliquibus visum; Quicquid agunt vel infideles vel peccatores, peccatum esse, tamen quod agunt, non eos veræ bonitatis numeros habet, vt per CHRISTI IESV merita, veram apud DEVM gratiam ineant, cœlestémque vitam promereantur. Nihilominus tamen *sanctorum, piorumque* nomine hic intelligendi, non ij tantum, qui reapse cœlestem iam gratiam suis in animis insculptam habent, in veroramque DEI filiorum numero sunt, sed ij etiam, qui voto, proposito, & voluntate vt vel superiora D. Augustini verba indicio sunt, &, è non contemnendorum Auctorum sententia, is ipse, qui adductus, Cornelius. Alia aliorum opera non offerunt, sed accusant apud DEVM dæmones.

QVAESTIO XI.

An eadem Angelorum oblatio coniunctam semper habeat ipsorum pro hominibus, precationem.

ANtea quidem iam breuiter hoc indicatum, sed paulò nunc diligentibus explicandum. Duobus, hoc in mundo, modis, aliquorum aliquibus precs & opera offerentur. *Primo* simpliciter, vt meta tantum nunciatio sit, illos hoc & illud petere, agere. *Secundo* amicè, cum benevoli scilicet aliqua commendatione, precumque suarum adiunctione. *Primus* accidit, quando qui *nuncius* & internuncius est, vel nulla eum qui supplicat, amicitia & charitate prosequitur, vel quæ supplicat, minus ei bona vtilisque iudicat, aut alteri certe cuipiam, quem etiam amat, noxia, vel ne is, cui supplicat, inuitus audiat, molestéque ferat, veretur. Sic enim apud Principes, eos, qui ijs à supplicibus libellis, vel à cubiculis sunt, videmus, nudissimè siccissimeque cautis etiam oprimas interdum proponere, vt quę in scholis materialis tantum & τεχνικὴ dicitur, recitatio videatur. *Posterius* verò sit, quando secus habent hæc omnia. Nam verò sanctorum Angelorum, quanta in homines, & sanctos præsertim, beneuolentia; quis amor! quæ charitas! A sanctis porro ipsis, quæ petuntur, & ad DEI gloriam (de peccatis enim non ago) beneficia, eiusmodi sunt; vt vel seorsim bona iisque vtilia, & nemini alteri noxia sint, vel certè ita semper instituta, vt ea diuinæ voluntati, eiúsdemque correctioni omnino submittantur. In DEVM verò causæ illæ, ob quas interdum principes à quorundam supplicationibus vel audiendis vel approbandis abhorrent, nullo modo cadunt; & possunt illiæ recenseri complures. Principes aliis iam negotiis occupati & fessi sunt! Ergo quidquid tunc audiendum oggeritur, molestum. Principes epulo, somno, ludo, aliquo sese recreant? Quidquid ad occupationem tum vocat, ingratum. Principes restrictiores sunt minusque munifici & liberales? Quælibet pecuniæ opisque petitio frontem eis corrugat. Principes officii, quod ad subditorum salutem gerere debent, parum memores sunt! Cum ab iis iustitia, gentiorum defensio, religionis propugnatio, postulatur, ita efferuescunt? Quid plura? Sunt hæc à DEO alienissima omnia. Quamobrem concludendum, sanctos Angelos, cum ardentissima sanctorum hominum charitate flagrent, cū quæ ab ipsis petuntur & aguntur, diuinæ semper voluntati consentanea iudicent, vel ei certè, prout illi etiam volebant; submittant, cū DEVM libentissimè semper iucundissimeque omnia hæc accipere nouerint, ita eadem illa offerre, vt suas etiam ipsi obsecrationes, commendationes, amicosque affectus consocient. Præclarè omnino D. Augustinus Enchiridij, cap. 56. cum duas vnius Ecclesiæ Catholicæ partes fecisset, vnam adhuc peregrinantem; alteram in cœlis triumphantem, de hac ipse subiungit: *Hæc in sanctis Angelis beata perfruitur, & sua parti peregrinante sicut oportet opitulatur: quia vtraque vna erit consortio æternitatis, & nūc vnā est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendū vnum* DEVM. Diabolus profectò, apud DEVM non simplici peccatorum, quæ homines admittunt, narratione contentus est, sed odij, quo in homines

Universidad de Deusto
Biblioteca

homines vehementissimo imbutus est, accusationes & calumnias plenissimas adiungit: iram quoad in se est, diuinam incendere, pœnas, & tormenta grauissima extorquere annititur. Quid ni sancti ergo Angeli, non mendaci exaggeratione, sed vera suæ charitatis adiunctione, diuinam nobis misericordiam conciliare, gratiam & præmia impetrare conentur? Libet vero &, contra hæreticos, ex eorum ipsorum verbis ista constabilire. Beza in Apocalyp. 8. versionem nostram, quæ Angelum *de sanctorum orationibus* dedisse refert, arguit & vertit ipse v. 3. *Dati sunt Angelo suffitus multi vt offerret* cum *precibus Sanctorum omnium super altare aureum.* & v. 4. *Ascendit fumus suffituum*, cum *precibus Sanctorum è manu Angeli ad conspectum* DEI. Viden? Angelum non Sanctorum tantum preces offerre, sed *cum precibus* etiam? Et subdit: *Manifestè videmus Angelum seorsim dici multa illa thymiamata accipere, quæ cum Sanctorum precibus offerat. Vnum igitur ab altero non separandum quidem, sed distinguendum est.* Nostram tamen contrà ipsum versionem neruosè solideque propugnat eum in locum Ribera noster. Cum enim in Græcis propositio nulla sit, sed tantum dicatur, Angelum thymiamata multa obtulisse orationibus Sanctorum, vel aliqua supplenda præpositio est, vel nulla. Si supplenda, cur potius, *cum* quam *de*? cum toties in Hebræis scripturis materia, vnde quippiam fit, absque præpositione *de* vel *ex*; quæ subintelligenda; exprimatur, vt Genes. 3. v. 19. Exodi 37. v. 6. 3. Reg. 6. v. 31. Si non supplenda, sententia fuerit, Angelum Sanctorum supplicationibus, quas offerebat, thymiamata quædam adiunxisse suarum scilicet precum odoramenta suauissima, quæ ipsi à bonorum omnium largitore DEO seu CHRISTO Domino, data essent. Sed videatur vt dixi, Ribera.

QVÆSTIO XII.

An, ex Angelorum oblatione, ipsorum inuocatio colligi possit?

HOc, vt ante dicebam; extimescit Beza, cum oblationis huius modum atra ignorationis caligine obtectum vult. sed patuit tamen suprà & diluxit non parum. ideoque iam statuendum, ex oblatione qua hominum precatus & operum Sanctorum munera majestati diuinæ Angeli offerunt, concludi rectè, ipsos à nobis posse inuocari. Potest enim rogari quispiam, vt quod iam agit, idipsum agat. idque vel simpliciter vel studiosiùs & propensiùs. Prius in scripturis obuium. Nobis tacentibus, nihilque omnino rogantibus, benedicunt omnia opera Domini Domino, laudant eum omnes Angeli eius. & tamen cum Daniele cap. 3. & Dauide Psal. 145. non fas modo, sed bonum etiam & vtile admodum dicere: *Benedicite omnia opera Domini Domino. laudate eum & superexaltate eum in sæcula. Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino. Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius*: Quid verò ad illud, quo abuti solent; Beza & Caluinus respondeant, *Quod facis, fac citius?* Posterius verò multò etiam & in scripturis & in quotidiana consuetudine vsitatius:

Qui monet vt facias, quod iam facis, ille monendo
Laudat & hortatu comprobat acta suo.
Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Diuina ergo voluntas, & ipse, quo hominum genus amant; amor, eos, vt precibus nos suis adiuuent, impellit. Si propria tamen aliqua nos magis amandi, & adiuuandi ratio accedat, cur ea eos moueri non censeamus? Eiusmodi est, si eos rogemus & inuocemus, vel etiam si diuina idipsum voluntas iis imponat. Hinc enim in sacro Canone de sacris, seu religiosis actionibus, quæ in sacrificio suscipiuntur; DEVM precatur Ecclesia. *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ.* Quin & Bezæ parens (sic eum enim vocare solet; mali corui malum ouum) Caluinus lib. 3. Instit. cap. 20. §. 23. ex eo, quod in DEI conspectum, per Angelorum manus, perferri dicuntur fidelium preces, negat, quod à me iam non agitur; colligi Sanctos præsenti vita defunctos inuocandos, de Angelis verò quibus delegatum salutis nostræ curandæ ministerium, quibus demandata custodiendi nos in omnibus viis nostris prouincia, qui nos circumeunt, monent, consolantur, qui pro nobis excubias agunt, concedit. Et sanè ipsos inuocarũt sapientissimi, sanctissimique Patres, Augustinus annot. in Iob. conc. 2. cap. 19. Basilius in Psal. 33. Chrysostomus orat. 8. apud Iacobum Beuterum, alii, quos, in Litaniarum opusculo, istis vel comites vel asseclas adiungebam. Sed, omnium veluti nomine, acclamat & dicit S. Ambrosius libro de viduis; *Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt*: ipsoque Ambrosio maior Ecclesia, cuius vox; *S. Raphael, ora pro nobis.* Atque hæc de iis, quæ ad verum Tobiæ Saræque precationis effectum, primò spectabant.

Iam *secundò* ad idem effectum spectat, quòd vers. 24. eorum illæ preces exauditæ sint. Neque vlla hic difficultas, nisi quam varia textuum affert lectio. Sic enim Latinus: *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi* DEI. Hebræus verò: *In tempore illo exaudita est oratio amborum in conspectu ipsius secenáh, & in conspectu throni gloriæ Iehouah: oratio quidem Tobiæ pro cœcitate oculorum suorum, oratio verò Saræ pro humiliatione parentum suorum.* Quid *Iehouah* sit, dictum in Exodo cap. 6. sed *secenáh*, vt ait Rabbi Elias, est ipse Spiritus sanctus, ita nuncupatus, quod Hebraice *sacan* valeat

can valeat habitare: ipse verò in prophetis virisque sanctis habitare soleat Iosue 22. Deuter. 1. Gen. 9. Græci porro textus Complutensis, Venetus, Basilienfis ita legunt: *Exaudita est oratio amborum in conspectu gloriæ magni* DEI. Romanus verò correctus; *Exaudita est oratio amborum in conspectu gloriæ magni Raphaelis.* Si textuum istorum aliquis mendum haberet, id in vltimo potius hærere arbitrarer. quia cæteri multo plures, & omnes tam Græci quàm Hebræi & inter se, & cum Latino congruunt. Nihil tamen immutandum puto. quia sæpe accidit, vt isti textus, eadem in historia, diuersas, non aduersas res proponant. sintque hæ omnes bonæ & veræ. Cum aiunt illi, hasce in conspectu gloriæ DEI preces exauditas, satis paret, eas à glorioso, suoque in maiestatis solio metaphorikῶς confidente DEO auditas. sed quid, in gloriæ magni Raphaelis conspectu exauditas? Expositiones tres afferri queunt. Prima, vt per Raphaelem DEVS ipsemet accipiatur. Id enim vt suprà vidimus; verbi vis omnino concedit. Altera, vt Raphael, Angelus quidem sit, sed eius gloria ipse nuncium DEVS appelletur. quemadmodum Psal. 3. *Tu Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Si enim S. Paulus 2. Corinth. 1. v. 14. Corinthiorum *gloria* est, ti Iudith Hierosolymorũ cap. 15. si S. Pulcheria, Ecclesiarum in Synodo Chalcedonensi, si denique vllus Dominus clientum & famulorum, vllus Magister discipulorum, parens vllus filiorum, Ecclesiasticis 3. v. 13. quanta [Raphaelis, omnium]que penitus Angelorum gloria DEVS est? Tertia verò expositio est, vt in gloriosi magni Raphaelis Angeli conspectu exaudita sit precatio. Quia enim eam diuinæ maiestati offerre debuit, eam quoque prius vt auferret necesse fuit. quemadmodum & suprà dictum est. Ipse ergo antequam preces illas offerret; exaudit, exauditasque postea obtulit. Et hæc simplicissima expositio videtur; maximèque huic septuaginta Romano textui consentanea. foret enim magna verbi ambiguitas, si proprium hoc Raphaelis nomen modo Angelum, modo DEVM in vno eodemque loco significaret. Deinde, etiamsi Michaelis & Gabrielis nomina *eorum si notio consideretur*, DEO & CHRISTO *Domino*, tribui possent, quis tamen scripturarum liber ita loquitur? Dixit quidem Beza in S. Iudæ epistolam v. 9. Michaelem, de quo mihi agitur, esse Iehouam. sed hoc tantummodo dicit, vt eius loci difficultatem effugiat: & adhuc *forte* appositè. simulque admodum inepte, dum apud Zachariam cap. 3. vers. 1. angelum Iehouæ, ipsum Iehouam esse vult. prorsus ac si diceret, domini alicuius famulum, esse ipsum dominum. Si ipsum præterea editionis Romanæ contextum adspiciamus, planissimè de Angelo Raphaele sermonem hic esse intelligemus. Nam vbi noster textus, & Hebræus & Græci alii subdunt; *Et missus est Angelus Domini sanctus Raphael*, omittit hic Romana illa editio Raphaelis nomen, & tantum ait: *Et missus est curare duos illos.* Quis verò missus est? Nonne ille ipse, qui nominatus antea fuerat, Raphael? Neque tamen editio Romana tacerat DEO etiam preces istas exauditas. Cum enim ait missum Raphaelem, vt illos curaret, indicat eum à quo missus est; precibus illis annuisse, hancque ideirco Raphaeli prouinciam imposuisse.

Cæterum, *tertium*, id est, quòd ad Tobianæ precationis effectum verum pertinet: *Missus est Angelus Domini sanctus Raphael, vt curaret eos ambos.* Hic admirabere, ô Lector, summam DEI bonitatẽ, si mente paululum agites & expendas. quis sit qui mittitur: à quo mittitur; ad quosnam mittitur, & ad quid. Mittitur Angelica præstans & nobilis admodum natura. mittitur à summo DEO, ad tam viles abiectosque homnulos, ob rem adeò minutam & exilem. Quis, etiamsi res vulgo nota videatur, non obstupescat? Obstupescebat certè, DEVSque idcirco laudabat, & laudari ab omnibus optabat D. Bernardus, cum illud vniuersè consideraret sermone 12. in Psalm. Qui habitat; ac diceret: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Confiteantur, & dicant inter gentes, quoniam magnificauit Dominus facere cum eis. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei, aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis cor erga eum: geris pro eo solicitudinem: curam illius habes. Denique ei mittis vnigenitum tuum: immittis spiritum tuum: promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cœlestibus vacet ab opera solicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium: custodiæ nostræ deputas: nostros iubes fieri Pædagogos. Parum est enim quod facis Angelos tuos spiritus, facis & Angelos paruulorum. Denique Angeli eorũ semper vident faciem Patris, illos vtique tam felices, & tuos ad nos, & nostros ad te angelis facis. Angelis suis mandauit de te. Mira dignatio & verè magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mãdauit? Studiosè consideremus fratres. diligenter commendemus memoriæ hoc tã grande mandatum. Quis enim mandauit? Is, cuius sunt Angeli: cuius mandatis obtemperant: cuius obediunt voluntati. Nempe Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollunt te. Summa ergo maiestas mãdauit Angelis: & angelis suis mandauit. illis vtique sublimibus, tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tã familiariter adhærentibus, & verè domesticis* DEI. *Mandauit de te. Tu quis es? Domine quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam reputas eum? quasi verò non sit homo putredo, & filius hominis vermis. sed quid putas mandauit de te? Nũquid scripsit contra te amaritudines? Numquid vt contra solium, quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, & stipulam siccam persequantur? Numquid vt tollant impium, ne videat gloriam* DEI? *Mandandum istud est, non mandatum. Nõ recedas ab adiutorio altissimi: in protectione* DEI *cœli commorare, ne de te illud quandoque mandetur. Quem enim protexerit* DEVS *cœli, non de eo illud mandabitur, sed pro eo. Angelis suis mãdauit de te, vt custodiant te, ô triticum inter paleas, ô lilium inter spinas. Gratias ei fratres, gratias ei pro nobis pariter & pro vobis.* Sed si Deo tantæ corporum nostrorum cu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

strorum curatio curæ, vt Angelum,& angelum tam excellentem,mittat,quid pro animorum sanitate non faciet? Nam,

Optandum est, vt sit mens sana, in corpore sano:
Sed magis, vt sit mens, etiam sine corpore, sana.

Ideoque recte hic Glossa: *Mystice*. ait, *per Raphaelem intelligi potest Dominus noster Iesus Christus, qui dicitur magni consilij Angelus secundum translationem 70. Isaiæ 9. & venit in mundum ad curandum in vtroque sexu genus humanum*. In Græcis porro dicuntur paulò signatius nonnulla. *Missus est Raphael, vt ambobus mederetur. ipsius Tobit albugines abstergeret, & Saram Raguelis filiam daret Tobiæ, filio Tobit, vxorem, & vinciret Asmodeum, malum dæmonium. quia ad Tobiam pertineret hereditate illam accipere*, id est, Saram, quæ illi velut opima hæreditas debebatur. idque quia vt ait Hebræus, Tobiæ ius erat propinquitatis, id est, propinquitatis iure illam sibi vendicare poterat. sed additur adhuc in Græcis. *Eodem tempore domum redyt Tobit, & Sara è cœnaculo descendit*. estq; sermo de illo tempore, quo, dum ei vxor opprobraret, in illam domus suæ partem priorem exierat, vbi calamitas cœcitasque accepta fuerat.

CAPVT IV.

1 *IGitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei:*

Eccles. 7.29. Exodi 20.12. 2 *Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum constitue.*
3 *Cum acceperis Deus animam meam, corpus meum sepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius.*
4 *Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.*
5 *Cum autem & ipsa compleuerit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.*
6 *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri:*
Luc. 14. 13. Prou. 3.9. Eccles. 4.1 & 4.13. Eccles. 31.4 7 *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vlla paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.*
8 *Quomodo potueris, ita esto misericors.*
9 *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*
10 *Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.*
Eccles. 29.15. 11 *Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*
12 *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.*
13 *Attende tibi fili mi ab omni fornicatione & præter vxorem tuam numquam patiaris crimen scire.* 1. Thess. 4.3.
14 *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*
Genes. 3.5.
15 *Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.* Leuitic. 19.13. Deuter. 24.14.
16 *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Matth. 7.12.
17 *Panem tuum cum esurientibus, & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.* Lu. 6.31. Luc. 14. 24.
18 *Panem tuum & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.*
19 *Consilium semper à sapiente perquire.*
20 *Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, vt viæ tuæ dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*
21 *Indico etiam tibi Fili mi dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo in Ragis ciuitate Medorum, & chirographum eius apud me habeo:*
22 *Et ideo perquire, quomodo ad eum perueniat, & recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum.*
23 *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.*

COMMENTARIVS.

DVplex Tobianæ precis effectum dicebam. Vnum verum, de quo iam actum est; alterum putatum, de quo iam. Id verò falsum quidem & inane fuit, sed eius filio, nobisque perutile. Cum enim se mortem impetrasse putaret Tobias, filio præcepta quasi iamiam moriturus, dedit & sapientissima & vilissima. Ita enim morituri parentes, vtique boni solent, vt Moyses Num. 27. v. 20. 23. & toto Deuteronomio: Dauid lib. 3. Reg. cap. 2. D. Ludouicus Francorum Rex, vt in eius historia, ex Tobiæ huius exemplo, notatur. Et hoc D. Ludouici tam factum, quam præceptiones & charram Philippo filio datam laudant, siosque etiam Philippo moriens reliquit Catholicus Hispaniarum Philippus, cum, elapso superioris anni Septembri, e terris in cœlum abiret, vti quidem literis mandauit Reuerendus admodum vir Diego de Yego de Yepis. Quid verò in Miscellæ libro 16. & apud Cedrenum Iustinus Imperator? Quæ & quasia moriturus Tiberio successori præscribit? Quam egregia & quam vtilia Gentilis etiam Cyrus filiis apud Xenophontem libro 8? Sunt verò illa, quæ præcepit Tobias decem vel duodecim.

PRIMVM TOBIÆ PRECEPTVM.

De Pietate in Parentes, viuos & mortuos.

PIETAS erga parentes duplex est. erga viuos nimirum & mortuos. De ea, quæ erga se viuum esse debuit, nihil præcipit Tobias. quia supremum vitæ tempus hoc esse opinabatur. Sed eam erga se mortuum petit, vt suum à filio corpusculum sepeliatur. Magna enim officij huius vltimi cura veteribus fuit Genes. 23. 35. 50. prout etiam supra c. 1. & 2. tactum est, iteréque à D. Augustino explicatum libro de cura pro mortuis. Lactantio lib. 6. cap. 12. Ergà matrem verò, quia sana & superstes futura videbatur; honorem requirit, eumque constantem atque perpetuum. & causam addit. *Memor esse debes, quæ & quanta passa sit propter te, in vtero suo*. Magni matrum quæ nos genuerunt; & diuturni esse solent dolores, fastidia etiam multa. honor ergo & amoris merito debetur, prout ait lib. 8. Ethic. c. 7. & 11. Aristoteles. qui lib. 9. c. 7. *Matres*, ait, *filios magis amant. Generatio namq; labor tristior est*. Erga mortuam verò eadem, qua erga se pietate filium esse iubet. vt ab eo scilicet etiam sepeliatur. Sed quid est, quod non ait simpliciter *sepeliet eam*. sed addit *circa me*. Hebræus explanat dicens. *Sepelias eam mecum, honorifice, in vno* eodemque *sepulchro*. & Græcus: *sepelias ipsam in vno mecum in vno sepulchro*. Hoc enim modo prisci cum coniugibus Patriarchæ sepulti sunt. In spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron, *sepultus est Abraham & Sara vxor eius*. Genes. 25. v. 10. *Ego*, ait Iacob Genes. 49. v. 29. *congregor ad populum meum. sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici. ibi sepelierunt Abraham & Saram vxorem eius. ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua. ibi & Lia condita iacet*. Hæc enim etiam in sepulchro coniunctio significat, quantus, quam constans, & perennis inter coniuges amor esse debeat. De quibus à Deo dictum Genes. 2. vers. 24. & 1. Cor. 6. v. 16. *Erunt duo in carne vna*. Quemadmodum apud Hierosolymitanum Sophronium Partic. 40. hæreticum eodem in sepulchro secum esse nolebat Catholicus, eique quia hæresin oderat mortuo mortuus dicebat; *Noli me tangere hæretica*: ita castè coniugi castus maritus, qua cõiugalem caritatem, ne ipsa quidem mors adhuc diremit; copulari optat; melioreprorsus modo, quam illæ apud Indos, quæ vt apud Ciceronem Tusculana quinta est; summi amoris, laudisq; ducebant, si se in eundem cum marito rogum vitæ iniecissent. Admiranda verò & Tobiæ in vxorem caritas. cum ab ea tamen iis, quæ supra vidimus; conuitiis appetitus vexatusque fuisset. Ista verò parentum veneratio, etsi decalogo præcepta est, insignem tamen in Ecclesiastico c 3. laudem habet. *Qui timet dominum, honorabit parentes: & quasi dominis seruiet his, qui se genuerunt. Quam male famæ est, qui delinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem*. Mitto, quæ Lycurgus oratione contra Leocratem, Pausanias in Phocicis, Virgilius Æneid. 2. Ioannes lib. 2. de obedientia, Rhodigin. lib. 11. cap. 17. Aristophanes de antipelargesi in Auib. alique tradiderunt. Euripidem tantum versiculos ingero.

Ὅστις δὲ τεκόντας εὖ βίον σέβει,
Οὗτος μὲν ἐν ζωῖς κἀν θανὼν θεοῖς φίλος.
Οὐκ ἔστι παισὶ τιμιώτερον γέρας
ἢ πατρὸς εὖ λαβεῖν κἀξιωθῆναι πάρα.
Καὶ τοῖς τεκοῦσιν ἀξίαν τιμὴν νέμειν.

Quisquis parentes hic pie viuens colit,
Hunc viuentemque mortuumque amat Deus.
Non liberis est pulchrius munus aliud
Quam liberos dici parentis optimi,
Parentibusque dignum honorem reddere.

SECVNDVM TOBIAE PRÆCEPTVM.

De religione in DEVM vers. 6. & 20.

VT in mente scilicet DEVS semper habeatur, non simpliciter, quia quo minus, secundum essentiam, scientiam, & potentiam semper adsit, efficere non possumus; sed vt semper adsit obiectiuè, quoad iugem cogitationem & reuerentiam. Prouerb. 3. vers. 6. *In omnibus viis tuis cogita Dominum. & ipse dirigit gressus tuos*. hinc enim duo, quæ subduntur, statim sponte veluti sua emergunt: *Caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri*, D. Anselmus.

Cum quid turpe facis, qui me spectante rubores.
Cur spectante Deo, non magis ipse rubes.

Sic viue, ait epistola 10. Seneca, *cum hominibus, tanquam Deus videat*. Et epistola sequente, quam præclara, si in DEVM, quæ tradit; conferantur? *A magna*, inquit, *pars peccatorum tollitur, si peccatoris testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur: cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non aspectu tantum, sed etiam cogitatu emendat. O felicem, qui sic aliquem potest, vt ad memoriam quoq; eius se componat, atque ordinet. Qui sic aliquem verari potest, sanctus erit verendus*. Similia etiam in epistola 25. Arriano lib. 1. cap. 14. in Epictetum.

E TER-

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIVM TOBIAE PRAECEPTVM.

De beneficentia & misericordia. vers. 7.

Hic verò multa eaque pernitilia docentur. PRIMO, *quid agendum; fac Eleemosynam; noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. nudos tege.* v.17. Secundo, *quibus?* Egentibus scilicet, qui sunt aut viui, aut mortui, vt infra ver. 17. non vt Turcæ, qui felibus, piscibus etiam, brutisque aliis, misericordiæ causa, cibum tribuunt, capras interdum aues liberant, vti scribit cap. 197. Turcici Pandectę Leunclauius. adeò vt in Mogorici regni partibus hospitalia sint, in quibus ægræ brutæ animantes curentur: boues, asini, accipitres, vbi habet Narratio de Mogoribus edita. Sed de iis, quibus largiendum, contra Plautum & Ciceronem videri potest Lactantius lib. 6. cap. 11. cuius hæc conclusio, *Vnum certum & verum liberalitatis officium est, egentes atq; inutiles alere*: quamquam nec dissentire Cicero videtur. cum Offic. l. 2. ait homines tenues, quidquid bene sibi factum sit, putare se tantum spectatos, non fortunam. De quo etiam Seneca l. 2. de beneficiis cap. 31. 32. & omnium optime Dominus & Saluator noster Lucæ. 12. v. 12. 13. 14. Tertiò. *Vnde?* ex substantia tua, non ex aliena, ex pane tuo, non alieno, non ex rapinis & fraudibus composito. Prouerb. 3. v. 9. *Honora Dominum de tua substantia.* D. Augustinus serm. 35. de verbis DEI & in quinquag. hom. 47. Chrysost. Hom. 35. ad populum. Cicero 1. Offic. Additur verò vers. 26. in Græc. & Hebr. *ex superfluo.* Quartò. *Quomodo? Secundum facultatem.* secundæ Corinth. 8 v. 12. *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet.* D. Basilius hom 6. & 8. Nazianzenus orat. de pauperum amore. S. Leo serm. 3. Tomo 9. D. Augustini liber de conflictu vitiorum. cap. 17. D Greg. 3. Pastoralis c. 21. Cicero lib. primo offic. Quintò, *Quo fructu?* Quadruplici. *Primus, Non auertetur à te facies Domini.* vers. 7. *Secundus* v. 10. *præmium bonum tibi thesaurizas.* Græcè θήσῃ ἀγαθὸν seu vt Hebræus dicit; *depositum.* Nam quæ in pauperes conferuntur, ea apud DEVM quasi deponuntur. Prouerb. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* additur, *in die necessitatis*, vt Psalmo 40. *in die malo.* Et no a eum, qui eleemosynas facit, thesaurizare sibiipsi, non aliis. vt fere faciunt, qui coacersuppliciumque maximum, vt Lucæ 12. v. 20. Ecclesiastæ 6 v. 2. *Tertius* effectus vers. 11. *Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat: non patietur animam ire in tenebras* id est *in gehennam.* vt legit D. Cyprianus epist. 52. lib 3. ad Quirinum. cap. 1. lib de opere, D. Augustinus quinquag. hom. 47. & li. insignia illa D. Augustini verba serm. de verbis Domini, secundum Matthæum, 18. c. 16. Tobias monens filium suum, ad opera bona monebat: *Dicebat illi vt daret pauperibus, præcipiebat, vt eleemosynas faceret indigentibus, & docebat, dicens: Fili, eleemosyna non sinunt ire in tenebras. Consilium percipimus atq; obtinenda lucis cœcus dabat. Eleemosyna, inquit, non sinunt ire in tenebras. Si ei filius responderet mihi dicis, Eleemosynæ non sinunt ire in tenebras? Nouerat ille, de qua luce doceret filium. nouerat in interiore homine q. videbat. Filius patri porrigebat manum, vt ambularet per terrā. & pater filio, vt habitaret in cœlo.*

Quomodo ab omni peccato liberat Eleemosyna?

D AVGVSTINVS de verbis Domini in Lucam, sermone 30. & Enchiridij, cap. 25. 77. nonnullorum errorem confutat, qui etiamsi in peccatis perseuerarent, si tamen eleemosynas largas dupliciter illa eleemosynæ præconia intelligenda. *Primo*, vt cætera, quæ alibi scripturæ requirit, nō misericordia in eum prius, qui eleemosynam facit, conferatur, ibidem, & lib. 21. Ciuit. c. 27. Isto iura & V. Beda in D. Lucæ caput 11. 2. ab eorundem pœnis liberat. Danielis cap 4. D. Ambrosius & Isodir, quia maiorem DEI gratiam & auxilium accersit. D. Augustinus in quinquaginta hom. 47. meat. Nazianzenus loco citato, eleemosynam ait, *verbum peregregium esse quā, quidam vt lana, quæ eleemosyna extinguit peccata, sicut aqua baptismi gehennæ extinguit incendium. Ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lauacrum, vt si quis forte post baptismum humana fragilitate deliquerit, superest ei, vt rursum eleemosyna mundetur.* Et epist. 82. hunc ipsum locum citans, quasi nostri temporis hæretici essent. Et D. Cyprian. lib. de oratione & eleemosyna; *Sicut lauacro aqua salutaris gehennæ ignis extinguitur: ita eleemosynis atq; operibus iustis delictorum flamma sopitur.* D. Bernardus serm. 1. post Epiphaniam, hydriam tertiam, qua peccatorum ablutio fiat, statuit eleemosynam. Sic & baptismo comparat D. Leo hom. 2. de Collectis, & serm. 5. *Eleemosynæ*, inquit, *peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt*, huncque Tobiæ locum subiungit.

Quartus

Quartus eleemosynæ fructus vers 12. *fiducia magna erit eleemosyna omnibus.* Hebraicè, *Munus amplum & bonum rependetur coram sancto; siue, à* DEO *merces optima reddetur*, vt ait Varablus. Videatur Chrysostomus hom. 33. ad populum, Prouerbiorum caput 12. 19. 15 16. Ecclesiast. 3. & 9. Dan. 4. Luc. 11. Pro illo verò: *Non auertas.* Hebraicè dicitur: *Non occultes oculos tuos.* Et ante istud, traditur vtilissima præceptio: *Non associes te viris iniquis, siue, non facias tibi socios viros impietatis.* Epictetus Canone 35. *Noueru*, ait, *si contaminatus socius fuerit, necessarium esse, eum qui cum eo conuersatur: contaminatum etiam euadere.* de quo pluribus postea eodem capite. Rursumq; ante illud: *Eleemosyna liberat.* interponitur Hebraicè: *Possidebit tu autem diuitias & thesauros argenti & auri in iustitia. Nam thesauri nihil proderunt, & eleemosyna liberabit à morte.* Et quicunq; facit *eleemosynam, is videbit faciem* DEI, *sicut scriptum est: Ego in iustitia contemplabor faciem tuam, & qui occupantur ea, de cœlis sunt.*

QVARTVM TOBIAE PRAECEPTVM.

De continentia ante coniugium, & in coniugio, ver. 13.

ATTENDE *tibi, fili mi, ab omni fornicatione.* Qui *omnem* dicit, nullam omnino excipit. ne illam quidem, quæ simplex dici solet. etiamsi accuratam prolis curam sponderet. Ideoque addit; *& præter vxorem tuam, numquam patiaris crimen scire.* Qui solam vxorem cōcedit, nonne scortum, pellicem, concubinamq; prohibet? Qui, extra coniugium, procreationis operi operam dari nunquam vult, vllumne petulantiæ, obscœnitati, Plautinisve ludis tempus indulget? Atque sic etiam Apostolus 1. Corinth. 6. *Fugite fornicationem. Nolite errare. Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neq; adulteri, neque molles, neq; masculorum concubitores, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum* DEI *possidebunt.* Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, ebrietates comessationes, & huiusmodi: quoniam qui talia agunt, regnum* DEI *non consequentur.* Ephes. 5. *Fornicatio & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis sicut decet sanctos. aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, &c. non habet hereditatem in regno* DEI *&* CHRISTI. Nam Hebr. 13. *Fornicarios & adulteros iudicabit* DEVS. Et Apoc. 21. fornicatorum *pars erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.* Videatur & D. Augustinus q. 71. super Exod. serm. 16. de verbis Domini, lib. de decem chordis, cap. 10. contra eos, qui dicunt: *Vxorem non habeo, facere possum quod volo. ad meretricem vado.* D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. Caietanus ibid. Sotus lib. 5 de iustit. q. 3. art. 3. Etsi verò amorum vagarumq; libidinum intolerabilis apud Ethnicos licentia erat, non defuere tamen, licet, vt queritur etiam in Tusculanis Tullius; æquo pauciores, qui modestiam & coniugalem tantum societatem probarent. Præcipit de legibus lib. 7. Plato, μηδένα πλησίον ἰόντα ἄλλης ἢ τῆς αὐτοῦ γαμετῆς ἑταίρας. *Nemo audeat vllam attingere, præter legitimam suam vxorem.* Epictetus Canone 37. Περὶ ἀφροδισίων, εἰς δυνάμεις καὶ χαιρούσας. *Circa Venerea pro viribi ante coniugium, castum purumq; esse oportet.* Formosissima erat Lais meretrix: poscenti tamen pro flagitio, coronatos mille, dixit apud Gellium lib. 1. c. 8. Demosthenes, *pœnitere tanti non emo.* At scortatoribus omnibus æterna, vt paulò ante audiuimus, in igneo sulphureoq; stagno, supplicia exsoluenda sunt. Cur miseri & ter quaterq; infelices, tam triste, tamq; funestum pœnitere, tanti eminus? O vecordiam! ô cœcitatem! Sed præter vxorem dum sciri crimen verat Tobias, videtur ipsum etiam cum vxore congressum, crimen appellare. At ita vocant. quia cum congressum vetabat, quatenus extra matrimonium, cum fœmina vlla suscipitur, & sic verè crimen. cum propria vero vxore, non nisi impropriè ita vocatur. modo fœditatum earum nulla concurrat, quæ actum, alioqui legitimum, deprauet atque contaminet. Additur verò hic in Hebræo & Græco textu, qualis & vnde, iuniori Tobiæ vxor ducenda sit. non alienigena scilicet, neq; ex alia tribu. sed è femine Abraham, ex eademq; tribu. prout Patres fecerūt, nominatim Abraham Genes. 11. Isaac Genes. 24. Iacob Genes. 27. 29. In Græco, ante hos etiam Noe commemorauit: simulq; vxores istiusmodi, quòd eodem ex genere essent, sorores vocantur. Sed de ista re actum alibi. D. Cypriani locum è Græco hunc afferentis verba tantum afferam. *Matrimonium*, inquit lib. 3. ad Quirinum, cap. 62. *cum Gentilibus non iungendum. apud Tobiam. Vxorem accipe ex semine parentum tuorum: & noli sumere alienam mulierem, quæ non est ex tribu parentum tuorum.*

QVINTVM TOBIÆ PRAECETVM.

De modestia, & animi demissione, vers. 14.

QVID est, inquit D. Augustinus lib. 14. Ciuit. 13. *superbia, nisi peruersæ celsitudinis appetitus?* Qui enim *vult*, ait Isidorus lib. 10. Etym. 1. *supergredi quod est, superbus est*, sicuti & in Germanico ab altius ascendendo dicitur hoffart, quasi hochfart. Hanc ergo labem repelli iubet Tobias. non vt nunquam hominem titillet. (id enim non in eius manu) sed vt ne in ipsius sensu, aut verbo dominetur, *Sensum* vocat, ipsam animi sententiam & cogitationem, in qua & ex qua propria superbia est. foras vero aut dictis aut factis erumpit, cum sese quispiam iactat, & magnificentius ostentat non verbis tantum, sed & operibus. Horum tamen non diserte meminit, sed ea satis indicauit. Si enim ne in mente quidem & verbo inesse debet vlla superbia, quanto in factis minus? Causam adiungit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Horres, mi homo, frigus, æstum, famem, sitim, morbum, mortem? Horum quoque fontem & principium exhorresce. In superbia initium sumpsit omnis perditio. horres dedecus, infamiam, peccata ipsa, iudicij diuini seueritatem, gehennamque perpetuam? horum quoque fontem & principium exhorresce. Omnis perditio, exitium, malumque omne à superbia ducit originem. idque dupliciter. *Primo,* quia magnum illud Luciferi, eiusque assectarum peccatum, peccatorum omnium primum, superbia nonne fuit? *Deinde* tristissima illa primorum nostrorum parentum culpa, culparum in hominibus omnium prima, scelerumque omnium parens & origo, superbia nonne fuit? *Initium,* ait Ecclesiasticus c. 10. v. 15. *omnis peccati est superbia. Qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis* D. Bernardus serm. 2. de S. Andrea. *Initium,* ait, *omnis peccati & causa totius perditionis, superbia. Propterea quisquis es, qui salutem tuam operari studes, aduersus hanc, super caput tuum, signum crucis habere memento, vt non eleueris in superbiam, vt non exaltetur cor tuum.* Et lib. de interiore domo c. 41. *Superbia sicut origo est omnium criminum: ita est ruina omnium virtutum.* Rursumque serm. 1. de aduentu. *Si superbientibus Angelis* DEVS *non pepercit, quanto minus tibi, putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est: tantum cogitauit superbiam: & in momento, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus est, quia in veritate non stetit. fugite superbiam, fratres mei, quæso multum fugite. Initium omnis peccati superbia. quæ tam velociter ipsum quoq; sideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebrauit luciferum. quæ non modo Angelum sed angelorum primum in diabolum cõmutauit.* Demum serm. 54. in Cant. *Superbo angelo horrenda & formidolosa maledictio intorquetur, quoniam in veritate non stetit. Si sic actum est cum Angelo, quid de te fiet terra & cinere? Ille in cœlo intumuit: ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in diuite superbiam, quam in paupere ducat? Væ mihi, si tam durè in potente illo animaduersum est, pro eo quod eleuatum est cor illius: nec ei profuit, quod cognata potentibus superbia esse cognoscitur. quid de me exigendum & misero & superbo?* Potest vero non in primis tantum vel Angelis vel hominibus censeri perditionis omnis principium superbia, sed & in homine quolibet. idque bifariam. *Primo,* quòd primi quasi motus, qui in infantulis rectæ rationi repugnare videantur; sunt elationis, dum videlicet illi, præ cæteris diligi & laudari volunt, dum æquales contemnunt, iis irascuntur, iniuriolas vlciscuntur. *Deinde.* quòd in omni vel minima cuiuscumque diuini præcepti violatione superbiæ aliquid appareat. dum qui DEO, ex asse, subditus totus esse deberet, supra seipsum it, diuinæque legis transgressionem appetit. Vnde & lib. de vita contemplatiua c. 2. S Prosper. *Nullum,* ait, *peccatum sine superbia potest vel potuit esse, aut potest.* Hebræorum porro textuum alter, de superbia ista reticuit. Græcus cum superiori connectit, & paululum dilatat sic, *Et nunc, ô fili, fratres tuos ama. neque ita in corde tuo superbias, vt contemptis fratribus tuis. filiis filiabusque populi tui, nolis ex iis tibi vxorem accipere. quia in superbia exitium & perturbatio* seu *confusio multa.* καὶ ἐν τῇ ἀχρειότητι ἐκκαύσεως, καὶ ἔνδεια μεγάλη. ἡ γὰρ ἀχρειότης μήτηρ ἐστὶ τούτων. Quæ verba ideo Græce propono, vt lectionis intelligatur varietas. habent enim libri quidam καὶ ἐν τῇ ἀχρειότητι, vt ententia sit: *& in animi feruentia inest imminutio seu depressio, & egestas magna.* id est, ferocem, elatum atq; superbum, consequitur dedecus & inopia. quòd Hebræorum alter ex Prou. c. 16. v. 18. ita extulit *contritionem præcedit superbia: & ante minam exaltatur spiritus* Ea tamen, quæ è Romanis Græcis proposita est, ἀχρειότης, lecta etiam fuit veteribus. Ita enim ex hoc loco ait libro de Tobia cap. vltimo D. Ambrosius. *Luxuria mater est famis.* Multa vero de superbia passim Ecclesiasticus 10. v. 9. 14. 15. & seq. Prou. 15. v. 25. alibi. Ad contrariam porro virtutem, vt in Rhetoricis, ad bonam pronunciationem quidam; ita nostrum quemlibet epist. 56. cohortatur D. Augustinus *Non aliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatem viam munias. quam quæ munita est à* CHRISTO, *Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas. Et quoties interrogaret, hoc dicerem: non quo alia non sint præcepta, quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia, quæcunque bene facimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & propesita, quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus, & imposita, qua reprimamur. iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum exterquet de manu superbia. Vitia quippe cætera in peccatis. superbia verò etiam in bene factu timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* imo & conspurcentur. Verus enim poetæ cuiusdam versiculus. *Inquinat egregios adiuncta superbia mores.*

SEXTVM PRÆCEPTVM

De Iustitia.

DVpliciter ea commendatur. *Primo* speciatim erga operarios. vt Leuitici 19. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane.* Et vberius Deuter. 24. *Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra & intra portas tuas est; sed eadē die, reddes ei pretium laboris sui ante solu occasum. quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam. ne clamet contra te ad Dominum. & reputetur tibi in peccatum.* Quid cap. 34. Ecclesiasticus: *Panis egentium, vita pauperum est. qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui effundit sanguinē, & qui fraudē facit mercenario, fratres sunt.* Quid apud Malachiam c. 3. Dominus: *accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij.* Quid c. 5. D. Iacobus: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorū in aures Domini Sabaoth introiuit.* Quia vero in *debita* huiuscemodi mercedis retentione tanta & tam euidens iniustitia est, inde factum,

factum, vt è citatis scripturis dixerint Theologi, peccatum esse, quod in cœlos clamet, diuinamque vindictam expetat. Quod si vt cap. 2. dictum est; aliquod interdum mercedis auctarium dandum, quanto magis merces ipsa reddenda? De bono illo patrefamilias Matthæi 20. scriptum est. *Cum fore factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo. Voca operarios. & redde illis mercedem. Secundo* generatim commendatur iustitia erga omnes. *Quod ab alio oderis fieri tibi, alteri ne feceris.* S. Clemens epistola prima & secunda, Anacletus epist. prima, Calixtus epist. secunda, illum locum citant. D. Augustinus lib. 15. contra Faustum cap. 7. naturalem eo præcepto legem contineri ait. S. Irenæus verò cap. 12. lib. 3. & S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum eandem sententiam inter Apostolorum leges actor. 15. recitant. De Alexandro Imperatore, licet gentili hisce verbis scribit Lampridius; *Clamabat sæpius, quod à quibusdam, siue Iudæis, siue Christianis audierat & tenebat, idq; per præconem, cum aliquem emendaret, dici iubebat. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Idem etiam vide apud Goldastum fol. 123.

Quod tibi tu non vis fieri, ne feceris illi:
Quod fieri tibi vis, hoc quoq; fac alii.

Id verò elegantissime hom. 13. ad populum explicat Diuus Chrysostomus. *Non,* ait, *opus est multis sermonibus, neque prolixis legibus, nec varia doctrina: Velis tua sit lex. Vis beneficia capere? confer beneficium alteri. Vis misericordiam consequi? misere proximi. Vis laudari? lauda alterum. vis amari? ama. Vis primus partibus potiri? cede primus alteri. Vis iudex. Tu sis vitæ tuæ legislator.* Et rursum; *Quod odisti, alteri ne feceris. Per hoc quidem fugam a malo inducit, per illud autem, virtutis operationem. Odisti contumeliam pati? neque tu alteri inuideas. Odio habes fallit? Neque tu fallas alium. Et in omnibus generaliter, si diligenter hæc verba retinamus, alterius disciplinæ non indigebimus.* Sic D. Hieronymus ad Galatas c. 5. & D. Augustinus lib. 5. de doctrina Christ. c. 14. *Hæc,* ait, *sententia, quod tibi fieri non vis, alii ne feceris, cum perfecte adhibetur Dei, omnia flagitia moriuntur: tam ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculū suum. Non ergo corrumpat habitaculum Dei: si ipsum sentiat, Et sibi nemo vult à quoquā nocari. Nec ipse igitur cuiquam nocuerit.* Idem S. Augustinus l. 2. de ordine c. 8. duplicem ait ad descendib' sapientiæ studiosis necessarium ordinem. *cuius vna pars vita altera eruditionis.* Vtramq; ab illis & legi & teneri optaré. Sed quę cum iam datis viuendi præceptis, iamiamq; tradita generali iustitię regula conspirent, pręgustanda offero, *adolescentibus,* ait, *studiosis ita viuendum est, vt a Venereis rebus, ab illecebris ventris & gutturis, ab immodesto corporis cultu & ornatu, ab inanibus negociis ludorū, à torpore somni atq; pigritia, ab honorum potestatumque ambitionibus, ab ipsius etiā laudis immedica cupiditate se abstineant. In omni vero contractu atque conuersatione cum hominibus, satis est seruare vnum hoc vulgare proverbium, Nemini faciant, quod pati nolunt.*

SEPTIMVM TOBIÆ PRAECETVM.

De misericordia rursum in viuos versu 17. & in mortuos versu 18.

GRÆCVS ita textus habet. *Effunde panes tuos in sepulchrum iustorum.* Hebraicus verò; *Ne sit duorum in oculis tuis panem tuum, & vinum tuum effundere super sepulchra iustorum.* Quæ verba sibi quid velint, quæritur: Ministerus duplicem hic expositionem adfert. *Prior* est, Non occidas iustos, subtrahendo illis panem. Sed valde contorta esset phrasis, & nusquam audita, potiusque dicere debuisset, *super viuos,* vel *in viuos.* deinde idem diceret iam quod dixerat. *Posterior* expositio, Pone panem super iustorum os, quia sepulchrum vocatur os, Psalmo 6. At non quorumlibet os sepulchrum vocatur, sed impiorum tantum, & quidem hæreticorum maximè, *vnde venefaciorum mortes exhalant,* inquit, Augustinus l. 2. contra litteras Petiliani c. 15. Ar hic in Latino, Græco & Hebraico, iustorum perpetua mentio est. Alia dari potest expositio, vt ob iustorum sepulturam, seu, vt iusti sepeliantur, conferatur annona tota. Nam pro, *ob,* interdum ponitur, *super,* & consentaneum videtur, vt pium opus, quod maximè sectabatur Tobias, filio commendaret. Sed non tam ad sumptum faciendum, qui in captiuitate & occulta sepeliendi ratione nullus fiebat, quàm ad ipsum laborem, & opus, exhortatione opus fuisset, quamquam hic exemplo satis cum exhortatus erat, incurrit etiam ad patientiam, furtorum detestationem, & similia. Magis ergo verborum proprietas retinebitur, si veterem, quem ignotum ait Hugo Cardinalis, ritum, e prophanis sacrisque litteris excutiamus, qui eiusmodi fuit. Mortuorum sepulchris cibum potumq; superponebant, quæ in Festo & Ouidio, dicuntur *feralia cænoria,* in Ecclesiastico c. 30. *appositiones epulorum, circumpositæ sepulchro.* Rursumque funebres quasdam epulas dabant, quæ vocantur in Nonio *silicernia,* in Plauto *pellicinia,* in Liuio *exsecrationes,* in Ciceronę de legibus, *circumpotationes,* in Tertul. lib. de testimonio animæ, *silicernia & mattya,* in Iosepho lib. 2. Captiuit. c. 7. & aliis, *epitaphia,* ἐπιτάφια, *sepulchrorum cænæ,* τὰ ἐπὶ τοῖς τάφοις δεῖπνα. & simpliciter ἐπιδεῖπνα in Suida, Pollvce, Athenæo lib. 7. & 8. Luciano de luctu, 2 Reg. 3. Baruch. 6. Et hebant hæc vel vinorum causa, vel mortuorum. *Vinorum* quidem causa duplicater. *primo* vt ius, qui mortuos lugerent, consolationi forent cibus, potusq; ab amicis præbitus Hierem. c. 16. *Non ibunt vt inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuum: & non dabunt ei potum calicis ad consolandum super patre suo, & matre:* vbi D. Hieronym. *Moris fuit,* ait, *lugentibus ferre cibos, & præbere consolationem, quod Græci* περίδειπνα, *& à nostris vulgo appellantur parentalia.* Vnde & Prouer. 31. *Date siceram mœrentibus. Deinde* vt ad sanctorum sepulchra positi cibi, *per eorum merita sanctificarentur,* vti loquitur D. Augustinus l.

Universidad de Deusto
Biblioteca

8. Confessionum c. vlt. sicque dum iis viui homines fruerentur, aliqua sanctorum ipsorum benedictione ac præsidio afficerentur. *Mortuorum* verò causa iterum dupliciter: ratione scilicet corporis, & ratione animi. *Corporis* quidem, vt mortui cibum illum ederent, appositamque potionem biberet. quod stultum valdè ac superstitiosum, à quibusdam tamen, opinione falsa dementatis; sanctum legimus, vt à Gentilibus, de quibus Arnobius l. 6. Epiphanius in Anchorato, Seruius in 3. Æneid. & olim à quibusdam superstitiosis Christianis, quos reprehendit Augustinus sermone 11. de Sanctis, & Concilium Carthaginiense tertium. hac etiam tempestate à Peruanis, de quibus Augustinus Zarate lib. 1. cap. 12. à Iaponnis, de quibus Caspar Vilela lib. 2. epist. Indicarum. *Animorum* causa, iterum dupliciter. *Primo*, vt honor quidam mortuis esset. Et sic Homerus Iliad. ψ & ω, Appollonius in Argonauticis, Virgilius 3. & 5. Æneidos, Xenophon lib. 8. Iosephus loco citato, & Christiani olim quidam ad martyrum sepulchra, vbi tamen lenitatis & temulentiæ abusus quidam irrepsit, quem reprehendunt D. Ambrosius de Helia. cap. 7. & in Lucam, D. Augustinus lib. primo de moribus Eccles. 34. lib. 6. Confessio. cap. 11. lib. 20. contra Faustum cap. 21. lib. 9. ciuit. cap. 27. in Psalm. 119. epistol. 64. & Cyprianus de duplici martyrio. *Secundo*, vt auxilium ipsis mortuis aliquod esset, dum opus charitatis pro iis fieret, peritamque eleemosynam, ad orandum pro ipsis, alij excitarentur. Et isto posteriore modo istum locum explicat Hugo, Lyranus Carthusianus, Bellarminus lib. 1. de Purgatorio, cap. 13. Turrianus lib. 4. pro epistolis Pontificum, cap. 13. Probatur, *primò*, ex vetusta Christianorum consuetudine, stipes & sportulas in amicorum funeribus dandi, conuocandi ad modestum conuiuium Presbyteros, propinquos & pauperes, vti scribunt Diuus Clemens Apostolicarum Constit. lib. 8. cap. 24. Diuus Chrysostomus hom. 37. in Matth. Gratianus Canone, Nullus, distinct. 44 & secundum Rhenanum, hæreticumque Stuckhium; etiam Tertullianus libro de monogamia, cap. 10. & libro de corona militis. Verum quæ ibi vocat Tertullianus *oblationes pro mortuis*, fuisse sacrificia, rectè probat ibidem Pamelius, cum aperte, in exhortatione castitatis, cap. 10. de illis oblationibus dixerit idem Tertullianus, *Offeres per sacerdotem*. *Secundò* probatur ex simili consuetudine, quæ & hodie superest in Italia, Hispania, & Gallia, testibus Bellarmino & Turriano loco citato. De Germaniæ nostræ locis pluribus idem scio, sed contra hæreticos, hæreticorum etiã testimonijs vtendum. Ait ergo Zuinglianus ille Stuckhius lib. 1. de conuiuiis, c. 26. *Apud Germanos illis qui sẽ Catholicos profitentur, hoc fere more vtuntur. Primò, ipso die, quo defuncti corpus humatur, domi conuiuium amicis, propinquis, atq; facem dolibus qui funeralia prosequuntur; datur sportula quoque cum pauperibus, tum sacerdotibus ad funeralia vocatis & ornatis.* Quin verò apud multos etiam hæreticos, & in hæreticis quidem vrbibus, post defunctorum sepulturam, eleemosynæ adhuc hodie pauperibus dari solent. Apud Turcas etiam idem fieri, testis Bartholomeus Georgiuzius, & l. 2. cap. 19. historia Turcica, quòd Christianos veteres, multis in rebus, imitari Turcę soleant, quemadmodum religionem superstitio; Catholicorum cæremonias & cultum hæresis quandoq; imitatur, vt explicat Iulius Ficinus, libro de erroribus ad Constantinum. Tertullianus lib. præscriptionum aduersus hæreses. ca. 40. *Testo* probatur ex abusu, de quo superius. Is enim ex bono, verusto q; vsu, vt in bonis aliis rebus, exortus est, & quidem etiam apud Iudæos, vt ex cap. 1. l. 2. Captiuitatis apud Iosephum intelligitur, solumque abusum, non vsum Patres reprehenderunt. Vnde D. Augustinus epist. 64, *Oblationes pro spiritu dormientium, quas* VERE *aliquid adiuuare credendum est, super ipsa memorias non sint sumptuosæ: atque omnibus petentibus sine typho, & cum alacritate præbeantur, nec q; vendantur.* Hæc igitur bona expositio est. Malim tamen verba generaliùs accipi, vt tam viuorum causa, quam mortuorum quoad animos, præcipiatur hic eleemosyna. Primò, quia id verborum proprietas, & significatio admittit. Secundò, vtrumq; olim factum, & nulla causa, cur ad alterum tantum modum restringi verba debeant. Tertiò, quia eodem charitatis opere, potest & viuis consolatio, & mortuis, tanquam DEI templis, honos quidam & auxilium adhiberi. Quarto, quia sic alibi viui & mortui quandoque iunguntur, vt Ecclesiastici cap. 7. vbi prius de mortuo vers. 37. agitur, statimq; de viuo plorante subditur: *Mortuo non prohibeas gratiam. Non desis plorantibus in consolatione. & cum lugentibus ambula.* Optima verò eleemosyna est, quando sacrosanctus corporis Dominici panis, dominicique sanguinis vinum pro mortuis offertur, quod vnum D. Augustini mprtura mater poposcit, vt refert ipse Augustinus lib. 9. Confessionum, capitibus antepenultimo, penultimo, & vltimo.

OCTAVVM TOBIAE PRAECEPTVM.

De conuictu malorum vitando, ver. 18.

D. GREGORIVS 3. parte curæ pastoralis admonitione 21. hunc Tobiæ locum ita explicat; *Panem suum & vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia pro eo, quod iniqui sunt, impendit. Vnde, & nonnulli huius mundi diuites cum fame cruciantur* CHRISTI *pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones.* Quidam tamen malunt superioris mandati esse particulam, vt Græcus textus indicat. sicque, citatis locis, Bellarminus, & Turrianus. Iusti verò hic dicuntur, qui ex Israëlis stirpe sunt, nec à vera religione defciuerunt, eo tamen modo stirpem accipiendo, quo Roman. 9. vers. 8. docet Apostolus, filios promissionis in semine illo beato æstimari. His ergo tantum bene esset mortuis faciendum, non aliis, qui omnes, generali vocabulo, vocarentur peccatores. vel certè cum iustos illos vita functos misericordiæ beneficentiæq; operibus recreare volumus, non esset in homines improbè

improbè viuentes id beneficij conferendum. Quemadmodum tamen ad mortuos & viuos pandi posse videbatur præceptum superius: ita illud alterũ cur intelligi nequeat, vt & pro infidelib. mortuis eleemosynas fieri, & cum sceleratam vitam agentibus familiaritatem, consuetudinemq; haberi vetet? Hæc enim per cibi potusq; communionem significatur. Imo, quia sola sententiarum vicinitas in præceptorum variorum cõglobatione, non efficit, vt prioris, aut pars, aut ratio sit posterior sententia, de solo cum hominibus nequam conuictu & de ea, quę per hunc efficitur & significatur, familiaritate, præceptum hoc intelligere, cum D. Gregorio loco citato, possumus, cuiusq; præcepti vtilitas & necessitas quotidiano vsu comprobatur. Diodori lib. 12. egregia hæc narratio est: *Scripsit Charondas legem de consuetudine ciuium prauorum, & confabulatione, profecto elegantem, à ceteris scilicet legum latoribus prætermissam. Nam considerata humanæ mentis inconstantia, & leuitate animorum, nonnunquam compertum, viros quantumuis bono & modesto ingenio natos, bonisq; educatis artibus, flagitiosorũ consuetudine & amicitia paulatim ab honestatis procul via auersos, in vitia & improbitatem corruisse: tum ipsam flagitij labem veluti pestilentiam quãdam contagio sensim irrepere in cœtus hominum, ex parua primum initio, post viribus sumptu latius manando: iam populum vniuersum, (quod sæpe cõspectum est) in vitiorum trahere, vitamq; humanam deformare, atq; ita veluti tertio morbo infectis prorsum mentibus, virtutem bonestatemq; demoliri. Obuia namq; patet, ac lubrica adolescentiæ via, facileq; delabitur per voluptatem in flagitium prona mortalitas. Vnde plerosq; constat continẽtia principio spectata, & probi moribus viros, quibusdam post clandestinis voluptatis libidinisq; illecebris sensim delapsos à probitate, demumq; veluti expugnata ingenij virtutumq; integritate, pellectos in teterrima fœdissimaq; flagitia, vitam præcipitasse. Hunc occurrere esse pestis ac labi cupiens legulator, vel eius originem procul auertere à republ. vel excortam in ipsis primordijs coniungere & eradicare, ciues suos à familiaritate & consuetudine perditorum, lege prohibuit, actionemq; prauæ consuetudinis constituit, grauiq; eius delicti rei imposita mulcta, licentiam coercuit, reliquos à delinquendo ratus deterritum iri metu pœnæ.* Et postea: *De sceleratorum familiaritate & consuetudine scriptum accepimus, quem socius flagitiosis delectari conspexerim, eum qualis sit, haud percunctari perrexerim, cum eum sodalibus esse persimilem minimè dubitarim.*

——— Κακοῖσι δ', ait Theognis, μὴ πρόσμιλει
Εσθλὸς ἐὼν μᾶλλον δ' αἰὲν ἐσθλὰ μαθήσεαι, ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ὀλέσεις καὶ νόον ἐσθλὸν ἐόν.

——— *Ne te contingito prauis*
Sed contange bonis: & ab his bona plurima disces,
Cum prauis viuens, tu quoque prauus eris.

Qui tetigerit picem, ait noster Sirachides c. 13. v. 1. *inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Paulò antè vero dixerat c. 12. v. 13. *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus qui appropinquant bestiis? Sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius.* Ecce, sodales malos venenatis serpentibus, & feris mortalibusq; bellijs comparat: adeoq; ab his cauendum monet, vt etiam eos extremescere debeant, qui alioqui carminibus & arte, vt Plin. lib. 28. c. 3. Plin. illarum vim & immanitatem circumuare posse videantur. quodq; miserrimũ est, qui harum aut veneno aut morsu & tantalu læsi fuerint, ne miseratione quidem dignos pronunciat. Fuge, ô adolescens, fuge angues: fugite belluas istas, Christiani omnes: *Quia*, inquit S. August. serm. 164. de uibra CHRISTI, *facti estis admoneo vos, timeo de vobis, non tantum à paganis, non à Iudæis, non ab hæreticis, quantum à malis Catholicis. Elegite vobis de populo* DEI *quos imitemini. Nam si turbam imitari volueritis, inter paucos angustam viam ambulantes non eritis. Abstinete vos à fornicatione, à rapinis, à fraudibus, à periurijs, ab illicitis rebus, à iurgijs: ebrietas repellatur à vobis: adulterium sic timete quomodo mortem, mortem non quæ soluit animam à corpore, sed quæ animam semper ardebit cum corpore.*

PRÆCEPTVM TOBIÆ NONVM

De prudentia. vers. 19.

CONSILIVM *semper à sapiente perquire.* Laudat 1. Ethic. c. 4. Aristot. Hesiodos istos versus:

Optimus ille quidem est, ex sese qui omnia nouit,

Sed quotusquisque talis? Additur ergo:

Is autem bonus est, paret qui recta monenti.
At qui ex se nescit, cui quam nec porrigit aures
Vt bona percipiat, demens & inutilis ille est.

Fili, ait Ecclesiast. 32. v. 24. *sine consilio nihil facias: & post factum non pœnitebit.* Et Salomon c. 19. v. 20. *Audi consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis.* Quod fere hoc loco Hebræonim textuum alter expressit, dum ait: *Audi & accipe à quolibet, qui tibi dederit consilium bonum:* Græcus verò: *Consilium ab omni prudente quæras; neq; vllum vtile consilium aspernere.* Extant in libro Pirke auoth c. 2. pulchræ Gamalielis sententiæ, inter quas istæ:

Qui multiplicat { *legem.* / *scholam,* / *consilium,* } *multiplicat* { *vitam.* / *sapientiam.* / *intelligentiam.* }

Semper verò de sapientis consilio agitur, quia vt apud Ecclesiast. est c. 8. v. 10. *Cum sapiẽte consilium non habeas. Non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

DECIMVM TOBIAE PRAECEPTVM.

De ipsius DEI laudatione, & precatione, v. 20.

DIVINAM à nobis maiestatem, non semel tantum, aut bis, sed semper laudari præcipit. & licet multa sint, quæ ab ea precari nos oporteat, duo tamen hic potissimum proponuntur, bonorum scilicet consiliorum susceptio, & bona eorum executio. Ad illud pertinet, vt vias ipse nostras dirigat: ad hoc, vt omnia nostra in eo consilia permaneant: ab eius gloria nusquam desectant: ab eo manu semper teneantur. Horum verò præter eam, quã textus alij suggerunt, explicationem aliam afferre, non est consilium. Hebræus ergo sic: *Omni tempore pete à Domino, & ipse diriget gressus tuos, atque consilium tuum. quoniam non est in hominis manu consilium aliquod, sed in manibus* DEI, *qui est benedictus. quia omnia quæ volet faciet: istumq; humiliabit & illum exaltabit.* Græcus verò; *Dominum Deum benedic omni tempore: & ab ipso pete, vt recta fiant viæ tuæ: omnesq; semitæ & consilia tua bene procedant seu secundentur. Neque enim est vlla gens, quæ consilium habeat: sed ipse Dominus bona omnia dat, & quemcunque voluerit, humiliat, prout vult.* Dum in mortalium vllo consilium negat, intelligi vult, quoad executionem. vti patet ex adiunctis. quia omnia quæ volet faciet. istum humiliabit; illum exaltabit. imo, quoad ipsam etiam consilij inchoationem nihil, absque DEI ope, potest homo. sed omniũ maximè in iis, quæ ad æternam salutẽ pertineant. Ideoq; parum illud in Isocratis Paræneſi laudandum, ἡ μὲν εὐβουλία παρὰ ἀνθρώπων, ἡδὲ εὐτυχία παρὰ τῶν θεῶν. id est, *bona deliberatio ab hominibus est, eius prosperitas à diis. Sufficientes non sumus*, ait S. Paul. 1. Cor. 3. *cogitare aliquid à nobis, sed sufficientia nostra ex* DEO *est.* Postremum verò illud de quorundam depressione, aliorumque sublatione non ineleganter veterum quidam exposuit, cum interrogatus, quid ageret DEVS; respondit: *Essert humiles, deiicit elatos.* Et, præter Homerum Iliados 17, suorum operum initio Hesiodus. Ῥεῖα μὲν τὸ βελτίω, ῥεῖα δὲ βελτίονα κακῶσαι. & quæ sequuntur, id est, *facile quempiam extollit: elatumq; facile deprimit & affligit.* Vide Psal. 113 & 114. Luc. 1. ver. 52. Eccles. 10. ver. 16, 17.

VNDECIMVM TOBIÆ PRÆCEPTVM.

De bonorum suorum receptione. v. 21.

CVR hoc filio mandet, additur in Hebræo causa. *quia nesciunt diem mortis meæ.* estque Hebraismus, pro, *nescitur dies mortis meæ.* Atque hanc ob causam, debent etiam parentes de bonorum suorum negociis, de contractibus, nominibus, totoq; testamento maturè omnia constituere.

DVODECIMVM TOBIÆ PRÆCEPTVM.

De constantia, & spe in DEVM, in paupertate, v. 23.

SVAVISSIMA, & consolationis plenissima est hæc vltima Tobiæ sententia. Quem enim pauperem & mendicum non recreet? Quem ad DEI timorem, virtutisq; cultum non excitet? *Multa*, inquit, *bona habebimus*, tam in hoc scilicet, quam in futuro sæculo. sed in futuro omnium certissimè & abundantissimè. In hoc tamen, bona etiam quædam pij, DEVMq; timentes homines consequuntur. suntque ea partim animi, partim fortunæ. Illæ sunt, de quibus tam fortes tamque veræ apud Tullium paradoxo primo & vltimo sententiæ sunt. *Quis*, ait, *dubitet, quin in virtute divitiæ positæ sint, quoniam nulla possessio, nulla vis auri & argenti plures quam virtus æstimanda sit? Etenim si cælidi rerum æstimatores præta & aureas quasdam magni æstimant, quod ei generi possessionem minime quasi noxeri potest: quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest vllaquam: neq; naufragio, neq; incendio amittitur; nec temporum, nec temperiarum permutatione mutatur? qua qui præditi sunt, soli sunt diuites, soli quanta eos ad futura, quæ infinitè meliora & optabiliora sunt; habere conducit. diuersa tempet mendicitate vitam transegit Lazarus, Luc. 16. in opulentia verò rerumque omnium affluentia Abraham, Isaac, Iacob, uosterque tandem Tobias infrà cap. 8. v. 24. cap. 11. v. 18. vt prophetica de vitæ huius bonis, quibus se, natumque suum deinceps cumulandum prospiciebat, prædictio videatur. Sic & nobilissimus ille, apud Sophronium, cap. 201. Prati, adolescens, qui maximis, viri alioquin optimi, & in egenos profusissimi; opibus & thesauris curatorem* CHRISTVM *Dominum præcultit, etsi primo pauper, inops & mẽdicus; quantis postmodum, hac in vita, diuitiis, quàm splendido felicique coniugio, quàm illustri & æternum permanente gloria circumfluxit? At huius esse debent egentes mendicique omnes certissimi, futurum, vt in altera vita, opibus immensis locupletentur, si quidem in ista* DEVM *timuerint, ab omni peccato recesserint, bonisque actionibus, pro vitili, studuerint. Vobis dico*, ait S. August. serm. 7. de tempore, *pauperes, qui mendicatis, qui de elemosyna Christianorum vivitis; Consolamini, consolamini, tribulatio vestra conuertetur in gaudium, & dolor vester in letitiam. Non vobis sit ingratum, quod mendicatis, nec ideo in corde aliquid contra* DEVM *dicatis: qui ille iustus & pius est in omnibus operibus suis. Et te ideo fecit pauperem, vt sufferendo breuem inopiam, æternam vitam acquireres. Et diuitem ideo fecit, vt dum tibi superflua daret, remedium peccatis suis acquire-*

reret. Et ideo patientes estote, & exspectate Dominum. Iam quod in Latino, per pluralem primam effert personam. *si timuerimus* DEVM, id in Græco per singularem enunciat: & quod Latinè dicit: *Paupertatem vitam gerimus*, Græcè ait, ἐπτωχεύσαμεν, id est, mendicauimus, vel in mendicitatem incidimus: Hebraicè verò ita loquitur: *Viriliter age, & esto robustus, quia Dominus erit tecum, vt te adiuuet, & prosperum faciat, si requisieris eum in toto corde tuo, & tota anima tua.* Et postea: *Si timueris Dominum, & custodieris temetipsum ab omni peccato, ipse dabit tibi diuitias magnas.* Quemadmodum verò aliæ atque aliæ precationis particulæ à variis textibus afferebantur: ita etiam hic iis, quæ in Latino sunt, alia quædam à textibus aliis præcepta iunguntur. ab Hebræo quidem *Fili mi, prohibe temetipsum ab omni immunditia.* Ab Græco: *Attende tibi, fili mi, in omnibus operibus tuis: & in omni conuersatione tua esto eruditus*, ab vtroque de ebrietate. Nam in Græco sic. οἶνον εἰς μέθην μὴ πίῃς, καὶ μὴ πορεύθητι μετὰ ὁδοῦ μέθυι ἐν τῇ ὁδῷ σου. id est: *Vinum, ad ebrietatem, ne biberis: neque tecum proficiscatur ebrietas in vita tua.* In Hebræo: *Caue tibiipsi ab ebrietate, & nulla vnquam vanitas tibi arrideat.* Rursum quod omnium veluti clausula esse potest; in Hebræo: *Tu obserua eloquia mea, & omnia, quæ præcepi tibi: nec vnquam recedant ab oculis tuis.* In Græco: *Et tunc, fili, memor sis præceptorum meorum. & e corde tuo nequaquam deleantur.*

CAPVT V.

1 VNC respondit Tobias patri suo, & dixit: Omnia quæcũq; præcepisti mihi, faciam pater.

2 Quo modo autem pecuniam hanc requiram, ignoro. Ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum dabo ei: Sed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognoui.

3 Tunc pater suus respondit illi, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: & dum illi exhibueris, statim restituet.

4 Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum salua mercede sua, vt, dum adhuc viuo, recipias eum.

5 Tunc egressus Tobias, inuenit iuuenẽ splendidum, stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum.

6 Et ignorans quod Angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit: Vnde te habemus bone iuuenis?

7 At ille respondit: Ex filiis Israel. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum?

8 Cui respondit: Noui; & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum: qui moratur in Rages ciuitate Medorum quæ posita est in monte Ecbatanis.

9 Cui Tobias ait; Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nunciem patri meo.

10 Tunc ingressus Tobias, indicauit vniuersa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogauit, vt introiret ad eum.

11 Ingressus itaque salutauit eum, & dixit: Gaudium tibi sit semper.

12 Et ait Tobias: Quale gaudiũ mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?

13 Cui ait iuuenis: Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris.

14 Dixit itaq; illi Tobias: Numquid poterit perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? & cùm redieris, restituam tibi mercedem tuam.

15 Et dixit ei Angelus: Ego ducam, & reducam eum ad te.

16 Cui Tobias respondit: Rogo te indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?

17 Cui Raphael Angelus dixit: Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenariũ qui cum filio tuo eat?

18 Sed forte solicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius.

19 Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris, quod voluerim cognoscere genus tuum.

20 Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam & sanum tibi reducam filium tuum.

21 Respondens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus eius comitetur vobiscum.

22 Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portãda, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul.

23 Cumq; profecti essent, cœpit mater eius flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti & transmisisti à nobis. Infr. 10. 4.

24 Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum.

25 Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, vt diuitias computaremus hoc, quòd videbamus filium nostrum.

26 Dixitq; ei Tobias: noli flere, saluus perueniet Filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum.

27 Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene disponat omnia, q̃ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.

COMMENTARIVS.

OBTEMPERAT Patri filius, & Raphaëlem itineris ducem accipit. ver. 3. chirographum, Hebraice *marsupium* aut *sæculum*, in quo scilicet chirographum erat. v. 6. Angelus dicẽs: *Adolescens*

vnde

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnde es tu? Sed Græcus & Latinus, ipsius adolescentem hæc Angelo loquutum, tradunt, quod verius, quia hunc videbat ille talem, qualem quærebat, itineri scilicet accinctum, & aliunde quasi iamiam venientem, & vlterius cogitantem. vers. 8. Hebraicè scribitur. *Est iter duorum dierum ab Ecbatanis vsque ad Rhages. & Rhages quidem est in montanis. Ecbatanis autem in planitie campi.* Nostet ergo textus vel mutilus est, vel explicandus, vt *Ecbatanis* sit velut indeclinabile quemadmodum in Hebræo, hic, semper legitur. sicque *in monte Ecbatanis* erit, pro in monte Ecbatanorum seu planitiei, in qua iacent Ecbatana, vel etiam, vt mons ipse vocetur etiam Ecbatana, non vbi sola. Videtur verò ver. 12. Tobias, dum salutatur, impatientiæ quippiam præ se ferre, salutationemque illam pœnè rusticè accipere, quemadmodum Plautinus ille Stratylax, cum dictum ei esset, SALVE, respondit. *Satis est mihi tua salutis, nil moror non salueo. Ægrotare malim, quam esse tua salute sanior.* Sic enim ver. 12. Hebraicè est. *Salus tibi, ô vir* DEI. *Et respondit; si salus mecum; quare totum istud inuenit me? En ego nihil oculis video.* Respondeo nihil horum esse; sed, vt ait Hoffmeisterus, sententia est. *Quanam ratione gaudij & salutis, quam precatus, compos esse possim? Dic, si nosti:* Ita etiam Hugo. vel, *Non cupio hac in vita gaudium, cum cœcus nunc viuam. & propediem moriturus sim, futura gaudia desidero.* ita Carthusianus. Potest tamen concedi è tristitia & mœrore vox ista missa, vt sit quædam veluti quærimonia sed moderata. quasi diceret. *Ah! quale gaudium habere iam possim, qui in tenebris miser vitam ago, iucundissimæq; lucis vsura nulla fruor.* Et conferri potest istud cum Gedeonis responso Iudicum 6. v. 13. Bezellai 2. Reg. 19. v. 35. Pro *Anania* ver. 18. Hebraicè *Cnananeel, de familia magni. Selomith.* & vers. 20. addit Græcus & Hebræus Tobiam dicere, se nouisse Ananiam, & eius fratrem, qui à Græco ipso *Ionathas*, ab Hebraico, *Nathan* vocatur; & cum iis ad Hierosolymitanum templum olim profectum esse, Sed est.

QVÆSTIVNCVLA.

An mentiatur Angelus, se Azariam vocando & Ananiæ filium?

MENTITVM ait impudens ille Vittakerus lib. primo contra Edmundum Campianum fol. 77. Sed his hæreticis sublinit bellè os hæreticus alius, Druhius. *Belli*, ait Iunc in locum scribens, *hominos, siue quod hæc scribunt, siue quod credunt, scilicet mendacium huiusmodi nullum extare in libris Canonicis. Atqui Diabolus, Samuel nuncupatur* 1. Reg. 28. Ita iste. Dico ego, verè Angelum dicere, se Azariam esse. idque dupliciter. *Primo* quia illius formam & personam præse ferebat, quemadmodum S. Petri imago dicitur D. Petrus. Neque enim maius hic mendacium, quam cum dicit Angelus Genes. 31. *Ego sum* DEVS *Bethel*, vt eum in locum fatetur Caluinus. Et Exod. 3. & 20. *Ego sum Dominus* DEVS *tuus*, vt iis in libris probaui. Hinc Diuus Athanasius in Synopsi. *Raphaël comitatus est illum, in speciem hominis, qui Azarias diceretur.* Vide Hieronymum. Dan. 8. S. Augustinus serm. 226. *Celauit in primo nomine dignitatem, ne faceret locatori terrorem. Si enim diceret. Ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius. Secundo*, verè talis est Angelus, qualem se dicit, si nominum notationem spectemus. *Azarias* est *auxilium* DEI. *Ananias Hananeel* gratia & donum DEI. *Nathan & Ionathas*, DEI donum. *Selomith* pacifica & retribuens. Quemadmodum igitur D. Hieronymus in Matth. 23. Zachariã ostendit, ex nominis interpretatione, Barachiam esse, vt lib. 4. Regum c. 12. dicebam; ita Raphaël est Azarias, qui DEI auxilium affert, est filius DEI & gratiæ. Vnde Lyranus & Carthusianus inquiunt, *quæ ab Angelis inter homines dicuntur & fiunt, sunt figuratiua. & locutio, qua dicit Raphael, se ex Israelis filiis esse, signat esse charitatis coniunctionem, qua S. Angeli deuotis fidelibus coniunguntur.* Doctorem tamen quendam legi, qui, in D. Thomæ p. 1. q. 51. a. 2. docens fieri posse, vt Angelus, quod antea conformaquia potuerit Raphaël Azariæ corpus ascisceret, vel certè alius alicuius, qui ex magni Ananiæ proro mortui corpus ascisceret, vel certè alius alicuius, qui ex magni Ananiæ prosapia esset. Verum, si alius alicuius corpus ascisceret, filius adhuc Azariam se esse diceret. Si Azariæ vephaële peregrinante, potuisset Tobias. Sicque verba sibi data, fraudemque factam Tobias iudicasset ac doluisset. Esto tamen: nunquam resciuisset; nunquid hominis pars vna, propriè homo est? Nãisti, contra quos mihi hæc disputatio; nullum in Angeli verbis tropum, sed puram putam proprietatem volunt. Si verò, vt interdum synecdochicè dicitur; vna hominis pars homo esse potest; nonne potius animus ipse homo, quam corpus? Cum solum ergo Azariæ corpus sibi Raphaël adiunxisset, quomodo verum fuisset, *Ego sum Azarias*? Duo igitur allati modi, vt minime hæc Angeli oratio mendax; abundè sufficiunt.

IN Græco & Hebræo, Tobias vxorem vocat *sororem*, prout iam supra c. 4. notatum; & Raphaëli pro mercede, victum cum filio diurnum dat, drachmamque quotidie vnam, &, vltra mercedem, aliquid promittit. At vers. 28. pro *cessauit*, vertit Munsterus, *adiecit illa plus flere*. Sed cum Latino nostro consentit Græcus & Hebræus. Nam, vt inquit Vatablus; verbum *iasaph* significat, desij, finij. D. Bernardus Dominica prima post Epiphaniam serm. primo *Sicut mercenarius*, ait, *& quotidianus cibus datur in opere, & merces seruatur in finem: sic dominus vitam æternam in fine reddet; & interim centuplum repromittit & exhibet.* & vers. 27. *Comitetur ei*, Ciceronianum est Tusculana quinta. Hæc vero

vero allegoricè omnia V. Beda explicat præsertim illud vers. 22. *paratis omnibus*. apparebit, ait, domino in carne, parata sunt omnia, quæ ad redemptionem nostram necessaria erant, & quibus Ecclesiæ fides & vita nutritur, donec sæculi huius vita finiatur. id est, virtute eius, doctrina, tentatio, passio, resurrectio, spiritus sancti missio, fides credentium, persecutio infidelium. Nos vero cum de vitæ statu & de meliore via deliberamus, Raphaëlem ducem quæramus, qui etiam in viatica Clericorum prece, *viæ dux* oratur. *In primis*, ait Offic. 1. Tullius, *constituendum est, quos nos & quales esse velimus & in quo genere vitæ, quæ deliberatio est omnium difficillima.* Vertit in idyllijs Ausonius Latine Posidippi, vel Crateris cuiusdam carmen, de variis vitæ generibus, inquit:

Quod vitæ sectabor iter, si plena tumultu
Sunt foris; si curis domus anxia, si peregrinos
Cura domus sequitur: mercantem si noua semper
Damna manent. &c.

Eo in biuio, vel multiuio potius, esto S. Raphaël dux. Verè initio sui, ad Reginum ducem, libri Ferrandus. *Sociatis vitæ laboribus exercendus, mox ignorantia pueritiæ, vt rationalis homo caruerit, aut* DEO *incipit, aut sæculo militare.* Bonis etiam in rebus hæret interdum cuipiam animus, & ex iis, quam potius deligat; anceps est, vti libello de profectu Patrum, S. Antonij amicus Nesteros abbas exponit. An Raphaële, tum duce non opus? An in ambiguis aliarum etiam deliberationum flexibus, vt comitetur, viamque præmonstret, non optandus? Quin vero in iis, quæ terra marique suscipiuntur; itineribus, præsertim vero si ad Reipubl. Christianæ vel defensionem vel propagationem magna ex iis vtilitas redundet, hocipso comitandi ducendique officio cum vel per se vel per suos egregiè perfunctum legimus. Cum enim Imperatoris Theodosij, cuius ea DEVM, cœlitesque omnes spectatissima religio; temporibus, tyrannidem Ioannes quidam moliretur, vrbesque iam plures, ipsamque adeo Rauennam, & Imperatoris ducem Arrabutium cepisset; nonne omnium, ipsiusque potissimum Tyranni opinione citius & mirabilius, per stagna & paludes, per ignotas, inuiasque vias, ilico, ducis illius filius, toto cum exercitu, ab Angelo pastoris persona induto, adductus est, vrbemque & patrem recuperauit, Tyrannum tyrannidemque totam sustulit? Extat apud Isocratem historia lib. 7. cap. 23. Nicephorum lib. 14. cap. 7. & cum insigni nominis ratione, apud Reuerendiss. Baronium Tomo 5. Annal. Anno Domini 425. Atque hinc, Anno Domini 1497. cum eius, quæ Christianæ fidei tantam in Oriente propagationem, sæculo isto nostro diuinitus attulit; nauigationem magnus Lusitaniæ Rex Emmanuel institueret; naues tantum quatuor adornari iussit. quarum primæ & *prætoriæ indicium est nomen à sancto Gabriele, non sine causa*, inquit lib. 1. historiarum Indicarum Maffeius. *vt quæ ex orbe nostro ad antipodas viam Euangelio muniebat; sub tutela præsidioque lateret Archang. l. potissimum eius, qui primus è cœlo terris olim attulit Euangelium. Secundum* ARCHANGELO RAPHAELI *viatorum duci ac tutori dicarant.* Postea verò, cum bonæ spei promontorium præteruecti iam essent isti Lusitani, eum in locum venerunt, *cui Bona signa, nomen impositum & amicitia* (pergo enim Maffeij verbis vti) *cum barbaris mita, subducta nauis, & multis locis refecta. ibidem columna, cum titulo* RAPHAELIS ARCHANGELI; *de more fixa.* Ostius vero lib. 1. de rebus Emmanuelis. *Nostri*, ait, *in spem venerunt fore, vt intra breue tempus spacium, inde ea aspicerent. Id monuit Gamam; vt illi fluuio bonorum signorum nomen imponeret. Hic autem columnam lapideam, in ipsius fluminis ripa collocauit, in qua erat Crux, cum Emmanuelis insignibus, incisa. Tertia vero illa statuit, vt nomine sancti* RAPHAELIS *insignis esset.* At nos ad institutum Tobiæ iter iam redeamus.

CAPVT VI.

1 PROFECTVS *est autem Tobias, & canis*
secutus est eum, & mansit prima mansione, iuxta fluuium Tigris.
2 *Et eximit vt lauaret pedes suos,*
& ecce piscis immanis exiuit ad deuorandam eum.
3 *Quem expauescens Tobias, clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadis me.*
4 *Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum. & palpitare cœpit ante pedes eius.*
5 *Tunc dixit ei Angelus Exenterа hunc piscẽ, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamẽta vtiliter.*
6 *Quod cùm fecisset, assauit carnes eius, & secum tulerunt in via, cætera salierunt, quæ sufficerent eis, quousq; peruenirent in Rages ciuitatem Medorum.*
7 *Tunc interrogauit Tobias Angelum, & dixit ei: Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi, quod remedium habebunt ista quæ de pisce seruare iussisti?*
8 *Et respondens Angelus dixit ei: Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à muliere, ita vt vltrà non accedat ad eos.*
9 *Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.*
10 *Et dixit ei Tobias: Vbi vis manducemus?*
11 *Respondens ei Angelus, ait: est hic Raguel, nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiã nomine Saram, sed neq; masculum;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

lum, neque fœminam vllam habet aliam præter eam.

Num.27. 12 & 36. 8. 13 *Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam te accipere coniugem. Pete ergo eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem.*

14 *Tunc respondit Tobias, & dixit: Audio, quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmonium occidit illos.*

15 *Timeo ergo, ne fortè & mihi hoc eueniat, & cùm sim vnicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos.*

16 *Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me & ostendam tibi qui sunt, quibus præualere potest dæmonium.*

17 *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt vt Deum à se, & à sua mente excludant, & sue libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.*

18 *Tu autem cùm acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea.*

19 *Ipsa autem nocte incenso iecore piscis, fugabitur dæmonium.*

20 *Secunda verò nocte, in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris.*

21 *Tertia autem nocte, benedictionem consequêris, vt filij ex vobis procreentur incolumes,*

22 *Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.*

COMMENTARIVS

IN Rhageno itinere cauponàm; primo die, ineunt, è qua, patrio more, Genes. 18. 2. Regum cap. 11. ad pedes eluendos, fatigationis imminuendæ causa, ad Tigrum, de quo Genes. 2. dixi, vadunt.

QVÆSTIVNCVLA PRIMA.

Quis nam ille piscis, Tobiam deuorare qui voluit?

CEtum fuisse significat textus, dum immanem vocat. Omnes enim grandiores aquarum belluæ isto nomine, quod à Cicerone pistrix etiam ex Arato vertitur, vti lib. 2. anima. c. 13. anima uertit Iunius; significantur, prout ex Odyss. 4. Æneidos 5. Plinio lib. 9. patet. Sed à genere ad speciem veniendo, D. Augustinus sermone 4. in sanctorum Petri & Pauli festo CHRISTVM Dominum piscem hunc interpretatur. *Est*, ait, CHRISTVS *piscis iste, qui ad Tobiam ascendit.* Verum allegoricè loquitur Augustinus. Nam & subiungit; *huius iecore per passionem assato fugatus est Diabolus.* Eademque allegoria vtitur S. Prosper lib. de promissionibus & prædictionibus parte 2. cap. 39. cum etiam litteræ omnes quibus Græcè piscis exprimitur ἰχθὺς acrostichidem egregiam dent, quia significatur Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ. IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SALVATOR. vti notat D. Augustinus lib. 18. Ciuit. cap. 23. & Tertullianus lib. de Baptismo. Sicuti contrà, V. Beda, per eundem piscem, intelligit *diabolum*, qui Leuiathan videlicet dicitur, & in mari ferè versatur, vt apud S. Hieronymum in Isaiæ c. 28. Ezechielis 32. Iudæi aiunt. Alii ergo fuisse *Balenam* putant, quemadmodum in Iona censuit Theophylacti interpres: Carthusianus vero esse mauult *Crocodilum*, quòd è vitis Patrum constet, cum hominibus exitium afferre. Sunt verò qui scribant, tres aliquando pueros, quasi viuerent, in Crocodili ventre integros repertos. Franciscus Georgius tomo 6. problemate 185. *luciam* piscem ex Rabinorum sententia pronuntiat, quia luci fauet, soli respondet. Sed ista lucis ad lucium alliteratio, Hebræos Rabinos Latine vel omnino nihil, vel admodum parum scientes quomodo moueat? & dicitur potius lucius, retinendo, vetere more, u, pro, y. quasi λύκιος id est, lupinus. Nam & lupus vocatus apud Martialem lib. 13. & Horatium & Græcè λάβραξ, à voratu plurimo. Aut, si à luce dictum velis; per antiphrasin id concedit Ausonius in Mosella.

Hic etiam, latio risus prænomine, cultor
Stagnorum; querulis vis infestissima ranis,
Lucius, obscuras vlua, cœnoq; lacunas Obsidet.

At Vallesius lib. de sacra Philosophia cap. 42. ait se quidem certò non scire: videri tamen fuisse *callionymum*, de quo Plinius lib. 32. cap. 7. Idque placet. *Primo*, quia piscis est vastus, carniuorus, immanis, serratisque dentibus. Est etiam, vt ait Aristoteles lib. de animalibus, partim littoralis, partim ὑποβρύχιος, id est, interdiu dormiens, ita. vt tam locus littoris, quàm vespertinum tempus huic historiæ optimè congruat. *Deinde* eius fel oculorum albuginibus, imprimis salutare. *Balena* vero esse non potest, quia ei branchiæ non sunt. Plinius lib. 9. cap. 7. At piscis hic noster, branchia est apprehensus vers. 4. Est deinde ei angustior gula, quam vt hominè capere possit, vti accuratè scribit Rondeletius. Non etiam *Crocodilus* est, quia eodem versu 4. dicitur piscis palpitasse. At in terra non palpitasset, cum totos in terra dies agere possit, vt ait Plinius lib. 8. cap. 24. ita vt ab eo *terrestre animal* vocetur. Dicitur verò *callionymus* etiam Vranoscopus, vt eodem loco ait Plinius, & ab Athenæo, videturque esse idem ille piscis, quem Rasis lib. 9. c. 27. vocat *Saboth*, & Andreas Bellunensis cum Arabico articulo *Al Sabuth*, quem, ait apud Persidem, in flumine *Phora* reperiri. An verò, id nominis à DEO *Sabin* de quo Plinius lib. 12. cap. 14. vel ab Hebræo *Sabath* id est, quiescere, quod interdiu quiescat, incertum. Dices; Iste piscis Opiano & Plinio marinus est. Respondet Vallesius, maris pisces in magnis etiam fluuiis inueniri, idque aliquando ex refluxu maris, in stagnantibus maximè fluuiis.

QVÆSTIVNCVLA SECVNDA.

Habeat ne piscis carnes?

VARIE admodum carnis nomen sumitur. ideoque & piscium caro dicitur, tam hîc, quam 1. Corinth. 15. *Non omnis caro, eadem caro: sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piscium.* Gen. 7. v. 21. Et Leuit. 11. v. 11. Plinius de syluro pisce, lib. 9. c. 15. *In Borysthene*, ait, *memoratur præcipua magnitudo, nullis ossibus, spinisue interfitis, carne prædulci.* Imò & arborum caro apud eundem Plinium legitur lib. 13. c. 4. lib. 15, c. 24. & lib. 16. cap. 38.

Quod additur, *cætera salierunt*, intellige viscera, quæ præter carnem supererant, & carnium fortè partem. Vnde siue illa tantum, siue harum etiam pars salsa fuerit, ad carnes quæ ipsis sufficerent, spectare puto illud; *quousque peruenirent in Rages.*

QVÆSTIVNCVLA TERTIA.

Cur piscis carnes, tam assas quam salsas, secum tulerunt?

PRISCIS illis temporibus non erant, quæ hodie apud nos; cauponæ. sed ea, in Oriente præsertim, viatorum ratio erat, vt vel humoris vel iumentis sua ipsi secum cibaria deferrent. vel quod panis & obsoniorum vellent, id ab obsopœis ipsimet emerent; rectum verò raro meridie, vesperi cum liceret; idque vel apud amicos, aut certè bonos, & hospitales homines, gratis, vel exigua pecuniola subirent. Qui ab Abrahamo Sodomâ, viatorio schemate, venerant Angeli, cum domum ab hospitalitatis cultore summo Loth inuitarentur, Genes. 19. *Minimè*, aiebant, *sed in platea manebimus.* Abrahæ seruus in Mesopotamiam profecturus, Gen. 23. ex omnibus Domini sui bonis secum accipit, ver. 10. Ea verò non tantum argentea & aurea vasa, & vestes erant, quas sponsæ, ipsiusque parentibus, fratribus, & propinquis donaret, ver. 13. sed omnia etiam, quibus in itinere, ipse cum sociis vteretur. ideoque ipse, ad puteum, pastos antea camelos adaquat, & illa hospitium ei benignè, fœnumque, quod tam longo itinere quantum satis esset, ferre non potuerit, offert. Ipse Abraham Ismahelem, eiusque matrem à se aliò ablegaturus, Genes. 21. *Tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum & dimisit eam.* Panis nomine, vt suprà, cibatus omnis comprehenditur: isque tam copiosus ipsis ab Abrahamo datus, vt plures in dies sufficerit, priusque ipsos aqua quam cibus defecerit. Iam Iacob in Mesopotamiam dum abiit, Genes. 28. nocturnam vbi quietem capit? vbi, ante somnum, cœnat? Certè non in pandocheo, vel diuersoria taberna: sed prope quidem, attamen extra vrbem Luzam, ver. 12. & 19. Cum verò domum post annos aliquot, suis cum vxoribus & liberis, reuerteretur, ita necessaria secum habebat, vt Genes. 31. ver. 54. in monte Galaad pernoctaret, ibidemque conuiuio Labanum acciperet. Ipsi eius liberi, cùm, frugibus à Iosepho coemptis, ex Ægypto in patriam redirent, Genes. 42. vers. 27. ad diuertorium quidem diuertuntur, sed & asinos & seipsos apportato secum pabulo pascunt. Nam præter inclusum saccis frumentum, iussit Iosephus vers. 25. data precia omnia in illis reponi; & viaticæ, quantum satis esset; annonæ ipsis insuper donari. Hoc enim est illud: *datis supra cibariis in via.* Et c. 45. cum tot eosdem idem Iosephus muneribus affeciisset, ad extremum etiam addidit vers. 23. *necessarium ad profectionem frumentum & panes*, qui non ipsis modo iam proficiscentibus, sed & postea venturo in Ægyptum patri ipsisque redituris, toto itinere, sufficerent. Id enim paulò & clariùs & vberius in Hebræo ita narratur. *Et patri suo misit asinos decem, ferentes de Ægypti bonitate: & decem asinas ferentes frumentum & panem & escam patri suo ad viam:* Gabaonitarum legati, Iosuæ cap. 9. cum totum peregrinorum è longinqua regione aduenientium morem & apparatum studiosissimè assimularent. *Tulerunt* ait vers. 4. *sibi cibaria saccos veteres asinis imponentes, & vires vinarios scissos atque consutos*, & ver. 5. *Panes quoque quos portabant* OBVIATICVM, *durierant. & in frusta communti.* Et ver. 11. *Tollite in manibus vestris cibaria, ob longissimam viam.* Tandemque ver. 12. *En*, aiunt, *panes quando egressi sumus*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sumus de domibus nostris, vt veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc ficci facti sunt, & vetustate nimia comminuti. Si cauponarum nostrarum vsus tùm fuisset, tot panum, vinique sarcinæ cur assumerentur. Cur è publico ciuitatis ærario, sua nummis in viaticum marsupia non implebant, & ad caupones, more nostro, non diuertebant? Ducerent sibi hodie dedecori non honestarum modo ciuitatum legati, sed & paulò copiosiores ciues, si panem secum & vinum gestarent, neque in cauponis prandia, cœnasque sumerent. Sed veteris huius, quod prosequor, instituti, perspicuum omninò impressum extat Iudicum 19. ver. 19. vestigium. E Bethleem veniebat Leuites quidam Ephraimitis, & occaso iam sole, Beniaminiam vrbem Gabaam, cum vxore, pueroque vno, nocturnum vt diuersorium haberet, intrauit. sed iis illud præbere cum vellet nemo, sedebat suis cum sarcinulis in platea, quoad senex quidam, illi popularis, & in vrbe ista inquilinus, veniret, cui super omnibus roganti respondit. *Nullus sub tectum suum nos vult recipere habētes paleas & fœnum in asinorum pabulum, & panem ac vinum in meos & ancillæ tuæ vsus & pueri, qui mecum est. Nullare indigemus, nisi hospitio.* Ecce iniurias, noctis frigora. Quæ ad cibum & potionem opus erant, ea ipsi vel secum afferebant, vel horum aliorum, qui hospitaliores erant; dum viatoribus mensam gratis apposuerunt; liberalitate necessariis omnibus instructo dixerit, feceritque bonus ille senex. *Pax, ait, tecum sit. Ego præbeo omnia, quæ necessaria sunt. Tantum quæso, ne in platea maneas. Introduxitque eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit: ac postquam lauarunt pedes suos, recepit eos in conuiuium.* Sic Saul cum famulo, dum amissas asinas quæritat, & huc illuc peregrinatur, non in crumena pecuniam, sed *in sitarcijs panem* ferebat, 1. Regum 9. versu. 7. & adeò parum de pecunia, toto illo itinere, cogitabat, vt famulum drachmam vnam, seu, vt loquimur; duos secum batzios habere ignoraret. Postea verò, Samuelis iussu. capite sequenti, duos in itineris subsidium, panes accepit, vers. 4. & Galgalam perrexit. Ipse etiam Dauid fugiens 1. Reg. 21. ab sacerdote Achimelech non argentum, sed in viam panes quinque perit. Hæc igitur causa, cur oblatum diuinitus piscem assum, saleque conditum, in suo isto itinere ferrent Raphaël & Tobias, & cur superiori cap. ver. 22. scriptum sit; *Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias Vale patri suo.* Et infra cap. 8. ver. 21. vxori dixit Raguel, *vt præpararet omnia, quæ, in cibos, erant inter agentibus necessaria.* Tempore autem procedente, cœperunt esse quædam veluti amica hospitia, vt qui iam, hac in vrbe, hospitio ab aliquo acciperetur, is eum sua in vrbe similiter acciperet. suntque hospitij huius, non inter singulos tantum & notos, sed inter totas etiam familias, & ciuitates, adeoque inter ignotos iura constituta. & ne fraus intercueniret, tessera quædam hospitalis huius societatis indices adhibitæ. vti vel ex ista vna Pœni, qui Calydonem Carthagine venerat, oratione manifestum:

Deum hospitalem tesseram mecum fero.
Verum ego hic hospitium habeo.

& cum in eum, quem ne de facie quidem norat, sed quærebat, hospitem incidisset, isque se ipsum esse, quem ille quæreret, affirmaret; *Si ita est*, inquit, *tesseram.*

Conferre si vis hospitalem, eccam attuli.

Ille verò tesseram aspicit, confert, & probat. *Est*, inquit, *par probe. Nam habeo domum.* Cœperunt verò & publica, quæ precium daturis omnibus peterent, esse hospitia, in quibus, ad cibum & stratum parārentur aduenientibus omnia, quæ Lucæ c. 10. πανδοχεῖα, & à nostro interprete, prout & καταλύσια, καταγώγια, & καταλύματα licet vltimum hoc pro omni vsitato hominum domicilio accipi Maldonato nostro videatur Lucæ 2. Apud quosdam verò dictæ sunt cauponæ, diuersoria & tabernæ vel simpliciter, vel cum epitheto, meritoriæ, de quibus multa non solum apud Iustinianum loco citato, sed apud Philosophos etiam & alios, vt Platonem lib. 8. de Legibus, lib. 10. & 11. Herodotum libro 1. Isocratem in Areopagitica, Athenæum lib. 13. cap. 7. Suetonium in Nerone, cap. 16. Dionem lib. 60. Ælianum lib 3. Var. hist. cap. 33. lib. 14. cap. 7. Videatur & Canon Apostolorum 55. & ca. *Non oportet clericos*, distin. 44. c. *Nulli clerico.* ibidem. Extant tamen veteris moris nonnulla veluti argumenta hoc etiamnum hodie in Græcia, vt in Pandecte suo ait Leunclauius. item in Polonia & Hispania. & in hac quidem, ne viatorum loculos emungendi tanta cauponibus licentia sit. vti contra Munsterum docet Damianus à Goes, lib. de Hispania. E quibus non id solum, quod inquirebamus, sed illud etiam intelligimus. cur hospitalitas veteribus tantopere commendata. & cur apud priscorum temporum Christianos tantopere vsitata fuerit. Et verò, iam tanto à nobis, si quando res vsusque postulet, exhiberi propensius deberet, quanto ea iam inusitatior, dum, mendicos hospitalia domicilia, nummatos omnes, cauponæ istæ accipiunt.

De iecoris verò & fellis vsu, quæ hìc traduntur, cap. 8. magis postea explicabuntur. Hæc verò dixit

dixit Angelus. &, quæ sequuntur versu decimo, Tobias, non in prima illa mansione seu diuersorio, sed cum prope Ecbatana iam essent, sunt autem in Græco ea ipsa paulo vberiora, sic. *Frater, inquit Angelus, hodie manebimus apud Reguelem, is cognatus est tuus, qui filiam habet vnicam nomine Saram, de qua ego loquuturus sum, vt eam tibi det vxorem. Nam ad te quidem pertinet hereditas eius, vt qui solus ex ipsius gente superstes. Puella autem pulchra est & prudens: quapropter ausculta nunc mihi, & ego cum patre eius agam, vt cum Ragis reuersi fuerimus, nuptias celebremus. nam Reguelem ego noui, vt qui secundum Legem Mosis, eam vxorem alteri viro daturus non sit, aut certè culpam mortis contracturus: quoniam te potius, quam vllum alium hominem hereditatem accipere conuenit. Tum respondit adolescens Angelo, Equidem audiui frater Azaria, puellam in matrimonium fuisse datam septem Viris, qui omnes in thalamo nuptiali perierint. Ego autem vnicus sum patri meo, ac metuo ne quemadmodum ceteri priores, ad eam ingressus moriar. dæmon enim eam amat, qui neminem lædit, præter eos, qui ad illam accesserint. quamobrem ne ipse quoque moriar, metuo: & vitam patris mei matrisque cum dolore propter me suscepto, in sepulchrum deducam. neque alius eis filius est, a quo sepeliantur.*

QVÆSTIVNCVLA PRIMA.

Saræ viros cur interfecerit Asmodæus?

CAVSA in textu Græco hic vna datur, in Latino nostro altera. Illa est ὅτι δαιμόνιον φιλεῖ αὐτήν. id est, quia Dæmonium ipsam amat. Vbi duo sanè non facillima in quæstionem vocari possunt, quo scilicet amore ipsam amaret dæmon: & quòmodo ex eo amore fiebat, vt in Saræ viros impetum faceret, eosque occideret. Quoad prius, certo statuendum, dæmonis amorem istum *supernaturalem* haud quaquam fuisse. Nulla enim sceleratissimis, damnatisque spiritibus charitas est, nisi fateri quis vellet, eosdem simul DEO gratos & amicos esse, imo & DEI filios. *Omne enim qui diligit ex* DEO *natus est*: 1. Ioan. 4. & DEVS *charitas est: & qui manet in charitate, in* DEO *manet. &* DEVS *in eo.* ibidem. *Naturalis* verò amor, quia Philosophis rei cuique tribuitur, eius videlicet ad id quod illi bonum; propensio: & voluntatis etiam appetitio, quæ ita in bonum quoddam fertur, vt eius contrarium velle nequeat. de quo 1. p. q. 60. D. Thomas, nihil ad hunc locum. Neque enim Sara esset, in quam veluti diabolicæ naturæ bonum, vel commune, & summum bonum raperetur Diabolus. Posse verò fieri, vt libertimo quodam amoris actu diligantur à Dæmonibus homines, sunt quæ probabile faciant nonnulla. Ex iis sunt duo hæc potissima. *Vnum*; possunt naturali mentis suæ vi, quæ ipsis adempta non est; cernere ac iudicare rem quampiam esse bonam, honestam & pulchram. Cur eam ergo amare non queant? *Alterum* ab experientia varia sanè & multiplici dicitur. *Primo* enim Gentilium Dij nonne suos ipsi cultores amarunt? nonne multis magnisque ipsos beneficiis affecerunt. Ad omnes dijgentium dæmonia Psal. 95. Hinc enim & Iupiter optimus, & Iuno sospita, & dij soretes, & ἀλεξίκακοι, & ἀγαθοὶ δαίμονες, & alia sexcenta. *Deinde* Socratis dæmonium eum amore magno nonne complectebatur? nonne ad honesta multa eum exsuscitabat, à periculis multis abducebat? *Jam* Magi, Venefici, Sagæ cæteraque deuotorum diabolo capitum turba, non ab eo diligitur? non bonis quibusdam ornatur? *Quarto* dæmones quosdam fœminas deperire, ipsarumque complexus eblandiri rursum viris quosdam mulliebria præstare, vel ipsa incuborum & succuborum nomina testantur. Certè Nazianzenus oratione de S. Cypriano, dæmones quosdam corporum & formarum amantes tradit. Et de variis variorum in homines dæmonum beneficiis, narrantur à nonnullis multa. præsertim à Cæsario lib. 5. c. 36. de quodam, qui, famuli specie, ita Domino nauiter fideliterque famulabatur, vt ab hostibus eum suis liberaret, ægrotanti, pæneque iam depositi, præsentissimum medicamentum, leoninum lac suppeditaret. cap. 37. alium quendam militia clarum persanat. cap. 43. vineam custodit. A Tritemio in Hirsaugiensi Chronico Anno 1132. pileatus quidam dæmon (HVTTEKIN vocabant) inducitur, qui momenti non parui arcana quædam viris principibus aperuerit, impigram in culinariis operibus operam præstiterit, &, quod Saram nostram magis attingit; commendatam à peregrinante viro vxorem diligentissimè, etsi procacem alioquin ipsam procarentur multi; custodierit. Apud Wilhelmum parisiensem p. 2. cap. 8. est alius, qui cum Ludione quodam suauiter ludat, iocetur, cachinnetur. Apud Agricolam lib. de subterraneis animalibus, adeò mites, hominibusque amici dæmones quidam referuntur, vt à Germanis eam ob rem *guteoli* appellitentur. Apud D. Hieronymum, cum dæmonem S. Hilarion interrogaret, *Dic quare ausus es ingredi puellam* DEI? *Vt seruarem, inquit, eam virginem.* Vel hoc igitur extremo, vel superiorum modorum aliquo, videri queat amasse Saram Asmodæus. Enucleatiùs tamen & verius, vt res tota perspiciatur, intelligendum est, cum verè amat creatura intelligens aliam, duo concurrere solere. *Primo*, vt qui amat, ei quem amat, ipsius causa, bonum quodpiam optet, idque illi pro viribus procuret. *Deinde*, vt in eo qui amatur, causa quæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

piam insidêat, ob quam ad eum amandum illiciatur alius. De dæmonibus verò cum sint hominum omnium hostes plus quam capitales, sibi quis persuadeat, nobis eos boni quidquam cupere? Totum illorum genus in nostrum ardentissimis inuidiæ, odiique facibus, iam à primo Adami exortu, flagrasse, semperque flagrare, Christianorum quis ignorat? Eiusdem verò non est, extremo quodam odio quempiam odisse, ipsique bonum vel minimum auere, multò minus, pro vitili, conciliare. Causa verò cur hominum aliquos dæmonia diligant, quæ in his esse potest? Num *natura ipsa humana*? num aliquod *accidens*? *Illam* sanè. quamuis cum ea intelligendi societatem quandam habeant, oderunt tamen pessimè. adeò vt ex momento illo quo, intra istam hominis naturam, in gehennæ barathrum infelicissimè deturbati sunt; & quo ipsa supra ipsos, ad beatissimum DEI conspectum, & admirabilem illam diuinæ hypostaseos coniunctionem, quàm altissimè sublata & euicta est; eam delatam penitus, è totaque rerum vniuersitate sublatam vellent. Hominis verò *accidens*, dæmones ad amandum quodnam inuitet? An *morum similitudo*? An *animi* vel *corporis bonitas* aliqua? Si *morum similitudo*, Saram equidem amicitia complecti non potuit Asmodæus. Hæc enim sancta, religiosa, DEI amantissima: ille sceleribus coopertus maximis, impietate totus amens, furiali numinis odio totus insanus. *Dissares mores, disparia studia*, inquit lib. de amicitia Tullius; *sequuntur. quorum dissimilitudo dissociat amicitias. Nec ob aliam causam vllam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse morum*, & inter bonos. Superbum superbus num amat? iguauum ignauus, nualem nualis, iracundiam iracundus? itemque in aliis vitiorum generibus. Et notum illud, de quo 2. Rhet. Aristoteles. c. 4. figulo figulus. Adi, si plus quiddam vis; eundem Aristotelem lib. 8. Ethic. cap. 4. & 5. lib. 9. c. 4.

Animi bonitas vel in rerum cognitione vel in virtute sita est. Neutra homini dæmonem adiungit. Nam & illam, ei quantulamcunque inuidet: & hanc, animo intuetur iniquissimo. Alioqui sanè quo quisque esset vel doctior vel melior, eò eum adamarent magis dæmonia. Et quia in CHRISTO Domino sapientiæ thesauri omnes, omnia omnis sanctitatis ornamenta, quam eximio ipsum, ipsiusque sanctissimos Angelos, cœlitesque omnes amore prosequerentur? Tantæ sanè virtutis pulchritudo est, splendor & dignitas tanta, vt vel in hoste, quemadmodum in Pisonem sensit Cicero, amari soleat, etiam ab inimicissimis & barbarissimis. attamen hominibus, & hominibus hac in vitæ via constitutis. Nam desertores isti spiritus tam nefario iam ergà DEVM & homines odio tamque immani & obstinato scelere imbuti sunt, vt rectæ synceraq; voluntatis actum nullum agere aut velint aut possint quemadmodum explicat D. Thomas 1. q. 64. art. 2. de malo, q. 16. art. 5. de veritate, q. 24. art. 10. Sotus. 4. dist. 10. q. 1. art. 4. & 5. Cassalius lib. 1. de quadripartita iustitia, Scotus etiam & Durandus 2. distin. 7. dum *in obiectum* quidè *honestum in genere* ferri posse dæmones concedunt; sed illicò adiungunt, nec rectè, circumstantiarum omnium que fit, vt perturbatione mœrentis animi motu impellente, quæ omnibus alioqui carissima est, vita ta, tamque pertinax est, vt quæ cætero qui amabilissima est, honestatis species, eam ipsi despuant, oderint & aspernentur.

Corporis bonitas, quæ amorem conciliet, vel sola vel sanè præcipua, est forma & pulchritudo. Idcirco enim & à vocando ad amorem, Græcis τὸ καλὸν & dicta putatur. Amor verò iste, cuius conciliatrix pulchritudo, vel purus, vel impurus & libidinosus est. Et isto capi accendique dæmonas, plurima sanè nobiliaque ingenia existimarunt. Mouebantur, quantum videre adhuc licuit, tribus potissimum argumentis. *Primum* est illud è Genes. 6. Videntes filij DEI filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. *Alterum* ducitur è corporum sensibus ornatorum natura, quæ sese iis libenter applicant, penitusque admouent, in quibus eximiam aliquam formæ venustatem aspexerint. Ex eo enim aspectu, quasi arida quæpiam materies igni admoueatur, illicò, nisi aspergat recta ratio frigidam; exardescit amor. Persuasum verò illis erat, esse dæmonas istiusmodi corporibus præditos, neque vllum rectæ rationis imperium admittere. *Tertium* suggerebat, de horum incubitu & succubitu experientia, vt paulò ante indicatum. sed *primum*, in illo Geneseos loco sublatum: *alterum* è tota fere scholasticorum schola iam exterminatum, sicuti & à nostro Pererio libro 8. in Genes. disputatione 2. Soarezio tomo 2. Metaphysicorum, disputatione 35. sectione. 3.

Tertium verò quæstiunculis aliquot euoluendum.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA SECVNDA.

An certum sit, dæmonum nonnullos fœminis, aut viris quibusdam incubare, vel succubare?

EST morbi genus quoddam, quod à Plinio *suppressio*, ab aliis *ephialtes*, dici solet. sed id Tertullianus lib. de anima, cap. 44. *incubionem* vocauit. Alij verò *incubos* vel *incubones* quoddam dæmonum genus appellant, quod fœminis interdum quibusdam incubare, iisque libidinose abuti; *succubos* verò vel *succubones*, quos, ad non dissimilem impuritatem, viris sese nonnullis substernere arbitrantur. Et verò minimè id eos temerè aut falsò arbitrari, quæ citata est, experientia ostendit. Est enim ea non vnius vel alterius hominis, sed quam plurimorum, neque horum vanorum & fallacium, sed veritatis amantium, fideque dignissimorum: neque vnò tantum vel altero aut loco aut sæculo, sed quam plurimis collecta & corroborata. Nam, è veteribus, præter D. Hieronymum in S. Pauli vita, & in Isaiæ 13. Isidorum libro 8. Orig. cap. vltimo, ita D. Augustinus lib. 15. Ciuit. cap. 23. *Celeberrima*, inquit, *fama est, multique se expertos, vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse affirmant, Syluanos & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos extitisse mulieribus & earum appetisse ac peregisse concubitum, & quosdam dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, hanc assidue immunditiam & tentare, & afficere, plures, talesque asseuerant, vt hoc negare, impudentia videatur.* Certè si aliud nihil haberemus, vel vna hæc viri tanti, tam seriò affirmantis, tot tantosque testes laudantis & approbantis authoritas sufficere debeat. Sed & publicum D. Bernardi valdeque solenne, in publico sacroque loco, extat testimonium. Nam, vt narrat eius vitæ author lib. 2. cap. 6. *Mulier quædam in regione Nanneti, à quodam petulante dæmone, sex annis, habito eius consensu, incredibili libidine vexata est. Apparuerat enim specie pulchri militis, & sæpè abutebatur ea inuisibiliter, marito eius in eodem lecto vnbante, lasciuus ille spiritus. Que, anno septimo; timore correpta, veniente in prædictam ciuitatem sancto Bernardo Clarenallis Abbate, misera mulier ad pedes eius corruit, passionem horribilem, & ludificationem diabolicam, multis cum lacrymis, confessa, succurri sibi flagitauit, à quo consolata, & quid facere deberet edocta, post confessionem diabolus ad illam accedere non potuit, sed tamen eam verbis terruit, & quia post Abbatis decessum ad eius supplicia reuerteretur, acerrimè minabatur; ita vt qui fuerat amator, crudelissimus fieret persecutor. Hac cum sancto indicasset, proxima die dominica, cum duobus Episcopis, accensis candelis, cum omnium fidelium, qui erant in Ecclesia, subscriptione, anathematisauit fornicatorem spiritum authoritate* CHRISTI, *tam ad illam, quam ad omnes alias mulieres, et deinceps interdicens accessum. Extinctis verò illis sacramentalibus luminaribus, tota virtus Dæmonis extincta est, & mulier, post generalem confessionem peccatorum suorum, communicans, plenè liberata est.* Huius verò ætati pœnè, suppares experientiam eandem, exemplis, verbisque pluribus, astruunt Cæsarius lib. 1. cap. 7. 8. & 9. D. Thomas 2. sent. dist. 8. q. 1. art. 4. & 1. p. q. 52. art. 3. ad 6. eius condiscipulus & cognominis Cantipratenus lib. 2. Apum cap. 57. num. 13. 14. 15. & sequentibus. Vincentius lib. 4. historiæ. Superiori sæculo Pontifex Maximus Innocentius VIII. in Decretali, aduersus maleficas mulieres, epistola. *Non sine ingenti*, ait, *moleftia ad nostrum peruenit auditum, complures vtriusque sexus personas, propriæ salutis immemores, & a fide Catholica deuiantes, dæmonibus incubis & succubis abuti.* Similia etiam, hoc sæculo, complura nonne literis prodiderunt Magius Miscellaniorum lib. 3. cap. 4. Symphorianus Camperius lib. 2. cap 7. Iacobus Sprengerus, & Henricus Institor in Malleo maleficarum p. 1. q. 1. cap. 4? Quid Iudicum Tribunalia? Nonne, in veneficiorum causis, hæc sæpissimè audierunt? Noui sanè, qui vt à mulierculis quibusdam pestem hanc depellerent; piè ac strenuè admodum laborarunt. Sed Cantipratani Commentatorem adhuc, opinor, superstitem, Coluenerium audiamus. *Hoc*, ait, *scelus ab hinc annis ferè tribus in veneficos vtriusque sexus, in parte Orientali Flandriæ atque Brabantiæ, per iudices seculares, deprehensum est, & extremo supplicio punitum: confessique sunt occasione huiusmodi peruersissimæ voluptatis, se ad veneficij crimen protractos. & quamuis essent coniugati, quod tamen relicto thoro legitimo, alter succubo, alter incubo, multo tempore sceleratissimè permixti fuerint. Hæc habui*, ait, *ex vi, qui eorum examini interfuerunt.*

Quia verò de incubis quidem assentiuntur Euthymius tit. 28. cap. 9. Cantipratensis lib. 2. cap. 30. de succubis tamen ambigunt, notanda, de iisdem, Innocentij verba & Cæsarij lib. citato. cap. 9. *Non solum*, ait, *in hac, cauendum mulieribus, sed & viris, qui iam sicut dæmones per formas virorum, vt dictum est, fœminas ludificant & corrumpunt: ita per species fœminarum, viros seducunt & deci-*

piunt. Lege Veritas Patrum, & inuenies ibi, quosdam viros perfectos, per phantasmata mulierum delusos, confractos & deiectos. Ita ille. Neque sanè ratio apparet vlla, cur fœminis imponere genij pessimi possint & velint; viris nunquam possint aut velint. Et quoniam hæreticorum, contra Catholicos quidem testimonia respuit Iustinianus *l. quoniam multi, C. de hæreticis*; contra hæreticos tamen admittit; valeat etiam loco isto, contra diabolum testis Lutherus, dum mensalium sermonum, seu symposiacorum, c. 24. refert, se, à Ioachimo Friderico, Imperij Electore, audisse, nobilem quandam, in Germania familiam esse, quæ à succubo dæmone propagata sit. Sed hæreticus alius, & alia è secta, Vierius, homo, ex D. Augustini loco antè indicato, sententiâ, *impudens*, incubitiones & succubitiones istas negat; & mulierem obiicit Hollandicam, quæ sibi cum incubo rem fuisse fateretur: ab inspiciente ramen obstetrice virgo pronunciaretur. Sed, non omni virorum accessu fœminei pudoris claustra reserari, docet ex Anatomicis medicis Vesalius lib. 5. cap. 15. è Theologis Tostatus opusculo de Isaiæ verbis, *Ecce virgo concipiet*, numero 12. & 24. Quamquam, & in istis claustris, quasi antea numquam patuissent; obserandis, & quodam veluti fascino claudendis, dæmoniacam nescio quid solertiam interdum efficere scribit Cantipratenus libr. 2. cap. 30. numero 38.

QVAESTIVNCVLA III.

Quale, hisce personis gerendis, corpus adhibeant Dæmones?

CVM ad incubitiones & succubitiones istas corpore opus sit, & proprium iis corpus Aristotelis & D. Thomæ gymnasia constanter negent, alieno quopiam eos indui fatendum. Quemadmodum enim sanctis, sic & prophanis Angelis ea, dum à DEO conderentur; potestas data, vt è sublunari materia, possent vel nostris, vel animantium cæterarum corporibus assimilia fingere, sibi adiungere, eaque ita figurare & mouere, vt, licet homines ipsi non essent, homines tamen qui & humana quædam opera molirentur, videri possent. Nota hæc è D. Thoma 1. p. q. 51. art. 2. & q. 110. art. 2.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Extrinsecus ascito corpore, liberos gignere num possint?

TRES eruditorum hominum sunt opiniones. Prima negat. & in ea videri cuipiam possent D. Chrysostomus hom. 22. in Genesin, Philastrius hæres. 108. Serenus apud Cassianum collat. 8. cap. 21. alij apud Eugubinum lib 8. philes. cap. 32. nisi de puris ij spiritibus, vel certe non alieno corpore laruatis loquerentur. Sed in ea tamen sunt recentiores quidam, vt Vincentius lib. 4. histor. cap. 128. Lucidus cap. 4. Vlricus Constantiensis lib. de Pythonicis, cap. 10. Petrus Boistuan Gallico libro de prodigiosis historiis, cap. 6. pauci alij apud Conimbricenses nostros lib. 1. de generat. q. 10. art. 3. in quibus & Vierius lib. 3. cap. 8. & 19. Altera opinio asseuerat. quam D. Thomas loco citato, Victoria relectione de magia, Malleus maleficarum pa. 2. q. 1. cap. 4. Thomæorum familia viriuerta certissimam statuit, cum quibus faciunt Cæsarius, Cantipratenus, Camperius, Abulensis q. 6. Hector Boethus lib. 8. Magius, Malonius, Iacobus Ruffus Medicus lib. de Constantiana Magdalena, Bellarmin. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 12. Molina noster, alij quam plurimi. Tertia, quæ Pererij in Genes. 6. disput. 3. est; etiamnum ambigit, adeo vt illum definitè nihil pronunciare dicat Coluenerius loco citato. Videtur tamen ille in eam, quæ negat, propensior. quod fieri non posse censeat, vt seminis prolificam vim dæmon conseruet. Cum enim proprium huic semen nullum sit, si liberos gignere incubus poterit, aliunde humanum semen, quod in mulieris vterum infundat; suffuretur oportet. At quanam arte vel solertia, ne prolifici spiritus dissipentur & euanescant, dæmon efficiat? Possetne, verbi causa, dum sanguinem mittimus, extra venas & arterias, vitales animalesque in illo spiritus, ne diffluant, conseruare? Addubitare profecto hæc & similia quæpiam nos faciant, nisi experientiam inficiari, si non magnæ, alicuius tamen, vt antea D. Augustinus loquebatur, impudentiæ videretur. Artutum & Marlinum ex huiusce modi progenitum incubo, vetus narrat historia, & ex ea Cæsarius & Abulensis loco cit. Vincentius lib. 21. c. 30. Homerum Aristoteles lib. 3. Poëticæ, Plutarchus in eius vita & ex eo, præfatione in Homerum, Politianus, Seruium Tullum Plinius lib. 36. cap. vltimo, Alexandrum

drum Magnum è dracone, Plutarchus in Alexandro, Lucianus in dial. alium è marina succuba Ganfridus Arhioderus, & ex eo Vincentius lib. 3. alios denique è Luceiburgenti Melusina succuba idem Vincentius, & loco citato Lutherus. &, eiusdem forte generis multa olim adulteria & stupra fuerunt, quæ Faunorum, Satyrorum, Ionis, aliorumque eorum, posteaquam in viis etiam pridem esse desiissent; inuolucris Gentilitas commemorauit. Quia tamen vti fabulas omnia hæc reiicere, promptum, quid nobili illi, nostra in Germania, familiæ, quam ab succubo extitisse Imperij Septemuir antea narrabat, faciemus? Quid illis, qui vsitato nomine, Wechselkinder / à quibusdam *Cambiones* appellantur? Quid de Luthero ipso dicemus, quem ex incubo, sese, in balneo, cui ancillabatur, concepisse propria mater professa est, quemadmodum in editis Lipsiæ libris, Petrus Syluius restatur, nec ipse etiam Lutherus inficiatur? Cum enim ei tam infamem nefariumque ortum obiecisset Cochlæus, quid, homo alioqui lingua calamoque petulantissimus, in maledictorum & conuiciorum palæstra nemini vnquam cedens, victorque perpetuus, quid inquam respondit? Nihil plane, nisi, vt ipsemet symposiacorum cap. 28. recitat; hoc vnum, quod paulò post, futilissimum intelligemus. *non posse simul & mulieris esse filium, & ex incubo procreatum.* Dæmones verò, insita mentis vi & acumine, in naturalium rerum procreatione & conseruatione, plures multo, quam ingeniorum nostrorum tenuitas videat; modos perspiciunt. Colligit D. Augustinus in libris de Ciuit DEI, & Victoria relectione de Magia, multa plane mirabilia, de quibus, nisi experientia & sapientum hominum asseuerantia extaret; fieri à creatura vlla posse, quis putaret? Magna vitalium & animalium spirituum subtilitas est. Sed ea, ne tam subito exhalet; diligentissima custodia circumsepire & communire nequissimi subtilissimique spiritus approbè nouerunt. Medium igitur tenebo, potiusque ratione & authoritate, quam experientia, quæ mihi extra controuersiam videatur, inductus, de incubis aienti, opinioni subscribere nihil timebo: sed succubos, virorum semine accepto, id mulierum instar, vtero includere, nouem aut decem menses gestare, vitaliter confouere, ac enutrire, tandem verò etiam parere, ac in lucem istam edere, mihi sane creditu difficilius. Ad breue siquidem tempus seminis vim & tenuissimam veluti animam custodire, infra dæmonis potentiam non videtur: sed tanto tempore, & eo modo, non equidem opinor. Posset alioquin & eo versutissima dæmonum prouehi calliditas, vt ipsi inter se, mulieres virosque agerent, mirosque nobis partus ederent. Ideoque *succubos duobus* tantum *modis* aliquam efficere sobolem suspicor. *primo* quidem aliunde mulierum quarundam infantes accipiendo, eosque veluti suos, è simulato vtero proferendo, vti de Iphigeniæ cerua, & Diomedis auibus censet D. Augustinus lib. 18. *deinde* dæmonem alium, qui infantuli formam suscipiat, & veluti nascatur & adolescat, obtrudendo. Cuiusmodi, Dessauiæ forsan fuit ille, qui vltra 12. annum adoleuit, & ciborum tantum, quantum rusticis frumentuque trituratoribus quatuor sufficisset, deuorabat. & rursum ille alius prope Halberstadium, qui lugendo, & matrem, & quinque alias fœminas iam exinanierat, cibosque tamen plures vna sumpserat. qui cum, in corbe, ab eo, qui parentem se putabat; Hokelstadium, ad Beatæ Virginis templum miraculis tùm celebre ferretur, se dæmonem prodidit, & in aquam è corbe ab illo excussus est. prout loco citato narrat, qui priorem illum vidit, manibusque, absque vllo tamen, quem edere sancti solent, effectu, tetigit Lutherus.

QVÆSTIVNCVLA V.

Qui è dæmonum hominumque congressu oriuntur, num homines?

VETVS prouerbium est, *semper noui aliquid ex Africam apportari.* Causam dat Aristoteles lib. 2. de generatione animalium c. 5. quòd in præferuida & siticulosa regione, diuersissima ferarum species ad vnum quempiam bibendi causa riuum conueniant, sicque varia & confusa Venere, variæ nouæque monstrorum formæ nascantur. Ex vero, ex equo & asina, non equus vel asinus, sed aliud quidpiam, mulus scilicet gignitur. Cum ergo diuersæ speciei sint dæmon & homo, an è detestabiliae monstrifico eorum connubio, monstra, quæ neque homo neque dæmon sint; oriuntur? An verò quemadmodum è belua quadam & cane, itemque è canibus & vulpibus aut lupis, canes; è perdicibus & gallinis, vt ibidem ait Philosophus; gallinæ fiunt, sic è duabus hisce naturis, altera, hominum inquam vel dæmonum exsilit? Fieri horum aliquod oporteret, si dæmonis aliquod in procreatione ista semen esset. Ex ipsius enim cum humano confusione, vel homo, vel dæmon, vel ex vtroque conflatus hippocentaurus quispiam, aut, si mauis, dæmon-

Universidad de Deusto
Biblioteca

anthrophus confieret. Nunc verò, cùm semine omni proprio careat diabolus, ex ipso mulierem simulante & viro, simulata tantum vel personati alicuius dæmonij, vel surrepti alicunde infantuli fit, vt supra dictum, natiuitas. Ex ipso autem virum agente & muliere, verum enasci hominem, nihil, vt etiam antea constitutum est, impedit. Quemadmodum enim, è florum herbarumque semine, quantumuis procul transportato, flores & herbæ, non homines & hortulani oriuntur: ita ex hominum semine, licet id a dæmonibus transferatur, non dæmones, sed homines nascuntur.

QVAESTIVNCVLA VI.

Sintne dæmonum filij, quos, incubando vel succubando, illi edunt?

SI veram *pressamque* philosophorum loquendi rationem teneamus, quos vel incubando vel succubando dæmonia ediderunt, eorum filij dicendi non sunt. Eius enim filij verè habendi, è cuius semine, tanquam materia constant, & è cuius seminis vi, tanquam efficiente causa proxima existunt. At non est hoc dæmonum semen, sed eorum, à quibus ipsi acceperunt, & ad fœtum istum transtulerunt. Quemadmodum, qui herbarum florumùe aliquorum, vno ex horto in aprièd physiceque dici potest: ita nec incubus aut succubus, dum alienum semen, alium in agrum transfundit, vel transfusum tantisper accipit, & fouet. Si verò paulò id nominis *latius* pandatur, potest etiam istiusmodi sobolis dæmon pater nuncupari. Atque hæc omnium, de quibus quæstione tertia, concors sententia est. ita vt Lutherus, duplici ratione, diaboli filius dici possit: *ratione* scilicet *ortus*, quem, vt supra quæstiuncula quarta indicatum; dæmoni acceptum retulit eius mater: *& ratione doctrinæ*, quam ab eodem se accepisse diabolo, perspicua longaque admodum oratione, libro de missa angulari tomo 6. editionis Ienensis, tomo 7. editionis Wittenbergensis à folio 479. ad 480. ipsemet profitetur, nihil magis timens, quam ne palam profitenti prolixeque asseueranti fidem adhibere quisquam cunctetur, prout alio quodam loco demonstraui plurib us.

QVAESTIVNCVLA VII.

An in alieno istiusmodi corpore, Saram adamarit dæmon?

DVOBVS amor iste modis intelligi potest. quoad amorem scilicet, absque vllo cum Sara ipsa consortio & effectu; vel cum aliquo consortio & effectu. *Prior* ille in hominibus quidem sæpe inuenitur: in dæmonibus non item. Neque enim hominem proprie amant ipsi: neque eorum actus vlli ipso amoris nomine, nisi ob aliquem effectum, afficiuntur. Et si amor vocatur aliqua ipsius ad istiusmodi effectum inuitatio, quam ipse sanctissimos viros, sanctissimasque fœminas, quarum tot tantisque illecebris formatumque ludibriis castimoniam tentauit; amassest? Inter dæmonem & S. Antonium pugnam ita Sanctus describit Athanasius. *Ille istillabat sensibus naturali carnis ardore: hic fide, vigiliis, & ieiunijs corpus omne vallabat. Ille per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciuiæ: hic vltrices gehennæ flammas & dolorem verendæ mulieres cubantis, quoties efurienti Largissimæ apparuêre dapes?* At *posterior* ille cum consortio effectu interdum tamen, vt hactenus ostensum; inuenitur. attamen erga Saram nullus omnino extitit. Nullus enim pudicitiæ per seipsum vim afferre, neque subagitare vllius vnquam corpus poquando, flagitiosi operis consensum non impetrarit, exeoque, vel tunc, vel certe alico citato, & Magni Alberti discipulus Thomas Cantipratensis lib. 2. c. 57. num. 14. idque ita fiemon abuteretur, eas nullo eorum impetrato assensu iniret, quæ vlla vsquam, contra malum hoc, sepra satis & clausa mulier? Quis ab impurissimo illo thorus non commacularetur? quæ aut nis regio Danaas, & Ledas experiretur. Quod si rarum, vt corpus alicuius diuexent dæmonia, nisi eius primo mentem expugnarint, prout apud Cassianum est collat. 8. cap. 19. quomodo vnquam

quam fiet, vt libidinum vllam sordibus inquinent, cuius non antea in animo pudicitiam conspurcarint? Nostræ vero Saræ integritas, mentisque sanctitas, nullis vel dæmonum vel hominum blanditiis aut minis vnquam cessit, cap. 2. vers. 17. & 18. Quomodo ergo eam, isto modo, adamare dæmon potuit?

QVÆSTIVNCVLA VIII.

An alio vllo amore Saram prosequutus dæmon?

PRÆTER amorem cuius in eo, qui amatur, causa inest, recensentur interdum alij, qui *delectabilis & vtilis* vocantur. Horum tamen vterque aliquam sane in amato causam requirit, vt ex illo vel delectationem, vel vtilitatem amans capiat. Qui enim alterius corpore animóue, aut certe quibusdam è corpore animóue manantibus officiis, verbis & factis vel vtitur vel fruitur, nonne hæc amoris in altero illo sita causa est? Faciamus tamen & hos esse amores alios, è Sara certe nulla dæmoni esse *oblectatio* potuit, cum eius neque corpore potiretur, neque animo tam casto & sancto delectaretur: longeque alia, quam ipse vellet, omnia illius essent opera, verba, & cogitata. *Vtilitatem* verò dæmoni aliquam important, qui scelera confectantur, &, ad ea confectandum, alios quoquo modo pertrahunt. Quemadmodum ergo canes & accipitres venator, retia & hamos piscator, mancipia & iumenta sua dominus diligit: ita improbos & qui aliis improbè viuendi auctores sunt; verbi causa, hæresiarchas, meretrices, sodales & hortatores lasciuos amat dæmon. Sed nullo modo Sara talis. quin potius & seipsam ipsa, & quoscunque poterat, ab illius laqueis abstrahebat. An vero tandem in amoribus dæmoni Sara esse potuit, quia eam *alius*, cui dæmon amicus, amabat? Solet enim fieri, vt amicorum nostrorum amicos, etiam quos nunquam viderimus; amemus. Sed quis dæmonis amicus illam diligeret? Erat ipsa DEO cara, & Angelo bono, bonisque parentibus & qui eius virtutem norant, bonis aliis. At inter hos & dæmonem, inimicitiæ omnino implacabiles. Viri quidem illi, qui nimia ipsius potiundæ cupiditate flagrabant; dæmoni amici dici queant, sed ea tantum ratione, qua domino mancipium, rugienti leoni præda, carnifici sons, igni ligna & oleum.

QVÆSTIVNCVLA IX.

Quid, de occisorum Saræ maritorum causa, in Græco textu posita, tandem sentiendum?

SI, vt propositis hactenus quæstiunculis probatum; neque ob naturam, neque ob aduentitiam vllam corporis, aut animi bonitatem, neque ob vllam ex vllis obsequiis, dictis aut factis oblectationem & commodum, neque ob alterius alicuius amicitatem dilexit Saram dæmon, quomodo textus idipsum Græcus affirmat? Quomodo interfectorum eius virorum causa in amorem istum confertur? Videtur idem Græcus rem totam insinuare, dum non simpliciter ait, dilectam à dæmonio illam fuisse: sed ipsum *audisse* Tobiam. Plurimum vero interest, an scriptura diuina quidpiam affirmet, an affirmare alios tradat. Quod affirmat illa, non potest non esse semper verissimum. Quod affirmare alios tradit, verissimum semper est id eos affirmare: sed quod ij affirmant, falsum esse potest, vt Numerorum 13. v. 29. 32. 34. 1. Mach. 8. v. 15. Ioan. 8. v. 48. Tobias verò ait se audiuisse ipsam viris septem traditam fuisse. & (paucula licet verba interponat) omnes à dæmonio esse occisos, quia illam amabat. Duo priora verè ipsi narrata erant, vt è consequentibus omnibus perspicuum: sed tertium, quod, tanquam posterioris causa refertur; à veritate alienum est. Solet enim fama rebus quibusdam veris falsas non raro causas, suspiciones, & coniecturas appingere. neque falsas tantum, sed ineptas etiam, vulgares; è triuio & imperitorum fece petitas. Falsum profecto dæmonem hominum vlli verè amicum esse, vti hactenus instituta euicit disceptatio: vulgi tamen imperita, esse quandoque

amicis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

amicissimum opinatur. *Omnium*, ait Lactantius lib.2. cap.15. *dæmonis fallaciarum ratio, expertibus veritatis obscura est. Prodesse enim eos putant, cum nocere desinunt, qui nihil aliud possunt, quam nocere.* Ista vero, qualicumque, & qualiumcunque opinatione, in primis gaudet veterator ille; ipsamque vt in hominum animis gignat, alat, augeat, & amplificet, omni omnis calliditatis, fraudum, technarumque artificio elaborat. Fingit & mentitur bona se quædam mortalibus procurare, vel quædam ab iis mala depellere, quæ omnino nulla sunt. Exiguum quandoque, in minimis quibusdam corporis aut fortunæ bonis, vel opis vel opellæ quidpiam dat: sed eo modo, quo ad hamandis piscibus, in ferrato hamo, escæ frustillum; capiundis, extrema hyeme, summaque niue auiculis granulum aliquod obiicitur. vt incautos videlicet nos decipiat, verissimisque animi bonis exspoliet, grauissimis perpetuisque animos & corpora nostra supplicijs afficiat. Serpens est *cunctis terræ animantibus callidior 2.* Genes. ver. 1. eius cogitationes vaferrimæ & tectissimæ sunt 2. Cor.2. vers.11. cum tenebrarum incola sit, imò & tenebræ ipsæ, in lucis tamen Angelum sese transfigurat 2.Cor.11.ver.14.

——— cui nomina mille.
Mille nocendi artes.

Atque hoc vnum illa, quæ tam multiplex obiiciebatur, experientia efficit: non autem verè quemquam à dæmone diligi, prout & omnium exitus perpetuo probauit. Sanè & in hominibus, omnium illi teterrimi & nocentissimi hostes censentur, qui, per fictam quandam amicitiæ speciem, per minutula quædam vel munuscula vel obsequiola fallunt, & enecant, circumlitum scilicet melle venenum porrigentes. Quod si quis ob paucula interiecta verba; hunc ipsum fuisse Tobiæ narratum amorem negaret, negare tamen idem non posset, quin tanquam Tobiæ ipsius opinionem, vel suspicionem scriptura eundem amorem commemoraret. Sed nunquid necesse bonorum sanctorumque virorum opiniones & suspiciones omnes veras esse? Neque scriptura quid ea quidem in re veri esset, narrauit, sed quid ille putarit. Et, si à fama & volitante rumore nolis, vnde istiusmamque Saram? A vulgi ergo sermunculis totus hic iunioris Tobiæ sermo, quem Chaldæus textus, & nostet negligendum putauit; Græcus recitauit: sed recitauit tantum, non approbauit.

QVAESTIVNCVLA X

Si amasset ipsam, cur eius viros interfecisset?

EX eadem officina est illud alterum, quod quæst. 1. quærebatur; quomodo è dæmonis, erga virginem, amore fieret, vt violentas eius sponsis manus iniiceret, eosque interimeret? Vulgo enim ea erat deliratio, fœminarum amoribus dæmones implicari. Virtutis porro & honestatis amor tantum abest vt egrè ferat alios nobilissimæ illius formæ, quam animo intuetur; amatores esse, vt quam plurimos eodem illo amore affici plurimum gaudeat, idque pro viribus conetur, vt, quoad eius heri potest; speciem illam omnes videant, suspiciant, expetant. Is verò in quo commodi proprij & inepiæ alicuius lætitiæ ac iucunditatis ratio habetur, particeps alios consortesque respuit sed omnium maximè contentiosa, pugnax & cruenta ea rivalitas, quam libidinis commouet intemperantia. Quidquid enim malum alteri datur, hoc sibi surreptum dolet. Dimidium scilicet Georg.2. cecinit Poëta;

——— sæpè superbos.
Cornibus inter se subigit decernere amantes.
Pascitur in magna sylua formosa iuuenca:
Illi alternantes multa vi prælia miscent.
Vulneribus crebris. Lauit ater corpora sanguis.

QVAESTIVNCVLA XI.

Quomodo ijs, quæ obiecta, respondeatur.

DVO sunt, initio quæstionum istarum, obiecta. *Vnum*, posse naturali mentis acie dæmonas rem aliquam perspicere, aciudicare bonum, honestum & pulchrum. Concedirur non illibenter, cum D. Thoma 1.par. q.64.art.1. sed quod exinde colligebatur, posse dæmonas rem illam eandem amare, non admittitur. Sunt enim in dæmonas, quæ liberam ipsius voluntatem iam depranent.

tor & tanta, vt veræ bonitatis, honestatis & pulchritudinis amore nullo tangi possit, cum acerbè nefarieque adeo, bonorum, honestorum, pulchrorumque omnium optimum, honestissimum, pulcherrimum, DEVM oderit. *Inquantum*, ait D. Thomas 1.par.q.60.art.5.ad 5. *DEVS est commune bonum, naturaliter amatur ab omnibus. Quicunque videt eum per essentiam, impossibile est quin diligat ipsum. Sed illi, qui non vident essentiam eius, cognoscunt eum per aliquos particulares effectus, qui interdum eorum voluntati contrariantur. Et hoc modo dicuntur dæmones odio habere DEVM cum tamen in quantum est bonum commune omnium, vnumquodque naturaliter diligat plus DEVM quam se ipsum. Alterum* ex dictis manifestum, sicuti & alia, quæ incurrere forte potuerunt. cuiusmodi est illud Tertulliani lib.de velandis virginibus, c.7. & 8. vt propter Angelos, fœminarum capita velentur, 1.Corinth. 11. itemque istud Authoris quæstionum ex vtroque testamento mixtum, quæst. 115. *Apostolus ait: Quem nemo principum huius sæculi cognouit. Hi sunt principes & potestates, malos angelos sub se habentes, qui sub nomine fatorum voluptates suas efficiunt, prout eis libitum fuerit, sicut assolent malefici confiteri. Sunt enim quos diligunt, alios non amant, quosdam vero oderunt. Et vnicuique hoc suggerit vnusquisque quod diligit, quia & ipsi diuersas habent voluptates, aliis libidinem diuersi stupri, aliis munera, aliis voluptatem aliis petulantiam, aliis iram, quibusdam auaritiam, aliis lucra, aliis damna procurant, aliis charismata, aliis odia, necnon & impedimenta.*

QVÆSTIVNCVLA XII.

Quæ, in Latino textu, eorundem Saræ maritorum occisorum causa? vbi de matrimonij vsu, & fine.

QVAM istorum cædis causam attulit textus Græcus, auditione tantum, inanique vulgi famigeratione nitebatur. Sed Latinus, suo cum Chaldæo fonte, *duas* alias *causas* aperit: earumque authorem edit, non imperitum vulgus, vel hominum etiam aliquem, summa licet eruditione, sapientiaque præstantem: sed ipsummet angelum Raphaëlem vers. 16. & 17. Nam quod, apud Lyranum, quidam aiunt, ideò periisse, quia infideles & idololatræ, vel alterius certè tribus & cognationis fuissent, vti etiam putat Carthusianus, falsum videtur: quia non minore in culpa Raguel & Sara fuissent, quam ipsi, ideoque & non minus plecti debuissent. An enim, qui prauæ superstitionis homini, aut ei certè, quem, quoquo modo, leges vetant, filiam dat, leuius, quam qui hanc ducunt; deliquere putandi? An & ipsa, quæ hisce talibus nubere non recusat, magis quam sponsi, excusanda. Duarum ergo iam dictarum causarum *prior* est, quòd isti Saræ nostræ proci, DEVM à se, & à mente sua exclauserint. Id verò non *de physica exclusione* intelligendum. (DEVM enim præpotentem, omniaque naturæ suæ diuinæ præsentia & immensitate complentem, vllo è loco, vel ex vlla omnino re quis excludere vmquam possit?) sed *de ethica*, prout supra expositum cap. 4. præcepto secundo. secundum quam rationem & illud accipiendum Apocalyp. 3. ver. 2. *Ecce ad ostium & pulso. si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum.* Fecerunt ergo isti proci, quod obscæna illa Israëlitici generis propudia, duo inquam illi, apud Danielem Senes c. 13. ver. 9. *euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum* verbo vno, DEVM *non timuerunt* vt infra cap.7. ver.12. significatur. Vide Augustinum 50. homil. 21. *Posterior* causa est, quòd effrenatæ suæ libidini, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; vacare voluerint. Super tales enim habet potestatem dæmonum, iisque præualere potest, quod matrimonio; cuius author DEVS, Genes. 2. ver. 23. & 24. Matth. 19. ver. 5. sceleratissimè abutantur: eiusque temperantiam, sanctitatem, & finem à DEO ipso præscriptum impiè admodum, pecudum more, peruertant. Voluit enim DEVS, vt matrimonium ineatur *Primo*, quidem generatum, ad humanæ naturæ bonum, vt ea scilicet conseruetur & propagetur, vt proles benè iamiam nata, excipiatur, curetur, instituatur, vt mutua opera coniuges ipsi iuuentur in conuictu quotidiano, in deprauatæ naturæ moderatione. *Secundo* speciatim, ad fidelium Ecclesiæ vtilitatem, vt & illa conseruetur & augeatur. quemadmodum hic significatur *ver.22. vt in semine Abrahæ benedictionem in filijs consequatur.* & cap. 8. ver. 9. *sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Et vt fides coniugum mutua sit, & Sacramentum. De quibus coniugij bonis D. Augustinus lib.9. de Genesi ad literam, cap.7. & libro de bono coniugali, S. Isidorus lib.2. de offic. cap.19. S. Fulgentius epist 1. c.1. *Coniugalis potestatis*, ait, *inculpabilis est vsus, officio generandi diuinitus attributus; si iustitiæ terminum transgredi, libidinosus non permittatur excessus. Iustitia verò vtendi coniugij hæc est, vt non explendæ libidinis sed subsistruendæ prolis obtentu, sibi coniuges ea quo tempore misceantur. Sic ergo quæri debet ex nuptijs fructus, vt coinbendus sit lubricæ voluptatis excessus.* D. Chrysostomus hom.11. in Ephes. hom.5. in priorem Thessalonicesem, homilia.5. *Propter vitæ*, ait,

commu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

communionem liberorum procreationem, puella adiuncta est viro non turpitudinis, risusque gratia. D. Basilius lib. de Virginitate, *Quid est*, ait, *in Domino nubere*, 1. Corinth. cap. 7. *Non, vt vile mancipium voluptatibus earum ad coitum protrahi, sed iudicio & commodioris vitæ ratione, nuptias eligere. Matrimonium propter liberos, non propter voluptatem esse debet*, inquit Stromate secundo Clemens, ideoque Menander; *Ad seminandos*, aiebat, *liberos, tibi meam trado filiam.* Omnino sapienter lib. 6. de Legibus Plato id ergo matrimonia ineunda dicit, vt relinquat quis τῷ θεῷ ὑπηρέτας αὐτῶν ἄλλους, id est, liberos, qui Deo seruiant, pro se. Rursumque paulò post: χρὴ γονεῖς γενόντας, καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας, καθάπερ λαμπάδα, τὸν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἀλλων διεκπερῶντας εἰς θεοὺς κατὰ νόμον, id est: *Oportet parentes gignere, & educare liberos, qui vitam tanquam lampadem posteris tradant, vt sint semper aliqui* DEVM *colentes iuxta ipsius legem.* Hoc sane natura, hoc recta ratio, DEVS què O. M. à nobis requirunt.

QVÆSTIVNCVLA XVII.

Cur occisos Saræ maritos equo & mulo, confert S. Raphael? vbi &, de matrimonij vsu, iterum.

FACTVM id videtur, *primò* quidem, vt ad insignem Psalmi 31. locum alluderet Angelus, eumque in memoriam omnibus redigeret. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. *Deinde*, vt à coniugio importuna quædam vitia remoueret. Est enim equus libidinosus, & salax admodum & quidem à prima statim ætate ad extremam vsque, vt ostendit Aristoteles lib. 6. de historia animalium, c. 22. *Equus*, ait, *coire incipit binus, iam mas quam fœmina* maximè tamen *in trimatu.* Et, *salacissimum omnium tum fœminarum, tum marium equus est.* Quid à quibus hospites deuotaros prisci aiebant: Diomedis equi? An non impudicissimæ, quibus, vt Græcorum habet interpretatio, μίγνυσθαι τοὺς ξένους ἀναγκάζειν, εἶτα ἀνιέναι, admiscere hospites cogebat, ipsosque postea interficiebat, ipsius filiæ fuerunt? Quid verò vulgare illud vult, τὸ ἱππομανὲς, &, *Nullus tam effœtus equus, quin Mævo hinniat?* Et, *ante omnes furor est insignis equarum*; de cuius causa Philosophus, lib. 5. de generatione animalium cap. 5. Iam sacri vates idem ipsum indicarunt. *Mœchati sunt*, ait apud Ieremiam Dominus cap. 5. ver. 7. & 8. *& in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores & emissarij facti sunt. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* *Multiplicauit*, ait Ezechiel cap. 23. ver. 19. & 20. *fornicationes suas: & insaniuit libidine super concubitum eorum, quorum carnes, sunt vt carnes asinorum: & sicut fluxus equorum; fluxus eorum.* Mulus verò ad libidinem etiam intemperans, sterilis tamen adeo est, vt in ostentis & prodigiis mulæ partus olim numeratus sit. vti à Plinio lib. 8. cap. 44. aliisque traditum. Nam qui à Theophrasto in Cappadocia, ab aliis in Syria, parere putati sunt, eos ab aliis genere discriminari docet lib. 1. de historia animalium, cap. 6. & lib. 6. cap. 24. Aristoteles. Hinc, vt à Pierio lib. 12. Hieroglyphicorum scribitur; cum lasciuum, spurcumque hominem vellent veteres significare, mulum aut mulam pingere solebant. Vult igitur brutorum istorum nominibus ostendere S. Raphael ab omni vita, coniugiique honestate remouendam libidinem nimis importunam, intempestiuam, crebram, & furentem: castumque ipsius vsum ad honestam liberorum procreationem, non ad pecuinam tantum voluptatem referendum. D. Augustinus libro de nuptiis & concupiscentia cap. 4. *Qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, vt eos ex membris hominis primi in membra transferant* CHRISTI, *sed infidelcs parentes de infideli prole glorientur, etiamsi tanta sit obseruantia, vt secundum matrimoniales tabulas, nonnisi liberorum pro procreandorum causa concumbant, non est in eis vera pudicitia coniugalis.* Enchiridij cap. 78. *Putare*, ait, *posse, non esse peccatum, misceri coniugi non filiorum procreandorum causa, quod est bonum nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis, vt fornicationis, siue adulterij, siue cuiusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest, tentante Satana, libido pertrahere, incontinentium debilitas infirmitas.* Posset ergo, vt dixi, hoc putari non esse peccatum, nisi adiecisset Apostolus 1. Corinth. 7. *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Qui autem iam esse peccatum negat, cum dari veniam facientibus Apostolica authoritas fateatur?* Et libro de bono coniugali, cap. 6. *Coniugalis*, ait,

concubitus, generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum coniuge, propter fidem thori, venialem habeat culpam, adulterium verò, siue fornicatio lethalem habet culpam, ac per hoc, melior est quidem ab omni concubitu continentia quam vel ipse matrimonialis concubitus, qui fit causa gignendi.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA XVIII.

Cur libidinosos omnes, vt septem istos, non obtruncat Asmodæus?

POTESTATEM *super eos*, inquit textus, *habet, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum, à se & suamente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus.* Cum vero nocendi sit cupidissimus, cur equis & mulis tam multis parcit? cur in eorum cæde cunctatur? Sane verò potest ad omne pœnè peccatorum genus quæstio hæc transferri. Escis vetitis tam multi hodie vescuntur, intemperantissimè tam multi cibo se & potu ingurgitant, cur, vt Adamus, non plectuntur? Cur tot parricidæ, Caini pœnas effugiant? Cur sulphure ac pice, Sodomorum instar, quidam non deflagrant? Cur adulteri & arrogantes tot, Danidicis flagellis non vrgentur? Itemque in similibus, de quibus Lucæ 13. A pœcarum quodam responsum est, quod multorum ore laudatur.

Si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

At Christiano indigna sententia. Etiamsi totos dies fulminaret, sulphure ac pice plueret Deus, ipsius nunquam exinanirentur armamentaria. Neque enim quemadmodum finitum, finiti ablatione consumitur, ita & infinitum: neque effecta, quantumuis innumerabilia, quæ extra se meditur Deus, diuinam ipsius vim, vlla ex parte minuere, fatigare vel exhaurire possunt. Sunt verò cur libidinosos omnes non intermat dæmon, causæ, partim *generales*, partim *propriæ*. *Illæ* videntur ad tres reuocari posse. Prima est, quod à se constitutum naturalem rerum ordinem, etiamsi hominum sceleribus irritetur, inuertere ac immutare Deus haud statim velit: sed improbos eum vitæ cursum, quem ipsis natura concedit, agere libenter patiatur. Hanc enim ob causam Matthæi 5. *Solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.* Licet enim aliam creaturis legem figere potuisset, nunc tamen vera hæc Senecæ oratio, lib. 4. de beneficiis, cap. 28. *Rex honores dignis dat, vulgarium & indignis. Frumentum publicum tam fur quam periurus & adulter accipiunt, & sine delectu morum, quisquis ciuis est. Cum aliquid est, quod tanquam ciui, non tamquam bono datur, ex æquo boni ac mali ferunt. Deus quoque quædam in vsus communes humano generi dedit, à quibus excluditur nemo.* Et paulo post: *Quædam in medio ponuntur. Tam bonis quam malis conduntur vrbes. Monumenta ingeniorum, & ad indignos peruentura publicauit edictio. Medicina & sceleratis opem ministrat. Compositiones remediorum salutarium nemo suppressit, ne sanarentur indigni. In his exige censuram, & personarum æstimationem, quæ separatim tanquam digno dantur, non in his, quæ promiscuè turbam admittunt. Multum enim refert, vtrum aliquem non excludas, an eligas* Altera porro causa est, vt homini spatium si velit, resipiscendi concedat Deus, & summa eius, vtraque causa, bonitas, ob quam merito à nobis amari colique debeat, elucescit. *Existimas*, inquit Apostolus Rom. 2. vers. 3. *o homo qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Tertia, vt quantò se iam impunius peccare sentiunt improbi, tanto grauiora certo sciant, quæ ipsos manent futura supplicia. Legi posset libello de iis, qui serio à Numine corripiuntur, Plutarchus. Ideoque S. Paulus loco citato, *thesaurizandi* verbo vtitur, vt pœnæ magnitudinem demonstret. Neque enim vbi pecuniolæ quippiam, vel pretiosæ vestis & opum modicum est, thesaurum appellatur. *Propriæ* verò, præter generales istas, causæ, possunt è personis & rerum, de quibus agitur circumstantiis duci, quemadmodum de libidinosis aliis hæ iam occurrunt. *Prima.* non sunt fœminæ omnes, in quas nonnullorum effusior libido est, tam sanctæ, castæ, Deoque caræ, vti Sara erat, ideoque qui hac abuti volebant, puniti, non qui aliis. Vnde ipsamet cap. 3. vers. 19. *Ancgo*, ait, *ancillam suam illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni. Secunda.* viro hanc alteri, meliori, castiori, & digniori nubere volebat Deus, quemadmodum & ipsi ibidem, non falso, suspicatur. *Tertia.* extraordinario miraculo suam Deus erga homines prouidentiam & beneficentiam declarare statuerat, cùm, eadem veluti opera, vnius cæcitati mederetur, alterius castitati patrocinaretur. *Quarta.* intererat diuinæ gloriæ, vt quid contra impuros dæmonas vnus aliquis Angelus, piorumque hominum preces & suspiria valeant, cognosceremus. *Quinta*, dæmonum in sceleratos homines, duplex potestas est. *Vna* tenta, quantam diuinæ iustitiæ seueritas postulat, & hæc, in Tartaro tantum ipso, postea quam è vita iam excessum, viget. *Altera* magna quidem, sed restricta semper & modificata, ne plus in miseros illos crudelitatis dæmon exprimat, quam vel naturæ, vel alius quicunque diuinæ gloriæ ordo, etsi nobis parum quandoque cognitus, requirit. Et huiusmodi est, hac in vita, illorum potestas, quæ interdum ad animum tantummodo, interdum etiam ad corpus, & ad vtrumque, multifariam porrigitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

TOBIÆ
QVÆSTIVNCVLA XIX.

An absque potestate à Deo accepta possit contra homines, dæmon aliquid?

NIhil omnino potest. Nam Matthæi 6. ne capillum quidem è capitibus nostris, absque Dei nutu excidere docemur. Et cap. 8. non possunt in porcos inuadere dæmones, nisi eis à Christo Domino potestas fiat. Iobo vero, etsi votis ardentissimis cuperent, an calamitatem vel plagam inferre minimam, nisi concessisset Deus; potuissent? *Satanas*, inquit l. 2. contra aduersarium legis cap. vltimo D. Augustinus, *cum habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cuiquam non potest, nisi ab omnipotente acceperit potestatem. Quid aliud non solum in libro Iob, quem profecto iste non accipit* (ipse scilicet legis aduersarius, eodem & modo & iure, quo hodierni Ecclesiæ aduersari Tobiam aliosque nonnullos non accipiunt) *sed etiam magis in Euangelio declaratum est, vbi spiritus immundi nec in porcos irrent, nisi hoc illis, benignus ipse Saluator, petentibus, quos certe in abyssum posset relegare, concederet. rem necessariam docere nos volens, vt scilicet nouerimus, multominus eos posse, sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus, qualibuscunque poterunt. Hanc autem potestatem Deus bonus, occulta nobis iustitia dare hominibus potest: iniuste non potest.* Et libro de diuinatione dæmonum. *Accipiunt*, ait, *dæmones sæpe potestatem & morbos immittere, & ipsum aerem, vitiando morbidum reddere: & peruersis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere.* Quid, quæso, Magi, Sagæ, impiique alii, dæmonum ope non facerent, si quod iis liberet, diuino etiam concessu, liceret? Magicas præstigias incredibili studio auebat discere Imperator Nero. Magos vndique omnes accersebat, pecudes, hominesque immolabat. Nihil tamen omnino assequutus est, vt scribit libr. 30. cap. 2. Plinius, ne tanti nimirum Tyranni sæuitia, sæuissimorum etiam spirituum adminiculo iuuaretur, magisque accenderetur. *Nulla profecto*, inquit ibi Plinius, *sacra, barbari licet ferique ritus, non mitiora, quam cogitationes eius fuissent.* Quin & iidem ipsi Acherontei carnifices, statim atque vllum nostrum grauiore paulo culpa obstrictum viderent, ilico accurrerent, aduolarent, violentasque crudeliter manus inferrent. *Nemo*, ait apud Cassianum collatione 7. cap. 22. Serenus, *posset non dicam iuuenum, quos videmus in hac eremo constantissime commorari, sed nec perfectorum quidem tantis taliumque hostium agminibus circumseptus, in eremo singularis habitare, si in ipsis dæmonibus esset, pro voluntate sua, nocendi vel attendendi facultas atque libertas. Quod euidentius etiam Domini saluatoris nostri confirmat sententia, quam pro humilitate hominis assumpti, protulit ad Pilatum ita dicens, Iohan. 19. Non haberes in me vllam potestatem, nisi datum tibi fuisset desuper.* Similia in D. Gregorio lib. 3. Dial. cap. 21. lib. 1. Moral. cap. 9. & sequentibus, D. Cyprianо de oratione Dominica.

QVÆSTIVNCVLA XX.

Ob quæ peccata dæmoni, contra homines, potestatem concedat Deus?

COncedit ipse quidem interdum ob aliqua, quæ si humani iudicii lance ponderarentur, essent non admodum grauia. vti apud Cassianum collat. 2. cap. 13. & 7. cap. 17. apud D. Gregorium lib. 1. Dialog. cap. 4. idque fit, vt ab omni delicto siue magno siue parno fugiendum semper intelligamus. Est tamen ob ista minutiora, infrequentior potestatis huius concessio, vel vt à maioribus grauioribusque saltem valde abhorreamus, dum nouo exquisitoque supplicio ea persequi Deum videmus. Ea porro varia sunt. *Primum infidelitas.* vnde &, sacro in Baptismo, exorcismi. *Alterum hæresis.* vti scribit Eusebius 16. historiæ cap. 35. Nicephorus libr. 6. cap. 3. A dæmone interfectum Oecolampadium scribit ipsemet Lutherus libr. de Missa angulari, Carolstadium Basilienses prouisa morte sublatum cum liqueat, alii quidem aliter, sed plurimi suo cacodæmone peremptum existimant, cum vocati ad eum Medici morbum vel ignorare se fatererentur, vel apoplexiam fingerent: ipse verò eius Medicus absens, Manlius, prout ipsemet in Locis narrat fol. 754. cardiacam. *Tertium* est diuinorum *sacramentorum* vel *contemptio*, vel *neglectio*, vt ex Eusebio iam dictum, & ex Torriano in libr. 3. Constitut. Apostol. cap. 17. amplius cognosci potest. *Quartum ingratitudo.* Matthæi 12. vers. 44. 45. & cap. fin. 26. quæst. 5. *Quintum, superbia & mundi* 1. Reg. 18. *Sextum*, quod huius maximè loci proprium est, *libido.* Sic enim, prout iam vidimus, Saræ sponsi perierunt. sic Symphoriani vrbis Romæ præfecti filius apud D. Ambrosium serm. 90. sic Cornelius Gallus prætorius, & Titus Antherius eques Romanus apud Valerium lib. 9. cap. 12. Plinium libr. 7. cap. 53. Giachetus Salucianus apud Fulgosium lib. 9. cap. 12. lasciuia illa sanctimonialis, & alii de quibus Cantipratenus Thomas libr. 2. c. 30. n. 20. 27. 38. 55. Sic & à dæmonio vexata nobilis matrona apud S. Gregorium li. 1. dial. ca. 9. Sed S. Prosperlibro de dimidio temporum c. 6. *Noster*, ait, *temporibus*

temporibus, Asspere VICOS *Carthagini constituto, hoc signũ diabolicum monstrosumque quod illic accidit, quis illius patriæ ciuis ignorat? Quædam iuuencula, Araba natione, ancilla Dei habitum gestans: cum in balneo lauans, simulachrum quoddam Veneris impudice respiceret, & seipsam, eique se consimilans, domicilium se diabolo præbuit. Statim ille leo, qui rugiens circuit, quem quærebat inuenit, Meatus igitur gutturis ipsius occupant, nullum cibum, nullumq; potum traiciens, per septuaginta fermè dies totiacmq; noctes, ieiunium sibi diabolus ex capta, possessoq; vase exhibuit.* Nostris etiam temporibus, non ita pridem vir fide dignus, accidisse narrabat, vt obscœnam, in caupona quadam parieti affixam imaginem Miles contemplatus, eam sibi à caupone vendi postularet. quam cum emptam reuellere secumque auferre vellet, confestim, eodem in vestigio, à dæmone miser humi afflictus & occisus est. Sũt tamen etiam causæ quædam bonæ, cur & bonis nonnunquam molestum esse dæmonem Deus patiatur: sed alia tamen ratione, quam improbis. Dum sponsos istos ille interimebat, nunquid & Saræ & Ragueli, eiusque matri luctum non afferebat? Sane verò, ideoque & illum, *inimicum* suum vocant infra cap. 8. v. 18. *Satanæ*, inquit Cyprianus lib. de oratione dominica, *potestas dupliciter aduersus nos datur, vel ad pœnam, cum deliquimus, vel ad gloriam cum probamur.* Videatur Sulp. dial. 1. c. 14. Cassianus collation. 2. c. 28. sed quæstionum iam satis.

Tres porro nuptiarum noctes primas quemadmodum transigere debeat, sua cum sponsa Tobias præscribit Angelus v. 8. vt vna scilicet precibus inuigilent, à eque vxoria sese penitus abstineant. Et prima quidem isto modo peracta nox valitura erat ad fugandum dæmonium. Secunda ad copulationem sanctorum Patriarcharum imitandam, in qua finisse notant Hugo & Carthusianus sanctimoniam & pudicitiam, Tertia, ad benedictionem filiorum consequendam, & videntur istæ duæ posteriores noctes postulare, duo bona, quæ in Patriarcharum coniugio fuerunt, προνοιαν & ευτεκνιαν. Quarta nocte, virginis acceptio conceditur, sed cum timore Domini & cum maiore filiorum desiderio, quam voluptatis ipsius amore. An huiusmodi verò trium noctium continentia omnibus adhibenda sit cap. 8. dicetur. Vnum verò, quod à D. Prospero l. 2. de vocatione gentium cap. 36. notatum, haud prætereundum. *Orationum*, ait, *solicitudinem diuinæ electionis proposito non resolui, vno testimonio euidenter probabo, vt cætera studio breuitatis omittam. In libro igitur Tobiæ ad filium eius Tobiam Raphael angelus dicit: Memor esto mandatorum patris tui, quoniam præcepit tibi accipere debere vxorem de genere patris tui. Et nunc audi me, frater, noli computare dæmonium illud, sed postula eam. Et scito quoniam dabitur tibi hac nocte vxor, & cum intraueris cubiculum, tolle de iecore pisces illius, & impone super carbones, & odor manabit, & odorabitur illud dæmonium, & fugiet, & non apparebit circa illam omnino in perpetuum. Et cum coperis velle esse cum illa, surgite primum ambo & deprecamini Dominum cœli, vt detur vobis misericordia & sanitas. Et nolite timere, tibi enim destinata est ante secula, & tu eam sanabis. Quamuis ergo quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii deuotio relaxatur, cum impleatur voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum, & qui bona gesserint, non solum secundum propositum Dei, sed etiam secundum sua merita coronantur. Ob hoc enim in remotissimo ab humana cognitione secreto, præsumptio huius electionis abscondita est.* Hæc ille, vnde simul cognoscas licet, quæ Græci hoc in loco textus vertio, eo tempore fuerit. Sed, quod ait, *Noli computare dæmonium illud*, idem valeat ac si diceret *Nullam ipsius habeas rationem, ipsum, quasi magnum & formidabile quidpiam, ne formides, quin potius ipsum contemne atq; despice.* Græcè siquidem est, τὸ δαιμονιον μηδενα λογον ἐχε. id est, *dæmonii nullam rationem habe.* Ille autem de Vocatione Gentium, liber, tribui à quibusdam solet S. Ambrosio, apud quem tom. 2. positus legitur, in quo & citata verba sunt.

CAPVT VII.

1 INgressi sunt autem ad Raguelem, & suscepit eos Raguel cum gaudio.
2 Intuensq; Tobiam Raguel, dixit Annæ vxori suæ: Quam similis est iuuenis iste consobrino meo?
3 Et cum hæc dixisset, ait: Vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nepthali sumus ex captiuitate Niniue.
4 Dixitq; illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Nouimus.
5 Cum multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est.
6 Et misit se Raguel, & cum lacrymis osculatus est eum, & plorans super collum eius,
7 Dixit: Benedictio sit tibi fili mi, quia bonus & optimi viri filius es.
8 Et Anna vxor eius, & Sara ipsorum filia, lacrymatæ sunt.
9 Postq; autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium. Cumq; hortaretur eos discumbere ad prandium,
10 Tobias dixit: Hic ego non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dari Saram filiam tuam.
11 Quo audito verbo Raguel expauit, sciens quod euenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: & timere cœpit, ne forte, & huic similiter contingeret: & cum nutaret & non daret petenti vllũ responsũ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 *Dixit ei Angelus: noli timere dare eam iſti: quoniam huic timenti Deum, debetur connubium filia tua: propterea alius non potuit habere illam.*

13 *Tunc dixit Raguel: Non dubito, quod Deus preces & lacrymas meas in conſpectu ſuo admiſerit.*

Num. 14 *Et credo quoniam idcirco fecit vos venire ad*
26. 6. *me, vt iſta coniungeretur cognationi ſuæ ſecundum legem Moyſi: & nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam.*

15 *Et apprehendens dexteram filiæ ſuæ dextræ Tobiæ tradidit dicens: Deus Abraham & Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos, impleatque benedictionem ſuam in vobis.*

16 *Et accepta charta fecerunt conſcriptionem coniugii.*

17 *Et poſt hæc epulati ſunt benedicentes Deum.*

18 *Vocauitq; Raguel ad ſe Annam vxorem ſuam, & præcepit ei, vt pararet alterum cubiculum.*

19 *Et introduxit illuc Saram filiam ſuam, & lacrymata eſt.*

20 *Dixitq; ei: Forti animo eſto filia mea: Dominus cœli det tibi gaudium pro tædio quod perpeſſa es.*

COMMENTARIVS.

ECbatana veniunt, & in Raguelis domo, cum huius filia Sara nuptias init Tobias. Sunt autem in Hebræo & Græco plures, quam in Latino, interpoſiti ſermones, cum eandem rem quidem plurium ſimilitudo.

QVÆSTIVNCVLA I.

An neceſſe fuerit, maritorum aliorum necem, mortisque periculum Raguelem Tobiæ indicare verſ. 11.

D. Ambroſius l. 3. de Officiis cap. 14. ſignificat filiarum magis, quam domorum, aliarumue mercium vitia celari poſſe: ipſum tamen Raguelem laudat, quod indicarit, eumque apud Ciceronem lib. 3. Officiorum, Philoſophis iſta diſputantibus anteponit. *Raguel*, inquit, *præcipue ſorſita non tacebat ne ſiremmunente petitorem tacendo videretur.* & paulo poſt *Iuſtus vir plus alienis timebat, & malebat ſibi nuptam manere filiam, quam propter nuptias eius, extraneos periclitari.*

QVÆSTIVNCVLA. II.

Quot viri Saræ mortui, & quales?

AMbroſius loco citato numerat tantum ſex. At iſto libro, capite 6. v. 14. & infra cap. 8. verſ. 12. & hoc etiam capite 7. in Hebræo numerantur ſeptem. Quales vero moribus fuerint ſuperius dictum: quales ſanguine, dicendum. Opinor iſtos vel ſeptem fratres illos fuiſſe, de quibus Matthæi 22. vel certe alios propinquos, quibus, vt in Ruth expoſitum eſt, nuptiæ iſtæ debebantur. Nã *primo* Saducæi quaſi de nota hiſtoria probata. & ſæpe inter Iudæos diſputata, loquuntur. *Secundò*, ibidem ſignificantur omnes ſtatim poſt nuptias mortui. Nam de primo dicitur γαμέσας ἐτελεύτησε quaſi diceret, *ſtatim*, idemque de reliquis ſubditur. *Tertio* ſuperius c. 6. verſu. 12. & hoc cap. 7. v. 14. dicitur, deberi Saram Tobiæ, eiuſque hæreditatem ſecundum legem Moyſi. quaſi videlicet ſa alia non affectur, cur ſeptem iſtis Sara vxor eſſe non debuerit, quam quod Deum non timuerint Matthæum, octauo huius matri. Tobiæ ſcilicet, mentio, quia ad quæſtionem ibi propoſitam, eiusque intricatam difficultatem ſatis erant ſeptem illi.

QVAESTIVNCVLA III.

Quomodo iidem Saræ viri mortui?

HOc, aitc. 6. v. 14. Tobias, *audiui, quia dæmonium occidit illos.* Id vero falſum minime fuiſſe, ſumma omnium conſenſio eſt, & textus ipſe demonſtrat. Nam ibidem v. 17. idcirco ſubdit Angelus in quos accipere ſolear dæmon poteſtatem, & c. 3. v. 3. idem dæmon apprehenditur & religatur, deinceps que verſ. 18. tamquam inimicus, qui Raguelem perſequeretur, excluditur. itemque cap. 12. v. 3. à Sara dæmonium compeſcitur, ne videlicet, quemadmodum ſeptem alios, ita & Tobiam interimeret. Ideo enim & foſſa fodiebatur cap. 8. ver. 12. Et omnium clariſſimè cap. 3. v. 8. *Asmodæus occiderat eos.* Sed quonam eos mortis genere occidit? Venerabilis Beda in antea expoſitum caput, eos à dæmone raptos aſſerit. Sed in tum ſepulchro, minime opus fuiſſet. Qui enim a rapiu

rapiuntur, aut quo deuenerint ignoratur, aut certe aliquem in locũ remotiorẽ, vt de ſepultura eorum cogitari vix poſſit, traferuntur. Dicebat vero Raguel c. 8. v. 12. *Ne forte ſimili modo euenerit ei, quo & cæteris ſeptem illis viris, qui ſunt ingreſſi ad eam.* Ideoque forte ita exponi V. Beda queat, vt *raptos* dicat, quaſi è medio ſublatos, ſeu, è viuorum numero raptos, eo loquendi modo, quo vtitur Sapiens ſapientiæ 4. v. 11. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius.* Modum vero, ſpeciemque mortis patefacit, in Græco, ſupra cap. 3. ver. 8. irata & contumeliis dominam proſcindens famula. Dicit enim, κόλωτὸς ἀπεπνίγετό σου τοὺς ἄνδρας? id eſt. *Non intelligis, quæ viros tuos ſuffocaſti?* Nam quod fecerat Aſmodæus, hoc linguax mendaxque in dominam conferebat ancillula, *Suffocatio* porro duplex eſt. *Vna* quæ ad vitam quidem eripiendam tendit, ſed tanta nondum eſt vt eripiat, niſi magis intendatur & augeatur. Et ſic à Platone & Thucydide dicitur æſtus πνιγμὸς. vnde calidior aër & locus apud Galenum & Plutarchum πνιγώδης. Sic ephialtes, ſeu ſuppreſſio nocturna, cuius & mentio antea incidit, poſteaque cap. 8. recider, ſuffocare ſolet: & idcirco à Themiſone & Paulo Ægineta lib. 3. cap. 25. πνιγμῶν, & πνιγμώδων vocatur. Sic denique cibi quidam ſuffocant, & febris & apud Demoſthenem atque Lucianum, ira. Quid ſeruus ille nequam Matthæi 18. verſ. 28? Nonne ſuis ipſe manibus conſerunm *tenens, ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes?* Altera ſuffocatio eſt, quæ tantopere increſcit, vt vitam penitus aufferat: ſiue aliquo iam dictorum modorum fiat, ſiue alio, vt aquis, quemadmodum Marci 5. porci ſuffocantur: ſiue laqueo, qui apud Heſychium ideo πνιγετὸς dicitur, vnde, & apud Ariſtophanem ὁδὸς εἰς ἅδου πνιγερά, *via, quæ ad inferos ducit, ſuffocatoria.* Dæmon igitur ſemptem iſtos Saræ ſponſos, maiore iſta & letali ſuffocatione ſuffocauit, vel intercluſo ſpiritu, animoque feruore, cum & ipſi libidine nimia inflammati arderent: vel aſſumpto ad tempus, corpore, iniectiſque in illorum colla manibus: vel aliquo etiam laqueo ſceleratas eorum fauces obſtringendo: vel demum ephialte grauiſſimo ipſos ita premendo, vt reſpirare, ſeſeque mouere nihil poſſent. Hoc enim mortis genere, quando diuina ei iuſtitia concedit libentiſſime crudeliſſimus torror iſte vtitur, & vſus verè eſt contra illos, de quibus c. 6. quæſt. 20. Cum Symphoriani vrbis præfecti filius, voluptatum flammis totus ardens, ſceleratæ *Sanctam Agnem manu contingeret, cecidit in faciem ſuam, & præfocatus a diabolo, expirauit*, inquit ſerm. 90. D. Ambroſius. Quin & pro immani ſua crudelitate quoſdam etiam interdum offocare carnifex ille nititur, quos tamen diuina mirabiliter bonitas conſeruat. Vir nobilis & valde religioſus à quodam Imperii principe, vt eius confeſſionem audiret, vocatus erat. Timens vero diabolus, ne per ſacram confeſſionem, è peccatorum, inferorumque laqueis princeps ille ſoluceretur. ipſum intempeſta nocte Confeſſarium ſuffocare voluit, ni ſacris precum verbis, fuiſſet eius furor cohibitus, vti refert lib. 2. cap. 29. n. 23. Cantipratenus. Arcadius vero Cypri Archiepiſcopus & ex eo S. Damaſcenus oratione 3. de imaginibus, *contigit*, ait, *vt vir quidam mercator ciuitatis Antiochenæ graui moleſtia ab improbo dæmone afflligeretur, diuque angeretur, adeo vt ſpirandi facultate intercluſa ſuffocaretur. Hic profectus ad ſanctum Simeonem eſt, & eius precibus ita ſanitatem aſſecutus, ac ſi nihil vnquam prepeſſus eſſet.* Si quis vero contendat, canonem Epiſcopi 26. quæſt. 5. omnem illius occidendi poteſtatem dæmonibus negare, quod neque in melius, neque in deterius creaturam vllam transformare poſſint, ideoque neque è viuo animali cadauer efficere, occurrendum, agi eo loco de propria dæmonis poteſtate, vt per ſe ipſum abſque Dei nutu id poſſit, ne, vt ibi dicitur, creator, & diuinitate aliqua prædituς exiſtimetur. Deinde loquitur etiam canon de perfectorum animalium in alia perfecta translatu & vera metamorphoſi. Cadauer vero num eiuſmodi?

QVAESTIVNCVLA IV.

Vbi & quando iidem, à dæmonio ſuffocati?

IN Græco cap. 6. ver. 14. ἐν τῷ νυμφῶνι *in thalamo nuptiali*, ſuffocati dicuntur, cap. 7. v. 11. ὁπότε ἂν εἰσπορεύοιντο πρὸς αὐτὴν, ἀπέθνησκον ὑπὸ τὴν νύκτα. *quando ingrediebantur ad ipſam Saram, moriebantur ſub noctem.* Et cap. 3. ver. 8. δαιμόνιον ἀπέκτεινεν αὐτούς, πρὶν γενέσθαι αὐτοὺς μετ' αὐτῆς, ὡς ἐν γυναιξί. *dæmonium eos interfecit, priuſquam cum ea ipſi fuiſſent, vt in mulieribus*, id eſt, *priuſquam vxoriam cum ea conſuetudinem habuiſſent viri moris eſt* ſeu vt Hebræorum alter ait, *priuſquam cum ea cubuiſſent*, & alter, *priuſquam appropinquarent ad eam, more vniuerſæ terræ.* At in Latino cap. 3. verſ. 8. *Aſmodæus occiderat eos, mox vt ingreſſi fuiſſent ad eam.* Quod ita Baduellus accipit, quaſi diceret S. Hieronymus, eos cum ea congreſſos eſſe. *Sed omnes*, addit, *Hebræi, quos quidem viderim, illos ante congreſſum, necatos fuiſſe memorant.* Id tamen haudquaquam vel S. Hieronymus, vel textus noſter inficiatur, cum de ingreſſione loquatur, qua in Saræ thalamum & cubiculũ ingreſſi ſunt viri illi: quam etiam ingreſſionem nominauit Græcus cap. 7. v. 11. & paulo ante vidimus ὁπότε ἂν εἰσπορεύοιντο πρὸς αὐτὴν *quando ingrediebantur ad ipſam.* At hoc Baduellus videre noluit, ſed, vt aliam in ſententiam lectorẽ adduceret, vertit ſub nocte. *quærant ad eã accedere, mierierunt*, quaſi nõ acceſſiſſent. Ad ipſam ergo acceſſerunt, qui eius thalamum inierunt: ad ipſam non acceſſerunt, quia eam non inierunt. Atque hinc patet, illibatam integramq; penitus virginem Saram fuiſſe, cum Tobiæ in matrimonium

Universidad de Deusto
Biblioteca

trimonium collocaretur. Vnde cap. 3. ver. 12. dum Græcè dicitur, *vnius ipsorum nominata non est*, ad veterem illam consuetudinem respicitur, qua à maritis vxores cognominabantur, non simpliciter, sed quando ex iis prolem habebant, vel ab iis saltem cognitæ fuerant, Isaiæ 4. *Invocetur nomen tuū super nos*. Sic Maria Cleophæ, s. vxor & aliorū alię dictæ sunt Hinc vero intelligitur, quam verū sit illud apud Bensirā prouerbiū. *Sponsa ascendit in thalamū, nec quia ei euenerunt sit, nouit*. vt, in lætissimis etiam rebus animi semper modestam & sanctam quandam solicitudinem retineamus. cum vt addit in Syrochaldaico Boderianus, iuxta Latinorum prouerbium. *Inter calicem & os*, multa soleant intercidere. O quam facilis è summo gaudio in luctum summum catastrophe è nuptiali thalamo in feralem tumulum. *Incertum est*, ait epistola 26. Seneca, *quo te loco mors expectet. Itaque tu illam omni loco expecta*.

QVAESTIVNCVLA V.

Quomodo Sara eiusque Parentes, viros illos periculi non monebant?

QVin eos, vt Tobiam ver. 11. monuerint, non dubitat loco citato D. Ambrosius. iis tamen perentibus & vrgentibus vt assentirentur boniparentes. plura iis argumen a fuere. *Primum*, prolis desiderium, cum orbitas & sterilitas probro tunc esset. *Alterum*, nulla sceleris proprii conscientia. *Tertium* spes de meliore successū, quod sperarent preces, lacrymas & ieiunia sua exaudita superius cap. 3. & hic ver. 13. *Quartum* iuris, quod habebant, vsus. Nam quemadmodum c. Quoniam nemini, de coniugio leprosorum dicitur, *Leprosi si continere nolunt, & aliquam quæ sibi nubere velit, inuenerint, liberum est eis, ad matrimonium conuolare*: ita, cum priorum funera viderent posteriores, si tamen ducere vxorem Saram volebant, liberum ei erat annuere, ipsorumque nuptias non recusare.

QVAESTIVNCVLA VI.

Quomodo à Saræ nuptiis, priorum morte, non absterriti posteriores?

FELICITER *sapit, qui alieno periculo sapit*, inquit ille, *optimumque*, ait Plinius lib. 28. cap. 5. *aliena insania frui*. E contrario, *Nimium*, inquit Augustinus, *præceps est qui transire contendit, vbi conspexerit alium cecidisse*. Videntur vero istos ad nuptias inuitasse. *Primum*, eximia Saræ forma. *Secundum*, ardentissimus illius amor. *Insanos fateamur amores*, inquit liber nonus Metamorphoseos. *Tertium* hæreditatis, quæ illi soli, quia vnigenita erat, debebatur, cupiditas. *Quartum* ius propinquitatis, de quo supra.

QVÆSTIVNCVLA VII.

Quomodo, vt filiam Tobiæ daret, tam cito persuasus Raguel?

MAGNO ad persuadendum momento fuit. *Primo*, coniugii desiderium ob posteritatis & Ecclesiæ conseruandæ ac fulciendæ amorem. *Deinde* coniugum talis cum tali id est bonæ cum bono, propinqui cum propinqua. *Tertio* Raphaëlis nomen, grauitas, orationis suauitas, actionū prudentia, eorum quæ dicebat probabilitas, formæ dignitas: sed omnium maximè, vis quædam, qua, interiore modo, Raguëlis Annæque mentes Angelus tantus & per eum Deus afficiebat, vt notat Carthusianus.

De nuptiarum adhibitis tam ritibus postea.

CAPVT IIX.

1 POstquam vero cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam.

2 Recordatus itaque Tobias sermonum angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitq; eam super carbones viuos.

3 Tunc Raphael angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.

4 Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus coniugio.

5 Filii quippe sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi sicut gentes, quæ ignorant Deum.

6 Surgentes autem pariter, inflanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis.

7 Dixitq; Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cœli & terræ mareque & fontes, & flumina & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt.

8 Tu fecisti

8 *Tu fecisti Adam de limo terræ, dedisti q; ei adiutorium Heuam.*

9 *Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.*

10 *Dixit quoq; Sara: Miserere nobis Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani.*

11 *Et factum est circa pullorum cantum, accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cum eo pariter vt foderent sepulchrū.*

12 *Dicebat enim: Ne forte simili modo euenerit ei, quo & cæteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam.*

13 *Cumq; parassent fossam, reuersus Raguel ad vxorem suam dixit ei:*

14 *Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est vt sepeliam eum, antequam illucescat dies.*

15 *At illa misit vnam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos saluos & incolumes, secum pariter dormientes.*

16 *Et reuersa, nunciauit bonum nuncium & benedixerunt Dominum, Raguel videlicet & Anna vxor eius.*

17 *Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus.*

18 *Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequentem nos.*

19 *Misertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine plenius benedicere te: & sacrificium tibi laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium, quia tu es Deus solus in vniuersa terra.*

20 *Statimq; præcepit seruis suis Raguel, vt replerent fossam, quam fecerant, priusquam elucesceret.*

21 *Vxori autem suæ dixit, vt instrueret conuiuium, & præpararet omnia quæ in cibos erant iter agentibus necessaria.*

22 *Duas quoq; pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis, cunctisq; amicis.*

23 *Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud se.*

24 *De omnibus autem, quæ possidebat Raguel, dimidiam partem edit Tobiæ, & fecit scripturam, vt pars dimidia, quæ supererat post obitum eorum, Tobiæ dominio deueniret.*

COMMENTARIVS.

INchoatæ nuptiæ omni cacodæmonis impedimento sublato, lætè, diuque perficiuntur, & prima nuptiarum nocte Tobias tria facit. Asmodæum scilicet eiicit: orationi, cum Sara vacat: post eum eadem. citra venerem vllam somnum capit. *Cassidile* vero à Budæo libro de Asse exponitur bulga vel penula. sic dictum, vt Lyrano & Carthusiano videtur, à cassibus, quibus reticulati quorundam sacculi similes sunt, vt in opsonatoribus, piscatoribus & mercenariis ad vineam, vel opus aliud euntibus, crebro videmus. Hugoni vero placet à similitudine cassidis, seu vt apud Propertium, & Virgil. lib. 11. Æneidos, à similitudine cassidæ. Videtur enim pro *cassita*, in Festo legendū *cassida*. Dicitur vero hic *pars iecoris* prolata, cum tamen cap. 6. *cor* etiam memoratum esset. Hebraicè tam hic, quam ibi, eiusdem cordis mentio tantum fit: Græcè vtrobique vtriusque, sicut in D. Athanasii Synopsi, in V. Beda, & interprete nostro cap. 6. Ideoque hic in Latino textu, ex hepate cor etiam subintelligendum. Carbones viui, sunt candentes. Addunt Græcè & Hebraicè nonnulla. de quibus sequenti c. 9.

Nunc in quæstiones aliquot eundum.

QVÆSTIVNCVLA. I.

Sitne, per hepatis fumum, dæmon expulsus?

NEgant ex hæreticis nonnulli, vt Wittakerus, Ionas, & Luthetus. Ille libro primo contra Duræum fol. 72. exclamat. *Quis vnquam propheta, aut Apostolus Dæmones hoc modo abigendos esse docuit? Paulus vniuersam Christiani hominis panopliam descripsit, 1. Thes. 6. qua tecti nullis Dæmonum telis, superemur. Hoc vero mirificum telum, quo hunc dæmonem repulit Tobias, nusquam nobis commendat*. Verum, pari modo, contra S. Paulum, suo sudario & semicinctio Dæmones profligantem Actorum 19. ver. 12. contra ipsum etiam Dominum & Saluatorem Iesum ieiunio expellendos, profitentem Matth. 17. ver. 21. sycophantari nonne liceret? Neque enim vel ieiunia, vel fiducia, vel semicinctia in illa D. Pauli *panoplia* recensentur neque eidem Apostolo totum Ecclesiæ armamentarium exponere propositum fuit, sed præcipua quædam armorum genera commendare. quæ etiam ipsa ne à Tobia quidem nostro prætermissa sunt. Insignem enim eius fidem, & religionissimā in oratione, pernoctationem legimus: ipsum vidimus stare succinctum lumbos suos in veritate, & indutum loricam iustitiæ. Similis mihi Massalianis videtur Wittakerus, qui vnicum dæmonas eiiciendi modum putabant, ipsam scilicet, quam alus pænè omnibus Christianorum cæremoniis vilipensis immodicè prædicabant, orationem, prout in Panopliæ par. 2 tit. 22. ab Euthymio traditur. Ionas vero in sympoliacorum Lutheri cap. 59. huic ipsi Luthero dicebat, *fultam rem esse per hepar istud, diabolū esse expulsum*. Respondit Luth. *Diabolus vtpote ferox & vehemens aduersarius non sic expellitur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pellitur, Habet enim Goliæ hastam, qua aduersum nos pugnat & sine intermissione nos tentat. Præterea Deus armat & instruit ipsum, acuit illi arma sua: dat ei stimulum, vel ferrum quod hastili suo præfigat suam scilicet legem, qua nos ferociter inuadit. Nullam sapiens ille Ionas causam, cur *stultissimam*, hoc sancti Raphaelis factum vocasset, attulerat: sed sapientiæ nouum oraculum Lutherus, duas vel tres proferre voluit, verum vanitatis & stultitiæ plenissimas. Prima. *Est diabolus fortis & vehemens.* Quid ergo? vinci, vel solo iussu, ab Angelo, non potuit? Altera, *Goliæ hasta nos semper oppugnat.* Quid inde? Ergo nunquam expellitur? Tertia. *Eum Deus armat.* Luthero iudice, non Dauidem Saul contra Goliathum armat, sed Goliathum Deus contra nos, & quidem sua sanctissima lege, vt ea Diabolo ferrum sit, quo nos ingulet, sed qui ab Angelo, iecore incenso, exigi dæmonem non potuisse censet, mirum quam ridiculis, fœdis obscœnisque ipse modis, eum, verbo exemplotionem à legis diuinæ cogitatione, vini haustum largiorem, cibum redundatiorem. *quia in tentationibus*, inquit, *centies deterius est ieiunare, quam edere ac bibere.* Commendat etiam aduersus dæmonis tentationes, *doctoratus gradu ornatum esse, ventru*(dicto venia sit) *crepitus edere*, itemque deni Catechesi. 6. cohortatio me, vt verba Sophi huius ascriberem, induxisset: ea tamen rerum, nominumque fœditate commentarium iam istum conspurcare ausus non sum, videre, si quis cupiat *panoplia?* Hiecine tui, Luthere, contra *Goliæ hastam*, thoraces?

QVÆSTIVNCVLA II.

An, contra dæmonem, fumo huic efficientia vlla tribuenda?

EXiis, qui dæmonem, iecoris fumo, exactum concedunt, non sunt omnino nulli, qui eum fumum nihil effecisse, sed merum tantummodo signum fuisse sentiant, sed ii tres in partes abeunt. *Quidam* enim volunt totam hanc iecoris incensionem eò tantum adhibitam, vt se hominem esse, non Angelum, Angelus persuaderet. *Alii* fumum eundem aiunt signum fuisse temporis tantum, quo dæmon expelleretur. Refert vtramque hanc opinionem *liber de Dæmoniacis*, cap. 48. tum. 696. *Tertiis* placet fuisse signum tantum efficacitatis & virtutis precum Tobiæ. Ita Lyranus ca 1. Reg. 16. Sint iam propositiones quatuor.

Prima *Fumus iste non fuit signum humanitatis Angeli.* Primò. Quia superuacaneum superstitiosæ obseruationis periculum hominibus dedisset Angelus, cum satis alias tectus esset, variisque modis aliis, & dæmonem extrudere & se ipsum occulere potuisset. Secundò peccasset mendacio cap. 16. ver. 8. dicendo, *valere ad extricandum omne dæmoniorum genus.* cum reuera nihil valere, ipse nosset optimè.

Secunda *Non fuit etiam tantummodo temporis, quo dæmon expelleretur, signum.* Primò. Quia cap. 6. ver. 5. Latinè, Græcè & Hebraicè dicuntur hæc vtilia, vt ex iis medicamenta fierent. Quæ verò ad ticula dicitur: *Extricat omne genus dæmonicorum*, id est, extricandi vim habet. Num tunc *omne* dæmoniorum genus non extricabat. sed vnum tantummodo. Ideoque sententia eadem est, atque dum dici solet, herba ista vel potio, phlegmata, ex hominibus, omnia educit: febres omnes lenit, id est, educendi & lenendi vim habet. An verò falsum quod ait Angelus? An vti vani quidam aece dicitur, ἔκλυσε τὸν τῦφον τῶν δυμιαμάτων, ἢ ἐπέβηκε τὸν καρδίαν τῦ ἰχθύος καὶ τὸ ἧπαρ, καὶ ἐκάπρυνεν τὸν δαιμόνιον τὸς ὀσμῆς, ἔφυγεν εἰς τὰ ἀνώτατα Αἰγύπτε. Tobias *accepit cinerem* seu *dorem, fugit ad Ægypti suprema*: Hebraicè vero, *Percepit Asmodæus odorem & fugit.* Ecce, clarè siquibus abeuntis dæmonis tempus significari oportebat, visus dici debuisset, vt intelligeretur dæmonium abisse. quemadmodum apud nos hodie, & olim, dum iubentur dæmonia sui, è corporibus obsessis abitus signum aliquod edere, Quartò, sel non tantum fuit signum temporis, quo Dæmon.

Tertia. *Non fuit tantum signum virtutis precum.* Primò, iisdem ferè argumentis probatur, eũ citata Secundò, fuisse fecisset quodlibet aliud suffimentum thureum, vel myrepsicum, præsertim cum hudebuisset fumus de quacunque piscis parte, vel è iecore cuiuscunque animalis, verbi gratia, arietis, capite superioti, inactati; neque fuisset opus tanto itinere, tantoque labore, vna cum sarcinis aliis, cor & hepar illud, huc afferre.

Quarta

Quarta. *Fumo huic, aduersus dæmonem efficientia quædam fuit.* Patet ex dictis. Cum enim à Raphaële Angelo adhibitum non fuisse frustra fuerit, neque solam aliquid significandi, vti probatum est, vim habeat, efficientia ei quædam tribuatur, oportet. Deinde omnia pœnè, quibus propositio secunda firmata, istam etiam quartam, & quidem directè confirmant. Numquid & diuinæ iustitiæ consentaneum, eos qui sese Deo æquiparare voluerunt, superbissimos spiritus, corporatis nunc rebus subiici, & earum quasdam in illos efficientiam quandam exercere? Accedunt tamen suffragatores non aspernandi Guilelmus Parisiensis libro de vniuerso. Dionysius Carthusianus hoc loco, Vallesius sacræ Philoso. cap. 28. Petrus Gregorius Tolosanus Syntagmatis Iuris lib. 34. cap. 22. Bartholomæus Faius in Energumenico, Franciscus Georgius tom. 6. problem. 119. Hieronymus Mengus in Flagello dæmonum, documento 3. Sed *obiiciuntur argumenta duo.* vnum cap. 6. ver. 8. non generatim dicitur, omnibus hominibus, iecur valere ad dæmonis expulsionem, sed tantum speciatim, *ipsi Tobiæ, si ponat.* Est hoc Abulensis argumentum loco citato 1. Reg. cap. 16. quæst. 46. Sed Græcè & Hebraicè generatim dicitur. Et vero in Latino; est vsitatus loquendi modus, quo licet medicamenti alicuius virtus generalis sit, alicui tamen diei solet, *si hoc accipias:* vel, *Recipe hoc.* Alterum argumentum cap. 8. ver. 3. dicetur: *Tunc Raphael apprehendit dæmonium.* Ergo temporis duntaxat signum fumus fuit. Respondeo: Nonnumquam in Latino quædam quæ in Græco & Hebraico non sunt, asseri, supra monstraui. idque hoc loco fit, neque tamen temporis, quo Dæmon extrusus, hoc loco signum ponitur: sed altera quædam actio subiungitur, quæ à Raphaele tunc facta est, dæmonis scilicet colligatio.

QVAESTIVNCVLA III.

Sitne fumi huius efficientia naturalis?

SVpernaturalem esse tradit loco citato Vallesius, quam illi fumo Deus indiderit, eo modo, quo interorum iguibus, vt in damnatos spiritus agerent, concessit. & confirmari posset ista opinio, illo ipsius Victoriæ q. 6. de Magia, argumento, quod laudat in 2.2. disp. 6. q. 3. puncto 2. noster de Valentia. *Non est super terram potestas, quæ comparetur diabolo, qui factus est, vt nullum timeret,* Iob. 41. ver. 24. At si de supernaturali potestate agatur, certum est, esse aliquam quæ Dæmonem vincat & superet. Ergo scriptura illa de naturali potestate accipienda est. ideoque & fumi huius, qui Asmodæo fugam impositi; efficacitas non à natura, sed à superiori principio iam existerit. *Naturalem* vero censet Fatius loco itidem indicato. quam ab ipso creationis primordio, in illam naturam Deus contulerit: Idemque Tolosani Gregorio numero 9. & 10. capitis antea nominati, videtur, qui & num. 2. qualitatem istiusmodi, qua, per antipathiam, obsistant dæmonibus nonnullæ res; dicit non è quatuor elementorum compositione pendere, sed ex tota, vt dicitur, substantia, & ex proprietate à DEO eis indita. Mihi harum sententiarum alterutra si amplectenda esset, supernaturalem potius quam naturalem fumi huius vim fuisse opinarer. Sed mediam ingredi viã quid prohibeat Potest liquidem *rerum efficientia triplex* considerari. *Vna*, quæ merè naturalis. *altera*, quæ merè supernaturalis. *tertia*, quæ mixta. *Prima* patet. *Supernaturalem* verò appello panlo vulgarius, quæ supra, vel præter vsitatum physicum efficiendi modum, quippiam efficit. ideoque merè, isto modo supernaturalis est, quando res quæpiam quidpiam efficit, nulla insita sua vi, sed solius causæ superioris imperio & voluntate, estque bona vel mala. *Bona* quando à Dei vel Angeli boni voluntate actio est. *Mala*, quando à dæmonis, vt si dæmon superior aliunde inferiorem egredi iubeat. *Mixta*, quando Dei Angelive boni aut mali actio intercenit, sed ipsa nihilominus corporea aliquid ad vnum eundemque effectum, insita sua vi operatur: siue per modum instrumenti, quod ad aliquem effectum vim ex naturali suæ dispositione, quandam habet (id quod instrumentis omnibus necessarium quidam senserunt) siue per modum causæ velut adiumentis: etsi qui cum ea simul agit, adiutorio nullo egeat. Rursumque, siue hæc efficientia sit ab elementorum certa quadam, etsi admodum occulta, temperatione: siue ab ipsamet rerum substantia. Nam de his, differendi non iam locus. Et mixta hæc, similiter bona vel mala est. *Eam vero efficientiam in rerum natura esse* planum ex eo fieri potest, quod & contradictionis implicationem nullam, & congruentiam non parvam habeat. Quidnam enim congruat, vt quemadmodum purum, absque physicorum corporum actione vlla, efficientiam suam habent spiritus, & absque corporum actione, corpora suam vim & inter se connexam conuenientiamque quandam habeant? Mihi ergo de iecoris nostri fumo hæc videntur.

Primò *Fumo aduersus dæmonem efficientia fuit quadamtenus naturalis.* Quia, vt supra indicatum, Angelus cap. 9. ver. 8. vim efficientiamque illam eo modo describit, quo naturales rerum vires contra morbos, describi solent. *Corde*, ait, *eius partem si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue a muliere.* Quis Dioscorides, Plinius, aut Marchiotus intam herbæ vim aliter enumeret? Quibus aliis verbis, quæ natura suggerit medicamenta eloquantur Theophrastus, Hippocrates, & Galenus. Res naturalis recensetur, *cordis partem:*

præpa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

præparatio item naturalis. *si super carbones ponatur.* Verbum deinde, quod agendi vim importat, additur, *extricat*, id est, extricandi & expellendi vi præditum est, vt supra dictum. Neque c. 6. ver. 7. Tobias, nisi de naturali harum rerum vi, rogat, cum ait, *Quod remedium habebunt ista, quæ de pisce seruare iussit?* Raphaelem enim hominem tantummodo putabat, sed qui non frustra seruari hæc vellet, pertiamque ipsorum efficacitatis aliquam haberet. Hoc enim & Raphael ipse vers. 5. indicarat: *Sunt hæc necessaria, ad medicamenta vtiliter.* Et in Græco modum exponit, paulo quidem aliter quam in Latino vers. 8. sed ita tamen, vt eadem omnia, & paulo forte clarius, indicet: Ἐὰν τινα ὀχλῇ δαιμόνιον, ἢ πνεῦμα πονηρὸν, τούτοις δεῖ καπνίσαι ἐνώπιον ἀνθρώπου ἢ γυναικὸς ἢ μηκέτι ὀχληθῇ. id est *Si vexet aliquem dæmonium vel malus spiritus, oportet hæc* (cor & hepar) *suffumigare coram homine vel femina, & non vexabitur amplius.*

Secundò, *Videtur naturalis hæc efficientia, non tum primo simpliciter, sed in creationis principio, ab ipso naturæ authore, cordi & iecori fuisse impressa.* Primo quidem quia Angelus eo ipso quo medicamenta esse ait cap. 6. significat vim quandam medicandi fixam & constantem iis inesse. Secundo consentaneum videtur, vt Deus, quemadmodum aduersus eos, quos post Adami lapsum futuros videbat, morbos & vlcera, medicas quibusdam rebus vires indiderat: sic etiam inderet aduersus Dæmones, quos non animas tantum, sed & hominum corpora læsuros præuidebat.

Tertiò. *Non fuit eadem efficientia merè naturalis.* Probatur primo, ratione prioris opinionis, quę initio proposita est. Secundo, si pura puta physica vis in hoc, aliisque huiusmodi contra dæmonē remediis inesset, posset dæmon medicamenta istiusmodi nobis vel abscondere, vel eripere, vel debilitare, vel contraria illis medicamenta obiicere. Tertio, possent solis radicibus & medicamentis hominum aliqui dæmonia expellere, contra lobi sententiam c. 41. vers. 24. de qua supra. Quartò, quia nidoribus, alioquin etiam tetris, delectantur dæmones, vt ex Porphyrio refert Eugubinus l. 8. philosophiæ cap. 30. Quintò, quia superiore cap. 6. in Hebraico & Græco textu, non tantum alioquin medicamenti vi euanescente, redire possent. Solent enim præsentem duntaxat morbum medicamenta depellere, non autem efficere, vt reuerti nunquam possint.

Quartò, *Concurrerunt cum suffimenti huius vi naturali, potissimum tria, quæ supernaturalem insignem vim conciliarent.* Primum fuit remotio causæ, ob quam dæmoni sæuire concessum erat. Non enim vt alii viri septem, fœda libidine flagrabat Tobias, neque vt illi, ad mulierem adhinniebat. Secundum. Preces Tobiæ & Saræ tam præteritæ, quam præsentes, quæ quidem fuerunt duplices. Aliæ quidē in ipso statim ingressu thalami, vt ex thymiamatibus, de quibus paulo post colligitur: Deinde post epulsum dæmonem, aliæ, ne vmquam scilicet ille reuerteretur. vers. 4. Et huc etiam spectant *thymiamata*, quæ in Græco textu ponuntur, dum non iam simpliciter *carbones*, aut *carbones viui*, sed *pruna*, vel *cinis thymiamatum* sumptus dicitur, & in Hebræo additur *thuribulum*, quia vt videtur, vnà cum precibus, odores, diuinæ maiestati, reuerentiæ cultusque causa, incenderunt sancti isti coniuges. Addi etiam possunt Raguelis & Annæ orationes, de quibus cap. 7. vers. 13. *Dixit Raguel. Non dubito quod Deus preces & lacrymas meas in conspectu suo admiserit.* Immo & ipsius etiam Raphaelis, separato in cubiculo tum versantis & orantis oratio momenti plurimum attulit. Tertium. Significatio duplex in isto fumo. Prior est significatio passionis Domini, vt ex D. Augustino supra dictum est, eumque secutus D. Prosper lib. de promissionibus & prædicationibus p. 2. 39. *Mysticum*, ait, *actionis huius hoc est, quod ex interioribus piscis & dæmon fugatus est, & Tobias illuminatus. Hoc agit piscis magnus ex passione sua Christus, purgans Mariam, à qua expulit* septem dæmonia. Et postea. Ἰχθὺς *namque Latine piscem, sacris literis, maiores nostri hoc interpretati sunt ex Sibyllinis versibus colligentes quod est Iesus Christus Filius Dei Saluator, piscis in sua passione detectus, cuius ex interioribus remedio, quotidie illuminamur, & pascimur.* Posterior significatio est extinctionis seu debilitationis earum partium, quæ ad libidinem incitant. Cum enim faciat *splen* ridere, cogat amare *iecur*, & in scriptura, etiam *cor*, Prouerb. 4. Matthæi 15. dum in cinerem & fumum cor & iecur rediguntur, significatio eius, quod dictum est, apparet. Atque huc in hymno, quem in Sabbati Matutino Ecclesia concinit, respexisse videtur S. Ambrosius, cum ait: *Lumbos iecurque morbidum: Adure igni congruo. Accincti vt sint perpetim: Luxu remoto pessimo.*

QVÆSTIVNCVLA IV.

Iecoris huius exemplo, possintne sensilia, contra dæmones, alia quædam remedia probari?

ANtimonium, contra omnes pæne morbos laudat nouæ eorum, qui Paracelsistæ dicuntur, Medicorum hæresis. Ego verò, quod contra dæmonia nobis præsidio sit, antidæmonium iā requiro. Et spiritale quidem potissimum est, sed de eo, quod sub sensum cadit, vt iam agatur, facit nostri iecoris incensio. Sunt enim, qui omne quod corporatum, & sensile sit, id contra dæmonas cassum prorsus & enerue censeant, vt ipsæ Paracelsistarum parens Theophrastus Paracelsus, qui parte

parte 9. Philosophiæ, tria tantum, quæ dæmonas exterminent, remedia nobis à Christo Domino data contendit, *potestatem* scilicet quandam immediatè ab illo manantem, deinde *orationē & ieiunium* & libro occultæ philosophiæ, *paucos hactenus dæmonas expulsos*, ait, *quia cæremoniæ*, quæ sensus videlicet ferire solent, *adhiberentur*, tandemque eo progreditur, vt dicat, *Theologum nullum, nisi Magiæ peritum, dæmonas eiecisse.* Contra verò, alii fumos, herbas, lapides, arma, verba, & id genus alia magnis, ad exigendos vel abarcendos dæmonas laudibus efferunt. Pernalgatam sane inquit Abulensis 1. Reg. cap. 16. quæstion. 43. esse opinionem suffimagationibus dæmonia profligari. Et libr. 25. cap. 2. Plinius: *Plerosque*, ait, *video existimare, nihil non herbarum vi effici posse, sed plurimum esse vires incognitas.* De reliquis postea. Nam corpora hæc antidæmonia, possunt bifariam considerari, genetatim & speciatim. Prior modus iam tenendus, & *primo* quidem à Paracelso quæro, an expellendorum dæmonum potestas ita simpliciter à Christo Domino manet, vt nihil omnino, quod sensus incurrat, adhiberi oporteat, an secus? *Si nihil* omnino adhiberi oporteat, D. Pauli sudaria vel semicinctia frustra & vitiosè adhibita sunt Actor. 19. Legę reuerendissimi Baronii Tomum primum, Anno Domini L V I. *Si secus*, cæremoniis bellum cur indicit? Non commemorabo vetustissimos impositionis manuum, exsufflationis, adiurationis, ahosque generis eiusdem ritus; sed Paracelsum suis ipsius verbis constringo. Vult enim eodem libro, vt ad orationem cogantur dæmoniaci: & cogendi modum hunc præscribit, vt ipsis per crucis modum, incumbat quispiam. Non reprehendo cæremoniam, quæ nonnullam Eliæ imitationem. 3. Reg. 17. continere queat, sed hoc ago, cur post Christum Dominum, à nemine, quod quidem norim, vsurpatam, ad expellendos dæmones, cæremoniam vsurpet, vsurpatas vero à plurimis, exstirpet? Quæ ipsi videlicet excigitant, ea sola placent Nouatoribus. Iam quod à solis Magiæ peritis Theologis, dæmonas eiectos asserit, si malam in partem Magiæ nomine vtitur, est in Ecclesiam Christianam nimis quam contumeliosus, dum, insigne adpellendorum dæmonum diuinitus datum munus, ad infames damnatasque artes reuocat. Si vero bonam in partem, prout Magi dicuntur. qui ab oriente dominum adoraturi venerunt, Magiam vocat, contra cæremoniarum sanarumque rerum vsum, non modo nihil dicit, sed eum potius astruit. Quemadmodum enim tetri detestabilesque Magi tetras detestabilesque cæremonias & res, suis in molitionibus, & præstigiis adhibent: ita è contrario eruditi, sanctique Magi eruditas sanctasque cæremonias & res, in exorcismis, verisque miraculis. *Qui vero suffimigationibus*, herbis aliisue meris aut corporibus, aut corporum certe qualitatibus, tantam in spiritus vim tribuunt, vna illa superius allata lobi sententia & adiuncta ratione satis refelluntur. Sed notandum, omnium rerum naturalium, quæcunque est aduersus dæmonas vis, eam alterutro isto genere contineri. Vel enim *Secundario & indirectè* illos oppugnat & eiicit, vel *primario & directè. Prius* accidit, quando, vt in lunaticis, de quibus Matthæi 17. humores & corporis affectiones, quibus maximè oblectatur & abutitur dæmon, persanat. Verbi causa, melancholicos & vuidiores. Sublata enim materia, & veluti fundamento, cui ille innitebatur ac immorabatur, ei vt excedat, imponi quædam videtur necessitas prout libro 2. de quinta essentia Lullus, & lib. 1. de naturæ miraculis cap. 1. Leminus. Parque itidem ratio videtur, si corpus, quod vexatam ab illo rem circumstat, vel etiam, quod ipse assumpsit ita immutetur, vt ipsius proposito & energiæ inimicum sit. Sed consulto dixi. *videtur*, quia verè optimos etiam humores deprauare, optima corporum temperatione abuti nequam spiritus potest, in eaque commorari. *Posterius* verò, vt *primario & directè* dæmon ipse petatur, fit, quando, latentiore quadam vi, corporatæ res, tanquam diuinæ manus instrumenta, in ipsosmet spiritus agunt. Breues ergo conclusiunculæ sex istæ sint.

I. *Nullas cæremonias, aut qua in sensus incurrant, res nullas contra dæmonas valere, falsum est.*

II. *Falsum quoq; meros fumos, herbas, aliaque corporata, contra eosdem immediatam vllam vim habere.*

III. *Sed verum cæremonias, & corpora, vel quæ ab iis sunt, sensiles qualitates, si cum spiritualibus quibusdam viribus iungantur, valere plurimum.*

IV. *Verum item, corporata & spiritalia ista coniuncta valere plurimum, sed ita interdum bene ac religiosè, interdum malè ac superstitiosè susciperentur.*

V. *Verum etiam, bene ac religiosè ista susceptę, quoties à supernaturali Dei angeliue boni concursu vim accipiunt: malè ac superstitiosè. quoties à dæmonis opitulatione.*

VI. *Sola ex omnibus, hoc incensi iecoris exemplo approbari possunt, quæ duo ista coniuncta habent, & à Dei Angeliue boni concursu vim accipiunt. Cetera omnia cognationem, isto cum exemplo, nullam habent.*

QVÆSTIVNCVLA V.

Antidæmonicorum sensilium, isto cum exemplo cognatio, interrosci quomodo possit?

PRimo videndum, an istiusmodi sensilia dæmonum vim verè frangant, eosque aspellant, an non. Multa enim anicularum, & imperitorum, nimisque credulorum vulgus interdum affert, quorum solida constansque veritas nulla. Temere autem huiusce modi narrationibus assentiri

Universidad de Deusto
Biblioteca

assentiri non esse Philosophi, multo minus Theologi. Si ergo vere dæmonibus nihil ista obsistant, Perspicuum satis est, ab iecoris huius, quod vt supra dictum, efficacitatem veram habuit, longe abesse. Si vero verè obsistant, iam *Secundo* videndum, sitne Dei Angeliue beati, an infelicis illius cooperatio & concursus. Si prius, habet cum exemplo isto cognationem. Si posterius nullam, vt ex supra dictis clarum. Sed rursum quæritur, quomodo ista, quæ sensu nullo percipitur, cooperatio internoscatur, diuina ne sit vel Angelica, vel dæmoniaca? Doctè prudenterque noster de Valentia 2.2. disp. 6. quæst 13. punct. 3. docet vnde partim hoc, partim an sit naturalis vis: internosci non queat: deinde vnde queat. *Nonquit è sola causa, etiam apud eruditos, ignoratione, non è sola producti effectus præstantia: nõ è sola, qua ordinarie ad effectũ esse debet, neq; iam est, causæ proportione: non è solo dæmonis indicio, non è sola eius qui operatur vita impuriore, nõ demum è solo fine malo: sed vel è solo operãdi modo: vel è sola causæ conditione & circũstantia: vel è sola effectus cõditione, & circũstantia: vel ex ipsa denq; communi experientia.* Putarem, vt quod videtur paucis dicam, *primo* spectandum an res quæ antidæmonica dicitur, ex natura sua sit vel bona, vel mala, vel indifferens? Si mala, coniecturis aliis quid opus? Nihil ei cum iecore nostro similitudinis, quia huius incensio per se mala non est. Si bona vel indifferens, pergendum *porro*, & spectandum, quinam rei talis, contra dæmonas, vsum vel adhibeant, vel adhibendum primo censuerint. qua homines eruditione, prudentia, religione, integritate. *rursum* cuiusmodi modus in illo illius rei, vsu teneatur, an philosophorum Theologorumque placitis consentaneus, an perspicue improbus, an dubius. *Spectandum etiam*, quod vel vnius alicuius boni sapientisque viri, vel fieri si potest, quod plurium tota ista de re iudicium sit, vel qui omnium optimus & certissimus canon, quænam Ecclesiæ ipsius, vel in aliquo decreto, vel in vsu longè lateque, aut pridem admodum & constanter recepto, sententia sit. Si qui tem illam adhibent, homines scelerati sunt, si in modo vanitas aut vitiositas inest aliqua: si sapientium vel Ecclesiæ iudicia eam improbent, ab exemplo isto dissidere, penitusque dissonare, numquid non iudicanda? Et forent ista generatim satis, nisi de antidæmonicis quibusdam remediis pluscula quid quidam requirerent.

I. *De suffitionibus.*

EST & hodie harum in exorcismis quibusdam, vsus. Nam in libro, qui *dæmonum flagellum* inscribitur, exorcismo tertio, præcipitur, vt ignis ac sulphur accipiatur, isque tam diu, quoad super iis, quæ ab eo interrogantur, apta veraque respondeat, suffiatur dæmoniacus. Et exorcismo quarto, vt benedicta ruta energumeni naribus admoueatur. Exorcismo sexto, vt accipiatur sulphur, galbanus, assa fœtida, aristolochia, hypericon, & ruta, omniaque propria benedictione benedicantur, in ignemque proiciantur. Quia verò cum *hisce rebus sacra ad Deum preces coniunguntur, possunt huic nostræ suffitioni non immerito similes videri*, vt non directe tantum & primario energumenorum corpora immutent, sed ipsos etiam dæmonas, permixtam illam, de qua supra efficientiam. Refert 2.d.8.a.5.ad 4. D. Thomas herbæ cuiusdam fumo effici, vt trabes videãtur serpentes. Cæterum fugat odore ipso cominus serpentes serpillum, vt ait lib. 20. cap. 22. Plinius: nasturtium similiter ibidem c. 13. itemque galbani accensi nidor apud eundem lib. 12. cap. 26. animi defectionem, morborumque contagionem teterrimi coriorum cornuumque fœtores, vti docet libr. 2. c. 10. Leuinus. Si diuinum ergo hisce rebus quidpiam, bono receptoque vsu, connexum esset, cur aliquam iis contra dæmonas efficientiam negaremus? Et vero non in solo Tobia, sed in aliis etiam scriptoribus & ritus & efficientiæ huius nonnulla extant adhuc vestigia. Nam Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 2. indicat, è Salomonis exorcismorum, quos cum cætero sapientiæ ornatu à Deo acceperat, vetustissima formula, fuisse dæmoniacorum naribus radices quasdam admotas, vt eas fumis & odoribus, ipsi ex eorum corporibus, dæmones extraherentur. Thargum Chaldeus Canticorum 4. versi. 6. *Omni* ait, *tempore, quo populus domus Israel tenebat, manibus suis, artem Patrum suorum iustorum, fugiebant dæmones nocentes, tenebriones, & matutini, & meridiani de medio eorum, eo quod maiestas gloriæ domini residebat in domo sanctuarii, quæ ædificata est in monte Moriah: & omnes dæmones & spiritus nocentes fugiebant ab odore incensi aromatum.* siue is odor esset ille, qui quotidie in thymiamatis altari fiebat, siue qui in sacrificiis quibusdam, siue ex aromaticis quibusdam radicibus alius aliquis, prout res postulasset. Sanctus etiam Iustinus dialogo cum Thryphone, à Iudæorum exorcistis, thymiamata & vincula dæmonibus expellendis adhiberi solita, testatur.

Tria tamen sunt, quæ istius modi suffimenta displicere, & vt Exod. 5. ver. 21. loquebantur nõnulli, fœtere potius faciant. *Primum* quod hoc ipsum in Iudæorum exorcistis reprehendere videatur eo loco S. Iustinus: simulque affirmare, idem à Gentilium exorcistis factitari. *Exorcistæ*, ait, *vestri eadem, quæ etiam apud Gentes arte adhibita adurant, incensisque odoribus, & vinculis vtuntur. Alterum*, quod huiusce modi odoribus inuitari potius dæmones videantur, idque vt ait S. Augustinus libr. 20. Ciu. cap. 22. *non quia nidore ac fumo, sicut nonnulli vani opinantur, sed hominum pascuntur erroribus. Tertiam*, quod anilis videatur superstitio, eos arbitrari fumo terreri, qui & corporis expertes & at-

tes, & atterrimo pridem fumo, caligini & flammæ assuerunt. Narrat, qui Germanice conuersus est Matthiolus, hypericum à mulierculis, circum puerperarum lectos incendi, vt spirituum istorum iniuriis obsistatur. *Hyperici*, ait lib. 2. de quinta essentia Lullus, *quod alias dicitur fuga dæmonum, seu perforata, fumigatio seminis, fugat minorem dæmonem appropinquantem corpori vel domui. Primum* tamen illud fœtoris nihil exhalarit, si aduerterimus, Iustinum Iudæis non simpliciter odorum incensionem vitio dare, sed eam, quæ absque DEI veri inuocatione, fiebat. quasi sola istarum rerum natura, & arte humana depelli possent dæmonia. Cum enim dixisset, solo prophetarum vel aliorum veteris testamenti Sanctorum hominum nomine ista non pelli; adiunxit. *At si quis forte vestrum, DEI Abraham, DEI Isaac, & DEI Iacob nomine illa adiuret, fortassis obtemperabunt. Si quis* ait. quasi nullus id, vel rarus certè tum faceret. ideoque apponit, *forte*, & subdit. *Iam vero exorcistæ vestri* & cetera. quasi clarè diceret. At, DEI nomine, vestri exorcistæ dæmonas non adiurant, sed potius artem, vti Gentiles; quandam adhibent, odoresque incendunt. Et isti forte sunt, quos *impostores* vocat Vlpianus *l. Præses* §. *Medicos ff. de extraord. cognit. Alterum* similiter expeditur. Nam cum thymiamata, in Deorum vel dæmonum potius honorem, adolentur; iis nequissimi spiritus eo, quo rectè S. Augustinus dicit, modo prolectantur. At ea, quæ cum Tobitica congruunt, suffitiones, in illorum detestationem, & contra ipsos, excitantur. & quidem, non vt propitiati placatique obesse desinant, aut non incipiant: sed vt vis & tormentum iis quoddam adhibeatur: & vel inuitiæ repugnantes, non sola naturali, quæ nimium infirma vel potius nulla foret; sed cælesti diuinaque manu extrudantur. *Tertium* ostendit, quod sæpè iam dictum, sola naturali corporearum rerum facultate dæmonas amoliri velle, vanum & superstitiosum esse, nisi forte, vti antea etiam expositum secundario & indirectè, dum vel energumenorum corpus, vel cubiculi, loeiue alicuius aër, aliter quam vellet dæmon, afficitur & immutatur.

II. *De radicibus & herbis.*

DEscribit lib. 7. belli, cap. 23. Iosephus radicem, quæ *Baaras* dicebatur. *Hæc*, inquit, *statim eiicit, quæ vocantur Dæmonia, etiamsi ægrotantibus tantum admoueatur.* In antiquitatis verò libro 8. cap. 2. plures huiusce modi radices à Salomone indicatas refert, ex quibus, quin *Baaras* illa fuerit nihil dubij. sed ecquæ aliæ? *hypericon*, hac in re, tanta quidam vi præditum censent, vt id apud se semper gestent, variis in ædium partibus collocent, fugam dæmonum ideirco, quemadmodum supra Lullus dicebat, appellitent. Narrat lib. 4. enarrationum in Dioscoridem Amatus Lusitanus, *thapsiam*, apud Conimbricenses, dæmonibus infestam adeo haberi, vt prouerbiali quasi elogio ipsam ita loquentem faciant. *Eu fumo tom, que o diabo fuge, donde eu som.* id est, *Ego sum thapsia. quam diabolus fugit, inde vbi ego sum.* Plinius lib. 25. cap. 4. *pœoniam nigram* Faunorum, in quiete, ludibrio mederi narrat. At Fauni, quid nisi diaboli sunt? vt ait S. Hieronymus in S. Hilarione, D. Augustinus lib. 15. Ciuit. 23. Cassianus lib. 7. cap. 32. Apuleius lib. de virtutibus herbarum, cap. 71. *herba*, ait, *verbasci virgultum, qui fetum portauerit, nullo metu terrebitur; neque bestia, neque occursus mali molestabunt hunc.* Apud Ouidium Fast. 6. cuidam quidam. magno pro munere

Spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas (hæc erat alba) dedit.

Dioscorides lib. 1. cap. 100. *Fama*, inquit, *est, rhamni ramos, valuis atque fenestris impositos, veneficia depellere.* Et similiter, sub iannæ limine, rhamnum, laurique ramum, posuisse Bionem scribit libro de sapientibus Hesychius Illustrius. Annumeratur à quibusdam *artemesia* mibea, *sedum* maius, quod vulgo barba Iouis vocatur, *soli sequium, leuisticus, hyssopus, saluia, pulegium, sambucique folia.* Et huiusce modi herbas agnoscere videtur apud Gratianum, ca. dæmonium, 26. q. 7. D. Hieronymus, vel quia apud Polycarpum ne Hieronymi quidem vmbra; quisquis eius canonis author est. *Dæmonium*, inquit, *sustinenti, licet petras vel herbas habere sine incantatione. Fabarum* etiam, nigrarum præsertim, contra improborum spirituum spectra robur, celebrauit antiquitas, dum, vt in Fastorum quinto legitur, eas auersus quispiam iecit, &

hæc ego mitto
His dixit, redimo: meque meosq; fabis.

Ego sanè, cur herbarum istarum aliquas, in antidæmonicis, quas tradidit Salomon, Salomoni Deus, inficiari possim, causæ nihil habeo. easdem tamen absque aliqua precum sanctitate acceptas, nulla, contra dæmonas, nisi forte vt supra dictum; indirecta, potestate esse arbitror, & maiorem tamen de iis ipsis adhuc vel authoritatem vel experientiam requiro. quin & superstitiose, vt ex Augustl. lib. 21. Ciuit. c. 6. postea dicam, à Gentilibus, aliisque interdum vitatas existimo. Quid enim fabæ, & fabæ nigræ? In ipsa etiam illa *Baaras* radice, duo mihi, apud Iosephũ. nequaq̃ placent. VNVM est, oportere dum ea euellitur; semper aliquem mori: siue is homo, siue pro homine canis quispiam sit. Quis credat? Illi, opinor, qui apud Plinium lib. 25. cap. 4. pœoniam præcipiunt eruere noctu. *quoniam si picus Martius videat, stuendo, in oculos impetum faciat:* cum & idem Plinius lib. 30. cap. 2. Appionem rideat, quod nugaretur, *Cynocephaliam herbam, quæ in Ægypto vocaretur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Osirites, diuinam esse contrà omnia venefica valere: sed si ea erueretur, statim eum qui eruisset, mori. ALTERVM, dæmonia esse malorum hominum spiritus, quasi desertores Angeli non sint, de quibus communes impellunt. *Fauni* verò quibus pœoniam illam mederi aiebat Plinius, non sunt vera dæmonia, sed morbi carotici aliquid, apoplexiæ vel epilepsiæ prodromus. qui *suppressio nocturna* & *ephialtes* alio nomine dicitur, ideoque & herba ipsa, *ephialtion*. A dæmonibus tamen, qui apud Themistocli vulgo sunt, qui putant.

III. De lapidibus.

PETRAS nonnullas dæmonibus esse aduersas canon antea citatus ostendit. Dionysius in Periegesi deprædicat *iaspin*, quod sit ἔχθεα ἐμπάσης, καὶ δαίμονας εἰδώλοις. id est, *inimica empusis, & idolis, seu, dæmoniacis spectris aliis*. Apud Psellum verò & Eugubinum lib. 8. cap. 28. Chaldæorum sententia est, λίνκα ἐχόμενον δαίμονα πέτρινον αἰθέρεος, δὺς λίθον μὴ ζείειν ἐπουδῶν, id est: *Cum vehientem dæmonem terrestrem videbis, sacrificia lapidem mnuzirin excantans*. Et forte id nominis acceperit iste lapis, quòd sit *menos tsarim*, vel *tsirim*, vel *Zerim*, id est, *fugans aduersarios, dolores* seu *pilos*, seu dæmonas, prout istos interpretatur D. Hieronymus in Ezech. 35. & Isai. 13. Sed præter ea, quæ generatim superius allata, de his mihi nihil. Verba Diui Augustini, quæ antea promisi, opportunè nunc appendam. *Illiciuntur*, ait lib. 21. Ciuit. cap. 6. *dæmones ad inhabitandũ, per creaturas quas non ipsi, sed* DEVS *dedit, delectabilibus pro sua diuersitate diuersis, non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis, quibus cuiusq; delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum.*

IV. De armis.

GLADIOS & tela dæmonibus esse formidabilia innuit Odyss. 7. Homerus & Æneid. 6. Virgilius. idemque Armeni cuiusdam exemplo confirmat Psellus lib. de dæmonibus, & ex eo Rhodiginus lib. 2. cap. 8. Atque hæc fortassis opinio Scythas, vt magnum veluti numen, acinacem venerarentur, impulit; quemadmodum scribit initio lib. 1. S. Epiphanius, Clemens Protreptico, Lucianus Ioue Tragœdo, & Ammianus lib. 31. Et nostro tempore, *multi*, ait in Æneid. 6. Hortensius, *ferri aciem dæmonas reformidare, & re ipsa compertum est: & noui, quibus hoc ipsum, nocturnis horis accidit.* Qui, vt in fabulis Achilles; vulnerari non posset, imo qui thorace, armisque cæteris egregiè obtectus esset; ensium pugionumque aciem non pro nihilo duceret? Et sanè, quid fulgentis gladij aut color aut vibratio, quod non terrere, sed vel aliquo modo dæmonem impedire possit, efficiat? Qui verò isti, se armis defendere voluerunt, etsi cessisse dæmon videretur; graue tamen accepisse decidit, *sed cum magna aduersa valetudinis conflictatione*. Neque verò vllum pium, prudentemque vihi ad Tobiæ iecur accedere nihil videatur. Posset tamen fortassis mouere aliquem Salomon, dum Canticorum 3. ver. 8. *circa lectum suum sexaginta* gladiis accinctos, *viros circumstetisse* ait *propter timores nocturnos*. Etsi enim arcanum quidpiam & spirituale significatur, ad morem tamen hunc alludistes, in quo sic: *Sacerdotes & Leuitæ & omnes tribus Israel, vniuersi apprehendunt verba legis, quæ comparatur gladio, & praualent, & confortantur in ea, sicut fortis, qui accinctus est gladio super femur suum: & ideo non timent à spiritibus nocturnis, & dæmonibus, qui ambulant in nocte*. At sanè *temores nocturni* videntur ij appellari, ob quos, apud Reges, & in castris, excubiæ, vigiliæque sunt. quòd insidiis opportunum maximè, nocturnum tempus sit, ideoque Hebraicus textus vocat *timorem in noctibus*, id est, qui fiè opinionem refert, quæ nisi aliunde constabiliatur, me quidem certe digladiari non faciat, neque verò, vt pro me gladium quisquam stringat, optare. Multo illa S. Benedicti virga; de qua lib. 2. dial. cap. 4 D. Gregorius; dæmoni formidabilior. Ea siquidem percussus, quem à Psalmorum precum-que aliarum pẽso, niger crebrò puerulus abducebat: *deinceps ad orationis studium, immobile permansit. sicq, antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere*. Ipsius enim sancti Patris verbis, eiusdem iudicium indico.

V. De luce, igne, sanguine, ianuisq; clausis.

LVCEM lucifugis tenebricolisque spiritibus esse perinuisam quis non opinetur? Etenim *omnis, qui malè agit, odit lucem*, Iohan. 3. & illi *tenebrarum rectores* ab Apostolo Ephes. 6. dicuntur, à Dauide Psal. 90. nocturna dæmonia, seu *perambulantia in tenebris*: itemque à Thargum Chaldæo Cantic. cap. 3. ver. 8. & cap. 4. v. 6. Solent præterea noctu, & in tenebris, multo & crebrius & libentius, quam

tiùs, quam interdiu & luce, apparere, quemadmodum lib. 2. c. 57. n. 7. notat Cantipratenus. Putant ergo interdum nonnulli, si candelas accendant; tutiora esse omnia. Sed etiamsi collucerent funalibus omnia, cur dæmones extinguere, subitoq; diffiare omnia non possint? Et sicut nocturna dæmonia sunt, nonne etiam, iisdem, & ibidem testantibus, *diurna & meridiana* sunt? nonne in Angelos sese lucis transformant, 2. Corinth. 11?

Ignem iisdem spiritibus horrori esse putant nonnulli, quòd æternis ipsi flammis addicti sint, & apud S. Paulinum, qui ab hæretica Imperatrice, ad S. Ambrosij exitium, missi erant, dæmones, re infecta, redeunt, *quòd*, vt aiunt, *ignis insuperabilis*, sanctum illum, totamq; eius domum communiret. eo scil. modo, quo lib. 2. c. 12. *paradisum igni circumuallatum*, dixit Lactantius. Ad hæc narrat lib. 8. Tripart. c. 28. Sozomenus, Apelli, viro castimonia & sanctitate præstanti, cum faber ferrarius esset, noctuq; ferrum accuderet; in formosissimæ mulieris forma, vt ad libidinem eum proliceret; dæmonem apparuisse; sed illum candens ilicò, è fornace ferrum extraxisse, in huiusq; faciem impegisse: sicq; hunc eiulantem, frementemq;, dicto citius, fugisse. At certè multo, quam salamandra vlla, minus ignem ille nostrum exhorrescit. imo ne tartareum quidem pili faceret, nisi, quia diuinę iustitiæ instrumentum est; cruciariam ab illo vim persentiscret. Nec refert, quod noster, illius monimentum & signum aliq; esse possit. Nam neq; ad hoc significandum ille institutus est, neq; ratio esset, cur similiter gladios, hastas, patibula, vermes, aliaq; omnia, quæ diuinæ ad eos puniendum iustitiæ signa esse possunt, non extimescceret. Quis verò sanctos ignis circummuniat, in Zacharia c. 2. explicatur: *Ego, ait Dominus, ero ei murus ignis in circuitu*. Apellis verò ferrũ, fidei castitarisq; igne candefactum, diuinam vim accersiit, eaq; fœmineũ illud spectrum, tanto cum eiulatu & fremitu, tam subitò in pedes coëgit. Cæterũ de humano sanguine apud Ludouic. Banairolum in Enneade muliebri, c. 2. legitur, si mẽstruo cruore domus alicuius postes tanguntur, dæmoniacis Magorum artib. & insidiis, aditum omnem præcludi. & refert, in anni 1586. narratione historica, Michael Isseltius, fuisse in Liuonia locũ, vbi nymbis, tonitrib. ac tempestatibus, immanè, dæmones baccharẽtur, nisi in lacum, qui ab Odepe decem circiter miliaribus distat; innocentũ quorundam sanguinem iusunderent rustici. At vana hæc omnia, eiusq; opera sunt, qui est *homicida ab initio*, cui nulla humano sanguine, pmullis gratior: victima nulla iucundior. Vnus innocẽtis agni effusus, pro mundi salute, sanguis est, qui, sua virtute, dæmonas oẽs assiduè cruciat, vbiq; perterret, vndiq; profligat & exturbat.

Si cubiculorum *ianuæ* seris & repagulis firmè communirentur & clauderentur, crediderat aliquando Alexander ab Alexandro, sibi, à lemuribus seu dæmonibus istis nocturnis, molestiam & periculum creari non posse. Sed quam hallucinatus fuerit, narrat ipsemet lib. 5. c. 2. *Reuera*, inquit apud S. Athanasium D. Antonius, *si fuissent hoc fragili corpore collegati, obseratoq; introitu, iisdem negaretur accessus. Cum autem hoc impedimento sint liberi, & obstructa penetrent, atq; in omni licenter volitent aere, manifestum est, ob enervationem eorum, permanere ecclesiæ corpus illæsum.*

VI. De verborum contumeliis, & conuiciis.

APOLLONIO Thyanæo Caucasi iuga pertranseunti, diabolicum sese phasma obiecit. Id vero ipse grauibus, contumeliosisq; verbis insectabatur, sociosq; vt idem omnes facerent; admonebat. stridens ergo phasma illud, idoli cuiusdam instar, euanuit, vt apud Philostratum lib. 2. legere est. Adhibent etiam hodie blasphemias & iuramenta nonnulli, prout planum fieri posset exemplis non remotissimis. Sanè vero iacta in dæmones conuicia superbissimis spiritibus non possunt non esse molestissima, quæ etiam sancti vsurparunt, vt apud S. Athanasium S. Antonius, qui & in eius quandoque apparentis os, imo è pulmone, fœdissimum, quod potuit, spurum ingessit. Et in exorcismorum formulis, quæ conuitiorum plaustra? in flagelli exorcismo quarto insunt hæc. *Spiritus immunde, miserrime, tentator, fullax, pater mendacij, hæretice, fatue, bestia alu, furiose, tui creatoris inimice, luxuriose, insipiens, crudelis, inique, prædo, bestia, serpens, & sus macra, famelica, & immundissima, bestia eruginosa, bestia scabiosa, bestia crudelissima, bestia omnium bestiarum bestialissima, eiecte de Paradiso, de gratia* DEI, *de loco inenarrabili, de consortio, & societate Angelorum, creatura damnata, reprobata, & maledicta à* DEO *in æternum ob superbiam, & nequitiam tuam scelerate, & nefande, maledicte, & excommunicate, blasphеme, damnate, atque damnande*. Prisciq; huius moris index etiam Prudentius contra Symmachum:

Intonat antistes Domini, fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solue latentes:
Mancipium CHRISTI, *fur corruptissime, vexas.*

Si tamen vera fide, prece, diuinoq; auxilio, quantumuis atrocia id genus maledicta vacent, contra hostes tantos, quid nisi hastæ ficulneæ sunt? Iritarentur illi potius, & ad vleiscendum prouocarentur, quemadmodum apud Poëtam, cum per probrum exclamasset vnus:

——— O vera Phrygia, neque enim Phryges. ilico
Talia iactantem dictis, ac dira canentem
Non tulit Ascanius, neruoq; obuersus equino
Contendit telum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iurare vero & blasphemare, dæmonem non modo non pellit: sed accersit potius, vt apud Cassianum lib. 12. Instit. cap. 20. monstrant exempla. Narrabat me audiente, bonus & doctus Sacerdos, sibi, nocta, quopiam, in curtu, proficiscenti spectra quædam obiecta, tum vero aurigam varia cœpisse instrumenta effundere. Sed sola sanctæ crucis, sacrarumque precum, quæ Sacerdotis arma erant; vi profectum aliquid fuisse. Vide canonem *Non obseruetis* 26. q. 7.

VII. De characteribus, & arte dæmonum expultrice.

RAbbi Elias in Thisbi, *Consuetudo*, inquit, *inter nos Iudæos Germanos inoleuit, vt faciamus circulum, per circuitum, in parietibus cubiculi, in quo iacet puerpera, cum creta, aut carbone: scribamusq; in singulis parietibus, Adam, Hauah, Chutz, Lilith. Atque in ostio cubiculi interiori scribamus nomina trium qui fuerunt eam suffocare in mari.* Habent iidem Iudæi chartas, in quibus, ex Deuter. 6. precatio, quæ idque diserte tradit Paraphrastes Chaldæus Cantic. 8. v. 3. dum Israeliticam synagogam ita loquentem facit. *Ego electa sum, præ omnibus populis. quia ego alligo thephilin læuæ meæ manui, & capiti: charactersitque affixa est lateri dextro portæ meæ, cuius tertia pars respicit thalamum meum, vt facultas seu licentia nocendi sit noxiis dæmonibus ad perdendum me.* Sed primæ illæ de Lilith litteræ, nugarum mendaciique plenæ sunt: hæ vero sacra quidem verba continent, sed à perfidis perfidè gestantur & prophanantur. Ars vero dæmonum expellendorum fuit, & etiamnum aliqua videtur. Sic enim lib. 8. Antiq. c. 2. Iosephus, Παρεσχε αὐτῷ μαθεῖν τινὰ καὶ τῶν δαιμόνων τέχνην, εἰς ἀφέλειαν καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις. Idemque testatur citatus Thargum Cant. 4. v. 6. & *iustorum Patrum artem* vocat. Flagellum dæmonum huius etiam artis meminit. quæ aliud nihil est, quam certa quæpiam ratio, ea, contra dæmones, faciendi & adhibendi, quæ vel DEVS, vel Angeli, vel boni, periti, & sapientes viri dorum cuissent. quemadmodum & apud S. Iustinum dialogo cum Tryphone, huius imitatrix & æmula; vana & superstitiosa Iudæorum & Gentilium disciplina, prout suprà iam auditum. Vellet fortasse lector, de probis vel improbis phylacteriis plura. sed quam de amuletis disputatiunculam alio quodam loco tractaui, enocare huc me oporteret. In propositi textus quæstiunculis progredi satius. Vide Gretseri nostri librum secundum de cruce c. 16. eiusque paralipomena. fol. 186. & sequentib.

QVAESTIVNCVLA VI.

Quomodo, à S. Raphaele, apprehensus Asmodæus?

SOlus è Chaldæo Latinus textus apprehensionem istam memorat. Pro ea, in Græco & Hebræo est, *Asmodæum, postea quam fumos illos odoratus est, fugisse in AEgypti finem & loca editissima.* Non videtur vero S. Raphael illum manibus apprehendisse. Licet enim corpus vterque tum spiritus assititium habuisset (quod de Asmodæo tamen non constat) non erat tamen in Tobiæ cubiculo, illo vespere, S. Raphael: sed Sara sola, prout nuptiarum vsus declarat. & si tum affuisset Raphaël; quæ facienda erant, omnia Tobiæ statim suggessisset: ideoque dictum fuisset v. 2. *Audiens itaque Tobias sermones Angeli.* Nunc verò dicitur, *Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli.* Virtute igitur imperioque eum suo apprehendit. quemadmodum & Angelus *habens clauem abyssi apprehendit draconem serpentem antiquum.* Apoc. 20.

QVÆSTIVNCLA. VII.

Quomodo Asmodæus ligatus?

NOn hoc tantum loco, sed Matthæi etiam cap. 12. Marci 3. Apocal. 20. ligantur dæmones. Et fit hoc bifariam. Primò *corporaliter*, si quæ ipsi corpora sibi adiunxissent. Quandiu enim illa retinent, tamdiu per ea vincti & colligati esse possunt. Secundò *spiritaliter*. idque duobus modis. *Vnus* est, quando non sinuntur illi agere, quod vellent, vti docet S. Augustinus lib. 20. Ciuit. 7. & 8. D. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 11. & sequentibus, lib. 4. c. 12. Andreas Episcopus in Apoc. 20. Cassianus collatione 7. c. 23. V. Beda, hic. *Alter* modus est, quando certo cuipiam loco affiguntur. vt illinc sese commouere, aliòque quopiam euagari non possint. Atque hanc alligationem ita Theologorum nonnulli 4. sent. dist. 44. & 50. dæmonibus ingratam acerbamque putarunt, vt ipsorum, in ea, gehennam, ignem, infernumque collocarent. imo & in ipsa tantummodo alligationis huius prænotione, vti apud D. Thomã videbis 1. p. q. 64. a. 4. ad. 3 lib. 4. contra Gentes c. 90. Abulensem in 25. Matth. q. 506. Caietanum in opus. orat. 5. Videtur ergo Asmodæus *priore illo corporali modo haudquaquam ligatus fuisse.* Neque enim coniectura vlla firma est, cur vllum sibi tum corpus circumdedisse videatur. Etsi enim Hebræus textus, eo egrediente, thalami ostium patuisse ostendit, fieri tamen id potuit, non ob corpoream illius molem, sed alias ob causas. verbi causã, vt cum clausa priùs fuisset ianua, eam ipse iuberetur aperire, vt certam egressionis suæ notã ederet: aut aperta illa esset, vt excitati commodius fumi egrederentur. Deinde nusquam, quod quidem norim, legitur, corporato visibiliquè modo vllum vmquam dæmonem, tanto, quanto post indicabitur, tempore, materiatis vinculis astrictum fuisse. *Spiritaliter* igitur, *duobus iam indicatis modis alligatus fuit.* Neque enim amplius Saræ, ipsiusque sponso & parentibus molestias vllas creare sinebatur: & certa ei solitudinum portiuncula, extra quam, ne pilum quidem egredi posset: definita.

QVAESTIVNCVLA VIII.

Quare ligatus fuit?

NOn Vulcania hic vincula, non Promethei in Caucaso claui, non neruei recentesque Samsonis funes cogitandi: sed quam proposui; *spiritalis* dæmonum colligatio *vtraque duorum* fieri potest. *Primo*, si diuina iis potestate concursus ille, quo, ad motionem omnem, res omnes indigent; subtrahatur. *A facie Domini*, ait S. Gregorius lib. 2. Mor. c. 13. *exiit Satan, quia relaxatus diuinus ab interna retentionis angustia, ad sui desiderium effectum vinxit. A facie Domini exiit, quia, diu vinculis disciplinæ religata quandoq; voluntas noxia, ad opus processit. Cum enim id quod voluit, implere non valuit, quasi ante faciem Domini stetit. quia illum ab effectu malitiæ superna dispensatio coarctauit. Deinde* si iisdem ab eo, qui in eo ius & potestatem habet; imperetur, ne hoc vel illud agant, vt hoc vel illo loco sese cõtineant, vt huic vel illi operi operam nauent. *Duplices* vero sunt, qui ius & potestatem huiusmodi habent, possuntque dæmonis imperare. DEVS *& creatura.* Hæc vero, vel *spiritus* est vel *homo. Spiritus* vero aut bonus, vt Apoc. 20. ver. 2. aut malus, si huius, cui imperare vult, princeps sit, prout suprà expositum. *homo* vero vel à DEO aut bono spiritu imperandi cogendique vim eam accepit, vel ab dæmonum principum aliquo. *Prius* illud fit, aut præcipuo quodam edendorum miraculorum charismate, aut ordinario quodam officio. *Charisma* illud in sanctis crebrimè visum, qui, in CHRISTI IESV nomine, dæmonis & abeundi, & alicubi delitescendi necessitatem imposuerunt. *Officium* vero in Exorcistis nostris cernitur, prout Flagellum, sæpiculè citatum, indicat, exorcismo 2. 3. 4. & 5. Et sunt vtriusque generis exempla in promptu plurima, quibus tamen, breuitatis gratia; supersedendum. *Posterius* verò, vt à dæmonum principum aliquo dæmonia subdita alligandi potestas habeatur, non fit, nisi nefaria quadam cum illo conuentione & societate, quam mortalium infelicissimi Magi coire solent: sicque dæmonas in annulos includere, certisque operibus & locis addicere. Persequitur id pluribus relectione de Magia, Franciscus Victoria: sed ad istud intelligendum satis esse possunt D. Hieronymi de puella, quam amoris insania, libidinosus dæmon exagitabat? verba hæc. *Per ducta a parentibus ad* Hilarionis *monasterium, fertur, vlulante statim & confitente dæmone: vim sustinui, multos abduxi, quam bene Memphi somniis homines deludebam! O crucer o tormenta, quæ patior. Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit. Tunc senex: Grandis, ait, fortitudo tua, qui licio & lamina stricti tueris.* Vnde & Augustinus lib. de diuinatione dæmonum cap. 7. *fugantur dæmones, vel etiam, iussis superioribus colligati, abstrahuntur, & alienantur à locis suis, vt de rebus, quibus dominabantur, in quibusque colebantur, fiat voluntas* DEI. D. Epiphanius hæresi 30. cum Christianam Ecclesiam excitare Iosephus Christianus, lateresque coquere vellet; dicit Iudæos incantationibus; *ignem ligasse*, quem tamen *crucis signo & aqua benedicta* idem Iosephus soluit postea. Palladius c. 20. plurimos, & ferocissimos dæmones, in lamnæ & Mambræ sepulchro, per Magiam, collocatos refert. *Hec verò diuini concursus subtractio & eiusdem vel aliorum, prout recensium, imperium solet, per tralationem, vincula, rudentes & catenæ nuncupari.* Sic enim 2. Petri 2. legimus. *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et in S. Iudæ canonica ver. 6. *Angelos, qui non seruauerunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reseruauit.* Apoc. 20. Angelus vt *serpentem antiquum in abysso ligaret?* habebat *catenam magnam in manu sua.* vbi Andreas; *Catenam*, inquit, *ad nostram intelligentiã vocauit operationem. quæ Satanæ malitiam coercet.* Inficiuntur vero hęc vincula vel spiritali tantum modo, vel symbolis quibusdam, quæ sub sensum cadant adhibitis, cuiusmodi sunt res aut verba sacra, de quibus ad rem, quæ modo agitur, per appositum exemplum in Cæsario est lib. 5. cap. 13. *Retulit*, ait, *mihi Gerardus Præpositus Pleisensis, mulierem obsessam, multis bene notam, Sygeberg venisse gratia curationis: quæ cum in oratorio S. Michaëlis archangeli de diuersis interrogaretur, & incideret mentio de Lucifero apud inferos ligato, respondit per os eius diabolus; Stulti, quibus catenis putatis magistrum meum ligatum in inferno? ferreis? nequaquam. Tria verba posita sunt in silentio Missæ, quibus ligatus est. Requirentibus quibusdã ex fratribus, quæ sunt illa verba? dicere noluit, vel potius ausa non fuit, sed ait: Afferte mihi librum, & ego vobis ostendam illa: Allatus est ei liber missalis, & clausus porrectus; quem illa aperiens, primo illu canonem inuenit, & digitum ponens super illum locum; per ipsum, & cum ipso, & in ipso, in quibus memoria fit summæ Trinitatis, ait; Ecce ista sunt tria illa verba, quibus ligatus est magister meus. Hoc audientes ex monachis plures, qui aderant, scientes mulierem illiteratam esse, ædificati sunt valde, vim verborum intelligentes. Per Patrem enim & cum filio, & in spiritu sancto, quorum opera inducta sunt, fortis ille ligatus est, & vasa eius direpta.* Asmodeus ergo, Angeli Raphaëlis iussu, ita vinctus & innodatus fuit, vt intra circumscriptum sibi circulum stare necessariò haberet: neque, vt maximè vellet, alio quoquam, vel ad latum vnguem, excurrere posset.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex his verò duo intelligi possunt. VSVM, *dæmonum ipsorum*, quibus tam varia, tot modis, vincula, etiam ab hominibus, inici possint; *vilissima sors & imbecillitas. Quam*, inquit Eusebius lib. 5. præparationis, cap. 6. *dimittatem haberent, qui ad tantam miseriam deiecti sunt, vt ab hominibus detineantur?* Sed pulcherrime loco citato S. Antonius: *Nos*, ait, *nec eius pollicitationibus credere, nec minas formidare debemus, fallit enim, nihilq; veram semper promittit. Nam si non mendacia cuncta loqueretur, quomodo talia & tanta infinita promittens, hamo crucis vt draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus vt iumentum, & quasi mancipium fugitivum, vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium deuorare permittitur? Nunc miserabilis vt passer, ad ludendum irretitus à* CHRISTO *est, calcaneo Christianorum subtractus gemit. Ille, qui vniuersa maria à se deleta plaudebat, ille, qui orbem terrarum mari sua teneri pollicebatur, ecce à nobis vincitur, ecce me aduersum se prohibere non potest disputantem.* Et D. Augustinus serm. 197. de tempore: *Si alligatus Diabolus est, quare tantum adhuc prævalet? Verum est: dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus catenis canis: & neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mordet. Tu te illi, per voluptates & cupiditates seculi noli coniungere, & ille ad te non præsumit accedere. Lanec exterquet à nobis consensum, sed perit.* Et ex eo Cæsarius lib. 5. cap. 52. *Diabolus similis est vrso siue leoni lum rapuerit: Diaboli potestas, catena diuinæ cohibitionis sic artata est, vt neminem cogere possit ad peccandũ, nisi ad eum ingrediatur per peccati consensum. secundum Apostolum Petrum. Tanquam leo rugiens circuit, in* ro quod è dictis intelligitur, est, quid illa *excommunicatio* sit, qua dæmones interdum proscribuntur sententiæ, & Ecclesia in dæmones, tanquam in coniuratos fidelium hostes, ius à DEO habeat, per Videatur liber secundus vitæ D. Bernardi, cap. 6. & videtur simile quidpiam D. Augustinus cogitasse, cum INTERDICTI nomine vtitur lib. 20. Ciuit. 7. *Ab eis*, ait, *gentibus seducendes, huius interdicti vinculo & ianstro diabolus prohibetur atque cohibetur.*

QVÆSTIVNCVLA IX.

Vbi ligatus idem Asmodæus?

IN *deserto superioris Ægypti*, ait textus Latinus. Ἐν ἄνω τόποις Αἰγύπτου Græcus, id est, *in altissimis Ægypti*, Hebræus. Possunt vero loca hæc *bifariam* sumi, *tropicè & propriè. Tropice* erit si quispiam solet. *Vltra Gades, ad Garamantas & Indos*, itemque *nauigare Anticyras, Corinthum*, & similia. Nulla tamen ratio ad istiusmodi tropum nos impellit, vt propterea illam D. Augustini retinere amussim liceat, quæ iubet, proprie scripturarum verba, dum aliud nihil obstat, intelligenda. Superior enim Ægyptus apud Herodotum lib. 3. Ptolemæum lib. 4. Geogr. Ioannem Leonem lib. 8. de Africa, cap. 2. memoratur. estque illa Ægypti pars, non quæ, vti de Galilæa dictum alibi, septentrionalior est: sed quæ Australior, quòd ea nimirum delabatur Nilus, & quòd montibus magis ardui. *Quæ in septem nomis seu prouincias australiores sunt, ea vocantur Thebais, & loca supera.* hancque à ceteribus dictam *Thebaidem* nunc *Said* vocari ait loco citato Leo, vel etiam *Said*, vti mauult Aithodem Ptolemæus Basciliam, Anagumbiam, Asyphon, Aspidem, Oglamonem, alios: & Diodorus μεσογαῖος ὁ τόπος, inquit tractum Ptolemæus, Νῆσοι τε καὶ Θαΐδος, διαμένουσι καὶ ἄβροχοι καὶ ἀνεπάρδευτοι, *Australiora Nitriotæ & Casiotæ arenosa pluuiisque non irrigata regio.* Et Herodotus τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου, *superiora Ægypti non cumpluuntur*, adeo vt φάρμα, portentumue ferebat, si vel semel Thebis pluat. D. Hieronymus in Ezechielis cap. 30. *A turre*, ait, *Syenes cadent in ea, quæ in extremis terminis eius inuia plenaque serpentum, & venenatorum animantium.* Et huiusmodi loca indicauit etiam Dominus, cum Matth. 12. v. 43. eiectum dæmonem dixit ambulare δι' ἀνύδρων τόπων, *per aridas & inaquosa loca.* Obseruant & hoc etiamnum, hoc tempore, sacri Exorcistæ, vt vel in imum infernum imperant; ablegent, vbi ab hominum cœtu absint quam longissimè, minorémque illis perniciem afferant. Quemadmodum leones, pardos, tygrides, aliasque id genus feras procul à nobis, in saltus, speluncas amandauit DEVS; sic & dæmonum multitudinem maximam, salutis nostræ causa, in arenas & damnata quædam sola eiecit. Quo factum, vt de S. Antonio, Macario, aliisque veteribus eremorum sanctissimis incolis (quemadmodũ à S. Athanasio loco citato, Palladio cap. 20. Cassiano col-

siano collat. 7. cap. 23. traditum) grauiter quererentur dæmones, quòd in sua homines isti loca inuaderent, in eaque CHRISTI IESV crucem & cultum inferrent. Quo detestabilior Hezæ in Matthæi cap. 12. ver. 43. calumnia est, scribentis: *Quantum, in inculta & squalida loca, valeant Saracæ præstigiæ, docent mala per eremitas & monachos iampridem in Ecclesiam inuecta.* Sed qui CHRISTI Domini virtute, gratia, & cruce armati, æternum dæmonibus bellum indicere, in domum fortis intrare, spiritusque vasa diripere ausi sunt, quæ inuehere mala potuerunt? Excutiantur historiæ veteres, & per Eremitas, Monachosque in barbaros immanesque populos quamplurimos, adeoq; hanc in Germaniam nostram, Christianam fidem importatam, Euangelium propagatum, baptismum, cæteraque pietatis nostræ mysteria illata comperiemus. hæccine mala fuere? Hæreticos scilicet mala, quia omnia hæc penitus sublata, vel certè non nisi deprauata & enervata vult, mala inquam Satanæ administro, crucis CHRISTI aduersario, gehennæ lenoni, & nisi resipiscat, æterno æternarum flammarum pabulo.

QVÆSTIVNCVLA X.

Quem diu ligatus iste dæmon?

QVI dæmonibus laqueos & compedes innectendi potestatem habet, eidem etiam temporis, quo innexos teneri velit, potestas est. Ergo, prout res vtusque postulat, dies, hebdomadas, menses, annosque plures aut pauciores attinere ipsos consuevit. *Vidi*, ait S. Iohannes Apocalipsis 20. *angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & ligauit eum per annos mille. Non exeo*, clamabat virginis ille apud D. Hieronymum vexator, *nisi me adolescens, qui tenet, dimiserit.* Quam diu verò Asinodæum Ægyptiaco carcere inclusum Raphaël voluerit, textum nullus effatur. Sed non omnino forte vanus coniector esset, qui, *quoad vitam Sara & Tobiæ egerunt*, illic attentum & obligatum opinetur. Ad eos enim, nullo vmquam modo, perreptare ipsum decebat, à quibus tantus eum Angelus, tot præceptis, tam insigni fuga, post tot tantasque cædes, deiecisset. Alioquin à Tobiæ tempore, ad sancti Antonij, aliorumque præstantium Anachoretarum sæcula, sunt *anni*, præter propter, *mille*, quibus vinctum semper fuisse si quis diceret, quid vetaret? An quòd, eo millenario tempore, turpissimis impurissimisque libidinibus orbis pæne totus contaminatus fuerit? Suspicetur enim forte quispiam, si harum princeps vinctus sit, omnes etiam illas simul vinctas teneri oportuisse. At non ita est. Quemadmodum enim iam in abyssо Satanas & archidæmon ab Angelo, vtrex Apocalypsi paulò antè audimus; clausus tenentur suos tamen veluti emissarios canes vbique habet; ita & libidinum rex, etiamsi Ægyptiacis montibus coerceatur; hos tamen, qui interea non frenentur, varias in partes & loca, inquinatissimos ganeones, iyngas & Cupidines emittit, quemadmodum & de ebriis, lasciuisque dæmonibus Andrum proficiscentibus narrat in Iconibus Philostratus.

QVÆSTIVNCVLA XI.

Spiritaliter Asmodæum expellendi modi quot hinc eruuntur? & quis primus?

LIBIDINIS fax, author, & suasor dæmon à nobis omnibus expelli debet duplicitèr. *Primò*, cum in nos auditum molitur, antequam intret ac vincat. *Deinde* postea si ipsum forte, quod auertat DEVS, intrasse eum ac vicisse contingeret. Ac potest quidem *expulsio vtraque variis modis*, diuina cum gratia, fieri, sed septem tantum, quos è superiore disputatione nobis iam Tobias fingerit; contenti simus. In Tobia causæ, ob quas sponsis aliis necem dæmon attulit; non fuerunt. ideoq; omnium *primo*, est illud in expulsione priore, quæ *repulsio* tamen potius dici queat; vtilissimum, vt *causæ*, ob quas, vt nostram in arcem dæmon hic peruadat, nosque suam sub ditionem adducat, diuinitus concedi solet, omnino *remoueantur*. his enim sublatis, effectus quoque tollendos quis ambigat? Sunt vero causæ illæ vel *interiores* vel *exteriores*. Et *interiores* vel *in corpore* vel *in animo* latent. *In corpore* libidinem excitant *cibi, & potiones*, vel abundantiores, vel delicatiores & fœnudiores, quam naturæ postulet necessitas, quam requirat ætas, occupationes, valetudo. Ex his enim sanguis spiritusq; virales copiosiores & exultantiores existunt. Vnde variæ postmodum cæsi, quæ libidini seruiunt, partis, ardores & titillationes. *Sine Cerere & Baccho friget Venus*, imò per Cererem & Bacchũ ardet, furitque penitus. *Notate*, ait Apostolus Ephes. 5. *inebriari vino, in quo est luxuria. Si quid*, ait D. Hieronymus ad Eustochium de custodia Virginitatis, *in me potest esse confusi, si experto creditur, hoc primum moneo, hoc obtestor, vt sponsa* CHRISTI *vinum fugiat pro veneno. Hæc aduersus adolescentiam, prima arma sunt dæmonum. Non sic auaritia quærit, inflat superbia, delectat ambitio. Facile aliis caremus vitiis hic hostis nobis inclusus est. Quocunque pergimus, nobiscum portamus inimicum. Vinum & adolescentia, duplex incendium voluptatis est. Quid olemus flammæ adiicimus? quid ardendi corpusculo fomenta ignium ministramus?* Et epist. de viduitate ad Furium: *Non Ætnei ignes, non Vulcania tellus, non Deserti, & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuuenilis medullæ vino plenæ & diuitiis inflammatæ.* Ideoque cum generosas alias adolescentuli S. Hilarionis palmas retulisset idem Hieronymus. *Quid*, ait, *faceret diabolus?*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quo se verteret? Qui gloriabatur ante, dicens: In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam thronum meum, & ero similis Altissimo: cernebat se vinci a puero, & prius ab eo calcatum fuisse, quam per ætatem calcare potuisset. Titillabat itaque sensus eius, & pubescenti corpori solita voluptatum incendia suggerebat. Cogebatur tyrunculus CHRISTI cogitare quod nesciebat: & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non habebat. Fratus itaq; sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cede manus posset excludere: Ego, inquit, a te non recedam, nisi prius me feceris beatum. Ego, inquit, ostendam tibi quid facere debeas: non calcitrabo nec te hordeo alam, sed paleis. Fame te conficiam & siti: grani onerabo pondere, asellæ faciam, vt non calcitrem: nec te hordeo alam, sed paleis. Fame te conficiam & siti: graui onerabo pondere; per æstus indagabo & frigora, vt cibum potius quam lasciuiam cogites. In animo primæ voluptariarum cogitationum scintillulæ nisi derepente non tam extinguantur, quam opptimantur, in quàm tristia, quibus castum alioqui pectus deflagret, incendia erumpunt? *Noli*, ait idem Sanctus Patet ad Eustachium, *noli sinas cogitationem crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis, interfice: nequitia, ne Zizania crescant, eludatur in semine. Audi Psalmistam dicentem: Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est, in sensum homines non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram: petra autem* CHRISTVS *est*. Eademq; loquitur Cassianus lib.6. Instit. c.15. & S. Francisci alumnus, quidam verissimus Iuniperus, cum in quodam cœtu, variæ, de viri huius importunitate vincendæ, dicerentur sententiæ: *Ego*, aiebat, *cum procul aduentantem hunc inimicum prospicio; portas animi, bonis desiderijs, sanctisq; cogitationibus occludo, & interius sublata voce. Procul*, exclamo, *occupatus est diuersorij locus*. Tum, qui præsens aderat, Sancto Francisco & ipse carissimus olim discipulus Ægidius: *Ego*, dixit, *arma mihi iamperi assumo*. Sed & alia quædam grauiora peccata, superbia præsertim, & diuinæ gloriæ aspernatio, dæmonio isti nostra in corda portas pandunt, quemadmodum ad Roman. cap.1. v.26. docet Apostolus, & Cassianus lib.12. Instit.c.20.21. lib.6.c.18. Iam ad *exteriores* causas pertinent multiplices admodum obscœnitatis illecebræ, vti prauæ sodalitia, scurriles sermones, amatorij libelli, mulierum cohabitatio & aspectus. *Istoc*, ait è veteribus quidam, *illecebrosius fieri nihil potest: Nox, mulier, vinum, homini adolescentulo. Vrtq; videndo fœmina*, vt inquit alius: *Numquid*, an sapiens noster Prouerb.6.v.27. *potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam*. Quin & formosulorum, inuestiumq; & adolescentulorum omnium facies, natu etiam maioribus, interdum periculosas viri sancti, de quibus Tomo 7. Reuetendissimus Baronius, iudicarunt, & præclarum est, quod, ista in cautione, de S. Nicetio Lugdunensi Episcopo, memoriæ proditum est in Gregorij Turonensis vita.

QVÆSTIVNCVLA XII.

Quis modus alter?

MODVS porro Asmodæum prohibendi *alter* est, multas seriasque contra ipsum preces elaculari, vti fecit S. Tobias. Hoc enim genus *orationi* prorsus eiici debet Matth.17. prout à se quoq; factum memorat S. Paulus 2. Corinth.12. ver.8. *Propter quid* (id est, propter stimulum carnis meæ, angelum Satanæ me colaphizantem) *ter Dominum rogaui, vt discederet à me*. Et D. Hieronymus ad Eustochium: *Pallebant*, ait, *ora ieiuniis, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore; & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaq; omni auxilio destitutus, ad* IESV *iacebam pedes, rigabam lachrymis, crines tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non depudescit infidelitatis mea, quin potius plangam me non esse qui fuerim. Memini me clamantem, diem crebro innxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quam rediret domino increpante tranquillitas. Sic nobis*, ait Cassianus lib.5 cap.6. Instit. *cordi est agonem spiritalem cum Apostolo legitimè decertare, hunc immundissimum spiritum superare omni mentis intentione, non nostris viribus confidentes (hoc enim industria humana perficere non prævalet) sed opitulatione Domini festinemus. Tamdiu namque hoc vitio animam necesse est impugnari, donec se bellum gerere supra vires suas agnoscat, nec labore vel studio proprio victoriam obtinere se posse, nisi Domini fuerit auxilio ac protectione fulsulta*. Et cap.6. *Reuera*, inquit, *cum in omnibus virtutum profectibus, & cunctorum expugnatione vitiorum, Domini sit gratia atque victoria: in hoc præcipuè peculiare beneficium* DEI *ac speciale donum, & Patrum sententia, & experimento purgationis ipsius manifestissimè declaratur his, quos eam meruerint possidere*. Vnde & aliorum etiam charitate nobis deunctorum comprecatio rectè petitur, vt plurimis lachrymis ignea nequissimi Asmodæi tela, Ephes.6. ver.6. facilius penitusque restringantur, quemadmodum faciebat illa Matth.15. quæ non solum dicebat: *Miserere mei, quia filia mea male à dæmonio vexatur*: sed & deprecatores Apostolos adhibebat, post eosque clamabat. Absit verò, vt quod in se Sanctus deflet Augustinus libro 8. Confessor. cap.7. committamus. *Ego*, ait, *adolescens miser valde miser in exordio ipsius adolescentiæ etiam petieram à te castitatem, & dixeram: Da mihi castitatem & continentiam, sed noli modo. Timebam enim ne me citò exaudiros, & citò sanares à morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri quam extingui.*

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA XIII.

Quis modus tertius?

TOBIAM adiuuit variis modis sanctus Archangelus Raphael. *Tertius* ergo *modus* est ipsum *sanctorum* Angelorum cœlitumque *auxilium*, quod bipartitum merito statuitur. *Vnum* in sanctissimis ardentissimisque ipsorum *precibus*, de quibus loco alio tantum nunc moneo, hoc in certamine, maximum sine dubio, à S. Raphaëlis patrocinio momentum posse accedere. Hic enim est, qui de Asmodæo iam pridem triumphauit: qui catenis onustum in extremas orbis solitudines extrusit, ibidemque miserrimum defixit. *Alterum* est *imitatio*. *Nulla*, inquit Cassianus cap. 6. paulo ante citato, *virtute, tam propriè, carnales homines spiritalibus angelis imitatione conuersationis æquantur, quam merito & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent secundum Apostolum municipatum in cœlis: quod, depositæ corruptelæ carnis, habituri sanctos promittitur in futurum, hic iam in carne fragili possidentes*. Quia tamen Angelis, etsi purissima, nullo tamen modo laboriosa & grauis castitas est, exemplis Iosephi, Susannæ, aliorumque tam mulierum, & tam nobilium hoc in gymnasio athletarum animos firmare licet. Quemadmodum illa, *illustris Anicij sanguinis genius*, faciebat, cum apud S. Hieronymum ad Demetriadem, sibi ipsi diceret. *Si te virorum exempla non prouocant, hortetur faciatq, securam beata martyr Agnes, quæ & ætatem vicit & tyrannum & tentum castitatis victoria conseruauit*. D. Augustinus lib.8. Confess. cap.11. ancipitem, quam inter voluptatis & castimoniæ argumenta, pugnarit pugnam describit. Illæ vestem eius carneam succutiebant, & submurmurabant; *Dimittisne nos? Et à momento isto, non erimus tecum vltra in æternum? & à momento isto, non tibi licebit hoc & illud vltra in æternum? Tandem vero, aperiebatur*, inquit, *ab ea parte qua intenderam faciem, & quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena & non dissolutè hilaris, honestè blandiens, vt venirem, nec dubitarem, & extendens ad me suscipiendum & amplectendum pias manus plenas grecibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri & puellæ, ibi iuuentus multa & omnis ætas, & graues viduæ & virgines anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de marito tuo Domine. Et irridebat me irrisione exhortatoria quasi diceret: Tu non poteris quod isti & istæ? An vero isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino* DEO *suo? Dominus* DEVS *eorum me dedit eis. Quid in te stas, & non stas? Projice te securus in eum, nihil metuere, non te subtrahet, vt cadas. Projice te securus, excipiet te & sanabit te.*

QVÆSTIVNCVLA XIV.

Quis modus Quartus?

QVARTVS *modus* est pia & religiosa Domini ac saluatoris nostri IESV acerbissimorum *cruciatuum meditatio*. Si enim, vt ex Augustino, Prospero, & Beda vidimus, lasciuum istum tenebrarum hircum fumosa dominicæ passionis nota metu tanto perculit, quid ipsamet passio faciet? quid viua eius, spirans, & pæne loquens imago? Statim nimirum occurrit, cum in horto captus dominus sit, amœnitates nobis omnes esse despiciendas: cum laqueis & catenis vinctus fuerit, ipsius in honorem, nostros nobis sensus & carnis membra constringenda: cum alapis, flagrorumq; verberibus dirissimis corpore toto lacerarus fuerit, nostrum nobis corpus merito edomandum, & ne protentiat, ieiunijs, & flagellis castigandum: cum funestissimæ, causâ nostrâ, cruci fixus fuerit, carnem quoque nostram cum vitijs & concupiscentijs omnibus crucifigendam. Hoc enim est, quod in Psychomachia significat Prudentius, dum sobrietas, videns à luxuria mortales tam multos in seruitutem abripi;

Vexillum sublime crucis, quod in agmine primo
Dux bona prætulerat, defixa cuspide sistit.

Et vbi nonnulla dixisset:

Sic effata, Crucem Domini feruentibus offert
Obuia quadrigis, lignum venerabile in ipsos
Intentans frenos, quod vt expauere feroces,
Cornibus expansis, & summa fronte corruscum,
Vertunt præcipitem cæca formidine fusi
Per prærupta fugam, fertur resupina reluctis
Nequicquam loris aurigæ, comaq; madentes
Puluere sudat humi, tunc & vertigo rotarum
Implicat excussam dominam, nam prona sub axe
Labitur, & lacero tardat fastigimine currum.

Clamabat S. Bernardus: *Pudeat sub spinoso capite, membra esse delicata*, neque dubitandum, quin qui è toto illo sanctissimo corpore fluxit cruor plurimus & rubentissimus, is non gehennæ modo, sed & luxuriæ flammas omnes in eorum, qui modo volunt, pectoribus extinguat.

QVÆ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA XV.

Quintus modus quis?

QVINTVS est, vt super carbones eosque viuos, iecur ponamus. *Carbones* illos existimo esse *scripturas* diuinas. Hæ siquidem humanis vocibus, tanquam lignis quibusdam, & veritate omnium certissima, tanquam igni quodam cœlesti constant. *Iecur* vero quid nisi *mens* nostra est, quę à sensibus quasi à ventriculo rerum cogitationem accipit, rationem, sententiarumque & iudiciorum sanguinem omnem conficit, & huc illucque diffundit: super viuos ergo carbones iecur collocat, qui ad sacrarum scripturarum meditationem mente tota incumbit: qui ad harum formam se suaque omnia conformat: cuius in iis ocium cogitatioque omnis consumitur. Aurea plane Diui Hieronymi ad Rusticum sententia est: *Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Atque hanc ille sententiam non verbis tantum, sed factis etiam ipsis expressit, comprobauit. Paulo post enim, *Dum*, ait, *essem iuuenis, & solitudinis me deserta vallarent, incentiua vitiorum ardoremq; naturæ ferre non poteram, quem cum crebris ieiuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad quam edomandam, cuidam fratri, qui ex Hebræo crediderat, me in disciplinam dedi, vt post Quintiliani acumina, Ciceronis fluuios, grauitatemq; Frontonis, & lenitatem Plinij, alphabetum discerem, & stridentia anhelantiaq; verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis: quoties desperauerim, quotiesq; cessauerim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia, tam mea qui passus sum, quam eorum qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro semine literarum, dulces fructus carpo.* Fuit sanè Patrum memoria, vir doctrina & sanctitate præstans Dionysius Rihelius. Is cum tam multa, quanta ipsius in operibus videmus; legeret, scriberet, parum Carthusiano dignam operam sumere, suorum nonnullis videbatur. Respondet ille tractatulo vnico; multa in literarum bonarum studio & cultu commoda inesse. hoc tamen vnum maximum, quod à *carnis voluptatibus animum egregie abstrahant.* eiusque rei *triplex* afferri *causa* potest. *Prima*, quòd sanioribus hominem consiliis imbuant, honestioribusq; illecebris oblectent. *Altera* quòd hominem esse ociosum haudquaquam permittant; sed ad lectionem perpetuò auditionem, meditationem inuitent: ei vix etiam, quæ corpori necessaria sunt; obire concedant. Possent quamuis copiosè ista probari, sed vnica rursum D. Hieronymi sententiola contentus ero. *Facito*, ait loco citato; *aliquid operis, vt te semper diabolus inueniat occupatum.* Homine vero diuinarum literarum studiis flagrante quis occupatior? vt planè Comicum illud dicere liceat:

Nunquam tam mane egredior, neq; tam vespere
Domum reuertor, quin te in librorum fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.
Nullum remittis tempus, neq; te respicis.

Tertia demum causa est, quod attenta hæc studiorum pertractatio, tenuissimos illos, quibus vitæ, sensuumq; functiones obimus; spiritus conficiat, sanguinem exsugat, titillatricem illam materiam omnem exhauriat. Hinc siquidem in studiosissimis hominibus pallor, macies, catarrhi, cacostomachiæ, vel saltem multò minor, quam alioqui futura esset; corporis obesitas, pulchritudo, robur & valetudo. Aurelius Celsus in præfatione lib. 1. *Litterarum*, ait, *disciplina, vt animo præcipuè omnium necessaria: sic corpori inimica est:* ideoque addit, sapientiæ studiosos Medicinam maxime requisisse, *qui corporum suorum robora, inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia, minuerant.* Illud tamen obseruandum, vt superpositum carbonibus iecur non quoquo modo ardeat, aut assetur, sed in fumos & cineres totum redigatur. fumi ascendunt, cineres descendunt: & ambo Asmodæo graues, & ingrati. Illi videlicet eam cognitionem designant, qua DEVM creatorem & Redemptorem nostrum, efficaci quoque sensu & actione cognoscimus & adoramus. hi vero eam, qua nos ipsos, cinereamq; corporum nostrorum originem, & dissolutionem vere agnoscimus: de nobis clariùs nihil sentimus: intra modestiæ, Christianæq; demissionis gyrum nos continemus. O quàm fumos cineresq; istos horret Satan!

QVÆSTIVNCVLA XVI.

Sextus modus quis?

NISI piscis iecori, & suffimento efficientiæ quidpiam diuinæ dedisset DEVS, quid contra dæmonem profuissent? *Sextus* itaque modus est, vt partim istis, quæ hactenus enumerauit; *operibus*, dignetur diuina bonitas, *tamquam instrumentis suis, vim* quandam indere, vt ad nos Asmodæo ne rimula quidem vlla pateat, partim vero, vt iis quę eadem diuina bonitas certissima gratiæ suę instrumenta populo Christiano data voluit; crebrò religioseque vtamur. *Sacramenta* dico, quæ cupiditatum fibras euellunt, concupiscentiæ incendia refrigerant, sanctitatem inserunt, hominis animum, aduersus omnes hostium machinationes obuallant, illosque terrefaciunt & longissimè propulsant. Est autem hoc in genere præcipua sacræ confessionis & Eucharistiæ vis. Illa hostis cuniculos omnes refodit, strages restaurat, vulnera persanat: ista robur membris nouum inspirat, à laboribus & asperitatibus omnibus inuictos præstat, aduersariis vero admodum terribiles efficit.

Tamquam

Tamquam leones, inquit 61. ad pop. S. Chrysostomus, *ignem spirantes, ab illa mensa recedamus. facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente reuoluentes, & charitatem, quam nobis exhibuit.* Et paulo post, *hic mysticus sanguis dæmonas quidem expellit, & procul esse facit: ad nos autem Angelos vocat, & Angelorum Dominum. Vbi namque Dominicum viderint sanguinem, dæmones fugiunt, concurrunt autem Angeli.* D. Cyprianus sub sermonis, de Natiuitate CHRISTI, finem. *In paruuli*, ait, *huius nomine, cum hoste antiquo congrediamur, & fortis armatus, superueniente fortiore, de atrio antiquitus possesso, potenter expellitur, & præsumptæ infestationis audaciæ silentium imperatur. Defectus carnis nostræ, quæ a primitiuis sexibus originalis mali infecta languerat; ex* CHRISTI *carne redditur fortitudo: & Sacramentorum communicatio, per quam illius corporis synceritati vnimur; nos in tantum corroborat, vt de mundo, & de diabolo, & de nobis ipsis victoriam potiamur: & sacramenti gustu, viuificæ mysteriis inhærentes, vna caro & vnus spiritus simus.* Vnde & S. Bernardus serm. 1. in cœna Domini, *Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit tractandæ motus inuidiæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in eo; & gaudeat, quod pessimum vlcus accedat ad sanitatem.*

QVÆSTIVNCVLA XVII.

Quis luxuriæ dæmonis expellendi modus septimus?

MODVS tandem *septimus*; & extremus thymiamata & thuribula, quibus, diuinæ maiestati suauitatis odores quospiam adoleamus; complectitur. vt sunt preces, de quibus antea, *ieiunia, eleemosynæ*, aliaque *pietatis munera.* Sed apprimè vtilia sunt, quæ, de omni carnis contagione caquando Asmodæum irrepentem & blandientem sentiat; illico CASTITATIS, è formula, votum dio iugulatur Goliath: & incidit in foueam impius quam fecit. At si, quod faxit DEVS nunquam; muros iam haberet hostis, lethalemq; animo plagam intulisset, vt ille deiiciatur, & ab eo illata plaga sanetur, fit isdem vtrumque modis, quos adhuc exposui. Nam remouędæ *primò* causæ, ob quas Asmodæo, vt sempiternas, ab eo pœnas feramus; addicti iam sumus, id est, ipsum per veram pœnitentiam peccatum defendum, & eius peccati occasiones penitus rescindendæ, vt intemperantia, ociam, concubinæ, cætera, *Deinde* multo cum gemitu & lachrymis à DEO venia petenda: roganhuc præstolantur, vt diuinam nobis iram propitiare diguentur. Lege de pœnitentia Tertullianum di etiam, qui in cœlo beati iam sunt, & qui in terra beatitatem illam æternam, fide & charitate, ad-c. 10. *Tertio*, auxiliari nobis debent non preces tantùm, vt dixi, sed exempla etiam Sanctorum, quos flagitiorum aliquando pœnituit, vt Dauidis, Pauli, Magdalenæ, similium. Sed Raphaële hic maximè opus, qui nomini suo conuenienter; acceptas ab hoste plagas medicetur: nostris è penetralibus Asmodæum exigat. *Quarto* per IESV CHRISTI Domini & Saluatoris nostri passionem, per flagella, per vulnera, per crucem & mortem obtestandus DEVS, vt arcere à nobis velit Angelum percutientem, nostrumq; lapsum condonare. *Quinto* super viuos contritionis, ieiunij, illuuiei, & squaloris carbones iecur nostrum ponendum, vt in fumos summæq; dimissionis cineres redigamus, in pristinamq; DEI gratiam reponamur. Intendi etiam potest studiorum labor, lectionis assiduitas, meditationis cõtentio, vt & hoc in satisfactionis partem aliquam veniat. *Sexto*, vt omnia pœnitentiæ nostræ opera, faciat DEVS misericordiæ suæ instrumenta: rursumq; diuina Sacramenta, præsertim vero exomologeseos; adhibeamus. *Septimo* & postremò spei, bonorumq; propositorum firmæ & seria CHRISTO IESV Domino & Saluatori nostro thymiamata suffiamus.

QVÆSTIVNCVLA XVIII.

Expulsus Asmodæus, reuerti an possit?

SANE quidem ad Satam reuerti numquam potuit, quià ea conditione, vt ex sexti capitis Hebræo & Græco textu antea indicatum; expulsus fuit. *Posse* alioquin eiectos *dæmonas reuerti* declarat planus & immundus ille, qui Matthæi cap. 12. arida loca cum perambulasset, dixit: *Reuertar in domum meam, vnde exiui.* &, vt supra ibidem notatum, olim quidem Salomonici, iam nostri Exorcisfiat. *In spiritali* verò ex animis *sectione*, putarunt apud D. Thomam 1. part. q. 114. artic. vltimo nonnulli, non posse dæmonas, quorum tentationi fortiter egregieque occurrium fuisset; vel hominem vllum, vel eum certè à quo superati, prostratique fuissent, aggredi. Sed numquid à mœnibus sehel iterumque repulsi hostes, acie in campis semel iterumque cæsi, fugatique, omnia belli consiliia deinceps abiiciunt? An ripa fas pides pugnam iterum numquam capessunt? iam repulli, & muscæ sæpius abactæ, rursum redeunt, allatrant, & pungunt. De dæmonibus ergo cur aliter existimemus? An tam pudentes, tam ad nocendum ignauis tam de suis artibus & hastis desperantes? An eos, à quibus despecti & victi, tam in bono, Deique gratia fixos & constantes arbitrantur, vt suo amplius libero arbitrio abuti nequeant, non amplius probabi, nõ seipsos immutare? Quis verò vllum vnquã hostem fortiùs afflixit, & cõtriuit, quam, primo etiam prælio, Satanam

Seruatori

Universidad de Deusto
Biblioteca

69

Seruator? Et tamen semel iterumque sese afflictus ille & contritus erexit, ipsum triumphatorem inuasit, manusque conseruit. Bene ipse D. Thomas, posse stratos dæmonas in arma rursum consurgere: sed tamen non nisi DEO permittente. qui, pro sua immensa bonitate, id cauet, ne hominum infirmitas nimio illorum impetu obruatur, perpetuamue dimicationem sustinere cogatur. Eaetiam dæmonis superbia, vt intimissimus ab eodem crebrius refutari velit: ea in oppugnando molestia & labor, vt eum iteratò sumere nonnihil formidet: ea demum diuina in nos clementia, vt si generosæ dæmoniorum alicuius appetitiones pertulerimus, victoriamque adepti fuerimus, illum quasi victum sub pedibus iacere, terram mordere, iramq; & ignominiam suam deuorare iubeat. Et ista olim etiam docuerunt D. Ambrosius li. 4. in Lucam. D. Antonius apud S. Athanasium, D. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 11. 20. 21. Cassianus collat. 7. cap. 21. collat. 8. cap. 13. Cum ergo, felici pugna, hostem istum nostrum fugauerimus, non illicò è manibus arma deponenda, excubiæ omittendæ, pax & tranquillitas omnimoda credenda est: neque rursus ita pauendum, quasi bello nullum vnquam finem dæmon, qui sese modo fugę dedit, facturus sit. Sed in statione quidem semper, quoad viuimus; manendum: bona tamen cum spe, futurum, vt vel cornua victus ille rursum non erigat, vel pari ratione à nobis perpetuò vincendus sit. imo tanto faciliore, quanto maioriam victoribus DEI gratia est, animus altior & erectior, hosti vires minutiores, audacia tractior & abiectior.

QVÆSTIVNCVLA

Quomodo Tobiæ precatiunculam versu 9. explicet D. Augustinus & operis imperfecti auctor?

DAVGVSTINVS lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 18. *Patres*, ait, *illi veteres plures vxores singuli cum haberent, sicut sapiens in cibo & potu, non nisi salutem corporis; sic in concubitu non nisi procreationem filiorum intuebantur. Itaque, si eos in hac vita inuenisset Domini aduentus, cum iam non mittendi, sed colligendi lapides tempus esset, statim seipsos castrarent propter regnum cœlorum. Non enim est in carnis difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. Nouerant quippe illi homines, etiam in ipsis coniugibus luxuriam esse, abutendi intemperantiam: quod Tobiæ testatur oratio, quando est copulatus vxori. Ait enim: Benedictus es Domine* DEVS *patrum nostrorum, & benedictum nomen tuum in omnia sæcula sæculorum: benedicant te cœli & omnis creatura tua: tu fecisti Adam, & dedisti illi adiutorium Euam. Et nunc Domine tu scis, quoniam non luxuriæ causa accipio sororem meam, sed ipsa veritate. vt miserearis nostri Domine.* Et lib. 22. contra Faustum Manichæum, cap. 35. *Fratres siue sorores generali nomine consanguineas solere apud veteres appellari, scriptura testatur. Nam & Tobias dicit* DEO *cum oraret antequam misceretur vxori; Et nunc Domine, tu scis, quoniam non luxuriæ causa accipio sororem meam, cum esset illa non ex concubitu eiusdem patris, nec ex eodem matris vtero, sed ex eadem stirpe cognationis exorta. Et Lothi frater Abrahæ dicitur, cum patruus eius esset Abraham: ex qua vocabuli consuetudine etiam fratres Domini vocantur in Euangelio, non vtique quos Maria Virgo pepererat, sed ex eius consanguinitate omnes propinqui.* Atque hoc sororis, in isto significatu, nomen iam semel & iterum antea occurrit. Author verò operis imperfecti in Matth. homil. 1. *Commendauit*, ait, *Angelus Tobiæ in nuptus eius, vt antequam conuenirent ad illam consuetudinem humanam, surgerent prius & orarent, & sic dicerent: Domine tu scis, quia non propter libidinem accepi vxorem, sed propter liberos procreandos, quibus si aliter oraisset, oratio eius* DEO *non fuerat placitura. Vide ergo quia turpissimum illud opus carnis, filiorum causa excusat.* In hoc tamen authoris huius loco, non aspernanda Sixti Senensis annotatio quarta lib. 6. Bibliothecæ sanctæ.

QVÆSTIVNCVLA XIX.

An coniugi cuilibet, post nuptias, à coniuge, trinoctio, abstinendum?

DEVARISTVS Papa martyr epist. 1. *Biduo*, ait, *vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant, vt bonæ sobolis generentur, & Domino in actibus suis placeant.* Id tamen non præceptum, sed exhortatio potius est. Nam hoc à Tobia factum ob dæmoniacam energiam, quæ non semper adest, quemadmodum notant Lyranus & Carthusianus. *Deinde* alia, quæ oratione ista petebantur, possunt ante matrimonium, vel alio matrimonij tempore, ipsoque etiam nuptiarum die, in templo, & dum benedictio fit, peti. Et ideireò, apud Christianos inter sponsalia, & nuptias, tempus interponitur, confessio fit, Eucharistia sumitur. In Tridentino Concilio sess. 24. ita legitur de reform. Matrim. cap. 1. *Sancta Synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo, ante matrimonij consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum piè accedant.* Catechismus Romanus; *Fideles*, ait, *docere oportet vt* DEVM *orandi & obsecrandi causa, à matrimonij officio interdum abstineant, imprimisq; id sibi obseruandum sciant tribus saltem diebus, antequam SS. Eucharistiam percipiant, sæpius verò, cum solemnia quadragesimæ ieiunia celebrantur.* Videantur priores ad Corinth. c. 7. & Sanctæ Heduigis vita. Præceptum verò huiusmodi imponere non expediret, quia in ista naturæ pranitate, pauciffimi Tobię. & Prouerb. 6. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* Fuerunt tamen qui non triduanam tantum in coniugio continentiam seruarunt, sed etiam vel perpetuam, vt S. Henricus Imperator, & S. Kunigundis, S. Eduardus Angliæ Rex. D. Julianus & Basilissa, S. Antigonus & Euphrasia, S. Apenianus & Melana: vel certè diuturnam, vt S. Aquilinus, Sancta Heduigis, alij & aliæ. Sositos verò dies aliquot, vxorum cognitionem differre Patriarchas, docet S. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 50.

QVÆSTIVNCVLA XX.

Num viros septem, occultè Raguel sepelierat?

NON. neque enim potuisset, cum illi noti sponsi essent: & in eorum mortem à magistratibus vtriq; inquisitum esset, cum etiam famuli & ancillæ, quas earum mortis conscias vidimus c. 3. reticere id vix potuissent. Quin & de ipsorum morte rumor, vt antè dictum; vulgo increbuerat. qui, ob Asmodæi riualitatem, eos ab eo interfectos blatterabat. Tobiam tamè occultè humare voluit, quia hospes is, & illa in vrbe ignotus erat: deinde, quia de eo, sicut de viris aliis, famuli ac famulæ ratiocinari poterant.

QVÆSTIVNCVLA XXI.

An in lecto nudi ab ancilla visi coniuges?

CARTHVSIANVS Dionysius id contra honestatem censet: ideoque se putare ait, non vno in lecto simul dormiisse: sed post diuturnam comprecationem, plorationem, vigilationem, fatigationem, sese illos, ad pausandum seu quiescendum reclinasse. Neque refelli ex Græco textu potest, cùm dicat ille tantùm, *inuentos ab ancilla dormientes.* Sed Latinus ait, *secum pariter dormientes.* Et Hebraicus, *simul* seu *vnà dormientes in pace ac tranquillitate.* Neque contra honestatem, si ad dominorum dominarumque suarum cubiculares lectos famulæ interdum accedant, eæ præsertim, quæ seniores & grauiores. Cuiusmodi hanc fuisse, nihil ambigo. Neque necessum, vt si eodem lecto coniuges isti tenerentur, nuda idcirco haberent corpora, quemadmodum putasse ille videtur. Bene alioquin Ennius à Cicerone Tusc. 4. laudatus; *flagitij principium est, nudare inter ciues corpora.*

QVÆSTIVNCVLA XXII.

Quomodo timebat Raguel, ne mortuus esset Tobias?

VESPERE Tobiam sanum fuisse, illudque noctis tempus euasisse, quo interfecti sponsi alij fuerant, sciebat Raguel. Sed verebatur, ne fortè circa noctis medium, aut post, veniret Asmodæus. Licet enim antea diceret, sperare se, suas preces exauditas, solet tamen interdum arduis in rebus, spes vacillare, cum earum tempus adest, vel vt fieri possint, vel certè vt cognosci iam audiriq; debeant. Timet enim animus, ne fortè, quàm vellet, secus eueniat. Ita Carthusianus.

CAPVT IX.

1 VNDE vocauit Tobias Angelum ad se, quē quidem hominem existimabat, dixitq; ei: Azaria frater, peto vt auscultes verba mea:

2 Si meipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.

3 Tamē obsecro te, vt assumas tibi animalia siue seruitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum: reddasq; ei chirographum suum, & recipias ab eo pecuniā, & reges eum venire ad nuptias meas.

4 Scis enim ipse, quoniam numerat pater meus dies: & si tardauero vna die plus, contristatur anima eius.

5 Et certè vides quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiuramentum spernere non possum.

6 Tunc Raphael assumens quatuor ex seruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit: & inueniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum, & recepit ab eo omnem pecuniam.

7 Indicauitq; ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ gesta sunt: fecitq; eum secum venire ad nuptias.

8 Cumq; ingressus esset domum Raguelis, inuenit Tobiam discumbentem: & exiliens, osculati sunt se inuicem: & fleuit Gabelus, benedixitq; Deum.

9 Et dixit: Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, & iusti, & timentis Deū, & eleemosynas facientis:

10 Et dicatur benedictio super vxorem tuam, & super parentes vestros.

11 Et videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum, vsq; in tertiam & quartam generationem: & sit semen vestrum benedictum à Deo Israel, qui regnat in sæcula sæculorum.

12 Cumq; omnes dixissent, Amen, accesserunt ad conuiuium: sed & cum timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant.

COMMENTARIVS.

RAPHAELEM ad Gabelum Rhagas mittit sponsus Tobias. & considerandus hic ipse mittendi *modus*: deinde *causæ & effecta*. *Modus* est humanissimæ comitatis & suauitatis plenissimus. Raphaelem *hominem existimabat* Tobias; & hominem, quem sibi, veluti mercenarium, adiungarat. & tamen eum blandissimè fratrem vocat, eumque rogat. *Azaria frater, peto vt ausculres verba mea. Obsecro te, vt assumas tibi animalia.* Præterea cum ex pacto cap.5.ver.14.15.deberet Rhagas ire Raphael, petitque, vt ad illa hunc beneficii noui addat cumulum, & Rhagas proficisci dignetur. *Si me ipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.* qua scilicet erga me, toto hoc itinere, vsus es. Quam gratus hic animus! Quàm syncerus, imò & magnificus acceptorum, quæ interdum extenuant alij; beneficiorum æstimator. Infrà cap.6. & sequentibus, similiter. Sed illic bonorum, quæ negat. Et tamen quantum hoc ipsum? Quanta res libertas? Quantum precium seruitus? Creditor Elisæum clamabat mulier 4.Reg.4.ver.1. *Ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.* Quin & immanes alioqui Tyranni Diocletianus & Maximianus l. *Obæs* C. de oblig. *Obæs*, inquiunt, v.3.vbi sumitur *siue* pro &, quemadmodum intelligitur ex ver.6. in Hebræo & Græco. Et Hebræus quidem etiam exprimit seruorum numerum, & iumentorum, qui infrà ver. 6. Græcus vero tummodo puerum concedit? Singularem scilicet pro plurali posuit. vel certe παῖδα non seruum, sed seruitium, seu seruorum multitudinem vocauit, vt insinuat noster interpres, qui tamen in plurali maluit *seruitia*. Visitatum verò in scripturis passim vt παῖς & *puer* pro famulo accipiatur, sicuti & Hebraicum *naar* Genes.14.v.23.ca.22.ver.3.c.41.v.11.1.Reg.2.v.13.c.35.v.8.2 Reg.18.ver.15. Atq; sic etiam apud Aristophanem, Platonem, Athenæũ, Horatium, Propertium. qui apertè lib.3.eleg.22.

I puer, & cætus hæc aliqua propone columna.

Et Dominum *Exquilius scribe habitare* tuum:

Hoc autem insigniti nomine sunt famuli, quòd, vt Hebræi aiunt, puerorum sit, natu maioribus ministrare, ipsorumque ætas obeundis ministeriis peraccommodata sit. διὰ τὸ τῆς παιδικῆς ἡλικίας ὑπηρετικὸν inquit Eustachius. qui & alio loco id fieri significat, quod paterno veluti amore seruos & securitatis causâ, partim vero beneuolentiæ & auctoritatis, vti notat Carthusianus. *Causæ* vero solum eum mittat, neque cum eo vadat ipse, *duæ* itẽ causas proponit, *Vna* est ver.4. ne, si ad dies, quibus apud Raguelem morari oportebat, alios adiiceret; mora nimia esset, quæ parenti tristitiam pareret. Et de parente quantum bonus filius curam gerit. *Altera* ver. 5. *Adiurauit me Raguel, cultus adiramentum spernere non possum.* *Adiurare* valet interdum *iurare* vt apud Ciceronem Philip.2. Plautum Trinummo, Terentium Andria. interdum *ad iuramentum adigere*. vt Iosuæ 2.v.20. & afferri à quibusdam solet Liuius decad. 5. lib. 3. interdum verò, *per diuini nominis reuerentiam*, aliquem ad quippiam vel dicendum vel agendum *obstringere*. vt explicat 2.2.q.90.a.1. D. Thomas & sic Num.5.1.Reg.14.3.Reg.22.alibi, & clarè Matth.26.63. *Adiuro te per* DEVM *viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius* DEI. Putant ergo quidam secundam hic notionem adhibitam; ego posteriorem. Alioqui diceret potius Tobias, *& iuramentum meum spernere non possum*, quàm, *cuius iuramentum*. & fuit valde Iudæis vsitata huiusce modi adiuratio. Sed *eo adiuramento an tenebatur Tobias?* Si morosius, pressiusque loqui velimus; non opinor. quia ita quempiam adiurare, vt legitima ei obligatio veraque quippiam aut loquendi aut agendi necessitas imponatur, non nisi à superiore in subditum fieri potest. Socer vero in generum potestatem tantam, & in re tali, non habet. Interdum vero fit, vt, per diuini nominis vel sacræ alicuius rei reuerentiam, absque vlla necessitatis impositione, velit solummodo quispiam ab alio aliquid impetrare. & *talis*, inquit loco citato, D. Thomas, *adiuratio licita est respectu quorum liber*. Ideoque, quando non omnino incommodè fieri potest; religiosi modestiq; animi est adiurantibus istiusmodi cedere, iisque obsequi. Atq; isto modo, Tobias noster se soceri adiuramentum spernere non posse ait. Illæ vero adiurationes, quæ à quibusdam quandoque ad peccandum, verbi causa, ad æquo plus potandum, ad ferro priuatim depugnãdum adhibentur, nullo modo audiendæ. Iam missionis huius *effecta* recensentur à versu 6. in quibus nosequenti. More autem sæpe iam indicato sunt in vno textu quædam, quæ non in alio. è quibus obtanda fausta illa precatio. ver.9. De *Amen* dicam Iudith 15.ver.13. de conuiuio isto nuptiali, capite seruatu in Hebræo dignum; Gabelum ipsi Tobiæ precari *filios masculos*, & quidem huiusce modi, q sint *hoseḳim bethorath iehoua*. id est, *occupati seu sedulo in lege Domini*. In Græco autem est capitis huius extremum Εὐλόγησε Τωβίας τὸν γάμον αὐτοῦ. id est, *benedixit Tobias vxorem suam*. non, vt vertit Baduellus, *vxorem suam grauidam fecit*. Etsi enim liberorum susceptio, benedictionis genus quoddã est, ea

est, ea tamen potius à DEO est: & potius precatio quædam à Tobia facta videtur, qua optaret à DEO oque peteret, Saram suam esse benedictam, & propter fœcunditatem & propter liberorum ipsorum bonitatẽ. Hoc enim paulo ante ver.10. est istud; *dicatur benedictio super vxorem tuam*. quemadmodum Lucæ 11. *Beatus venter qui te portauit*: & Genes. 25. vers. 21. *Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua.*

CAPVT X.

1 CVm verò moræ faceret Tobias, causa nuptiarum, solicitus erat pater eius Tobias dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi?

2 Puraine Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam?

3 Cœpit autem contristari nimis ipse & Anna vxor eius cum eo: & cœperũt ambo simul flere: eo quod die statuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos.

4 Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ.

5 Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere à nobis.

6 Cui dicebat Tobias. Tace, & noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum.

7 Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, vt procul videret eum, si fieri posset, venientem.

8 At verò Raguel dicebat ad generum suum: Mane hic, & ego mittam nuncium salutis de te ad Tobiam patrem tuum.

9 Cui Tobias ait: Ego noui quia pater meus & mater mea modò dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis.

10 Cumq; verbis multis rogaret Raguel Tobiam & ille cum nulla ratione vellet audire, tradit ei Saram, & dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia: & saluum atq; gaudentem dimisit eum à se.

11 Dicens: Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatq; vos incolumes, & inueniatis omnia recte circa parentes vestros, & videant oculi mei filios vestros priusquam moriar.

12 Et apprehendentes parentes filiam suam osculati sunt eam, & dimiserunt ire.

13 Monentes eam honorare socerum, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilẽ exhibere.

COMMENTARIVS.

ANXIE à parentibus expectatur Tobias: nuptiisque absolutis, cum vxore, bonisque plurimis Niniuen ad illos tandem redit. Ex hisce verò aliquot capitibus colliguntur de nuptiis hæc. *Primò*, earum *finis* supra cap. 6. & 8. Vnde S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum sub finem: *Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu. Nihil est fœdius quam vxorem amare, quasi adulteram. Secundo, materia*, ipsi scilicet coniuges, eorumque consensus. *Tertiò, forma*, consensus huius explicatio. *Quartò*, causa *efficiens*, partim ipsimet coniuges, partim pater cap. 7. ver. 15. vbi verba ea, memoriæ quadam, vt videtur, prolapsumcula; tribuuntur Tobiæ in Alexandri primi Pontificis epist. 1. Atque huc spectare possunt *ritus* varij, quorum etiam partem hodie retinent Iudæi. *Primus*, petitio sponsæ à parentibus c.7.ver.10. *Secundus*, apprehensio dextræ per patrem & traditio marito facta ibidem vers. 15. *Tertius*, precatio versu eodem. *Quartus*, tabulæ nuptiales, ibidem vers. 16. *cum sigillo & testibus* in Hebræo. Tabulæ apud omnes ferè Gentes, & hodie apud Turcas, vsitatæ sunt, vt ait Euthymius panopliæ, Tit. 28. Vnde S. Monica, vxores monebat apud August. lib. 9. Confess. cap. 9. vt *per tabulas matrimoniales, se ancillas factas existimarent*. *Quintus*, Epulum nuptiale, quod non nisi septem diebus alias agitabatur Genes. 29. vers. 27. Iudicum 14. vers. 17. sed nunc cap. 8. vers. 23. in decimum quartum diem porrigitur, propter duplicatam scilicet lætitiam ob nuptias & dæmonem illum expulsum. Sobrium verò semper fuisse declarat cap. 7. vers. 17. *Postea hæc epulati sunt, benedicentes* DEVM. Et cap. 9. versu. 12. *Cum timore Domini, nuptiarum*, inquit, *conuiuium exercebant*. Quis, absque ingenti dolore, hodierna, cum isto, conuiuia non nuptialia tantum, sed & alia comparet? In isto DEI benedictio est. DEI timor est. ideoque vera lætitia, honesta hilaritas: nulla ebrietas, nulla vociferatio aut lasciuia & rixa. Plato certè lib. 6. de Legibus, huius etiam conuiuij modum & quoad impensas; & quoad sobrietatem, præscribendum sapienter censuit. *Impensa*, inquit, *secundum diuitias fiat*. BIBERE VERO VSQVE AD EBRIETATEM, NE ALIBI QVIDEM VMQVAM DECET: *neque verò tutum est. maxime verò connubio coniuncti, sponsus & sponsa, tunc mentis compotes esse debent, quando non paruam ineunt vitæ mutationem. præsertim, vt ex quam maxime moderatis generatio fiat. fermè etiam incertum est, quæ nox aut dies ipsam, cum* DEO, *peragat. Quare vt solidus, stabilis, & quietus conceptus fiat, non oportet, diffluentium ebrietate corporibus, dare operam liberis. Qui autem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vino refectus est, tam anima quam corporis rabie concitatus, quouis & trahit & trahitur. Idcirco ebrium, tamquam in mente captus, ad ferendum est inutilis. Nempe verisimile est, eum fœtus inæquales, iniustoiles, obiquos tam membris quam corporibus procreare. Quam ob rem, per totam quidem vitam, & maxime quando à generationi vacat, abstinebit quisque, cauebitq; ne faciat, vel quæ, suapte natura & sponte, morbos inducunt: vel quæ petulantiam iniuriamque declinant. Hæc enim in animos & corpora eorum, qui enascuntur, liberorum necessario transferuntur, isque imprimuntur, peioresq; inde nascuntur. Sed præcipuè die illo (nuptiarum) ac nocte, à talibus abstinendum. Sextus ritus, introductio in thalamum nuptialem, in aliud scilicet cubiculum, quam illud in quo sponsi alij à Dæmone interfecti cap. 7. vers. 18. Huius nomen in Hebræo est *chopha*, quo & operculum illud significatur, sub quo, hodie, Iudæi matrimonio, ad synagogæ ostium, vrait Elias, & Amonius Margarita, coniunguntur. *Septimus*, oratio vers. 12. videlicet dimidiæ, facultatum omnium, partis. Illarum verò in nostro textu, per sex veluti partes. 9. Pecudes, cameli, vaccæ, pecunia. & sequenti capite vers. 18. ad quatuor, in eodem nostro textu, reuocantur. ad familiam scilicet, pecora, camelos, pecuniam in Græco, hic, ad tres, quæ sunt σώματα, κτήνη, ἀργύριον. id est, serui, iumenta & argentum. Est enim apud Demosthenem Philipp. 5. & pro Ctesiphonte, apud Arist. lib. 1. Rhet. & Strabonem lib. 2. legere, mancipia seu seruos σώματα nuncupari, prout etiam in Anthologiæ libro primo, cum verè ait nescio quis.

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πολλ' ἀνεγείρειν
Ἀτραπὸς ἐς πενίην ἐστὶν ἐπιμοτάτη.
Corpora si nutris multa, & multas struis ades,
Haud ad pauperiem certior vlla via est.

In Hebræo vberior omnium partitio est. *Dedit ei Raguel Saram filiam suam, dimidium diuitiarum suarum, & seruos & seruas, & greges, & boues, & asinos, & camelos & vestes lineas & pretiosas & vasa argentea & aurea. Decimus* ritus vers. 11. benedictio, & pro fausto itinere, nuptiis, liberisque precatio, vt Genes. 24. vers. 60. *Vndecimus* abeuntium exosculatio vers. 12. Hoc enim casti amoris olim symbolum diffimus Baronius. *Duodecimus*, filiæ institutio, & ad bene feliciterque in coniugio viuendum præceptiuncularum quarundam datio. *Prima* est, honorare soceros. In Græco additur causa, ὡς μήτηρ γονεῖς σου ἐκείνη. quia ipsi nunc parentes tui sunt. *Altera*, diligere maritum. *Tertia*, regere familiam, quæ primo liberos, deinde famulos, famulasque continet. *Quarta*, gubernare domum, assiduè in ea manendo, non huc & illuc oberrando, penum, cellas, supellectilem, operaque pensa quotidiana bene curando, vt fortis laudata illa mulier Prouerb. 31. *Quinta* & vltima, seipsam irreprehensibilem exhibere, non modo per coniugalem castitatem, vt ait Lyranus; sed & per linguæ, vitæque totius disciplinam, tam cum domesticis, quàm cum aliis. Hæc etiam ferè Diuus Paulus omnia ad Tit. 2. vers. 4. & 5. docuit vbi adolescentulas, *vt viros suos ament, filios suos diligant: prudentes sint, castæ, domus curam habentes, benignæ, subditæ viris suis, vt non blasphemetur verbum* DEI. Sic & D. Petrus 1. cap. 3. vers. 1. & sequentibus. multaque de his vtilia traduntur à Platone lib. citato. Xenophonte in Oeconomico, Plutarcho libro de nuptialibus præceptis, Hebræorum libello, qui Mussar, dicitur, Brissonio libro de ritu nuptiarum, & lib. de iure connubiorum: denique à Dionysio Carthusiano in opusculo de laudabili vita coniugatorum. In Græco & ferè in Hebræo Edna Saræ mater sic *Tobiam* tandem etiam *allocuta est. Domine cœli, frater dilecte, te tuæ restituat: mihiq; concedat, vt filios tuos ex Sara filia mea videam, vt coram Domino gaudeam. Ecce tibi ego filiam meam quæsi quasdam depositum committo, ne vlla eam afficias molestia. Ipse* verò *Tobias post hæc profectus est* (licet ad sequens caput exemplaria quædam referant) DEO *gratias agens, quod iter prosperum sibi dedisset, Raguelemq; & Ednam eius vxorem benedicebat.* seu, *fausta eis omnia precabatur, & pergebat, quoad Niniuen appropinquarent.*

CAPVT XI.

1 *Vmq; reuerterentur, peruenerunt ad Charam, quæ est in medio itinere contra Niniuē, vndecimo die.*

2 *Dixitque Angelus: Tobia frater, scin quamadmodum reliquisti patrem tuum.*

3 *Si placet itaque tibi præcedamus, & lento gradu sequantur iter nostrum familiæ, simul cum coniuge tua, & cum animalibus.*

4 *Cumq; hoc placuisset vt irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piscis: erit enim necessarium.*

Tulit itaq; Tobias ex felle illo & abierunt.

5 *Anna autem sedebat secus viam quotidie in supercilio montis, vnde respicere poterat de longinquo.*

6 *Et dum ex eodem specularetur aduentum eius, vidit à longe, & illico agnouit venientem filium suum. currensq; nunciauit viro suo, dicens: Ecce venit Filius tuus.*

7 *Dixitque* Raphael *ad Tobiam: At vbi introieris domum tuam, statim adora Dominum* DEVM *tuum. & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum.*

8 *Statimque linas super oculos eius ex felle, iste*

iste piscis, quod portas tecum. Scias enim quoniam mox aperientur oculis eius, & videbit pater tuus lumen cœli, & in aspectu tuo gaudebit.

9 *Tunc præcurrit canis, qui simul fuerat in via: & quasi nuncius aduenies, blandimento suæ caudæ gaudebat.*

10 *Et consurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere: & data manu puero, occurrit obuiam filio suo.*

11 *Et suscipiens osculatus est eum cum vxore sua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.*

12 *Cumq; adorassent* DEVM, *& gratias egissent, consederunt.*

13 *Tunc sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui.*

14 *Et sustinuit quasi dimidiam ferè horam: & cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana oui, egredi.*

15 *Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius statimq; visum recepit.*

16 *Et glorificabant* DEVM, *ipse videlicet, & vxor eius, & omnes qui sciebant eum.*

17 *Dicebatque Tobias: Benedico te Domine* DEVS *Israel, quia tu castigasti me: & tu saluasti me: & ecce ego video Tobiam filiū meum.*

18 *Ingressa est etiam post septem dies Sara vxor filij eius, & omnis familia eius. & pecora, & cameli & pecunia multa vxoris: sed & illa pecunia, quam receperat à Gabele:*

19 *Et narrauit parentibus suis omnia beneficia* DEI, *quæ fecisset circa eum per hominem, qui eum duxerat.*

20 *Venerunt q; Achior & Nabath consobrini Tobiæ, gaudentes, ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat* DEVS.

21 *Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gauisi sunt.*

COMMENTARIVS.

IN reditu venit Charam, quæ ab illa de qua Genes. 12. dixi, diuersa est, ideoque Hebraicè vocarunt hîc אכרים, *Acrim*. Illa altera in Mesopotamia est, hæc inter Assyriam & Mediam, quod contra Hugonem & Carthusianum obseruandum. Aberat verò hæc Nino, dierum quatuor itinere, si expeditus pedes quispiam esset, vt Græcè id circò dicatur locus iste prope Niniuem fuisse. Ideoque quod Latinè dicitur, *in medio itinere*, non præcisè medium, sed interiectum, inter Ecbatana vel Rhagas & Niniuen, spatium intelligendum, & forte est *Chatra* quæ & apud Ptolemæum Asiæ tab. 4. *Chatracharta*, vel est *Charca*, cum Charcæmis & Charcabetiam legamus: vel demque *Charra* est, cuiusmodi & illa fuit, in qua Dido inter Sidonem & Syriam habitauit, quæ etiam *Charræa* dicitur, vt docet lib. 4. Æneid. Seruius, & Cedrenus. Hinc vero, ante vxorem, cæteraque impedimēta, Niniuem, cum Raphaële, præcurrit, quemadmodum Odysseæ Telemachus: nuntiumque patri & matri gaudium affert. Sed vers. 9 præcurrit canis, qui simul fuerat in via: & quasi nuncius aduenies, blandimento suæ caudæ gaudebat.

QVÆSTIVNCVLA PRIMA.

De cane, & similibus.

VIDENTVR quibusdam hic nonnulla minutiora, quam vt in diuinas literas referri debeant. Sed CHRISTO Domino monente, est etiam in lege *iota & apex* quispiam, Matth. 5. & Luc. 16. id est, aliquid, quod exile admodum, minutumque videatur. Et verò fe ibuntur hæc *primo* quia re uera contigerunt. Cur enim, quod verè factum est, non dicatur? Apud profanos, in fabulis, cum ifthusmodi leguntur, laudantur vt apud Homerum Odyss. 15. & 16. quod veritatem scilicet rectè imitentur. Cur ergo, in ipsa veritate, dum exprimuntur, non allubescunt? præsertim cum ea ipsa multum etiam afferant non cognitionis tantum, sed etiam actionis? *Non est*, inquit V. Beda, *contemnēda figura canis huius, quia viator & comes Angeli est. Doctores enim exprimit Ecclesiæ, qui conflagrando cum hæreticis lupos graues à Pastoris summi fugant ouili. Et pulchre dixit*, quasi nuncius aduenies; *quia minarum doctor quisquam fidelis nuncius est veritatis. pulchre* blandimento suæ caudæ gaudebat. *Cauda quippe quasi finis est corporis, finem bonæ operationis, id est, perfectionem, vel certe inuestedam, quæ sine fine tributur, infinuat*: hæc ille. De istis porro canibus vide Iliadem c. 56. D. Hieronymum Ibinem, Pierium lib. 5. O quam boni canes, qui cum Angelis, vita & mente iter crebrò faciunt!

Matris verò in filium amor exprimitur versu 5. quemadmodum apud Liuium Decad. 3. libro 2. dum ad patras, de fatis aut filiis aut vitis rogaturæ concurrunt Matronæ, & apud Homerū Odyss. 15. dum ad Penelopen redit Telemachus filius. & maximè cum vnigena Tobias esset, quod allegoricè interpretatur Hugo de Synagoga, *quæ, in Patriarchis, è longinquo & sublimis exspectauit, & vidit* DEI *filium Messiam venientem.*

Pedum verò Tobiæ cæci offensio, ver. 10. indicat lætitiam, &c, ex ea, festinationem illius ad filium excipiendum, & *significat*, vt ait V. Beda, *Iudæorum populum è perfidia sua recenter surgēt. in & currentem ad Dominum, quamuis offenderet gressibus operum, donec plena fide & operatione bonā lucem reciperet, regeneratus in* CHRISTO *& instructus*. In lusergo & similibus non sunt, vt despiciantur, tollenda nimium supercilia: sed eorum potius veritas amplectenda, & significatio, si tam perspicitur, vtilitas. I 3 sufici-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lirer suscipienda: si nondum perspicitur, diligenter inquirenda. Quælo te, quantum est, Genes. 30. & quam pœne, si nasutulos dicaculosq; Faustos audias; ridiculum, in agro, à pueto, mandragoras inueniri, Liæ matri afferri, harum à Rachele, desiderio tanto, partem expeti, isque mariti noctem ab ista vendi, ab illa coëmi: *Iacob*, inquit Faustus Manichæus libro 22. cap. 5. *inter Rachel & Liam duas germanas sorores, earumq; singulas famulas, quatuor uxorum maritus, tamquam hircus errauit: vt esset quotidie inter quatuor scorta certamen, quænam, cum venientem de agro, prior ad concubitum raperet, interdumq; etiam mercedibus in noctem ab inuicem conducerent eum.* Quid ergo contra infaustum illū Faustum (quem ego, siue orationis cothurnum, siue fannas, argutiolas, & scurrationes intuearis; Cal-lino nostro simillimum iudico) libro 22. D. Augustinus: Robustè profectò eum, vti semper alias, iam inde à cap. 47. refellit: sed quæ meo huic instituto congruant; ista sunt cap. 56. *Cur*, ait, *ipsam rem gestam sancta scriptura tacere voluerit, quæ non vtiq; talia desideria muliercularum nobis pro magna insinuare curaret, nisi aliquid in eis magnum quærere commoneret, nihil amplius cõgruere valeo, quam quod ex illo commenti sensu mihi suggeritur, vt illo mandragorico pomo figurari intelligam famam bonam: non eam quæ cõfertur, cum laudant hominem pauci ipsi atq; sapientes, sed illam popularem, qua etiam maior & clarior notitia comparatur: non ipsa per sese expetenda, sed intentioni bonorum, qua generi humano consulunt, perneccessaria.* Ecce quomodo muliercularum desideria, ventrisq; orexes in scripturis minimè aspernandas censet sanctorum ille ingeniosissimus: sed quid potius ea significent, studiosissimè inquirit.

QVÆSTIVNCVLA II.

An Tobiæ cæcitatem fel illud, naturaliter curarit?

VIDETVR. quia suis in collyriis acria medicamenta, & fel adhibet Celsus lib. 5. & generatim ad medicamenta, *in oculorum præsertim vitiis*, valere fel docet Plinius lib. 28. cap. 11. Speciatim verò docet *primò* id idem Plinius lib. 32. cap. 4. *Callionymi fel*, inquit, *cicatrices sanat, & carnes oculorum superuacuas consumit. Nulli hoc piscium copiosius, vt existimat Menander quoque in Comœdiis. Et Ceracini fel excitat visum: & marini scorpionis rufi cum oleo vetere, aut melle Attico, incipientes suffusiones discutit. Eadem ratione albugines oculorum tollit. Secundò* idem docet Galenus lib. 10. de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 12. Ælianus lib. 13. cap. 4. Rasis lib. 9. cap. 27. Odoardus Oxoniensis de animalibus. *Tertiò*, ita etiam è recentioribus censet Valesius cap. 42. Francilcus Gregorius tomo 6. problem. 185. licet lucium piscem nominet. Et verò assentiuntur etiam illi, qui naturalem, ad curandum, iecoris fumo vim negabant Lyranus & Carthusianus. Suadet ipsum etiam curationis tempus, quæ *non in momento* facta, sed *dimidia quasi hora* vers. 14. Ad quam tamen celeritatem, si quis diuina vi opus fuisse contenderet, non magnopere pugnandum. Interim factam cuationem istam [illegible] *eius?* Et in Latino quidem solo linendi verbo *modus* ille significatur vers. 8. & 13. sed in Græco est ἐγχεῖον καὶ κεγρίειν, id est, *inungere*, & *illinere*, vel *aspergere*. Vnum verò in eodem textu ea ostenditur, vt inunctos, aspersosque oculos mordeat; vnde & tandem efficiatur, vt qui morsum illum sentit τῷ χολῷ εἰς τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ ἐπιχρίει ὁ παῖς ἐλάσας, ὁ δὲ πατὴρ ἐπιλαβόμενος τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ἔβαλε τὸ φάρμακον καὶ ἐφύσησεν, *vnge in eius oculos, & ipse morsu deteret abiiciet q; albugines, & te intuebitur.* Quid, quòd naturalem tantum sanationem procurat, diceret aut faceret aliud chirurgus: Tobias verò occurrentem patrem apprehendens ἐπέχριεν τῷ χολῷ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ σπάρσιν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, ἐφ' ἃ ἐπέθηκε τὸ φάρμακον, ἐπέσχε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ ἐπέσπασεν ἀπὸ τῶν κανθίων τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ τὰ λευκώματα, *si punctim, oculi sunt, eos confricuit, & ab eorum canthis seu angulis albugines, squamarum instar deciderunt.* Vt verò mordeat. Quod non paulò etiam significantius in Latino exprimitur vers. 14. *Et sustinuit quasi dimidiam horam: & cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana ova egredi. Quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis eius statim q; visum recepit.* Vt igitur fel hoc Raphaël monstraret, supernaturale fuit: sed vt ex eo monstrato, sicq; oculis appositio cæcitas curaretur, naturale opitur. Hæreticis verò, qui conuellendæ reticum quidem & ipsum; minus tamen procacem. Ait ergo in Mecelerh, seu operis Grammatici epistola nuncuparoria Munsterus: *Ne putes esse fabulam, quod de capto in Tigride pisce atque exenterato, & inde sublata sterilitate, & sanata cœcitate in eo scribitur. Habes & in Matthæo capisem, qui primus prodisset, & aperto ore eius, extrahere statherem, atque illum dare pro vectigali.* Et ne quis eruditiori & accuratiori iudicio, historiarum istiusmodi quasi fabulæ forent; improbationem adscribat; subdit idem Munsterus; *Hæc autem non propter textum scribo, sed propter rudiores pueros, qui inexercitatum in rebus diuinis habent ingenium.* vt vel hæretico iudice, planè rudioribus ij sese pueris hæretici accenseant, rerumq; diuinarum imperitos profiteantur, qui Tobiam vellicant.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA III.

Quamdiu cæcus fuit Tobias Pater?

TRIPLEX hîc textuum discrepantia. Nam Latinus cap. 14. significat tantum *quatuor* annos cæcum fuisse. Græcus cap. vltimo & 5. D. Athanasius in Synopsi, 8. *annos*. Secunda, cæcitatem incipit Latinus à Tobiæ anno 56. Græcus à 58. Tertia, Latinus visum recepisse tradit anno 60. Græcus, 66. Hebræus, suprà cap. 2. in annorum quatuor numero eum Latino consentit. sed de hoc iterum postea cap. vltimo.

QVÆSTIVNCVLA IV.

In itinere quamdiu fuit Tobias iunior?

E Superioribus, videtur in itinere fuisse sex hebdomadas, aut circiter. Nam consumpti sunt dies 14. Ecbatanis, cap. 8. ver. 23. cap. 9. ver. 5. illinc vsque Arim, seu Charam dies 11. c. 11. ver. 1. hinc vsque Niniuem, expeditis quidem peditibus dies tres satis esse, ipsa locorum distantia coniiciendum relinquit. At eundo, totidem fere dies consumptisse Raphael & Tobias videntur. Etsi enim, vt parentum curam leuaret, magna in redeundo celeritate vteretur Tobias, ob coniugem tamen pecora & impedimenta, cætera minus, quam volebat, & vero etiam minus quam dum Ecbatana tenderet; celeriter quoad Charam peruenit; progrediebatur. Habeat igitur ito & redditio simul sumpta dies 28. & quod excurrit. Iis adde illos Ecbatanicæ morationis quatuordecim. exsiunt dies 42. hebdomades videlicet sex. His vero si addas dies septem, quibus exspectata Sara est ver. 18. rectè in quinquagesimum diem incideris festæ illius hebdomadis initium, de qua ver. 21. vt iam iunc pulcher ille quidem, sed valdè obscurus, intelligi possit D. Augustini locus lib. 22. contra Faustum ca. 87. *In Canticis*, ait, *canticorum sponsa illa, Ecclesia est, quæ vocatur pateus aquæ vitæ. Et huic pateo septenarij numeri nomen, in Spiritus Sancti significatione, coniungitur: propter rationem Pentecostes, quo die de cœlo missus Spiritus Sanctus venit. De septimanis enim constare eundem festum diem, Tobiæ quoque scriptura testatur.* Cæcum, post curationem, laudant omnes qui eum norant, DEVM. versu 16. adeoque ipsa cõiunx, quæ, rebus aduersis, parum rectè ipsi Tobiæ; minusque de DEO religiosè locuta olim fuerat cap. 2. ver. 22. sed, præ omnibus, ipse qui sanitatem adeptus erat; DEVM benedicat. ver 17. *Tu*, ait, *castigasti me, & tu saluasti me.* quemadmodum infrà cap. 13. ver. 2. *Tu flagellas & saluas.* Cum castigationem & flagellum experimur: futuram saluationem expectemus: & cum illam optamus, illam non repuamus. *Percutit* DEVS *& manus eius sanabunt.* Iob 5. *Omnis disciplina*, inquit Apostolus Hebræo 12. *in præsens videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Sed hic mihi considera, *primò* quidem quàm ad pietatem erga parentes Tobiam semper hortetur Angelus. Ideo & ipsum accelerare, cæterisque præcurrere admonet vers. 2. & 3. ideo voluit ipsemet, quod poterat, sed oculis illis immissum [illegible] soluit. *Iam* vero petit olim ab Ægyptio Rege Amasi Cyrus ἰατρὸν ὀφθαλμῶν ἄριστον, id est, medicum oculorum præstantissimum, inquit initio libri 3. Herodotus. At nos, quia in rerum diuinarum, imo & in nostrum ipsorum cognitione, quàm cæcissimi sæpe sumus, à Deo præstantissimos oculorum nostrorum medicos petamur. Quinam vero sanctis Angelis, Prophetis, Apostolis, Ecclesiæque Doctoribus præstantiores? At pœnitentia interdum, lobi erant & grauitas *fel* præscribunt. Id verò acerbus & amarus est: pungit & mordet. Sed animo nos bono esse oportet. Bicuspidis dolor est. vix dimidiam eum Tobia v. 14. horam sustinebimus. & quæ nos occæcabant, decident ex oculis nostris albugines, gaudebimus & dicemus. Ecce ego video DEVM meum, Patrem meum, Creatorem & Redemptorem meum. Ecce ego video cœlestis domicilij pulchritudinem, iucunditatem, æternitatem. Ecce ego meipsum iam video, vilissimum homuncionem, è vili humo excitatum, in vilem paulo post humum redituum. peccatorem magnum. erga DEVM ingratum. erga proximos meos durum, immitem, iracundum, inuidum. Quid plura? Et nos, & qui nouerint nos, antea quidem cæcos, iam verò videntes, DEVM glorificabunt omnes. Tobiæ perro ista benedictio est in Hebræo paulo quam in nostro textu productior: sed ita vt fere sententias, quæ infra cap. 13. traduntur; contineat. In Græco autem, post DEI benedictionem ver. 17. additur. καὶ εὐλογησάτωσαν σοῦ πάντες οἱ ἄγγελοι οἱ ἅγιοι. *Benedicti sint sancti tui Angeli omnes.* Septimo tandem die paulatim aduenit Sara ver. 18. & hæritæ comitis quod Græce ὁ γάμος vocatur; hebdomas, de qua cap. 10. tactum; institutis, cui non dissimilia veterum *epota*. Obuiam vero ad Ninives portam, Saræ venienti processisse, ibidemque DEVM laudasse dicitur in Græco textu Tobias pater. sed quomodo illa σωφρονοῦσα vocatur, quæ filij potius sponsa erat, non ipsius? Respondendum *σωφρονεῖν* non sponsam tantum significare, sed omnem *σωφρονοῦντα*, nouæ nupram puellam. Deinde etiam nurum vt Genes. 11. v. 31. 1. Reg. 4. ver. 19. Lucæ 12. v. 53. Ipsius verò Tobiæ senioris aurus ista nunquid erat? Imò esse κάλλιον ἀγγελικὸν nomen, quod cogitatione & affinitatem ipsi libet, denotet notat Eustachius. Præsto vero gratularentur; affinitatem cum alij, tum Achior & Nabat confobrini. de quibus in Græco sic. ἦσαν γὰρ τοῦτο Ἀχιάχαρος καὶ Ναβὰθ ὁ ἐξάδελφοι αὐτοῦ, id est. Affuit Achiacharus & Nasbas patruelis eius. f. Tobiæ. ideoque consobrinorum in Latino vocabulum, p patruelibus accipiendum. Sæpe

Universidad de Deusto
Biblioteca

siquidem ita fieri solet, sicuti neque semper propriè à cognatis distinguuntur agnati. Est verò ex Lyrano, & Carthusiano haud prætereundum, quid primùm iam confecto faciendum sit. Sancti enim Raphaëlis monitum est vers. 7. *Cùm introieris domum tuam, statim adora Dominum tuum, & gratias age ipsi.* Vnde vetus alicubi mos, vt aliquam in vrbem ingressi Principes, recta ad templum deducantur: Panegyrista Pacatus: *Magnas*, inquit, *Vrbes ingressi, primùm sacras ædes, & dicata summa Numini adiistis: tum fora atque gymnasia.* Et sua in Regula S. Benedictus, *suscepti ait, hospites, ad orationem ducantur.* sed aliud obseruandum. Sunt nonnulli, qui post peregrinationem aliquam, domum vbi redierint, nihil nisi mala vel certè vana, quæ viderint & audierint imo etiam interdum falsa, narrare norunt. At Tobias vers. 19. *narrauit parentibus suis omnia beneficia* DEI, *quæ fecisset circa eum per hominem, qui eum duxerat.* Sic D. Paulus & Barnabas, cum Antiochiam Acto. 14. venissent, Ecclesiam congregassent, *retulerunt quanta fecisset* DEVS *cum illis; & quia aperuisset Gentibus ostium fidei.* Iidem Phœnicen & Samariam pertranseunt Actor. 15. narrantes conuersionem Gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Hierosolymis tacet omnis multitudo, & eosdem audit *narrantes quanta fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos.* Iterumque, post annos aliquot, cum ibidem Iacobum, aliquos seniores idem D. Paulus salutasset, *narrabat per singula, quæ* DEVS *in gentibus fecisset per ministrum ipsius.* Quid verò huiusce modi narratio proderat? *Illi*, ait D. Lucas Actor. 21. *cum audissent, magnificabant* DEVM. Huiusce modi ergo, auditoribus vtiles, Ecclesiæ, DEO que ipso gloriosæ, ab iis, qui peregrinantur, institui debent narrationes. Sed qui cum peregrinante Tobia peregrinati sumus hactenus; in ipsius aliquantulum iam domo quiescamus.

CAPVT XII.

1 VNde vocavit ad se Tobias filium suum, dixitq; ei: Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?

2 Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis eius?

3 Me duxit & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit. Gaudium parentibus eius fecit, meipsum à deuoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?

4 Sed pro te pater mi, vt roges eum, si forte dignatur medietatem de omnibus, quæ allati sunt, sibi assumere.

5 Et vocantes eum, patet scilicet, & filium: tulerunt eum in partem: & rogare cœperunt vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, accipiam habere.

6 Tunc dixit in occulto: Benedicite DEVM cœli & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.

7 Et enim sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem DEI reuelare & confiteri, honorificum est.

8 Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis, quam thesaurizare auri recondere.

9 Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitam æternam

10 Qui autem faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

11 Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem.

12 Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino.

13 Et quia acceptus eras DEO, necesse fuit vt tentatio probaret te.

14 Et nunc misit me Dominus vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem.

15 Ego enim sum Raphael angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.

16 Cumq; hæc audissent, turbati sunt, & tremente cecidерunt super terram in faciem suam.

17 Dixitque eis Angelus, Pax vobis, nolite timere.

18 Et enim cùm essem vobiscum, per voluntatem DEI eram: ipsum benedicite, & cantate illi.

19 Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.

20 Tempus est ergo, vt reuertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite DEVM, & narrate omnia mirabilia eius.

21 Et cùm hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, & vltrà eum videre non potuerunt.

22 Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt DEVM: & exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

COMMENTARIVS.

NARRATIONIS de qua dicebam; fructus, capitis huius initio proponitur. Ea siquidem senior Tobias plurimum excitatus, illico deferenda, quantam posset maximam; gratia cogitat. *Tunc*, ait textus, *vocauit ad se Tobias filium suum, dixitq; ei*, quæ sequuntur. Est verò hîc insignis sanctorum

cum istorum *gratitudo* diligenter notanda. Primò itaque sese illi debere plurimum profitentur. Deinde habent gratiam, & pro virili, referre decernunt. sed tanta illius agnoscunt merita, vt quomodo iis quadantenus respondere possint, se non videre dicant; ideoque & inter se deliberent. *Quid*, ait senior, *possumus dare viro isti sancto?* Multa de Raphaëlis ergo se meritis commemorat iunior: sed omnium maxime de religione in DEVM, vitæ innocentia, morumque sanctitate. Et quia hæc potissima hominis laus; ideo *virum sanctum* appellat senior. Recenset tamen hoc loco iunior eorum, quibus de se meritus esset optime; benefactorum septem genera, & concludit, *bonis* non aliquot tantum, sed *omnibus*, neque affecti, sed *repleti sumus per eum.* Præterea *rogat* seniorem iunior, vt Raphaëlem non simpliciter donis quibusdam afficiat: sed vt in beneficio magno & nouo reponat, si dona ille ab iis quæpiam accipiat. ideoque roget non simpliciter vt accipiat: sed vt *accipere dignetur*, quasi nouum vt dixi & valde magnum ab eo, si accipere dignaretur, beneficium consequerentur. Neque eo contenti, quòd eorum alter hoc ipsum roget; *ambo* ipsum *rogare cœperunt*, vers. 5. Et quid rogant vt accipiat? Libenter darent omnia. sed quia hoc numquam eum accepturum videbant; vt dimidium saltem omnium & seruitiorum & pecorum & camelorum & pecuniarum admittere non dedignetur, valdè obsecrant. Scribit lib. 5. Echicorum cap. 5. Aristoteles, vt beneficiorum inter homines reciprocatio excitaretur, solita, in vrbium medio, *Gratiarum templa* excitari. Sed quo in templo illustrius, gratiam referendam, referendæque modum quàm in hisce Tobiis nostris videamus? De hoc igitur nihil addam amplius, nisi pactam alioqui Raphaëlis mercedem futuram fuisse, drachmarum 42. vt ex itineris, quæ superiori capite, comparebat; ratione perspicuum: utemque ex pactione, quæ suprà cap. 5. ver. 20. in Græco textu proponitur, vt præter communes videlicet cum Tobia impensas, vnam singulis diebus drachmam Raphaël acciperet. Cum verò *drachma* duos fere nostrates batzios contineat; merces eius fuisset florenorum fere sex. Iam verò, quam hactenus induerat; personam exuere, & se suaque omnia tandem aperire incipit S. Raphaël v. 6. & *primo* quidem ad DEI laudes hortatur à dissimilibus argumentum ducendo. *Regum* arcana, seu *mysteria* (id enim valet SACRAMENTVM) *celare bonum est.* E contrario verò; DEI opera enuntianda, idque suo exemplo probat in Latino v. 11. in Græco v. 15. vbi verba ista repetit, & ex eo textu citat D. Cyprian. de orat. Dominica, & libro de mortalitate, sic enim illic: *Oranti* Cornelio *astitit angelus testimonium reddens sui operis, & dicens: Cornelii orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam coram* DEO. *Cito orationes ad* DEVM *ascendunt, quæ ad* DEVM *merita nostri operis imponunt. Sic & Raphaël Angelus Tobiæ oranti semper, & semper operanti; testis fuit dicens: Opera* DEI *reuelare, & confiteri bonorificum est. Nam quando orabas tu & Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectum claritatis* DEI. *Et cum sepelires tu mortuos simpliciter: & quia non es cunctatus exurgere & dereliquere prandium tuum, sed abiisti, & condidisti mortuum, missus sum tentare te; & iterum me misit* DEVS *curare te, & Saram nurum tuam. Ego enim sum Raphael vnus ex septem Angelis iustis, qui assistimus, & conversamur ante claritatem* DEI. Ad priorem verò partem spectat, quod tradit Gellius lib. 10. cap. 25. & Capitolinus in vita Gordianorum de Senatusconsultis tacitis; *Taciturnitas, consiliorum thesaurus. Eximia est virtus præstare silentia rebus.* Ad posteriorem, illud S. Seueri Episcopi Minoricensis in epistola suprà citata de Iudæorum conuersione; *Cum* DEI *opera reuelare & confiteri honorificum esse, Raphaël* ARCHANGELVS *monuit, profectò silere vel celare opera* CHRISTI, *periculosum est.* Stephanus Pontifex apud Rhegionem anno Domini 753. *Sicut*, ait, *nemo se debet iactare de suis meritis: sic non debent opera* DEI, *quæ in illo, per suos Sanctos, fiunt sine suis meritis, silere; sed prædicari. Sicut Angelus admonet Tobiam.* Huic olim miraculorum libelli apud Euodium & Augustinum. D. Chrysostomus orat. 5. contra Iudæos; si quid bonum, quod ad DEI & Ecclesiæ gloriam, proximique ædificationem faciat, intelligamus, id vt apud omnes proferamus, magnopere hortatur; *Ideo*, ait, *moneo, vt illos rumoret angelus, qui res nostras attollunt, magnasque videri faciunt: nõ autem illa fratres exaggeremus, quæ cotesdalitatis dædala effundant. Contra; si quid audierimus bonum, apud omnes proferamus: si quid verò mali prauique, apud nosipsos occultemus, tdq; vt tollamus, nihil non faciamus.* Galenus certè lib. 7. de vsu partium c. 1. religionis opera vult palam esse, non Eleusiniorum, & Samothraciorum mysteriorum instar, occultari. *Secundo* bonorum operum fructum ostendit S. Raphaël. *Primo generatim* & per cõparationem v. 8. Rursumque à contrario v. 10. vbi planè asseritur, quod à Dauide olim, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*: & à Salomone Prouerb. 1. *Vsquequo stulti, quæ sibi nociua sunt, cupient?* rursumque postea à CHRISTO Domino Iohan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Si depalmet quis quempiam, si vulneret, si occidat, eius hostis habetur. Quanto ille maior terrorque animæ suæ hostis, qui perpetuis eam tormentorum malleis contundit: qui vulneribus, quæ curari numquam poterunt, afficit: qui morte, cui resurrectio nulla superest, tum clar, æternumq; in tartaro sepelit? In illa vero celebri sententia; *Bona est oratio*: Græcè additur, & IVSTITIA. Sed vt sæpè alias, ita etiam hæc in Hebræo, pro misericordia & eleemosyna, ponitur *iustitia.* Et notanda operum istorum societas, non quod numquam esse debeat oratio, quin simul quilpiam ieiunet, iejunet, supplet, aut contrà, sed quod hæc vnà fissimè iungantur. Alioquin sententia patet esse, Bona est oratio, & ieiunium, & eleemosyna, quia tria hæc Tobias & Sara, vt suprà patuit, crebro admodum colere, vnaque consociare solebant. Prior tamen sententia, vt simplicior, & textui conuenientior;

ita Theo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita Theologis etiam fere omnibus, sanctisque Patribus receptior est. Ideo enim aiunt quidam, duabus in cœlum alis surrigi, humoque attolli orationem, ieiunio & eleemosyna. Pulchrè tomo 6. sect. 9 problemate 417. Franciscus Georgius. *Cur oratio cum eleemosyna & ieiunio (Raphaele teste) Deo gratissima est? An, quia cum oratio sit (vt Damascenus inquit) eleuatio mentis in* DEVM, *tanto magis mens ipsa eleuatur, quanto orans à grauaminibus expeditior existit? Duo enim sunt grauamina, quæ vrtalitas valde deprimunt: oblectamentum carnis videlicet, & terrenorum affectus. Illud autem, grauanti corpori animam subijcit, & hic fœtibus terræ ipsam animam suffocat. Hinc ab vtroque expeditus homo facilius ad* DEVM *mente conscendit. An, quia si oratio eleemosynæ associetur, operi charitatis* DEO *gratissimo coniungitur: & si ieiunium addatur, quantò magis animalis homo per ipsum debilitatur, tantò magis spiritualis roboratur? Hæ igitur, tanquam duabus alis, euolat oratio.* Ita ille. Sed, è veteribus ad tria ista connectenda hortantibus, argumentum ex isto ipso loco promentem D. Cyprianum libentissimè quis non audiat: Is ergo libro iam antea citato de oratione Dominica; *Orantes*, ait, *non infructuosis, nec nudis precibus ad* DEVM *veniant, inefficax petitio est, cum precatur* DEVM *sterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur: vtique & sermo non habens fructum, promereri* DEVM *non potest, qui nulla est operatione fecundus. Et ideo scriptura diuina instruit dicens: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Nam qui in die iudicij præmium pro operibus & eleemosynis redditurus est; hodie quoque orationem cum operatione venientis benignus auditor est.* Et libro de opere & eleemosyna: *Numquam*, ait, *fratres dilectissimi, admonitio diuina cessauit, numquam & tacuit, quo minus in scripturis sanctis tam veteribus, quã nouis, semper & vbiquè ad misericordiæ opera,* DEI *populus prouocaretur: & canente atque exhortante Spiritu Sancto, quisquis ad spem regni cœlestis instruitur, facere eleemosynas iubetur.* Et cum Isaiæ cohortationem è cap. 58. attulisset; pergit porro. *Remedia propitiando* DEO *ipsius* DEI *verbis data sunt: quid deberent facere peccantes; magisteria diuina docuerunt. operationibus iustis* DEO *satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari. Et apud Salomonem legimus: Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Et iterum: Qui obturat aures, ne audiat imbecillum, & ipse inuocabit* DEVM, *& non erit, qui exaudiat eum. Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit; aut impetrabit de diuina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod item in Psalmis Spiritus Sanctus declarat & probat dicens: Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Quorum præceptorum memor Daniel, cum Rex Nabuchodonosor aduerso somnio territus æstuaret, pro auertendis malis, ad diuinam opem impetrandam remedium dedit dicens: Propterea Rex cõsilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniustitias tuas miserationibus pauperum, & erit* DEVS *patiens peccatis tuis. Cui Rex non obtemperans, aduersa quæ viderat, & infesta perpessus est: quæ euadere & vitare potuisset, si peccata sua eleemosynis redemisset; Raphael quoq; Angelus paria testatur, & vt eleemosyna libenter ac largiter fiat, hortatur dicens: Bona est oratio, cum ieiunio & eleemosyna: quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. Ostendit orationes nostras, ac ieiunia minus posse, nisi eleemosynis adiuuentur. Deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum & operum accessione farciantur. Reuelat Angelus & manifestat, & firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculo redimi, eleemosynis à morte animas liberari.* Insignis profecto & tanto patre digna oratio. Sed ecce tibi è transuerso Vrbicus nescio quis apud maximum D. Cypriani præconem, D. Augustinum epistola 86. Contendebat ille, ex hac Angeli voce, Sabbatis omnibus ieiunãdum. Quid verò ipse respondet Augustinus? An, vt hæretici nostri assolent, libri huius auctoritatem eleuat & contemnit? Alia ei longe mens. Sed cum sermonis aut scriptionis mendum quoddam notauit, duo respondet: Primo ieiunium hic vniuersè commendari, non autem precisè Sabbathi ieiunium; vt id obseruatu Christianis omnibus necessarium. Deinde, etiamsi hoc ieiunij sacrificium aliquando intermittatur, negat nullum idcirco aliud esse, quod DEO gratum sit, sacrificium, cum, aduersario etiam annuente, nullum die dominico esset ieiunium: & maximè tamen laudis tùm sacrificium esset. Sunt autem hæc in epistola illa citata verba. *Cur*, inquit Vrbicus, *sacrificium potieri domino charum murmuramus offerre, quod spiritus desiderat, & angelus laudat? Deinde adiungit Angeli testimonium dicentis: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna. Quid dixerit, potiori Demino, nescio, nisi forte scriptor erranit, & te fugit, vt quod mihi legendum misisti, non emendares. Sacrificium ergo Domino charum ieiunium vult intelligi, quasi de ieiunio verfetur hæc quæstio, & non de ieiunio Sabbati. Neque enim Dominicus dies sine sacrificio, quod* DEO *charum est, peragitur, quia non ieiunatur.* Angelus vero præterea bonorum operum studium speciatim commendat, ver. 12. quod DEO, Angelisque ipsis gratissima sint: adeo vt hæc illi spectent libentissimè, iis adsint, ad illum ab iis perferantur. Sed de hoc disputatum supra pluribus cap. 3 Nunc Angelica illa vox ver. 13 demittatur in pectus altissimè. *Quia acceptus erat* DEO, *necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Alia è diametro nobis plerisque ratiocinatio. Quia quis DEO acceptus est, ideo ab omni tentatione, miseria, rerumque difficultate immunem esse debere statuimus. At vero Angelus. non simpliciter ait, *decuit te tentari*, seu malis quibusdam exerceri: sed *necesse fuit*. idque, *quia acceptus erat* DEO. Et vero ita etiam S. Paulus Actorum 14. v. 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum* DEI. 2. Timoth. 3. ver. 12. *Omnes, qui pie volunt viuere in* CHRISTO IESV, *persecutionem patientur.* Sed & Romanum sapientem audi. libro de prouidentia. *Virum bonum parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut seueri patres, durius educat.*

Itaque cum videris bonos viros acceptosq; Diis laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lasciuire, & voluptatibus fluere: cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia. illos disciplina tristiori contineri, horum malt audaciam. Item tibi de DEO *liqueat. Bonum virum in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat.* Et postea. *Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari iubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoq; diebus non patiuntur esse otiosos, & sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt, matres fouere in sinu, continere in vmbra volunt: numquam flere, numquam tristari, numquam laborare: Patrium habet* DEVS *aduersus bonos viros animum, & illos fortius amat: &, Operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur: Languent per inertiam saginata: nec labore tantum, sed mole & ipso sui onere deficiunt. Non fert illum ictum illæsa felicitas. At vbi assidua fuit tum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit: sed etiam si ceciderit, de genu pugnat.* Sed hisce de rebus non pauca iam superiùs dicta capite 1. 2. 4. 11. Quæstiunculis iterum aliquot excutienda hîc nonnulla.

QVÆSTIVNCVLA I.

Sintne septem Angeli coram Domino astantes? v. 15.

RVRSVM Wittakerus contra Edmundum fol. 17. *Illum*, ait, *Tobiæ Raphaelem minimè morantur, nec illos septem Angelos agnoscimus, quorum ille meminit.* Sed effutitur istud ab eo *impiè & imprudenter. Impiè* quidem, quia contra disertas scripturarum diuinarum voces, Apocalyp. vers. 4. cap. 4. *Gratia vobis & pax, ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est. & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* Et cap. 3. *hæc dicit qui habet septem spiritus* DEI. Et cap. 5. vers. 6. *Vidi agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus* DEI, *emissi in omnem terram.* Sunt & istis consentanea plura cap. 15. 16. 17. Apud Zachariam cap 3. vers. 9. *Ecce lapis, quem dedi coram* IESV, *super lapidem vnum septem oculi sunt*, qui capite sequenti vers. 10. ita explicantur. *Septem isti, oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* En Angeli septem, quos, contra sanctissima pietatis nostræ monumenta, hæreticus negauit. *Imprudenter* verò etiam loquitur, primò, quia hæretici, quod quidem sciam; omnes, Zachariam admittunt & ipsam etiam Apocalypsin Caluiniani, ideoque contra suos omnes ista imprudens effutit. Deinde quia & contra magnum doctorem suum Bezam agit, qui Apocalypsis primo, septem hosce spiritus ait esse *diuinæ Maiestatis stipatores.* Dicat fortè tamen quispiam, ipsos Apocalypseos & Zachariæ septem spiritus, non esse septem istos *Angelos.* Sed clarè Apocalypseos 15. & 16. *Angeli* vocantur. Et quemadmodum Apocal. 1. dicuntur *esse in conspectu throni*: ita etiam hoc loco, *astare ante* DEVM. Rursumque secuti Apocal. 5. dicuntur isti spiritus *in omnem terram emissi*: ita & Zachariæ 4. *in vniuersam terram discurrunt.*

QVAESTIVNCVLA II.

Possitne, per septem Angelos, aliud quiddam intelligi?

CVM iidem sint hi septem Angeli, qui apud S. Ioannem & Zachariam septem spiritus, fit vt quod de spiritibus istis asseritur, hoc in Angelos istos septem conferri videatur. Trifariam verò spiritus illi exponuntur. Nam *primò* S. Ansberto, Bedæ, Ruperto, Haymoni, Diui Thomæ Ambrosiano Commentatio in Apocalypsin, *septem spiritus*, sunt ipse *Spiritus sanctus*, qui ob septem illa gratiarum dona, quæ donare solet; septenario numero appelletur septem spiritus. *Secundò* ea ipsa *septem dona*, septem spiritus vocantur à Victorino martyre, doctoribus etiam vetustis Hebræis & Ecclesiasticis apud D. Hieronymum in Zachariæ caput quartum. *Tertiò* demum S. Anselmus tam *Spiritum* sanctum, quam septena eius *dona* interpretatur septem spiritus. Hæ tamen expositiones mysticæ potius videntur. Alioquin ipsum *Angelorum* nomen repugnat. Neque enim Spiritus sanctus Angelus est, neque ipsius charismata vel Angeli sunt vel vnus quispiam septiplex Angelus est. Deinde ita isti spiritus describuntur, vt *supposita*, quemadmodum Theologi appellant, & personæ quædam omnino sint. Sunt enim in conspectu DEI Apocalypseos 1. astant, Tob. 12. discurrunt, Zachariæ 4. plagas habent nouissimas Apocalypseos 15. phialas diuinæ iræ effundunt, cap. 16. vestiuntur lino mundo, & candido, præcinguntur circa pectora zonis aureis, Apocalypseos 15. loquuntur cap. 16. & 17. vigilant, excubant, & dimicant. Ideo enim oculi & cornua vocantur Apocalypseos 5. & Zachariæ 4. Quomodo ergo non personæ? Numerus eorum septenarius recensetur, & eorum vnus ab aliis omnibus distinguitur, quomodo non personæ plures? Iam verò in DEI conspectu sunt & astant, velut eius administri & apparitores. An in Spiritum sanctum, vel eius dona id cadet? Non ipse Spiritus sanctus in throno considet, Patri & Filio æqualis? Vidit hæc Aretas in Apocalypsin, omninoque veros Angelos esse septem spiritus pronunciauit. Atque vt conticescat Wittakerus coram Magistro discipulus; suum rursus Bezam ita loco citato scribentem legat. *Quod septem hos spiritus nonnulli pro Spiritu sancto acceperunt, cuius septiformis sit gratia, manifestè refelli potest, vel ex eo quod scribitur Apocal. 5. ver. 6.*

QVAE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA III.

Possitne, per septenarium istum, numerus alius intelligi?

CONSTAT duobus modis numerorum nomina quædam vsurpari. Primò, vt definitè numerum, qui exprimitur, significent. Deinde vt alium aliquem indefinitè, quemadmodum de septenario monet D. Augustinus cap. 35. lib. 3. de doctrina D. Hieronymus in Isaiæ cap. 54. Lyranus ergo, Carthusianus, & Hugo septenarium hic indefinitè, pro maximo quolibet numero accipiendum censent. Ribera verò in Zachariæ 3. & Apocalypsis primum, definitè. idque meritò. Quoties enim numerus quispiam sæpius, eâdem appellatione, diuersis in locis, adhibetur, definitè propriéque accipi solet, in re præsertim historica, cuiusmodi hoc loco est. ideoque septem propriè Angeli huiusce modi sunt. Huic tamen septenario videtur officere non parum ille à Sancto Paulo Rom. 16. salutatus Hermas, dum *senarium* is tantummodo constituit lib. 1. visione tertia. Cum enim turrim, quæ DEI Ecclesia est, magnam super baptismi aquis, à sex iuuenibus multisque virorum millibus ædificari vidisset, & hosce quidem esse Angelos, qui lapides vndique aptos afferrent, illisque iuuenibus traderent; intellexisset, eam, quæ visum istud obiiciebat; dominam interrogauit. *Illi iuuenes sex, qui ædificant, qui sunt, domina? Respondit illa: Hi sunt Angeli* DEI, *qui primò constituti sunt quibus tradidit dominus vniuersam creaturam suam struendi, ædificandi & dominandi creatura illius. Per hos enim consummabitur structura turris.* Et lib. 3. similitudine 9. *Ecce* ait, *vidi venisse sex viros excelsos ac venerãdos & omnes similes vultu, & vocasse quandam multitudinem virorum, & hi, qui venerant vocati ab illis, & ipsi quoque excelsi & fortes erant. Iusserunt autem illi sex, eos turrim quandam super portam ædificare. Iterumque, sex illi iusserunt, vt ex quodam profundo lapides attollerent, & in ædificationem turris præpararent.* Et deinceps plura iidem *viri sex* imperant. Tandem vero visio tota exponitur. *Qui turrim istam, quæ Ecclesia est, ædificant, omnes Angeli sunt dignitate venerandi. His veluti muro cinctus est dominus. Ille præcelsus & magnus, qui in medio sex virorum, circa turrim ambulauit; filius* DEI *est:* & *illi sex, Angeli sunt dignitate conspicui, dextra lauaq; eum circumstantes.* Ita Hermas, qui an sit ille, cui dicit Apostolus salutem, disputationis alterius est; nunc quasi is ipse esset, respondeo. Sex illos non ita nominari, vt absit septimus; quin vero hunc etiam illis adesse, sed illos quidem suam ipsos gerere personam, hunc alienam. ipse siquidem modo Ecclesiam, modo CHRISTVM Dominum præsentem refert, quemadmodum Exodi 3. & 19. ille, qui Angelus cum esset, vt ait S. Stephanus Actor. 7. & illic septuaginta Interpretes. Dei tamen vices tùm obibat & dicebat. *Deus patris tui, Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob.* Vnde lib. 3. similitudine 9. is, qui Herman erudiebat; *Volo, ait, ostendere tibi, quæcunque spiritus tibi ostendit, qui in effigie Ecclesiæ locutus est tecum.* Et postea, vti paulo ante audiebamus. *Ille præcelsus & magnus, qui in medio sex virorum, circa turrim ambulauit, & lapides de structura reprobauit, filius* DEI *est.* ideoque & residui seni Angeli huius vnius latera vtrimque claudunt, & eum magnopere obseruant ac reuerentur. Quo etiam forte modo conspicuum sese D. Iohanni dat Apocalypseos 1. vet. 17. ille *similis filio hominis*, in medio septem candelabrorum. cum iste tamen, ex hisce septem vnus esset, quemadmodum in militum decuria ipse decurio, decimus est. & in quinquagenario Atheniensium numero, eorum præfectus non extra numerum est, sed quinquagesimus.

QVÆSTIVNCVLA IIII.

Sintne, Angeli vniuersi plures quam septem?

VNICVM tantummodo Angelum esse, somniarunt olim hæretici quidam apud Dionysium Carthusianum 2. sentent. distinct. 3. q. 3. & tribuunt Scholastici quidam eam Ioanni Bacono sententiam, vt septem statuat Angelos, plures omnino negetque citantque quæstionem eius primam lib. 2. sententiarum, dist. 10. Sed inibi horum nihil comparet. Sequenti tamen distinctione significat quidem ille, Angelorum numerum paruum videri: non tamen septenarium tantum affirmat. Septenario tamen isto numero maiorem non admitterent, qui cœlos tantum septem arbitrarentur, simulque eam Aristoteleorum quorumdam sententiam tuerentur, quæ censet tot tantum esse Angelos, quot cœli sunt qui ab illis moueantur. Sed, missis de cœlorũ numero & motore quæstionibus, tam diserte maximum Angelorum numerum oracula diuina enunciant, dubitari vt nefas omnino sit. Nam Daniel is 7. *millia millium ministrant* DEO, *& decies millies centena millia assistunt ei.* Iob. 25. *Numquid est numerus militum eius?* Psal. 67. *Currus* DEI *decem millibus multiplex millia lætantium.* quod vertit Chaldæus, *Currus* DEI *multiplicitèr viginti millia & millia Angelorum.* Matthæi 26. *plusquam legiones 12.* Lucæ 2. *facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantiũ* DEVM Apocalyp. 5. *Audiui vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium.* Maximam videlicet multitudinem hæc *exercitus* & *militia* cœlestis nomina important locis iam citatis, & *castra* DEI Genesos 32. Et cum Dæmones tam numerosi sint, vt in homine vno *legio integra* esse potuerit,

Marci 8.

Marci 8. Lucæ. 5. quanto bonorum sanctorumque Angelorum erit multitudo? Videantur Patres D. Hieronymus in Danielis 7. & 10. D. Gregor. 17. Moralium, cap. 7. Nyssenus libro de opificio hominis. Dionysius cœlestis Hierarchiæ, cap. 4.

QVÆSTIVNCVLA V.

Quot Angeli plures, quam septem?

NVMEROSÆ admodum de Angelorum numero sunt opiniones, è quibus 15. vel 16. operæ fuerit pretium audire. *Prima*, æqualem hominum & Angelorum numerum ait apud authorem quæstionum ad Antiochum. *Secunda*, minorem hominum numero, apud Guilhelmum Parisiensem lib. 2. de vniuerso & Magistrum sententiarum lib. 2. distin. 11. *Tertia*, esse maiorem hominum numero decem partibus apud S. Brigittam in Reuelationib. *Quarta*, maiorem eorundem hominum numero nonagintanouem partibus, apud eundem Authorem quæstionum ad Antiochum Cyrillum Catechisi 15. *Quinta*, orbibus cœlestibus parem Angelorum esse numerum. Aristot. libro 12. Metaphys. R. Mose libro 2. More, cap. 7. *Sexta*, esse omnes numero 1006 35072. apud Cabalicos Rabinos, vt ait Archangelus in Commentario dogmatum Cabalisticorum. *Septima*, parem esse stellis apud eundem Archangelum. *Octaua*, tot esse præcise Angelos, quot apud Danielem c. 7. numerantur. *Nona*, omnia bonorum & malorum Angelorum plena esse apud S. Chrysost. homilia de Ascensione. *Decima*, esse infinitos, prout refertur & damnatur in articulis Parisiensibus. *Vndecima*, esse plures in dimidiis speciei cuiuslibet. *Duodecima*, tantum esse numerum, quantus Arithmeticus vllus numerus est, qui hominum vsu teratur apud D. Hieronymum Danielis 7. & Guilhelmum Parisiensem loco citato. *Decimatertia*, tot esse, quot rerum omnium corporearum individua sunt. *Decimaquarta*, quantò maiora cœlorum corpora sunt, sublunaribus corporibus, tanto esse ampliorem angelicarum naturarum numerum, rerum omnium inferiorum numero. *Decimaquinta*, esse innumerabiles, non quòd infiniti sint, sed quòd eorum à nobis numerus iniri non possit. Quod sanè verissimum esse, indicat vel ipsa duntaxat numerorum diuersitas quę in scripturis proposita est: In ea siquidem numeri certi pro incertis ponuntur, minores pro maioribus: ita vt præcise, quanto septenarium numerum superent, hominum calculo nullo subduci possit. Et sanè, tanta eos puranda disputandique varietas, quid nisi humanam inscientiam nostram profitetur?

QVAESTIVNCVLA VI.

Ex innumerabili Angelorum numero, cur septem potissimum tradantur, quid veteres, quid recentiores?

VARIA prisci quidam hæretici de septem Angelis apud S. Epiphanium tradiderunt. Etenim hæresi 23 *Saturnilus*, ab Angelis septem, mundum, & quæ in eo sunt, facta negabatur. Idemque ipse & eius frater *Basilides* hæresi 24. mundum septem in partes diuidebant, & Angelorum istorum cuilibet partem, sorte veluti missa tribuebant. *Nicolaita* verò hæresi 25. similia communiscebantur, & apud Philastrium septem Dæmoniorum spiritus, è muliere nescio qua, cum Diis hominibus, Angelisque aliis natos fabulabantur. *Marcosij* apud eundem Epiphanium hæresi 34. septem cœlos, septemque virtutes, quæ DEVM glorificent, aiunt, quæ etiam Græcorum istis septem vocalibus significentur, α. ε. η. ι. ο. υ. ω. *Archontici* verò, septem similiter cœlos fabricantur, & in eorum singulis principem vnum, omniumque summum vocari *Sabaoth*, qui diabolum genuerit, diabolus verò Cainum & Abel. Verum ex Geneseos principio, vbi non Angeli, sed DEVS *creat cœlum & terram*, euanescunt ferè hæc omnia. Nostro autem sæculo *Franciscus Georgius* tomo 6. problemate 186. septem eos planetis præpositos autumat, eos vt regant, & per canales nescio quos, cœlestium ad nos fluxum influxus deriuent. *Cornelius* verò *Agrippa* libro 3. de occulta philosophia, cap. 24. antiquam esse Rabinorum opinionem tradit, septem Angelos septem planetis præsidere, cumque eos, prout alia quæstione infra dicetur; nominaller, huiuscipse opinionis subscribens: *Sunt*, ait, *septem spiritus illi septem, qui semper astant ante faciem* DEI, *quibus creatura est disposita regni cœlestis & terreni, quod sub orbe Lunæ est. Hi enim (vt dicunt secretiores Theologi) omnia regunt vicissitudine quadam horarum, dierum & annorum: quemadmodum de planetis, quibus præsunt, tradunt Astrologi: quos Trismegistus Mercurius idcirco vocat septem mundi gubernatores, qui per cœlos, tanquam per instrumenta, concentum omnium stellarum & signorum influentiæ, eam in hæc inferiora distribuunt.* Iouantes verò Tritemius integrum etiam libellum, quem Imperatori Maximiliano primo dedicat, de septem secundeis, id est, intelligentiis siue spiritibus orbes post DEVM mouentibus, posteritati tradendum putauit, in cuius initio ita loquitur: *Veterum sententia est plurimorum, sapientissime Cæsar, mun-*

sar, mundum hunc inferierem, ordinatione primi intellectus, qui DEVS *est, per secundas intelligentias gubernari, quorum opinioni Conciliator assentiens Medicorum, dicit septem planetis spiritus septem, a principio cœli & terræ, præfectos. quorum vnusquisque mundum annis gubernat trecentis quinquaginta quatuor, mensibusque ex ordine quaternis. Huic positioni complures viri doctissimi hactenus præbuere consensum.* Totoque libello singulis istis septem spiritibus annos illos suos 354. eorumque effecta persequitur & vicissitudine, successioneque perpetua, rem eò totam deducit, vt, cum anno Domini 1508. scribedi 6732. mense 4. die mensis Iunij 4. siue anno Domini 1525. sicque mundum ab eo gubernandum, vsque ad mundi annum 7086. & mensem octauum, siue vsque ad annum Domini 1879. mensem vndecimum. Atque ad hanc opinionem, cum solam libro toto explicandam, neque verbulo vllo confutandam, aut improbandam dixerit, quin verò potius eam passim laudet atque comprobet, quin & ipse adhæserit, vix dubitarem, nisi verum esse mallem, quod in principio illo subiungit, eam se positionem non asserere, sed referre. Et sub finem; *Non*, ait, *hæc assertiue scripsi, sacratissime Cæsar, quibus, cum iniuria orthodoxæ fidei, nulla est ratione credendum.* Iterumque vehementius: *Manu, fia credit Catholica. cætera vt vana, conficta, & superstitiosa refuto & contemno.* Veteres porro sancti Papossit, deinceps inquiram.

QVÆSTIVNCVLA VII.

De septenarij Angelorum numeri causa, ecquid videatur?

VELLEM, quam multos, & cascos & nuperos licuit, tam quoque bonos grauesque sententiæ huius auctores proferre licuisset. Minus vtique iam laboris, plusque multo veritatis obtingeret. *Duo* autem hac in quæstione statim video. *Vnum*; posse *generalem* quandam numeri huius *causam* afferri, & vt mihi quidem videtur; certò satis & probè. nimirum, vt septem isti præ Angelis aliis, singulatem quanta præstantiam obtineant. Cum enim non Angeli modo, sed & creaturæ omnes, ante DEI faciem suo modo stent, omnesque ad minimum eius nutum, eant redeantque, & vti apud Iob est cap. 38. ver. 35. dicant; *Adsumus*, præcipuæ cuiusdam dignitatis est, hos dici astare ante Dominum. Nam quemadmodum præstantiore modo ante illum astant res animatæ quam inanimæ, homines quam pecudes, boni homines quam mali, Angeli quam boni etiam homines, ita & isti septem quàm Angeli alij. Declarat hoc textus Hebræus, qui, hoc in capite, septenarij numero nomineque omisso, Raphaelem ita loquentem facit. *Ego sum ex principibus.* Nota *ex principibus.* Significatur enim eos, quos alij *septem* dicunt, eos cœlestes esse principes, præstantia quadam insigni Angelis aliis præcellentes. Atque ita sentiunt Aretas in Apocalypsin, S. Irenæus apud eundem, Clemens lib. 6. stromatum. *Septem*, ait, *sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes, & per quos* DEVS *omnibus hominibus prouidet.* Videatur & S. Hieronymus in Ephesiæ caput secundum, lib. 2. contra Iouinianum, in Isaiæ cap. 10. in Psalm. 153. Alterum, quod ista in quæstione video; est, posse deinceps quæri amplius, ecquænam vero hæc ipsa eorum præstantia sit, & vnde petatur? Ad quod equidem, quod firmè, constanter, indubieque respondeam, non item video. M. Varro in primo librorum, qui inscribuntur *hebdomades*, vel *de imaginibus*, septenarij, vt ait Gellius lib. 5. cap. 10. numeri, quem Græci ἑβδομάδα vel ἑβδομάδα appellant; virtutes potestatesque multas, varias dicit. idemque monet Cicero in somnio Scipionis, Macrobius in illud, Plato in Timæo, adeo vt à Pythagoræis non ἑπτὰς sed σεμνὰς vocaretur quasi venerabilis numerus. Eundem Cõstantini Panegyrista, itemque D. Hieronymus in Matthæi cap. 15. perfectum sacratumque numerum nuncupat, & in Amos. cap. 5. ex Hippocrate, aliisque commendat. vberius etiam S. Cyprianus lib. de exhortatione martyrij. Clemens loco citato, & apud eum Berytius, Laurentius. Andreas lib. 2. Anatomiæ cap. penult. Leuinus lib. 2. de naturæ mirac. Posset ergo aliquis, vel ob ipsarum quæ eo numero comprehendantur; quibusque Angeli isti præsident, rerum quarundam excellentiam & dignitatem; suspicari, septem istos Angelis aliis præstare: verbi causa, hos Spiritus Sancti septem donorum, quæ suprà quidam spirituum istorum nomine afficiebant, curam gerere, vtà diuina maiestate impetrentur, nobis communicentur, fructum in nobis edant. Rursum, præcipua quadam ipsos potestate diuinitus auctos ad septem lethalium peccatorum vim frangendam, eorumque auctores & concitatores diabolos retundendos ac profligandos. Alius; Solis, Lunæque, cæterorumque errantium syderum pulchritudinem cursus effecta suspiciens, in eam, quæ superiore quæstione recensita est; opinionem eat potius, dicatque septem istis cœlorum corporibus septem istos Angelos meritò præfectos.

Posset

Posset etiam quis ratiocinari septem istos coram DEO astantes, esse vel alios atque alios, vel eosdem. Si alij atque alij essent, vel, in orbem, DEO astarent, quemadmodum conuiuia forte secundum hebdomadis dies, filij Iob dabant: vel, arbitratu diuino, aliter, rursumque vt vel ex ordine vno essent omnes, vel è pluribus, verbi gratia, è duobus, tribus aut pluribus vsque ad septem. Nam D. Hieronymus in Isaiæ caput tertium Hebræos laudat, qui sentiant, alio atque alio tempore, modo hos modo illos Angelos ministrare. Si iidem essent, vel ex vno similiter ordine, vel ex pluribus, itemque vel in orbem ministrantes, vel arbitratu diuino aliter, vt vel simul omnes semper astent, vel ordine fixo statoque nullo, sed tantum prout à DEO iussi fuerint. Posset inquam ita de his variè secum quispiam philosophari.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

De eadem septenarij Angelorum numeri causa quid adhuc pressius?

QVÆ cogitanti occurrerunt, *tria*, vt melius ab aliis quiddam discere aliquando liceat; effari iam conabor.

PRIMVM est, certi mihi nihil esse, maloque cum Ariopagita Dionysio cœlestis Hierarchiæ cap. 6. D. Augustino Enchiridij cap. 56. insciiam fateri, quam, cùm aliis in rebus, tùm in cœlestibus istis, temerè quicquam constituere. Potest enim aliqua esse gratiarum diuersitas, quæ nobis ignota sit, vt in simili quodam numero loquitur D. Hieronymus in Isaiæ caput 17. *Magis in situ* ait S Augustinus l. contra Priscillianistas & Origenistas cap. 9. *temeraria præsumptio, quam cauta ignoratio culpanda videtur. Vere siquidem sancta spiritalis creatura in* DEI *secreto atque occulto ministerio constituta est*, vt idem ait lib. 1. Retract. cap. 11.

ALTERVM est, videri septem horum spirituum & numerum & præstantiam, eo tempore diuinitus patefactam fuisse, cum eorum aliquam similitudiuem in Persicorum Regum aula Israelitæ vidissent, prout Esther primo patebit. Nam non nisi post Assyriæ, Mediæ, Persicæque Monarchiæ aspectum, hic in sacris Hebræorum libris Angelicus numerus est, & sicuti apud Zachariam hi dicuntur *oculi*, sic apud Persarum Reges, præstanti dignitate quidam fuerunt, qui dicebantur, *oculi & aures*, Xenophonte lib. 8. teste, Aristide oratione Panegyr: Dione Chrysostomo orat. 3. de regno, Tzetze Chiliad. 10. cap. 350. Quid, quod & *cornua*, in Parthorum regum capitibus, aurea, initio lib. 19. Amianus ostendit? Apud Herodo. lib. 6. *Crium* seu Arietem, cui præferrata cornua sint; legimus, vt non miremur si & isti septem Angeli apud eundem Zachariam *cornua* vocentur. Solet enim diuina bonitas retrusa & supera illa, ingeniorum nostrorum infirmitati, per ea quæ sub sensus cadunt, explicare, rituumque & locorum rationem interdum habere: quemadmodum quia parabolis oblectabatur Syria, non nisi in parabolis eis CHRISTVS Dominus loquebatur Marci 4. ver. 34. vt obseruauit S. Hieronymus in Matthæi cap. 18. & ideirco etiam diuinæ Maiestati thronus & sceptrum in scriptura tribuitur. Quid, quod idem S. Hieronymus in Ephesiam cap. 2. dicit, videri D. Paulum dominationes, potestates, thronos, Angelos & Archangelos, ex traditione, vel etiam ex mystica principum, qui in scripturis describuntur; intelligentia percepisse ac tradidisse.

TERTIVM demum, quod effari statueram; est, si è septenariis omnibus excellentiis, quas legere, aut cogitare potui, eam, in qua veritatis plus putarem, deligendi mihi optio daretur; excellentiam ego illam septenariam deligerem, quæ à septem iis virtutibus ducitur. quæ homini humanum vitæ huius cursum peragenti, ad æternam salutem in primis necessariæ sunt. vt videlicet istorum Angelorum opus præcipuum sit, ad illas homines adducere, cohortari, & iuuare. idque & contrariis omnibus aduersari ac obsistere. idque hoc modo, vt singuli quidem ad omnia, quæ DEO grata norunt, inuitarent, opemque ferrent, singulorum tamen vna veluti princeps cura & opera in earum virtutum vna excitanda, custodienda & amplificanda consumeretur. Virtutes porro illæ sunt, fides, spes, charitas, prudentia, iustitia temperantia & fortitudo, vel quæ vitiis capitalibus opponuntur, animi demissio, liberalitas, castitas, cæteraque chori eiusdem ornamenta, vel quæ in Theologia vocantur, septem dona Spiritus Sancti; ita vt, ad suam hanc Spartam exornandam, habeant singuli quam plurimos alios cœlestes spiritus. quos vel ministros huc illuc ablegent: huic vel illi homini adiungant: huic aut illi procurationi præficiant, prout ipsis suum ad munus recte obeundum expedire visum fuerit. Cum enim antea constitutum sit, septem capitalibus vitiis, septem sub Lucifero, dæmonas propositos, qui, pro immani suo in homines furore illa concitent, vrgeant, amplificent, cur ex omni Angelorum numero, septenos itidem, sub summo Imperatore DEO, principes non arbitremur, qui, pro eximio suo in homines studio, eos ad nobilissimarum virtutum amorem excitent, à contrariis illis vitiorum monstris abstrahant, eorum authores & Reges dæmonas compescant, impediant, exterminent? An ad exitalem per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lem illuni perdendarum animarum finem, inter immaniſſimas iſtas Orci belluas, conſpiratio & concordia quædam veluti politica & regalis coaleſcere potuit, inter ſanctiſſimas cœlorum mentes ad æternam hominum procurandam ſalutem, amicitia, fœdus & politia multò præſtantior & auguſtior non exiſtimanda? Sane apud Iſaiam cap. 33. angelos quosdam, *pacis angelos* nominari videmus, & apud citatum antea Hermani lib. 1. cap. 12. iterumque poſtea non ſemel *angelum pœnitentiæ præpoſitum*. Cur, niſi quia hic ad pœnitentiam, illi ad pacem potiſſimum, peccatores, & diſſidentes homines vocabant? Septem ramorum *candelabrum* in tabernaculo Exodi 25. & in Apocal. c. 1. *Candelabra ſeptem*, non ſeptem Angelos, qui virtutum ſplendore orbem illuſtrent; notant? De funeſtis verò illis dæmoniorum Regibus dicebam, ſorte in totum orbem ſingulis eſſe poteſtatem, demandatas ipſis ſcelerum peſtes diſpergendi & adaugendi: forte in certas tantum regiones & prouincias. num de bonis ſanctisque iſtis angelis idem videtur? num eorum ſingulis in totum terrarum orbem, quoad demandatæ honeſtatis functionem; ius eſt? an certis potius oſtendit Rabbi Ioſeph Camius in Pſal. 47. ver. 2. *Creator excelſus mundum creans, diuiſit illum in ſeptem partes, quæ vocantur Arabice*, ait, *aclimim, Græcè climata, & in lingua ſancta nophoth. & quodlibet clima proprium habet aerem.* Huc tamen animo potius rapior, vt nullis regionum vllarum limitibus eorum circumſcribatur imperium & auctoritas, ſed longè lateque omnes in oras & terras proferatur: vbique ad veram honeſtatem & officium mortales muitent: contra dæmonum hominum liberum ſinit arbitrium; diſſipent & confringant. Nihil enim cauſæ eſt, cur eorum antibus ſplendidiùs aliquid philoſophari non liceat? vt dignitatis videlicet plus obtineant multorum, dum cap. 4. *per vniuerſam terram* diſcurrere oſtendit. quin ille iam ſemel iterumque citatus Hermas, dum lib. 1. viſione. 3. *vniuerſam iis terram* traditam memorat. Quid quod Epiſcopis olim diaconi ſeptem, qui, eorum in diœceſi tota oculi dicebantur; aderant? At Epiſcopus omnium maximus, DEVS eſt: eius diœceſis mundus totus, in quo, vt ſupra etiam ex Propheta dictum; ſeptem hi ſpiritus oculorum vice quadam funguntur. non quòd ius, vti homines Epiſcopi; egeat: ſed eandem ob cauſam, ob quam ſecundas ad rerum actionem & mundi gubernationem, cauſas adhibere dignatur. Ob ipſius vero numeri præſtantiam, hunc Angelorum numerum à DEO conſtitutum, nobiſque ab eo patefactum eſſe, ne credam facit, quod numeri alicuius dignitas, à cui ne hoc quidem philoſophi nobiles tribuunt, vt in entium realium numero, quem apud alios obtinuerat locum, retineat, vti apud eruditiſſimum Fonſecam noſtrum lib. 1. Metaphyſ. cap. 13. q. 4. ſect. 2. videre eſt. Vt vero eorum à ſeptem errantibus ſtellis principatus repetatur, probabile facere queat, veterum quorumdam Hebræorum, ſi antea citato Agrippæ credendum; auctoritas, cuiusaliqu od forte apud Euſebium l. 9. præparat. in verſibus, quos de ſeptem cœleſtibus viis zoniſque citat; videatur. Deinde, quod Moſaicum ſeptem brachiorum candelabrum Ioſephus lib. 3 Antiq. cap. 7. Philo libro quis rerum diuinarum hæres, & lib. 3. de vita Moyſis, imitatum aiunt planetarum illorum numerum & elegantiam. Nullum tamen Angelicæ huius, quæ illis tributa ſit; præfecturæ veſtigium, neque in ſcripturis, neque in Patribus videre adhuc potui. & non immerito ſuſpectum ſit, quod in Hæreticorum tam multorum dogmatibus reponendum putauit S. Epiphanius. quod tam multis poſtea & commentis & ſuperſtitionibus vel Rabani quidam Cabalici, vel obſcuri, ſuſpectæque probitatis alij, & hos recentiores quidam ſequin & ipſe, ſed nimium generatim, Agrippa in librorum illorum de occulta philoſophia, præfatione. Poſſet quidem aliquis omnes aut hæreticorum veterum, aut Cabaliſtarum aliorumque errores detrahere, iſtamque veluti opinionem luſtrare ac deputare, ſicque ipſam tueri. Sed ſuo id alius iudicio faciat. Eſt de ſeptem principum Angelorum orationibus libellus, Eum, prouranno 1594. Neapoli editus eſt; ſi quis aſpiciat, & videat ſeptem planetarum orbes eleganti deſcriptos imagine, primo aſpectu putet, in hac ipſa ſententia eſſe, qui precum imaginumque illarum editor primus dicitur. Verum vt vetus illud Ioſephi ſymbolum oculis ſubiiciatur, imago hæc appicta videtur. quemadmodum indicat auctoris illius præfatiuncula, quam, quia, illam, quam propoſui de candelabro ſententiam confirmat, ſimulque alia non inutilia breuiſſimè proponit, totam hic ſubiungam.

ANTO-

ANTONIVS DVCA RECTOR ECCLESIÆ SEPTEM Principum Angelorum Panormitanæ, pijſſimis Lectoribus Sanctorum Angelorum auxilium.

CANDELABRVM *de partibus ſeptuaginta, Viri Chriſtianiſſimi, quod Moyſes* DEI *mandato auctorum compoſuit, ex Ioſepho D. Hieronymus mundum cum ſeptem Stellis errantibus ſcribit ſignifie aſſere & per illud a D. Anſelmo quoddam templum ſpirituale mirabiliter deſcribitur. Nos & Joſephi, & D. Ioannis Euangeliſtæ auxilio adiuti, triumphantem Eccleſiam cum ſeptem ſpiritibus ante* DEVM *aſtantibus, inſtar cuius militans Eccleſia cum ſeptem Epiſcopis ardenti purpura indutis exiſtit, ſignificare cenſemus; nec non ſeptimembre templum à ſanctis Martyribus, ædificatum Romæ ex vaticinio Eſaiæ oſtendimus: vt quemadmodum in mirabili Iudæorum Candelabro, ita in mirabili Chriſtianorum templo* DEVM *mirabilem prædicamus. Valete feliciter.* In aliis vero philoſophationibus, præter ipſum philoſophari, nihil video.

QVÆSTIVNCVLA IX.

Eorundm Angelorum ſeptem quodnam ex hoc libro munus colligi poſſit?

ITA de iſtis agam, vt, quo maior hinc percipiatur vtilitas, de aliis etiam Angelis aliquid interdum attingam. Bipartito igitur eorum conſiderari munus poteſt. Primo ex iis, quæ hoc ipſo capite tradit S. Raphael: deinde ex aliis etiam, quæ toto ipſo libro agit & loquitur. Hic ergo ver. 15. *Ego*, ait, *ſum Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* *Aſtare* verò ante Dominum *dupliciter* Angeli dicuntur: *Primo* diuinæ Maieſtati miniſtrando: *Deinde*, eandem contuendo, ex eoque contutu ſummam æternamque felicitatem hauriendo. idque ſit rurſum *dupliciter*: *primo* in cœlo empyreo, vbi, ſingulari quodam modo, diuinæ Maieſtatis ſolium eſt: *deinde*, aliis in locis. Si *aſtare* igitur pro miniſtrare, DEVMque inrueri ſumatur, hic ei ſemper & vbique Angeli aſtant. quia & DEVS vbique & ipſi beatiſſimam eius faciem vbicumque locorum ſint; vident, Matth. 18. Quia verò non vbique, modo illo cœleſti, diuina Maieſtas in ſolio ſuo conſpicitur; ideò interdum à DEO mitti, ab eoque recedere, & ad ipſum deinde reuerti Angeli dicuntur, vt ait Damaſcenus lib. 2. cap. 5. Primo aſtandi modo hic, *aſtare*, ſumitur. ideo que in Hebræo pro *aſtare ante Dominum* legitur, *miniſtrare ante ſolium gloriæ.* In quibus verò Græcis, εισπορεύεσθαι ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ ἁγίου, id eſt, *egredi à conſpectu gloriæ ipſius ſancti*: qui eſt DEVS benedictus. In Græcis Romanis correctis, εἰσπορεύεσθαι ἐνώπιον τῆς δόξης & ἁγίου. id eſt, *ingredi coram ſancto* DEO. Et certe tam *egredi* quam *ingredi* coniungendum, vt ipſa eorum miniſtratio magis ſignificetur. Quemadmodum enim miniſtrorum eſt, Dominis *aſtare*: ita etiam ad eorum nutum *ingredi & egredi*, nuncios ac renuncios agere. Vnde D. Cyprianus libro de exhortatione martyrij locum ira iſtum citat: *Aſſiſtimus, & conuerſamur ante faciem* DEI. Et libro de oratione Dominica: *Ego ſum Raphael vnus ex ſeptem Angelis aſtantibus, qui aſſiſtimus & conuerſamur ante claritatem* DEI. Eodemque modo libro de mortalitate, niſi quod Angelos *ſanctos* vocat, quos *iuſtos* dixerat. Citat eodem etiam modo D. Auguſtinus ſermone 126. Dices. cum primo illi miniſtrandi modo, ſemper & vbique Angeli DEO adſint, quomodo verſu 20. vult ad illum Raphael reuerti? Qui enim reuertitur, abfuit. Reſponderi poſſet aſtitiſſe quidem priore modo ſemper: ſed non omnium poſtremo, ſicque ad DEVM perfruendum reuerti, vt ante dicebam. Concedo tamen poſtremo etiam modo, aſtandi verbum ſumi: ſed *aſtamus*, valet, *Aſtare ſolemus*, id eſt, *miniſtrare* quemadmodum & S. Gabriel Luc. 1. ver. 19. ait: *Ego ſum Gabriel, qui iſto ante* DEVM, id eſt, *aſtare ſolio*, prout Græcum indicat participium, ἐγώ εἰμι Γαβριὴλ ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. quod dum non expendit Eraſmus, vertit, *qui aſtiti ante* DEVM, quaſi tùm non aſtaret Gabriel. Scholaſtici fere aliud eſſe putant, DEO *aſſiſtere*, aliud *miniſtrare*. Aſſiſtere ſiquidem eſſe velut, DEO aſſidere, miniſtrare verò, nitto ad quidpiam agendum. Hebraicus tamen idiotiſmus diſtinctionem iſtam non poſtulat.

Primum ergo Angelorum iſtorum *munus* eſt, DEO tanquam Domino & Regi maximo, humillimorum & obſequentiſſimorum miniſtrorum inſtar, ſemper aſtare: eius nutum exſpectare: eius imperatu confeſtim quodlibet agere, quolibet vadere, rerumque humanarum curam ſuſpicere. Atque hanc ob cauſam etiam, *oculi* vocantur, vt ait loco citato Clemens. Vocantur & *cornua*, quia pro hominum ſalute contra hoſtes ferociſſimos dæmones præliantur. *Lampades* etiam Apocalypſeos 4. dicuntur, *ante* DEI *thronum*, quia & ſumma ipſi claritate circumfulgent, & eos, ad quos mittuntur, luce quadam inſigni collutirant.

Alterum eorũ munus eſt, hominũ preces diuinæ bonitati offerre, prout ſuprà cap. 3. expoſitũ, & in Græcis correctis hoc loco dicitur: ἐγώ εἰμι Ραφαὴλ, εἷς ἐκ τῶν ἑπτὰ τῶν ἀγγέλων, οἱ προσφέρουσι τὰς

Universidad de Deusto
Biblioteca

τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων. id est, *Ego sum Raphael vnus è septem Angelis sanctis, qui* DEO *Sanctorum preces offerunt.*

Tertium est, bene agentibus adesse, vt in Græco & Hebraico hic exprimitur. Delectantur enim eorum, qui puritatem, DEique cultum diligunt, vitia odernnt, virtutes amplectuntur, consuetudine. Videatur S. Nilus epistola ad Anastasium, vbi ait. S. Chrysostomum semper Angelos in templo vidisse, quoties oblatio fieret, sicuti & Leontius apud Sophronium in prato c. 4. Vnde & Chrysost. 21. in Acta; *Non dubites*, ait, *assistere Angelum, quando* CHRISTVS *assistit, Christo immolatur.* Similia homilia 3. in epistol. ad Ephesios, ad Hebræos, & oratione 3. contra Anomæos, lib. 6. de sacerdotio, cap. 7. D. Gregorius 4. Dialog. c. 58. Paschasius epistola ad Berengarium, V. Beda in Lucam, Aquisgranense Concilium cap. 131. 132. Vniuersè verò D. Augustinus Soliloquiorum, cap. 27. *Quoties*, ait, *bene agimus, gaudent Angeli & tristantur Dæmones. quoties à bono desistamus, diabolum lætificamus, & Angelos suo gaudio defraudamus.* Idemque prorsus testatur S. Antonius epist. 5. Climac. 1. gradu. 20.

Quartum, ad opera bona hortari, vt iisto cap. ver. 8. & sequentibus. ideoque & hic in Hebraico, cùm ad alia tùm ad eleemosynam hortatur S. Raphael, *Melius*, ait, *est, in* DEI *conspectu eleemosynam assidue facere, quam auri argentique thesauros congregare.* Et v. 18. ad DEVM laudandum cohortatur. *Ipsum*, ait, DEVM *benedicite, & cantate illi.* Et ver. 9. *Benedicite* DEVM *cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini et, quia fecit misericordiam suam.* Vnde D. Augustinus sermone 126. *Non ipsum honorem gratiarum mihi deputetis ait Angelus. quia meis viribus nihil peregi: sed* DEVM *benedicite, & illi confitemini, & ipsum glorificate, quia fecit vobiscum bona.*

Quintum. Docent etiam hi sancti Angeli nos Theologiam, id est, quæ ad fidem, moresque bonos faciunt. vti iamiam dictum, & ex toto libri decursu patet clarissimè. Docent Physicam & Medicinam, *si quando res vsusque postulat.* Numquid enim hepar illius pisces, & fumi ex eo vim ostendit caniti? ideoque Angelos *hominum pædagogos* vocat S. Athanasius libro de communi essentia, & D. Chrysostomus homil. 3. ad Colossenos. quemadmodum & gentilis alioquin author, Seneca epist. 94. *quisque virorum celebrium ac probatorum Angelum habebat, quemadmodum Iacob dicit: Angelus qui pascit me, & qui liberauit me à iuuentute mea. Si ergo Angelos habemus, sobrij simus, tanquam si pædagogi quidem nobis adessent. Adest namque & dæmon, propterea orauimus ac dicimus, petentes Angelum pacis. Et vbique pacem petimus. Nihil enim illi adæquari potest. In Ecclesijs pacem, in precationibus, in supplicationibus, in precationibus, & semel, iterum, atque tertio, & sæpe eandem, qui Ecclesiæ præest, impertit dicens: pax vobis.* Nonne ad S. Ambrosij concionantis aures Angelus ita clarè stabat, vt eo aspectu Arianus, alioqui contumax, Catholicam ad fidem conuerteretur S. Paulino in illius vitæ scriptore. Sic simplicem quendam, hominem alioqui minime malum, ab hæresi ad Catholicam fidem reuocat Angelus, apud Sophronium cap. 178. cum boni cuiusdam senis admonitionem hanc approbasset. *Non tuæ vitæ contingat, vt extra sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam communices.* Sic & Natalium, variorum incommodorum CHRISTI IESV causâ susceptorum gloria inclytum Confessorem, sed in hæresin aliquando prolapsum, itidem admonent, imo & verberibus adigunt sancti Angeli apud Eusebium lib. 5. historiæ cap. vltimo. Adiunxi autem consultò illud; *si quando res vsusque postulat.* ne ab Angelis profecta iactet quispiam, quæ vel ab ipsis aliena, vt illi, de quibus S. Paulus ad Coloss. cap. 2. ver. 18. vel quæ, secundum diuinam institutionem; ab Ecclesia, eiusque magistris & membris ordinatè accipienda. vti monet S. Augustinus præfatione librorum de doctrina Christiana, & libr. 1. contra Felicem, cap. 10. Vnde & apud citatum paulò ante Sophronium, cap. 199. dicebat Angelorum ipsorum quidam. DEVS *ita disposuit, vt per homines contingantur homines.*

Sextum, Dæmones propulsant, nosque contra illos, egregiè tuentur, prout suprà patuit cap. 8. Pugnat enim adhuc Michael & Angeli eius contra draconem & angelos eius, Apocalyp. cap. 12. S. Polthumius in suo ad fratres sermone, *Si aduersus vos*, ait, *conueniunt castra dæmonum, petestis vos Catholica, non desunt Sanctorum custodiæ, & Angelorum munitiones.* Et rursum; *Angeli Ecclesiam quærere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Et quod apud Sophronium cap. 67.

Septimum, à plurimis corporum periculis homines liberant, vt in Raphaele nostro vidimus, qui iuniori Tobiæ periculi, tanto in itinere, nihil euenire passus est: ipsum è pisce immanis faucibus eripuit: seniorem Tobiam à grauissima ea cæcitate curauit: Saram, ipsumque iuniorem Tobiam, adeoque totum Raguelis domum ab infestissimo dæmonum furore liberauit. Vnde ver. 14. (*Misit me*, Raphaëlis verba sunt) *Dominus, vt curarem te; & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem*, seu, vt citat lib. de oratione Dominica, & libro de mortalitate S. Cyprianus; *Me misit* DEVS *curare te, & Saram nurum tuam.* Sic S. Isacius apud Metaphrasten, medijs in spinis, ab Angelis conseruatur. S. Fran-

Franciscus apud S. Bonauenturam, musico concentu è morbo difficillimo releuatur, vt rectè videatur cecinisse, qui scripsit:

Aspice quæ cœli sint gaudia. corpore morbum
Angelico remouet pectine tacta chelys.

Octauum, cum, ad DEI gloriam, & animorum salutem facere intelligunt, opes etiam, honestas nuptias, splendidas affinitates, & omnia bona procurant, quemadmodum in Raphaële nostro vidimus. vt meritò DEI *oculi.* imò & manus vocari possint. Videatur Cyrillus lib. 4. contra Iulianum, Eugubinus de perenni philosophia, lib. 8. cap. 5. & sequentibus, Origenes in Numeros homil. 20. & 25. Epictetus Arriani lib. 1. cap. 14. & Seneca epistola 110. vbi quæ à veteribus Israëlitis vel Christianis mutuati sint, explicant.

Nonum, interdum etiam nos tentant: sed eo modo quo DEVS, qui alioquin *intentator malorum est.* Iacobi 1. v. 13. tentare homines dicitur, vt Abrahamum 8. Genes. 22. Israelitas & alios Exodi 15. 16. 20. Sapientiæ 3. Iacobi 1. ver. 2. Hæc enim tentatio nil nisi virtutis probatio, exercitatio, & demonstratio est. Atque hoc in Græco significatur, & apud Cyprianum locis iam citatis dum ita loquitur S. Raphaël: *Quia non es cunctatus exsurgere & dare vnguentum tuum. sed abisti & sepelisti mortuum, missus sum tentare te.*

Decimum Angelorum istorum munus est, eos, qui variis è proposito iam genere tentationibus, molestijs, ac asperitatibus exerciti fuerint, suauissimè tandem consolari. Quanto cum & quam suaui solatio cæcatum olim Tobiam, tristi maiorum cæde merentem Saram, parentis incommodo indolentem filium, filiæ tam repentinis, tamque funereis viduitatibus contemptos parentes, Raphaël ad extremum perfudit? Sed omnium maximè solent id sancti Angeli facere, cum ex hac nobis vita demigrandum: cum iamiam è corpore anolat animus; cum supremi Iudicis adit tribunal. Pleni exemplorum de Sanctorum historijs Codices. viderique potest D. Chrysostomus lib. 6. de sacerdotio, Gregorius Magnus in dialogis, Gregorius Turonensis libro de gloria Martyrum, & libro de gloria Confessorum, alijs præ omnibus tamen D. Lucas cap. 16. cum beatissimam Lazari qui vlceribus, fame, morboque paulò ante confectus, non in domo, vel tuguriolo saltem aut stabulo quopiam, sed in platea sub dio, & ante diuitis tanuam, & inter canes iacebat; mortem describit. *Factum*, ait, *est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Vnde & ipse paulò post Abraham; *Lazarum* ait, *nunc, hic, consolatur.* Ideoque ipsa etiam Ecclesia, dum supremum aut morienti aut mortuo alicui præstat officium, *Aperiantur*, ait, *ei cœli: colletentur illi Angeli. Suscipiat eum sanctus Michael Archangelus* DEI, *qui militiæ cœlestis meruit principatum. Veniant illi obuiam sancti Angeli* DEI, & *perducant eum in ciuitatem cœlestem Hierusalem. Subuenite Sancti* DEI: *occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eum in conspectu altissimi.* Quæ etiam vsitatissima & vetus Hebræorum, in suorum funeribus, præcandi ratio est, vt ex vulgato eorum libro Mahzor patet, vbi sic: *Angeli pacis egredimini in occursum eius: portas paradisi voluptatis reserate illi: atque pacem, ipsius aduentui denunciate. Custodes thesaurorum horti Eden patefacite ei portas Eden.*

QVÆSTIVNCVLA X.

Quomodò septem hi Angeli à quibusdam vocentur?

EXTAT de septem Angelorum principibus in Italia, libellus quidam semel, iterum & sæpius excusus, variisque illorum imaginib. ornatus, primo quidem opera Antonij Ducæi, vt supra vidimus, deinde & aliorum studio. Is septem hosce Angelos septem hisce nominibus indigitat, vt primus sit *Michael*: secundus *Gabriel*: tertius *Raphael*: quartus *Vriel*: quintus *Sealtiel*: sextus *Iehudiel*: septimus *Barachiel*. Primi nominis interpretatio est, Quis sicut DEVS? Secundi, fortitudo DEI, Tertij supra polita c. 3. Quarti, lumen DEI, Quinti, petitio DEI. Sexti, laus seu confessio DEI. Vltimi, benedictio DEI. Et quartum quidem Vrielis nomen discrimi configatum est lib. 4. Esdræ cap 4. & 6. Quintum exsculpunt nonnulli ex Genesi 18. Sextum ex cap. 25. Exod. Septimum ex Geneseos 18. Audio etiam Angelorum, illis cum nominibus, picturas, in templis quibusdam, reperiri. Est vobis Germaniæ nostræ ampla & splendida, quæ, cum religionem Catholicam, eiusque sanctos, & eorum tam imagines, quam nomina funditus, contra laudatissimos maiorum suorum mores, extirpata cupiat; suum tamen, superioribus hisce annis, Calendarium edidit, in quo non septem tantum, sed octo Angelos poneret, eorumque non nuda tantum nomina, sed & affabrè sculptas imagines, & quidem è scripturâ sumtis capitibusque annotatis, quasi ij exinde Angeli haberentur; circumferica imprimeret. Sunt autem hæc, in quibus à prioribus illis discrepantiam videt quibbet; nomina *Michael, Gabriel, Raphael, Vriel. Malchiel, Zadkiel, Pethel, Raziel.* Apud Tritemium verò libro ante citato de secundeis, ita iidem illi nominantur. Primus *Orifiel.* Secundus *Anael.* Tertius *Zachariel.* Quartus *Raphael.* Quintus *Samael.* Sextus *Gabriel.* Septimus *Michael.* Henricus porro Corn. Agrippa lib. 3. de occ. phil. cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

24. paulo ante verba quibus hos esse septem de quibus scriptura loquatur; ostendit, suntque superiore quadam quæstiuncula recitata, istum in modum scribit. *Accepimus ab antiquis Hebræorum patribus, nomina Angelorum præsidentium planetis atque signis, Saturno, Zapkiel: Ioui Zadkiel. Marti, Camael: Soli Raphael: Veneri Haniel: Mercurio, Michael: Lunæ, Gabriel* De istis porro, quid censendum, deinceps exquiremus.

QVÆSTIVNCVLA XI & XII.

An recte hæc Angelis istis imposita nomina?

CATHOLICA Ecclesia cùm in Litaniis, tùm aliis in precibus, & ritualibus omnibus, tria tantum nomina recipit & vsurpat: cætera non item. Et verò Glycæ Byzantini in Annalium parte tertia hæc oratio est. *Appellatio Vrielis, quemadmodum reapse sapiens Psellus scripsit; nec prisci fœderis libris, nec nouo continetur: sed extat in libro quodam Hebraico, qui inscriptionem habet; Precatio Iosephi, & apocryphus est.* Ita ille. Quod si vero propter apocryphum Esdræ scripturam probatur Vriel, cur non etiam Ieremiel? Sic enim lib. 4. cap. 4. ver. 36. *Respondit ad ea Ieremiel Archangelus.* Clarissima vero & notatu dignissima sunt quæ in Germaniæ nostræ Apostoli S. Bonifacij Historia lib. 2. leguntur. Impius quidam hæreticus Adelbertus, cum sese Apostolis æquipararet, multaque impiis hæreticorum nostrorum dogmatibus, de Sanctorum templis, de peccatorum confessione, aliisque id genus; consimillima doceret, addebat; epistolam se & precationem è cœlo accepisse, & in hac ipsa octo Angelorum nomina, in quibus & Vriel erat; quasi diuinitus missa recensebat. Quid verò S. Bonifacius? *Ex octo istis Angelis vnus tantum*, ait, *est S. Michael: reliqui septem potius dæmones.* En quo loco Psellus, & S. Bonifacius Vrielis nomen habent! Grauius tamen authoritatis momentum, è Romano Concilio, in eâdem historia, est, dum de Angelorum nominibus quandam veluti fidei professionem edunt congregati Patres, ipseque qui Concilium coegerat, Pontifex Maximus. Nam cum hæretici illius Adelberti charta prolata esset; subditur in Concilio. *Suscepta est & lecta oratio, cuius initium tale erat: Domine* DEVS *omnipotens, Pater Domini nostri* IESV CHRISTI, *& ad te, qui sedes super septimum thronum, & super Cherubin & Seraphin: pietas magna & dulcedinis satis est apud te, pater sanctorum Angelorum, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt: te inuoco & clamo & imuto super me misero, quia tu dignus fuisti dicere: Quodcunque petieritis a patre in nomine meo, dabit vobis: a te peto, ad te clamo, a Domino Christo confido animam meam. Cumque per ordinem legeretur, peruenit ad locum, vbi ait: precor vos & conuoco vos & supplico* nil nisi *ad vos Angelus Vriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michael, Angelus Adimis, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simiel. Dum vero hæc oratio sacrilega vsque ad finem perfecta fuisset, Zacharias Sanctus Papa dixit. Quid ad hæc Sancti fratres respondetis? Sancti Episcopi & venerabiles presbyteri responderunt. Quid aliud agendum est, nisi vt omnia, quæ coram nobis lecta sunt igni contrementur, auctores vero eorum anathematis vinculo percellantur: Octo enim nomina Angelorum, quæ in sua oratione Adelbertus inuocauit, non Angelorum, præter Michaelis, sed magis dæmonum nomina sunt, quos ad præstandum sibi auxilium inuocauit. Nos autem, vt a vestro sancto apostolatu edocemur, & diuina tradit authoritas,* NON PLVS QVAM TRIVM *Angelorum nomina agnoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael.* Atque huic Concilio cũ alij omnes, tùm Zacharias ipse subscripsit, rursumque postea in epistola 9. confirmauit. Quanti apud nos omnes tanta tanti Pontificis, tantique Concilij auctoritas esse debet? Neque sane Angelorum nomina plura, quam tria vsitata; nisi forte aliquod aliud notionis eiusdem nomen esset, eandemque Angelicam personam alio quodammodo & idiomate significaret; agnouerunt D. Gregorius homil. 34. D. Hieronymus in Danielis 8. Dixerit tamen quispiam, cum septem istos Angelos esse certum sit, eorumque nobis in scriptura sacra & summa dignitas & officium demonstratum sit, etiamsi non sint omnium nomina indicata, quidni aliquibus eos nominibus appellare liceat? An, vt in peri hermenias initio docetur; non sunt nomina ex hominum instituto? An, vt ab aliis alij distinguantur hominibus, imo & brutis, & fluuiis & locis & rebus pænè omnibus imponere nomina licebit, Angelis istis non licebit? Quod si verò aliqua iis imponere liceat, quidni ea ipsa, quæ proposita sunt? cum, sicuti Michaelis, Gabrielis & Raphaelis; ab aliquibus eorum muniis, proprietatibus & actionibus petantur? An lineas, angulosque suos Euclides & syllogismorum suorum terminos in Analyticis Aristoteles, quibus voluerint, literarum nominibus insignient nouasque item res nouatis verbis Grammatici & Oratores; nobis vero in Angelis nulla omnino concessa erit onomatopeia? Mouerent me ista non parum, nisi vel minimum Ecclesiæ Catholicæ iudicium, omnibus id genus rationibus longe anteponerem. Non vult Ecclesia huiusce modi Angelorum nomina cudi. ego, qui in sancta illius officina modestè, demisseque gerere me cupio; nihil fabricabor omnes omnium & philosophorum, & Grammaticorum incudes abiiciam. si matri meæ tria satis nomina sunt, plura non communiscar. ne forte & Apostolico huic præcepto parum morigerer. 1. Timoth. 6. ver. 20. *O Timothæe depositum* custodi, deuitans prophanas vocum nouitates. Videmus quantum hac in re, qui à DEO cœtu alieni sunt, Iudæorum Rabini, & Cabalæi maximè lasciuierint, qui & mira nominum portenta finxerunt, & fingendi aliis potestatem, adeoque, si DEO placet; artem tradiderunt: idque confirmant Adami exemplo, ad quem vna cum rebus aliis Angelos DEVS adduxerit, iisque ille nomina indiderit. cum Genesis 2. ver. 19. clare dicatur *formatis Dominus* DEVS *de humo cunctis animalibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam* ANIMÆ VIVENTIS, *ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cœli & omnes bestias terræ.* Veterum vero hæreseon fabri, quot & quam monstrifica nobis Angelorum nomina fabricati sunt? Apud Epiphanium hæresi 24. est Abrasax; hæresi 25. Prunicus, Paldabaoth, Calaucauch, Barbelo & Metra: hæres. 26. Iao, Secla, Seth, Dade, Eloæus, qui & Adonæus, Ialdabaoth, qui & Elilæus, Sabaoth. hæres. 30. & 31. Achamoth. hæres. 33. trecenta & sexaginta quinque sunt Angelorum, sicuti & cœlorum totidem nomina, quæ confinxerat Saturnilus, sicuti & apud S. Irinæum lib. 1. c. 12. Azazelem de quo multa Cabalæi; Marcus & hæreticus & Magus. Apud Eliam Thishi verbo Lillich, inuenitur Senoi, Sansenoi, Samangeloph. In apocrypho Hermæ lib. 1. visione 4. dicit virgo quædam, *Misit Dominus Angelum suum, qui est super bestias, cui nomen est Hegrin & obturauit os bestiæ ne te* dilaniaret. In Aruch est Sandalphon, Mitatron, Semmangeliph, Iarcumi, qui vocatur Sar habborad, id est, princeps grandinis, seu Angelus, qui grandini præsidet. Apud Turcas, vt ait Historiæ Turcicæ auctor lib 2. c. 19. est Nechir & Remonchir. rursumque cap. 20. & 21. Israphil, qui in iudicij die, tubam inflaturus sit. est etiam Arot & Marot vti refert lib. de concordia orbis Postellus. Quid Magi; quid qui nomina ex inquinatissimis eorum, quos hactenus protuli, lacubus hauserunt? *Sunt*, ait Agrippa loco antea prolato, *viginti octo Angeli, qui dominantur in viginti octo mansionibus Lunæ, quorum nomina per ordinem sunt, Geniel, Enediel. Amixiel, Azariel, Cabiel, Dirachiel. Sebeliel, Ammediel, Barbiel, Araesiel, Neiiel. Abdizuel, Iazeriel. Egediel, Ateliel, Azeruel. Adriel, Egibiel, Amutiel, Kyriel, Bethnael, Geliel, Requiel, Abrinael, Aziel, Tagriel, Arbuniel, Amnixiel.* Et paulò ante; duodecim cœli signis præsident Angeli duodecim. Arieti *Machidael*, aliis deinceps isti *Asmodel. Ambriel, Muriel, Verchiel. Hamaliel, Zuriel, Barchiel, Adnachiel. Hanael. Gambiel. Barchiel.* At, in sua illa ignibus quam typis vilis digniores steganographia, quid Tritemius? Orifiel, Angelus Saturni, sub se alios habet spiritus, qui sunt Sadael, Pimiel, Mortiel, Iouis Zachariel. & sub se istos habet, Elolielem, Arielem, Raphaelem. Martis Angelus est Samael. cui parent Amael, Asmael, Nebiel. Solis Angelus est Michael, cui subditi sunt Lamiel, Pajael, Vaaniel. Veneris Angelus est Anael, cui morem gerunt Zabdiel, Samiel, Adoniel. Mercurij Angelus Raphael est, cui obediunt Carmiel, Nebeiel, Pathiel. Lunæ denique Angelus est Gabriel cui obsequuntur Remahiel, Iespiel, Theoriel. Ecce, quo humanorum ingeniorum progreditur lasciuia, dum Angelica sibi nomina faciendi licentiam indulsit. Hæc enim ideo commemorasse volui.

QVÆSTIVNCVLA XIII.

Quomodo & aliunde istiusmodi nomina improbentur?

IMPROBATVR eadem istiusmodi nominum fictio *primò* ex ineptissimis, quibus ea fingi docent modis. Docent enim vt apud Agrippam est libro 3. cap. 25. & 29. vt vel certi alicuius numeri literæ accipiantur, vel trisyllabum aliquod DEI nomen, aut rei certe alicuius, cui Angelus, cuius architectandum vocabulum est; præsideat: sicque addatur *el*, aut *on*, aut *iah*. & statim verum Angeli nomen proditurum. Hinc ergo 72. Angelorum nomina, quæ 72. DEI nomina ferant. Hinc planetis præsident, Saturno quidem Sabathiel, aliis Zedekiel, Madimiel; Semeliel, vel Schemeschiah, Negalgel, Cohabiah, vel Cochabiel Iareel aut Leuanael, aut vt lib. 2. cap. 22. intelligentia Saturni est Agiel, Iouis Iothphiel, Martis Graphiel, Solis Nathiel, Veneris Hagiel. Mercurij Tiriel. Duodecim verò signis præsunt ab Ariete inchoando, Teletiel, Sarriel, Tomimiel, Sartaniel, Ariel, Bethuliel, Mathaniel, Acrabiel, Chesetiel, Gediel, Deliel, Dagimiel. Sed & hoc in quacunque lingua fieri posse docet idem Agrippa, vt Arietiel, Tauriel, Geminiel, Cancriel, Leoniel, & cætera. O vanos, vanos! quos vaniel & stultiel nescio quis exagitat. Sed addunt, erecta etiam cœli figura, posse tam bonorum quam malorum Angelorum nomina inueniri, si ad singulos ascendentes aut descendentes alphabeti literæ spargantur. At quam inter se dissident? Alij secundum cardinum almutezios progrediendum aiunt, alij secundum vndecimæ domus almutezios, Arabes verò & Rabinorum quidam secundum Hylegiorum quinque ordinem. *Eousque verò* sese effrænata hæc nomenclationum nouarum iactat audacia, vt bonorum malorumque hominum spiritus eodem artificio, quasi iam facti Angeli aut dæmonia sint, nominandos existimet. Hinc ait c. 28. lib. 3. Agrippa, eum, qui apud Esdram lib. 4. cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. ver. 36. fuit Ieremiel, esse Ieremiæ Prophetæ spiritum, Zachariæ verò Zachariclem, Uriæ Prophetæ, quem occidit Ioachim, Vrielem. Iam *ferte*, si quis vel solum audiat, quantum vel veris, vel commentitiis id genus nominibus isti tribuant, quasque ad res & quomodo iis abuti soleant, facile, opinor, constituet, melius rutiusue nihil esse, quam intra Ecclesiasticæ sese modestiæ gyrum continere. *Hic* ait ille cap. 24. *nomina tunc non fecus atque oblationes & sacrificia diis detorta, efficacia tam virtute quàm sortiuntur, ad spiritualem aliquam substantiam desiderati affectus operatricem de superis & inferis euocandam. Vidi ego & noui quendam inscribentem in charta virginea nomen & signaculum spiritus cuiusdam, in hora Lunæ, quam cum dedisset postea ad deterendum rana fluuiali, & carmen quoddam obmurmurasset, remissa rana in aquam, mox pluuiæ & imbres oborti sunt. Vidi per eundem inscriptum alius spiritus cum suo signaculo nomen in hora Martis, idque cornu datum, quo p ssit immurmuratum carmen dimisso protinus ab ea cœli plaga, quam ille inuolasset, obortu nubibus fulmina, concussiones, horribilaque tempestas consecuta sunt: neque tamen erant illa spirituum nomina ignotæ linguæ, nec alia quam officiorum eorum significatiua. Huius generis sunt Angelorum istorum nomina, Raziel, Gabriel, Michael, Raphael, Haniel: quæ sonant, visio* DEI, *virtus* DEI, *fortitudo* DEI, *medicina* DEI, *gloria* DEI. Quis cum carmè illud immurmuratum audit, non perhorrescat? Quis hominis huius cœcitatem non deploret, qui scribere & approbare hæc ausus est? *Nunc & illud* mihi vide, quos, & quam certò & confidenter veteribus illis Angelos dent; *Solent*, ait Agrippa lib. 3. cap. 47. *fatidici spiritus bene expurgatis animis etiam sese visibiles præbere & comites, cuius exempla multa sunt in sacris literis, vt in Abrahamo & ancilla eius Agar, in Iacob, Gedeone, Helia, Tobia, Daniele, & multis aliis.* Vera hæc, neque male. At quæ sequuntur? *Sic Adam*, inquit, *familiarem consuetudinem habuit cum Angelo Razziele: Sem filius Noë, cum Iephuele: Abraham, cum Zadkiele: Isaac & Iacob, cum Peliele: Ioseph & Iosue & Daniel, cum Gabriele: Moses, cum Metatron: Heliæ, cum Malthiele: Tobias iunior, cum Raphaele: Dauid, cum Cerniele: Manue, cum Phadaele: Cenez, cum Ceruele. Ezechiel, cum Hasmaele: Esdras, cum Vriele: Salomon cum Michaele.* Postremò de his ipsis nominibus, quanta inter ipsos dissensio est? Mitto alias, Malchiel in vrbis antea dictæ Calendario, Moysi ascribitur: ab Agrippa ipsi Heliæ. Raphaël à Tritemio Iouis famulus traditur, & rursum tamen Mercurij Dominus. ab eodem Soli tribuitur Michaël, ab aliis Raphaël; ab eo etiam Mercurio Raphaël: ab aliis Michaël. Septem ergo magnos, beatosque in Angelorum agminibus Deo tergloriosissimo templa, vti magna cum pietatis laude Panormitana fecit ciuitas; excitemus; sacrificia offeramus. ipsosque, vt Ambrosianum ista in re verbum supra q. 12. c. 3. monstratum retineam; *obsecremus.* quæ tamen sanctum voluit Ecclesiæ Concilium tacita nomina, taceamus.

QVÆSTIVNCVLA XIV.

Possitne Vrielis nomen aliquo modo retineri?

DISERTIM, vt dixi, hoc ponit liber quartus Esdræ c. 4. & 6. Verum is liber apocryphus est, vt Esdræ initio monstraui, & paulò ante significauit Pfellus. Quia tamen quæ in apocryphis leguntur, authoritatem licet non habeant; interdum tamen mala non sunt: ideo Vrielis nomen approbarunt non omnino nulli. Nam D. Ambrosius lib. 5. de fide ad Gratianum, cap 2. *Non ait, moritur Gabriel, non moritur Raphael non moritur Uriel.* S. Isidorus lib. 7. Orig. cap. 5 quartum hunc Angelum agnoscit, eiusque nomen interpretatur. Similiter & docti viri, qui S. Hentici Imperatoris æuo floruerunt, eumque vel priuatim, vel publicè, in scholis & templis, docuerunt. In templo siquidem Basilienti, quod Augustus ille Henricus magnificè restaurauit, donisque plurimis condecorauit; *Ein net*, inquit lib. 3. rerum Germanicarum, fol. 140 Beatus Rhenanus, *lamina illa aureæ lignea tabulæ adhærent, septem millium florenorum æstimata, qua ipse priuatim in lectario suo cum viueret vsus est. Vnde & tutelares eius dicuntur referri, quos ille præcipue coluit, nempè quatuor Angelos, Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, Vrielem & Beatum Romanum in horum medio stantem* CHRISTVM, *cuius pedibus ipse cum vxore Cunegunde aduolutur.* Vnde verò hæc Imperatori eiusque coniugi religio & sententia, nisi ab iis, quos diuinarum tum rerum interpretes audiebant? Iam Missa seu vniuersalis Canon Æthiopum, quæ in SS. Patrum Bibliothecæ tomo 4. legitur, hanc fol. 120. habet precatiunculam: *Custodi Domine populum tuum per preces maiorum Angelorum splendentium: Michaelis & Gabrielis ac Raphaelis & Vrielis, & quatuor animalium sine carne.* De quibus scilicet Apocalyp. c. 4. 5. Albertus Magnus in sua, quam Wiceliana proferunt Exercitamenta; Lutarius Vrielem nonne precatur? Quia S. Bonauentura Centiloquij parte 3. sect. 18? Videmus etiam Christianis quibusdam Vrielis nomen imponi quod, sacro in Baptismo vel Confirmatione, nunquam fieret, si dæmonis tantum nomen foret. Hoc ipso sæculo, in ipsâ Archiepiscopali S. Bonifacij sede Moguntina, primo quidem Decanus, deinde Archiepiscopus fuit Vriel à Gemmigen, qui, anno 1514. è viuis excessit, prout eius, in principe Moguntina æde, monumentum ostendit. Ecce & Græcolatinarum precum liber apud Hieronymum de Marnef anno 1580. editus, fol. 120. in Litanijs diserte ponit:

Ἅγιε Οὐριὴλ πρέσβευε ὑπὲρ ἡμῶν.

Quia igitur libris, picturis, nomenclationibus, id nominis boni quidam neque indocti viri terunt, videamus absurdum ne sit, eodem quandoque nomine bonos malosque angelos insigniri, quemadmodum, sicut in cœlo, ita & apud inferos, multi Ioannes & Petri sunt. Si enim quod apud Areopagitam libro cœlestis Hierarchiæ cap. 13. quidam asserunt; è superioribus & inferioribus ordinibus Angeli plures sunt, qui Seraphim voceutur, cur Vrieles Zelotes afferat. Ego tamen, posteaquam sanctissimi Pontificis & synodi Romanæ sententiam cognoscere datum est; tribus Angelorum nominibus plura cur agnoscam? Quæ aliis in rebus omnibus tenerum mihi os fingit, balbutientemque, præfando, linguam format pia & erudita mater Ecclesia, cur in hisce nomenclaturis à me non audiatur? Cabalæorum fumosæ apud Reuchlinum appellationes, prodigiosa item Tritemij & Agrippæ nomina, cæteraque omnia iis consimilia placeant, quibus lubebit; Maximi sanè Pontificis hæc ad illam Synodum subscriptio est: *Zacharias Episcopus sanctæ* DEI *Ecclesiæ Catholicæ, atque Apostolicæ vrbis Romanæ, hisce sessionibus, atque sententiæ à nobis promulgatis subscripsi.* Neque mihi de nihilo videtur, quod sanctissimæ Trinitatis personæ tres tria tantum, è tot cœlestium spirituum ipsis assiduè famulantium myriadibus in authentico verbi sui volumine, sacrisque synodis, nomina patefacere voluerint. rursumque quod interdum de suis interrogati nominibus Angeli, enunciare abnuerint. Luctantem secum Angelum Genes. 32. vec. 29. *interrogauit Iacob. Die mihi quo appellaris nomine? Respondit, Cur quæris nomen meum?* Cum Samsonis Patri apparuisset Angelus, dixit ille huic Iudic. 13. vec 17. *Quod est tibi nomen, vt si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te. Cui ille respondit, Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Sed hæc putauerit forte non nemo nimis multa. certe tamen, vti spero; minime vel praua vel inutilia.

QVÆSTIVNCVLA XV.

An comederit Raphael

AN corporatos cibos Angeli comedant, duæ sunt opiniones. VVA, in assumptis corporibus verè ipsos comedere. ita Alensis 2. par. q. 35. memb. 4. Scotus 2. d. 8. ALTERA, non verè comedere. Duplicis enim ait isti opimo, corporum, quæ assumunt Angeli, esse opera quædam quæ ab animatorum operibus modo solo & respectu ad finitum principium differant, ipsa verò actionis substantiâ conueniant: quædam verò, quæ neque modo illo, neque substantia conueniant. Comestionem igitur, quoad modum cibi localem, esse quidem veræ comestioni substantia similem: sed modo & respectu illo differre, cum edendi vitale principium in Angelo nullum sit. Dico *primo* Augustinum 13. Ciuit. cap. 22. vtramque opinionem censere probabilem, vt dicantur Angeli *non verè comedere*, vel *verè* quidem *comedere, non tamen necessitate, sed tantum potestate.* Atqua isto modo loquitur Emisenus homilia in dedicatione Ecclesiæ: *Angeli enim quando volunt, ex aere corpus assumunt, quo videri & tangi & loqui, & manducare, & bibere possunt. Sicut enim verum corpus est aer, ita & corpora quæ sumuntur ex aere. Hic autem ad tempus induuntur, quæ cum se expoliauerunt, mox in eundem aerem resoluuntur. Angelus tamen Raphael ad Tobiam loquens ait: Pax vobis, nolite timere. Etenim cum essem vobiscum videbar manducare & bibere, sed ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. Secundum igitur hanc sententiam, & cæteros angelos manducare & bibere intelligant, quibuscunque impossibile esse videtur, vt Angeli manducent & bibant. Moyses tamen eos comedisse testatur.* Dico, *secundo.* Comestio *dupliciter* sumi potest, perfectè & imperfectè. Perfectè includit ea non solam ciborum in os, & œsophagum immissionem, sed etiam confectionem, quæ in ventriculo fit, & conuersionem in verum animalis corpus. Imperfectè verò illam tantum immissionem complectitur. TERTIO. Angeli posteriore modo seu imperfectè comedunt, non perfectè: ideoque hoc loco Angelus versu 19. *Videbar*, ait, *vobiscum manducare & bibere*, perfectè scilicet corporatos visibilesque cibos vestros manducare: corporatos visibilesque potus bibere. *sed ego cibo & potu inuisibili, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Videri queat S. Iustinus martyr, Dialogo cum Tryphone, Tractatus Thalmudicus *Baba Messia* cap. 7. Imò, etiamsi per assumpta corpora cibum imperfectè, vt dixi; Angeli capiant, adhuc tamen aliquo modo dicere potest Angelus, SE VIDERI COMEDERE, *neque tamen comedere, etiam imperfectè.* quia, neque formæ instar, neque hypostaseos instar, corporibus illis vtitur. Notandum tamen, licet eadem in Græco sententia sit, illud tamen, *videbar*, non coniungi cum manducare & bibere. ideoque valere, *vobis apparebam; sub aspectum vestrum sedebam, videor vobis hic esse cum alijs, καὶ οὐκ ἔφαγον, οὐδὲ ἔπιον: alio denique modo ipsa verba interpretor. Omnibus diebus vobis videbar, & neque comedebam neque bibebam, sed visionem ipse videbatur.* Videbar vobis homo: videbar humano more humano cibo sustentari. At visio erat, non autem verè perfectèque aut à vobis videbar (cum sub oculos natura mea non cadat) aut coram vobis edebam & bibebam. cum horum nullo egeam. D. tamen Augustinus capite illo 22. lib. 13. in versione sua legebat, *visu videbatur* pro *visum*

videbatis, simili modo, quo visa pro visionibus apud Latinos dici solent. *Non* ait, *homines in phantasmate Angelos edisse credendum est, quando eos homines hospitio susceperunt, quamnus verum Angeli essent, ignoraverint cibus, consimili nobis indigentia, vesci viderentur. Unde est, quod ait Angelus in libro Tobiæ: Videbatis me manducare: sed visu vestro videbatis, id est, necessitate reficiendi corporis, sicut vos facitis, me cibum sumere putabatis.* Quamquam videri potest intellexisse D. Augustinus, δοκεῖν θεωρεῖν pro καθ' ὑποκείμενον.

QVAESTIVNCVLA XVI.

Quis Angelorum cibus inuisibilis v. 19. cap. 12.

IN Hebraico & Græco textu, nulla cibi huius mentio. Sciendum verò *spiritualem cibum* vocari posse, quicquid animi appetitum explet. Hic enim appetitus & *sitis* & *fames* interdum vocatur: & res, quæ ipsum saties; *cibus* dicitur: eáque re perfrui, est *edere*, ac *bibere*, saturari, & delectari. Hinc enim illa. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam* Matth. 5. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me*, Ioan. 4. & alia complura. Sic Lactantius lib. 1. Instit. cap. 1. *Nullus suauior animalibus est, quam cognitio veritatis.* Sic D. Augustinus lib. contra aduersarium legis & prophetarum c. 15. *Lignum vitæ, est sapientia, beatarum cibus immutabilis animarum*: & ipsos eiusdem *D. Augustini libros* vocat D. Gregorius animi cibum; itemque *historiam* Cedrenus in principio τροφὴν ἀπαλὴν καὶ ἁλαλατευμένην, *alimoniam tenellam, molaque præparatam.* Angelorum verò *cibus duplex* est, *primarius*, diuina scilicet maiestas, & *secundarius*, quælibet nimirum alia res diuinâ maiestate quodammodo informata, & condita, vt CHRISTVS ipse Dominus quà homo, & quælibet alia res ad D. S. gloriam pertinens. Etenim illo semper frui, rerumque genus quodlibet, in quo diuinæ gloriæ vera materies est; fieri auent, optantque cupientissimè. Sic igitur diuina maiestas visa & comprehensa, cibus est, qui delectationes infinitas parit. D. Ambrosius in oratione illa, quæ ante Missam recitari solet. *Manducat te, ô panis candidissime, Angelus pleno ore in patria.* D. Bernardus serm. 28. ad sororem de modo bene viuendi. *De hoc*, ait, *panè dicit in Psalmo: Panem Angelorum manducauit homo. Alioqui esca illa licet de cœlo venerit, & potus quia corporeus erat, angelis non congruebat: sed vtique ille panis, & potus, qui per hoc præfigurabatur.* CHRISTVS verò *panis est Angelorum, & sacramentum hoc vera caro eius est, & verus sanguis: quod sacramentum spiritualiter manducat & bibit homo. Ac per hoc vnde viuunt Angeli in cœlis, inde viuit homo in terris: quia totum spirituale est & diuinum in eo quod percipit homo.* Et post illa. CHRISTVS *in semetipso in cœlo sanctos angelos pascit*: CHRISTVS *& iam in semetipso in terra omnes fideles reficit.* CHRISTVS *per speciem sanctos angelos satiat in patria*: CHRISTVS *nos pascit per fidem in terra, ne deficiamus in via*: CHRISTVS *Angelos & homines reficit ex semetipso, tamen integre remanet in suo. Quam bonus panis, & quam mirabilis, de quo in cœlis angeli saturantur, & in terra homines reficiuntur: quem manducat Angelus pleno ore in patria, ipsum comedit peregrinus homo pro modulo suo, ne lassetur in via.* CHRISTVS *panis vitæ, qui est refectio angelorum, ipse est redemptio & medicina hominum.* D. Augustinus serm. 2. & 4. de Natiuitate. *Lacta matrem* CHRISTVM, *& dominum nostrum, & cibum. Lacta panem de cœlo venientem, & in præsepi positum, velut piorum cibaria iumentorum.* Rursum verò D. Bernardus sermone 50. super Cantica. *Lachrymæ* inquit, *pœnitentium, vinum Angelorum, quod cum lætitia bibunt.* D. Athanasius lib. de Virginitate, *Ieiunium, cibus Angelorum est, & qui eo vtitur, ordinis angelici censendus est, quem admodum contra, corporis otio, & crapula nostra admodum delectantur dæmones.* Atque hoc cœlitum nectar & ambrosia de qua Eugubinus lib. 8. Philosophiæ cap. 17. Hic *Ereſiue ille panis*, quem, suæ in Gastronomia, refert Archestratus, niue candidiorem, & à Mercurio, pro Diis, coëmi solitum. De hac esca verius, quam de sermone, vel eruditione vlla in Vmbricis cœna Statius. — *Hæc imos animi perlapsa reficsit*
intonsumque manet. Neque enim ludibria ventris hausimus. Apud S. Bonauenturam, egregius ille sacræ paupertatis alumnus, S. Franciscus, *mendicatum panem*, Angelorum panem vocabat, inde manna, de quo in Exodo dixit alludens D. Augustinus loco citato. *Esse*, ait, *in paradiso cum* CHRISTO, *hoc est, esse cum fonte vitæ. Ipse est quippe sapientia de qua Prouerb. 3. scriptum est, Lignum vitæ est amplectentibus eam.* S. Fulgentius epistola 2. cap. 13. *Tales*, ait, *conuiuij debes habere participes, quæ non carnis solent delicias laudare, sed cordis qui angelorum panem interioris hominis auiditate perquirunt, quæ possessionem illum in odore vnguentorum eius currunt, quæ suauitate* DEVM *gustus interioris percipiunt, quæ puro affectu esuriunt sitiuntque iustitiam, quæ operantur cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Emissenus in citata dedicationis homilia, *Panem*, ait, *frangimus, & in tenuissimum pulueris aromatis contundimus, quando sacras scripturas diligenter exponimus. In tali igitur fractione cognoscitur* IESVS. *Sic enim discipuli cognouerunt in fractione panis. Propter quod Abraham in hospitium eum suscepit, & cibos ei apposuit, quatenus in comestione & ciborum fractione plenius eum cognoscere posset.* Quemadmodum verò, in humanarum dapum esu, perfectam Angelis comestionem negabamus, imperfectam admittebamus: ita contra, spiritalium ciborum istorum perfecta illis comestio est: nobis in terræ adhuc luto hærentibus imperfecta. Et inter spirituales eosdem cibos omnium perfectissimus, quo & perfectissimè fruuntur, DEVS est. ideoque & de hoc potissimum iam locutus Raphael.

D. AVGV-

D. Augustinus lib. 7. Confess. cap. 10. *O æterna veritas, & vna charitas, & chara æternitas: Contremui amore, & horrore, tamquam audirem vocem tuam de excelso. Cibus sum grandium: Cresce & manducabis me. Nec in me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ: sed tu mutaberis in me.*

QVAESTIVNCVLA XVII.

Cur Angelus terrorem infert ver. 16. & rursum adimit. ver. 17?

NOtandum dupliciter in humana forma videri Angelos, *Primo* simplici, vt homines tantum videantur, non, etiam Angeli agnoscantur, vt Genes. 18. 19. *Secundo* angustiore. vt Matthæi 28. *Angelus Domini descendit de cœlo, & aspectus eius sicut fulgur. Priore* modo visis Angelis non terrentur homines, nisi forte seipsos Angelos esse iis dicant, qui eorum cõsuetudine assuefacti non sunt, vel opinione illa inani, de qua dixi iudicum 6. & 13. laborent. *Posteriore* modo terrentur, & quidẽ magis, aut minus, pro varietate splendoris, aut propriæ vilitatis & indignitatis æstimatione, vt Danielis 10. Lucæ 1. *Sicut humanæ fragilitatis est*, inquit V. Beda. in Luc. primum, *spiritualis creaturæ visione turbari, ita & Angelicæ benignitatis est, paueneres de aspectu suo mortales mox blandiendo solari. Ast contra dæmoniacæ est feritatis, quos sua præsentia territos senserint, ampliore semper horrore concutere.* Et quemadmodum refert D. Hieronymus in Matth. 28. & apud D. Athanasium in vita dicere solebat S. Antonius: *Cum bonus Angelus bonis hominibus apparet, etiam si initio emisitato aspectu timorem iniiciat, ad extremum consolationem & animi tranquillitatem relinquit.* Et rursum. *Sanctorum Angelorum amabilis & tranquillus aspectus, quia non contendunt, neque clamant, neque audiet aliquis vocem eorum: verum tacite lenterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciam pectoribus infundunt: siquidem cui adest dominus, qui est fons & origo lætitiæ. Tunc mens nostra non turbida, sed lenis & placida Angelorum luce radiatur: tunc anima cœlestium præmiorum auiditate flagrans, effracto, si posset, humani corporis domicilio, & membris exonerata mortalibus, cum his, quos videt, abire festinat ad cœlum. Horum tanta benignitas est, vt si quis pro conditione fragilitatis humanæ, miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuo ex corde auferant metum: ita Gabriel cum Zachariæ loqueretur in templo, & Angeli, cum diuinum Virginis partum pastoribus nunciarent, & qui Dominici corporis ægebant exuuias, securis se videntium mẽtibus ostendentes, ne metuerent imperabant. Metus enim non tantum ex pauore animi, quantum ex magnarum rerum sæpe incutitur adspectu. Pessimorum vero vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus, plausus motusque indisciplinatorum adolescentum, vel latronum: è quibus confestim timor animæ, seu sibus Hupor incutitur, odium Christianorum, monachorum mœror tadiumq; sermonum recordatio, metus mortis, cupidoque quietis, lassitudo virtutis, cordis hebetatio. Si igitur post timorem horrore concepto successerit gaudium, & ad Deum fiducia atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis malefactis iudicium est.* Videatur D. Gregorius Hom. 26. Paschali. *Paueant*, ait, *illi, qui non amant adeptum supernorum ciuium, pertimescant, qui carnalibus desideriis pressi ad eorum se societatem pertingere posse desperant: vos autem, cur pertimescitis, quæ vestros concines videtis?* Sic etiam Cyrillus Catechesi 14. Chrysosto. Hom. 90. in Matthæum, Euthym. & Theoph. in Matthæum.

QVÆSTIVNCVLA XVIII.

Quomodo ab eorum aspectu ablatus Angelus?

IN textu Hebræo vers. 21. dicitur, *In cœlum ascendit, & non adiecit, vt amplius sese videndum iis daret.* id autem fieri potuit tripliciter. *Primo*, aspicientium oculos perstringendo & ἀποτυφλοῦν immittẽdo, vt dixit Genes. 19. *Deinde*, corpus assumptum aliõ quopiam subito transferendo. *Tertio* illud ipsum deponendo, & in materiam è qua illud constaret redigendo, quæ fere temperaëi est, vel purior, vel crassior, vt vapor, exhalatio, quemadmodum docet S. Thomas 1. part. q. 51. ad 3. *Et tertio isto modo euanuit hic Raphael.* Posset etiam fieri, vt Angelus assumptum corpus quasi cadauer relinqueret, neque amplius moueret, quod tamen hic factum non patet è circumstantijs. Addit vero in Græco Angelus γράψατε πάντα τὰ θαυμάσια ἃ εἴδετε ἐν βιβλίῳ. *Scribite omnia quæ facta sunt in libro.* pro eo quod noster habet, Narrate omnia mirabilia eius. Id vero expositum supra prolegom. 1. Hebræus vero paulo etiam quid amplius proponit. *Nunc ergo*, ait, *scribite vobis omnia verba hæc in libro & erit in testimonium inter vos & Deum vestrum omnibus diebus vitæ nostræ. Et hoc verbum sit in signum & testimonium in omnem generationem & generationem. Et vos benedicite Dominum & confitemini magnificentiæ sanctitatis eius. Et nunc amittite me, & reuertar ad Deum, qui misit me ad vos.*

QVAESTIVNCVLA XIX.

Cur iuuenili forma, mercenariique habitu apparuerit hactenus Raphael?

IVuenilem verò *formam* Angeli boni assciscunt, vt pulchritudinem & ætatem suam, quæ nullo vnquam tempore marcescit, significent, quemadmodum, ait Dionysius Areopagita cœlestis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hierarchiæ cap. 15 *Reliquus habitus*, ad quas mittuntur, functionibus, conuenire solet. Ad læta nunciandum, & eos quibus se spectandos dant: hilarandum iuuenili formæ vestium etiam splendorem adhibent, ad perterrendum vero & puniendum, gladios interdum stringunt, hastas vibrant, equos agitant, aliaſque generis eiusdem, prout res vſuſque tulerit, personas induunt. Id quod in geniis Diisque suis, rerum nostrarum simii, Gentiles imitati sunt. quemadmodum Plautinus ille Mercurius Amphitruone.

Nunc, ait, ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quod ego huc processi sic cum seruili schema,
Veterem atque antiquam rem nouam ad vos proferam.

Quia ergo se omni modo ad iter illud aptum expeditumque significare voluit Raphael, ideo & iuuenilem & mercenariam ipse speciem asciuit.

QVÆSTIVNCVLA XX.

Quid abscedente Angelo, qui eum iam cognorant, fecerunt?

IN Hebræo dicuntur *primo* ipsum *dimisisse*. prorsus vt factum hic videatur, quod Genes. 23. vers. 26. cum Iacobo diceret Angelus *Dimitte me*. Ille vero, *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. Etsi enim hic lucta corporum nulla fuit, animorum tamen & charitatis magna fuit, ita vt Angelo præcepisse Deus videatur, ne sanctos istos viros, nisi bona eorum venia & permissa, desereret. *Deinde* in textibus omnibus additur eos Deum *benedixisse*. *Modum* etiam exprimunt iidem textus omnes, eos videlicet, etiam ante angeli abitum, sese pronos in terram abiecisse. timoris nimirum, venerationisque gratia. *Tempus* vero, quo sic abiecti prostratique iacuerunt, solus exprimit Latinus. *Tunc*, ait, *prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum*. *Denique*, post trihorium hoc è terra se ipsos erexerunt, & *narrauerunt* non verbo tantum iis, qui adesse tum vel audire poterant, sed & literis toti, quæ deinceps consecutura erat, posteritati *omnia mirabilia eius*. Hæc in Græco dicuntur τὰ ἔργα τὰ μεγάλα καὶ θαυμαστὰ αὐτοῦ, *opera magna & mirabilia ipsius*. scilicet Dei in Græco, *ipsius Angeli*. Sed quæcunque à sanctis magna & mirabilia fiunt, ea simul & ipsorum & Dei sunt, quia per illos iste, qui gratiam dat, illa facit: & illi huius gratia & dono faciunt. Omnes enim cum Beatissima illa Virgine confitentur. *Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*. Luc. 1. Quemadmodum verò cum vtroque Tobia colloquendi finem iam facit Raphael, de eo scribendi vtemque, faciam & ego, si eorum quæ de illo dicta sunt, pulchram, piamque & vtilem ad Angelum cuiusque proprium accommodationem è nuper editis Vincentii Bruni meditationibus proposuero.

QVÆSTIVNCVLA. XXI.

Quæ de Raphaele dicta quotnam modis ad proprium cuiusque Angelum accommodentur, & quis primus?

GLoriosus (*ait ille noster iamiam indicatus*) Raphael tum ratione nominis sui, tum officiorum misericordiæ, quæ ille detulit vtrique Tobiæ, seni & iuueni, omnino fuit typus & figura huiusmodi eorum, quæ faciunt ergo nos Angeli custodes. Et primo optimè in illum competit nomen Raphaelis, quod interpretatur, medicina Dei, ab effectu medicinæ tam spiritalis iuueni Tobiæ datæ, quam corporalis, quæ senioni Tobiæ patri visum restituit. Quo vero alio officio fungitur erga te Angelus custos, nisi medici tam corporalis quam spiritualis? vt inferius dicetur. Quare vt id melius intelligas, considera tres status, vsque ad mortem, & iudicium animæ suæ particulare. Tertius est, in quo homo versatur post mortem. In vnoquoque ergo horum statuum congruenter omnibus actionibus Raphaelis Angeli, contemplare singula officia, quæ custos Angelus erga te exercet.

Quod ad primum *statum* attinet, narrat scriptura supra, cum senior Tobias cogitaret filium suum in remotam regionem mittere, sollicitum fuisse de fido eamitatu ei attribuendo. Et ecce antequam bonus iuuenis iam in ducem totius itineris. Ocharitas immensa, & cura plus quam paterna creatoris, qui antequam è ventre matris prodiret, priusquam vllam inimicorum tuorum & periculorum impendentium notitiam habires, mandauit vni beatorum spirituum, qui semper diuinam eius faciem contemplantur, atq; illi ipsi, qui prius Macum matre præseruare, quo sine impedimento vllo secure ad gratiã baptismi peruenire posses, & in filiorũ Dei numerũ inscribi. Sed quid dico ego de cura & memoria a Deo habita pro te adhuc in vtero materno existente, imo ab omni æternitate, antequam angelos vel aliud quicquam condidisset. cum nondum essent abyssi, nondũ locata essent fundamenta cœli & terræ, iam o homo miserabilis tui memor erat, & de tua salute sollicitus. Et quanquã ab æterno tuã ingratitudinẽ & indignitate præuidit, nihilominus ex mera bonitate sua, nullo tuo antegresso merito non solũ decreuit tibi illud auxiliũ præstare, sed etiã omnia beneficia in te conferre, quæ hucusque

usque à primo tuæ conceptionis momento recepisti, & deinceps vsque ad vltimum, omnium maximum, æternam scilicet beatitudinem; es recepturus.

QVAESTIVNCVLA XXII.

Modus alter quis,

DEinde *quod ad* secundum *statum* vitæ tuæ attinet, cùm in lucem huius vitæ prodiisti, subiungit scriptura sacra, quemadmodum Angelus Raphael egressus cum Tobia è domo Patris, promiserit eodem cap. 5. se fidelem eius comitem toto itinere futurum, saluumque ad locum destinatum perductum. Non secus Deus te, simulatque natus es, cum vno horum cælestium ciuium comitatus est, vt tanquam singularis custos, & pædagogus tui patrocinium susciperet, tuumque aduocatum apud suam Maiestatem in cœlo ageret. In hac enim vita omnes sumus veluti pueri, opusque habemus tutore & pædagogo, qui quasi manu nos ducat & sustentet, ne forte pedes nostri in aliquã petrã peccati impingant, aut graue aliquod periculũ adeant: qui quoq; nos in brachia sua excipiat, vt securè loca periculosa transeamus, nec ante periculum animaduertamus, quã euaserimus. SECVNDO, sicut Angelus Raphael ducens iuuenem Tobiam per viam, optima consilia illi suggerebat, instruebatq; sigillatim supra cap. 6. qua ratione matrimonium inire deberet, nempe non hominum carnalium more, sed cum sancto timore Dei, crebraque oratione: sic Angelus tuus custos continenter tibi bona consilia suppeditat, & in omnibus actionibus dirigit: ille enim te excitat & impellit ad multa bona opera facienda quæ sine hoc auxilio non faceres, idque nunc alliciendo Christi Domini & Sanctorum exemplo, nunc tuam voluntatem consideratione bonitatis diuinæ, infinitorumq; eius beneficiorum inflammando, nunc etiã futuri iudicii, pœnarumq; inferni memoria mentem illuminando. TERTIO pergit ibidem scriptura narrare beneficia, quæ Tobias ab Angelo Raphaele, tam quoad suam personam, quam quoad bona temporalia recepit. Cum enim peruenisset ad fluuium Tigris & in eo vellet lauare pedes suos, insiliit in eum piscis immanis ad eum deuorandum: Sed Angelus eum defendit & ab illo periculo liberauit, voluitq; vt fel eius acciperet ad restituendam caco parenti sanitatem. Adhæc, idem Angelus non solum redemit pro Tobia summam illam pecuniæ, ob quam erat missus cap. 9. sed heredem quoque tum fecit omnium facultatum soceri sui Raguelis cap. 6. vers. 24. Iam quid aliud agunt Angeli nostri custodes, nisi vt continenter, ad auxilium nobis præstandum in necessitatibus nostris vigilent, haud secus ac mater intentos semper oculos habens in puerulum suum, ne forte labatur, aut mali aliquid faciat. Cogita igitur à quot periculis corporalibus te præseruarit, quæ aque at alii, incurrere potuisses. atque etiam quam fuerit solicitus in procurandis tibi bonis temporalibus, vt sanitate, viribus & aliis adiumentis, vt vitam conuenienter statui tuo instituere posses, atque illi statui, qui ad salutem consequendam tibi esset accommodatior. QVARTO, sicut Angelus Raphael, vt ipse cap. 12. ver. 12. dicit, officium sibi vendicabat, orationes, bonaque opera Tobiæ Deo offerendi, sic Angelus noster custos pro nobis exercet munus procuratoris in conspectu Dei, offerendo orationes tuas & desideria, & qualiacunque opera bona quæ facis, semperque à Deo aliquod donum gratiæ diuinæ ad te referendo. Vtinam videre fas esset quanto studio Angeli sancti nunc ascendant nunc descendant pro nobis, vti faciebant in scala a Iacob Patriarcha conspecta: ascendunt exponendo necessitates nostras, precandoque Deum, vt diuinam suam misericordiam nobis impertiat: descendunt autem reportando à Patre cælesti sanctas inspirationes, cogitationes bonas, aliaque diuina auxilia, & interdum etiam correctionem aliquam paternam, vt excitent nos, nosque ipsos exploremus, ne simul cum hoc mundo condemnemur. QVINTO, sicut Angelus Raphael Tobiam docuit cap. 6. modum, quem tenere debebat, ad exterminandum dæmonium, vt non haberet amplius potestatem in ipsum, contra quem etiam ipse Angelus pro iuuenis defensione pugnauit: sic Angelus noster custos non aliter, quam fidus Capitaneus, cui commissa est arx aliqua aduersus hostes defendenda, diligenter vigilat, ne vi vel fraude ab illis occupetur. Hi enim Angeli sunt fideles illi custodes, quos Dominus Isaiæ 62. dicit collocatos in muris Hierusalem ad custodiendum per vigilias noctis gregem suum, ne lupus ille infernalis aduersarius noster, instar leonis animas nostras abripiat. Ad hos quoque custodes angelos pertinent illa verba Apocalypsis c. 3. Esto vigilans & confirma. *Vigilat enim Angelus custos pro nobis contra dæmonem, obiiciendo se eius incursibus, frangendo & debilitando eius vires, & acceptam reparando iacturam, ne amplius tanta confidentia & audacia inuadere audeat. Confirmat quoque nos remouendo peccatorum occasiones, nunc à multis vitiis & peccatis deterrendo, in quæ destituti eius auxilio, facile incideremus, nunc etiam corroborando nos, & animando in occurrentibus tentationibus & afflictionibus, ac denique à Domino impetrando fortitudinis & gratiæ augmentum, ad resistendum, & victoriam obtinendam.* SEXTO, *sicut angelus Raphael supra c. 8. dæmonem, ne Tobiam, velut omnes reliquos mulierũ maritos, occideret, comprehensum alligauit in deserto: ita noster bonus Angelus singulariter nobis tempore mortis assistit, vt illa hora ab insidiis & impugnationibus dæmonis nos tueatur, & immunes reddat, qua acrius quam alias solet circuire, quærens quem deuoret: deinde vt à peccatis illis, quibus id temporis maximè obnoxii esse solemus, vt ab infidelitate, & desperatione nos præseruet, atque ita ex miseriis huius mundi liberi ad cælestem patriam migrare possimus. Adhæc postquam anima è corpore excessit, idem Angelus eam comitatur, solatur, animat, vt considenter se tribunali diuino sistat, obiicient eius oculis merita Iesu Christi pretiosissima, in quibus tempore illius iudicii fidere debeat. Si autem ad expiandas peccatorum reliquias adiudicata fuerit Purgatorio, ibi eam sæpe inuisit, solatur, certiorem reddit de precibus piorum pro ea in mundo fusis, & denique de futura liberatione securam esse iubet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA XXIII.

Modus vltimus quis?

QVOD ad tertium, *eumque extremum tuum statum attinet, considera quid denique Angelus Raphael fecerit, quomodo videlicet, cum coniugem iuueni Tobiæ assignasset, omnibusq; suis socero dotis & opibus onustum eum in domum paternam reduxerit: vbi tanto maiore gaudio receptus est, quanto maior erat mœstitia de eius reditu retardato, metuentibus omnibus ne forte periisset. Hic simul contemplare tui fidei custodis officium, qui animam tuam, post quam confecta longa & periculosa peregrinatione ab omni macula expurgata fuerit, cœlesti sponso per cœlestem paranymphum coniunctam, multisq; donis & diuinis charismatibus ornatam ac totam hilarem & lætam conducet ad cœlum, ad illam supernam Hierusalem matrem nostram, ibique magno gaudio & exultatione omnium Paradisi Angelorum, & Sanctorum a quibus multo ante fuerat expectata, cœlestis Patris conspectui præsentabit, vt diuinis etiam manibus recipiat coronam gloriæ, & felicitatis eius, quæ ab æterno ei præparata fuit, & pro qua nos miseri adhuc ingemiscimus, & suspiramus in hac lacrymarum valle. O millies beata anima, quæ post quam suo Creatori fidelis extitit, bonisq; suis Angeli custodis consiliis paruit, post annos vitæ suæ laudabiliter exactos, ab eodem Angelo in beatam illam patriam, in illa æterna iustorum tabernacula introducetur. Ibi celebrabuntur veræ nuptiæ agni cum sua dilecta sponsa, ibi plena erit lætitia, perfecta pax & quies sine fine.* Hæc omnia ille, qui & simili pietatis non paruæ sensu plura persequitur.

CAPVT XIII.

1 APeriens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, & dixit: *Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum.*

Deu.32. 39. 1 Reg. 2. 6. Sap.16 11. 2 *Quoniam tu flagellas, & saluas: deducis ad inferos, & reducis. & non est, qui effugiat manum tuam.*

3 *Confitemini Domino filii Israel, & in conspectu gentium laudate eum:*

4 *Quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.*

5 *Ipse castigauit nos propter iniquitates nostras: & ipse saluabit nos propter misericordiam suam.*

6 *Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi: regeq; sæculorũ exaltate in operibus vestris.*

7 *Ego autem in terra captiuitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit maiestatem suam in gentem peccatricem.*

8 *Conuertimini itaq; peccatores, & facite iustitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam.*

9 *Ego autem, & anima mea in eo lætabimur*

10 *Benedicite Dominum omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini illi.*

11 *Hierusalem ciuitas Dei castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum.*

12 *Confitere Domino in bonis tuis & benedic Deum sæculorum, vt ædificet in te tabernaculum suum & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia sæcula sæculorum.*

13 *Luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.*

14 *Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes, adorabunt in te Dominum & terram tuam in sanctificationem habebunt.* Isa.60.

15 *Nomen enim magnum inuocabunt in te.*

16 *Maledicti erunt qui contempserint te: & condemnati erunt omnes qui blasphemauerint te: benedicti q; erunt qui ædificauerint te.*

17 *Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.*

18 *Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua.* Apo.21. 18.

19 *Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ierusalem ciuitatem suam à cunctis tribulationibus eius, Dominus Deus noster.*

20 *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.*

21 *Porta Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius.*

22 *Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur: & per vicos eius alleluia cantabitur.*

23 *Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & sit regnum eius in sæcula sæculorum super eam, Amen.*

COMMENTARIVS.

HIc & Deum laudat gratias agens Tobias senior, & de futuris vaticinatur, ideoque à Græco dicitur, προφητικὴ πρὸς ἀγαλλίασιν, id est, *oratio in exultationem*, seu εὐχαριστικὴ & gratulatoria, ob tot & tanta diuinitus accepta beneficia. In priore parte nota quatuor. *Primum.* ver. 7. D. Cyprianus libro de Mortalitate. *Tobias*, inquit, *sub regali licet, ac tyrannica seruitute, sensu tamen, ac spiritu liber, confessionem suam Deo seruat, & virtutem, maiestatemque diuinam sublimiter prædicat, dicens. Ego in terra captiuitatis meæ confiteor illi, & respondeo virtutem eius in natione peccatrice.* Quod postremum Interpres noster, Deo ascribit, qui ostendat suam in Iudæos qui peccarant, potentiam. Alia ferè in superioribus & in Annæ hymno exposita li. 1. Reg. cap. 2. *Alterum.* Monet Hugo *notas* esse *ingratitudinis* quatuor, quas omnes à se hic repellat Tobias. Prima est, beneficia non memorare. Secunda non attribuere ei à quo accepta. Tertia non agere gratias, vel certe non quas oporteret. Quarta non referre gratiam, seu non rependere. *Tertium. Quomodo* ait ver. 11. de Ierusalem, *castigauit te?* Quidam apud Carthusianum dixerunt, hæc à Tobia dicta esse post Hierosolymam à Nabuchodonosore occupatam. Sed regum Iudæ series, & Tobiæ comparata ætas, de qua sequenti capite, ipsos refutat. Melius igitur Lyranus, ob rei certitudinem, prophetico more, pro futuro, ponit præteritum, quemadmodum Exodi cap. 15. ver. 14. & 15. *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* & hic capite sequenti ver. 7. clarè dicitur. *Omnu deserta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur.* Legi tamen posset, *castigabit*, quia Græcè est, μαστιγώσει, quemadmodum sequenti capite versu iam dicto, pro *incensa est*, dicitur, καλλωπισθήσεται, *incendetur. Quartum.* Hinc vlq; progreditur Hebræorum textuum alter, neque deinceps quidquam adiicit.

Vaticinantur verò de Hierusalem duo potissimum: eius excidium ver. 11. vt iamiam dictum: & restaurationem ver. 12. & sequentibus.

QVÆSTIVNCVLA. I.

De qua Hierusalem posteriora hæc intelligenda?

SVppono *triplicem* esse *Hierusalem*, vnam omnino *terrenam*, quæ est vrbs: alteram omnino *cœlestem*, quæ beatorum domicilium & Ecclesia triumphans est: tertiam quasi *mixtam*, quæ est Ecclesia militans in terris scilicet commorans, & tamen spiritalis. Intelligunt igitur de omnino terrena Iudæi, quemadmodum Isaiæ 54. & sequentibus, de iis docet S Hieronymus: de cœlesti verò V. Beda hic, Glossa, & Isiderus: de mixta Hugo hic, & Lyranus cap. vltimo: de omnibus Carthusianus. Et ita omnino videtur, quia & sæpe hoc alibi fit, & nonnulla hic dicuntur, quæ minus commode in hanc vel illam Hierusalem conueniant, verbi gratia, in terrenam non satis illa congruant ver. 13. *Omnes fines terræ adorabunt te.* ver. 19. *Liberauit Hierusalem ciuitatem suam à cunctis tribulationibus.* & cap. sequen. v. 7. *venient* gentes *in Hierusalem & inhabitabunt in ea.* In cœlestem verò ea dicuntur, & reædificatio hic ver. 11. & 12. itemque cap. sequen. ver. 7. an vllo pacto cadere dici possint?

QVÆSTIVNCVLA II.

Quæ de Hierosolymis hic prædicuntur?

MVlta & magna sunt, quæ hoc loco de Hierosolymis VATICINATVR senior noster. *Primum* est ver. 12. DEI *tabernaculum* ea in vrbe reædificandum, id est, templum, quod sequenti capite ver. 7. domus Dei appellatur. Quod verò Latinus actiue dicit, reædificaturum Dominum, id passiue Græcus expressit & addidit, reædificandum cum gaudio, ἵνα πάλιν ὁ ἐκλογὴ οἰκοδομηθῇ ἐν σοὶ μετὰ χαρᾶς, id est, *vt iterum ipsius tabernaculum in te cum gaudio excitetur. Alterum*, est ibidem, reuocaturum Dominum *omnes*, qui in captiuitatem abducti fuissent. Sed *omnes* intelligendi, non pro singulis omnino, sed pro tribubus omnibus, è quibus aliqui redirent, seu vt Dialectici loquuntur, pro generibus singulorum accipienda hæc generalitatis particula. *Captiuos* vocat Græcus αἰχμαλώτους & ταλαιπώρους, id est, *captiuos & miseros* vel ærumnosos, & quod dicitur, *vt gaudeat*, idem Græcus ait, τὸ εὐφρανθῆναι καὶ τὸ ἀγαπῆσαι ἐν σοὶ τοὺς ταλαιπώρους. vt gaudeant & ament omnes miseri, id est, gaudeant & exultent. Nam ex patriæ amissarumq; rerum, cum recuperatur, amore, nascitur lætitia. nisi cui videatur pro ἀγαπῆσαι, legendum ἀγαλλιᾶσαι. sed notandum lætitiæ huius *tempus*, quod nequaquam circumscribitur, sed *in sæcula sæculorum* porrigitur, seu vt Græcus habet, εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος, id est, *in omnes generationes sæculi. Tertium* ver. 13. fore vt luce quadam fulgeat Hierusalem, eaque non qualicumque, sed *splendida*. estque hæc lux veræ fideiè veritatisque fatuæ gloriæque illustrissimæ adeoque additur. *Et omnes fines terræ adorabunt te.* Hoc tamen totum in Græco quoad verba non est. sententia tamen eadem è consequentibus habetur. *Quartum* ergo est vers. 14. futurum, vt nationes Hierosolymam veniant, seu gentes τὰ ἔθνη, à quibus vitatum *Ethnicorum* nom è. Addunturq; verò tria: *primò*, vnde venturæ sint, μακρόθεν è longinquis videlicet partibus: *secundò* quo fine, *adorabunt Dominum, & terram tuam in sanctificationem habebunt*, id est, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, vt eam veluti sanctam suscipiant & venerentur, in eaque Dei gratiam & sanctificationem accipiant. Ipsa enim Psalmo 113. est *sanctificatio* Domini, qui eam sanctificauit, & in ea sanctificabatur. eo scilicet modo, quo in oratione Dominica sanctificatur eius nomen. Ideo subditur, *nomen enim magnum inuocabunt in te*, O Hierusalem Græcè ἔξει πρὸς τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ. *venient ad nomen Domini Dei. Tertio*, quomodo venturæ sint gentes additur. munera scilicet deferentes, Græcus cum emphasi, δῶρα ἐν χερσὶν ἔχοντες, καὶ δῶρα τῷ βασιλεῖ τοῦ ἀγαγεῖν γενεὰν γενεῶν δώσουσί σοι ἀγαπώμενα. *dona*, inquit, *in manibus habentes, & dona Regi cæli. Generationes generationum dabunt tibi exultationem.* Additur in eodem Græco etiam quartum, quot istæ gentes futuræ sint, non vna scilicet tantum vel duæ, sed ἔθνη πολλὰ *gentes multæ*. Nunc v. 16. ex iis, quæ prædicuntur, *quantum* ad Hierosolymorum hostes amicosque pertinet. Illi *maledicti* sunt, hi *benedicti*. Et illorum duplex iniuria tangitur, odium & blasphemia. per quæ omne incommodorum, quæ Hierosolymis intulerunt, omne conuitiorum, contumeliarumque genus intelligitur. Horum vero amor in Græco hic ponitur, in Latino postea, ver. 18. vnde oriuntur, quæ in Hierosolymam ipsam conferre possunt bona, ad eam scilicet ædificandam pro virili iuuare, ob ipsius pacem, seu faustitatem, incrementum & gloriam lætari, & prout in Græco apponitur, de flagellis & calamitatibus, quibus olim affligebatur, doluisse, Μακάριοι ὅσοι ἐλυπήθησαν ἐπὶ πάσαις ταῖς μάστιξίν σου. *Beati qui super flagra tua omnia indoluerunt.* De istis omnibus semel iterumque in Græco dicitur, ô felices, ô beati. Et quod ver. 17. est, *Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur & congregabuntur ad Dominum*; Græcus ita effert. Lætare & exulta propter filios iustorum, quia congregabuntur, & benedicent Dominum iustorum. *Sextum*, ver. 19. seipsum excitat ad Deum laudandum, & ver. 20. fœmini suo tantorum bonorum aspectum precatur. vnde sibi ipsi beatitatis veluti partem quandam obuenturam profitetur. Græcè vocatur Deus βασιλεὺς μέγας, *Rex magnus*, & vere magnus præ illis, qui magni olim vocabantur, de quibus in Iudith & Esther. *Septimum* ver. 21. est quædam reædificandæ Hierosolymæ delineatio, quoad præcipuas partes, ties nimirum portas muros & plateas. Portæ ipsius ex sipphiro & smaragdo constabunt. Muri circumcirca, ex lapide precioso. Plateæ omnes è candido mundoque lapide sternentur. In Græco sic: *Ædificabitur Hierusalem sapphiro & smaragdo, & lapide pretioso muri eius & turres & propugnacula in auro mundo & plateæ in Hierusalem in beryllo & carbunculo, & lapide ex sauphir tessellabuntur.* vbi pro *portis*, ipsa *Hierusalem* synecdochicè ponitur, & vna cum muris adiunguntur eorum turres & propugnacula. In plateis vero quis sit ille Latini textus *candidus, mundusq; lapis* ostenditur, lapis videlicet Ophirites, seu *ex Ophir*. Ira enim Græcè legendum est, vt Hebræorum textuum alter legit, & in 3. Reg. c. 9. pro *in Ophir* habent itidè Septuaginta ἐις σωφιρ. pro εἰς ὠφιρ. & videri posset illic ex εἰς accessisse signa, hic vero ex resolutione ipsius duplicis ξ, in κ & ς fictũ ἐκ τοῦ εἰς, nisi Ecclesiastici c. 7. absq. ista mendi occasione σωφὶρ etiã legeretur, & Isaiæ c. 13. Qui vero isti lapides, & quales gemmæ sint persequitur. l. de lapidibus S. Epiphanius lib. 10. Orig. Isidorus, lib. 37. Plinius à D. Hieronymo in Isaiæ cap. 54. laudatus in pergesi Dionysius, & libello vno Rueus. *Octauum* est, quid in ista vrbe facturi sint incolæ ver. 22. *Per vicos eius, Halleluia cantabitur.* Quemadmodum apud Gentiles, lætantium vel bacchantium potius voces erant, *io pæan, io pæan*: ità in Dei Ecclesia & apud Sanctos, in genuis cuiusdam sanctiq; gaudii est hæc oratio *hallelu, iah*. quam in Psalm. 103. inscriptione apud Septuaginta, primum legimus, licet fini Psalmi 103. attribuant Masoretæ. Constat verò ea verbo & nomine. Illud valet laudare, non tamen simpliciter, sed cum quodam gaudii sensu, cum iubilo & cantu. Veteres enim Hebræi sæpe *hola* per verbum aliud *schamach*, quod gaudere significat, explicant, & *hillel iah* lætitiam vocant, *beth hillulah*, domum lætitiæ & gaudii, ipsumque quandoque nuptialem thalamum. Luuitici 19. *Iah* vnum ex decem Dei nominibus est, vt ait S. Hieronymus epistola 136. ad Marcellam & inuenitur Isaiæ 26. Psal. 67. 76. 93. 117. 150. Id à timendo R. Salomon & fere Thargumim Hebraicum ab essendo alii deducunt. in quibus & videtur S. Iustinus quæst. 50. ad Orthodoxos dum *iah* vertit in ὢν. Est ergo *Halelu iah. laudate Deum*, sed *cum iubilo*, cum lætitia & admodum intensè. prout Hebraica etiam coniugatio secum affert. Ideoque rectè loco citato S. Iustinus μετὰ ἀλαλαγμοῦ. Plura de isto halelujah apud D. Hieronymum epist. 136. 137. D. Augustinum epist. 176. seu altercatione cum Pascentio, in Psal. 106. 110. 148. hom il. 16. *Hanc esse vocis*, ait, *laudem, nullus Christianus, quamlibet imperitus, ignorat.* qui & de ea, ipso Paschatis die, sermonem ad populum habuit, estque inter Paschales primus. *Quoniam*, ait, *voluit Dominus, vt charitatem vestram in Alleluia exerceremus, de Alleluia voluit verbum debemus. Non sim onerosus, si commemoro quod nostis, quia & ipsum Alleluia quotidie decimus, quotidie delectamur. Nostis enim, quia Alleluia Latine dicitur, Laudate Deum: & in hoc verbo consonantes voces, & consentientes corde, exhortamur nos invicem ad laudandum Deum. Eum tantum homo securus laudat qui non habet vnde diffidat. Et in hoc quidem tempore peregrinationis nostræ ad solatium viatores ducimus alleluia: modo nobis alleluia canticum est viatoris. Tendimus enim per viam laboriosam ad quietem patriæ: vbi retractis omnibus actionibus nostris non remanebit nisi alleluia.* Et post nonnulla. *Modo gloria Dei nostri, gloria Christi nostri latet, & cum illo abscondita est & nostra. Sed cum Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria. Tunc erit Alleluia in re: modo autem in spe. Spes illam cantat, amor cantat modo, amor canebit. Sed modo cantat amor egentem: tunc canebit amor fruentem. Quid est enim alleluia, fratres mei? Dixi vobis, Laus Dei est. Ecce modo*

modo verbo auditis & audiendo delectamini, & in delectatione laudatis. Si rogem sic amatis fontem ipsum quomodo amabitis? Quod est enim stomacho ructantis ructatio, hæc est cordi signato laudatio. Si enim laudamus quod credimus, quomodo laudamus cum videbimus? Nonum ver. 23. est exaltasse Deum Hierosolymam eum ob finem, vt suum ipse regnum super eam haberet in sæcula sæculorum, id est, in ex æternum regnaret. Si authore Platone, prout etiam in Ionæ cap. 3. citat D. Hieronymus, beata Reipub. in qua vel consiliarii vel Reges philosophi, quam beata hæc ciuitas, in qua Rex ipse Deus? Græci libri, paulo aliter tribuunt plateis, quæ dicent *Halleluiah*, vel potius hominibus, qui per illas vadent, quia est ἀλληλούϊα, εὐλογητὸς ὁ θεὸς, ὃς ὕψωσε πάντας τοὺς αἰῶνας. E Græco emigrauit *Amen*. de quo in Iudith cap. 15.

QVAESTIVNCVLA III.

Quæ istorum ad Hierosolymas tres positas accommodatio?

ISta vero *dupliciter* accommodari possunt, vel omnia scilicet singulis Hierosolymitanis, proportione scilicet quadam & accommodatione seruata: vel quædam quibusdam. *De terrena* videri potest Carthusianus. Nam, ob Christi Domini sepulchrum, & vestigia, vrbs illa etiam à Christianis & peregrinantibus valde semper culta fuit, vt ex D. Hieronymo, & Burchardo in principio patet. De *cælesti* videatur Clemens sub finem quarti Stromatum & Apocalypsis caput vicesimum primum. *De tertia* quæ est Ecclesia in terris adhuc constituta, viam præit S. Paulus, qui ad Galatas 4. illa quæ de sterilis fœcunditate, de tabernaculorum dilatatione aliisque similibus prædixerat cap. 54. Isaias ad Ecclesiam refert. Ideoque & hoc loco tanti præcessoris vestigia rectè sequi licebit, cum D. Hieronymo in illud 56. Isaiæ. & deinceps legatur ipse, breuiterque hæc notentur. Ecclesiæ Catholicæ *lux* maxima est Isaiæ 2. 54. 66. ad eam veniunt *captiui* Schismatici, hæretici, excommunicati. vt etiam hoc tempore, Alexandrinorum & Ruthenorum ad Romanam Ecclesiam legatos audiuimus, de quibus R. diff. Baronius tomo 6. & 7. Quam multos ingenio, doctrina, opibus & dignitate præstantes quotidie videmus, qui hæreseon vanitate tandem aliquando agnita, resipiscunt, suamque ad matrem Ecclesiam Catholicam reuertuntur? Veniunt ad eam *e longinquo* etiam *alienigenæ*, vt Gentiles, Peruani, Mexicani, Iapones, Indi, Sinæ, Mogores. *Hostes* ipsius *maledicti* sunt Turcæ & hæretici omnes: *Benedicti amici*, qui eam ædificant. Apostoli & Doctores, primæ Corinthiæ tertio. Eius ædificatio constat *lapidibus* pretiosissimis, fide, spe, charitate, aliis. *Per omnes vicos eius cantatur Alleluia*, quia non vnum iam templum tantummodo est, sed multa *& in omni loco*. vt Ioannis 4. dictum erat, laudatur Deus. neque ipsa clarissimè videmus, quod Malachiæ 1. v. 11. scriptum est. *ab ortu solis vsq; ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus & in omni loco sacrificatur & offertur oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus dicit Dominus exercituum.* Quid vero in omnibus Catholicorum ditionibus in viis etiam publicis, in plateis omnibus tot pietatis monimenta, tot ad Christi Domini, beatissimæ ipsius matris, cœlitumque ipsius laudē statuæ, imagines, sacella! Quid tam crebræ item processiones, & litaniæ, tot in vis Christi Iesu Domini ac Saluatoris nostri vexilla, tot cruces, faces sacrique cantus? idque *in* vrbibus & pagis, per vicos, villas, agrosque omnes? Nonne vt magnus Deus noster, & in se & in sanctis suis laudetur & celebretur? Nonne vt ob summa & innumerabilia eius in nos, vbique locorum, beneficia, gratiarum actiones à nobis, eius maiestati, locorum vbique agantur? Nonne denique vt per omnes Ecclesiæ sanctæ vicos pio, syncroque mentis affectu, verbis, rebusque omnibus Alleluia cantetur? felices, qui quam præclarum, in Ecclesia Catholica cœlestis illius Hierusalem ectypon, quam viua imago sit, perpiciunt, in eaque circumfremant, licet vndique hostiles hæreticæ, Iudaicæ, Turcicæ acies, persecutent, vocibus, moribusque canentes *Alleluiah. Laus & gloria & virtus Deo nostro*. Amen.

CAPVT XIV. ET VLTIMVM.

1 ET consummati sunt sermones Tobiæ. Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum suorum.

2 Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorifice in Ninive.

Quinquaginta namque & sex annorum tempus vitiorum amisit sexagenarius vero recepit.

4 Reliquum vero vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei pertexit in pace.

5 In hora autem mortis suæ vocauit ad se Tobiam filium suum, & septem iuuenes filios eius, nepotes suos, atque eis

6 Prope erit interitus Ninive, Non enim excidit verbum Domini: & fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israel, reuertentur ad eam.

7 Omnis autem deserta terra eius re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

plebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa fuit, iterum reædificabitur: ibiq; reuertentur omnes timentes Deum.

8 Et relinquent gentes idola sua, & venient in Ierusalem, & inhabitabunt in ea.

9 Et gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes Regem Israel.

10 Audite ergo filii mei patrem vestrum: Seruite Domino in veritate, & inquirite, vt faciatis, quæ placita sunt illi:

11 Et filiis vestris manaate vt faciant iustitias & eleemosynas, vt sint memores Dei & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.

12 Nunc ergo filii audite me, & nolite manere hic: sed quacumq; die sepelieritis matrem vestram circa me in vno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros, vt exeatis hinc.

13 Video enim quia iniquitas eius finem habebit ei.

14 Factum est autem post obitum matris suæ Tobiæ abscessit ex Ninive cum vxore sua, filiis, & filiorum filiis, & reuersus est ad soceros suos.

15 Inuenit eos incolumes in senectute bona & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum: & omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit: viditq; quintam generationem, filios filiorum suorum.

16 Et completis annis nonaginta nouem, in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum.

17 Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita & in sancta conuersatione permansit, ita vt accepta essent tam Deo, quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra.

COMMENTARIVS.

HIc de Tobiæ vtriusque morte, & de eorum posteritate agitur. sed prius tribus de rebus *vaticinantur*, ferè vt superiori capite. Senior. *Primò*, de Niniues, quam cap. 1. Ninum etiam vocari aiebam, excidio vers. 6. *Deinde* de Hierosolymorum restauratione. vers. 7. & de captiuorum reditu, de quo in Esdra dixi. *Tertiò* de Ecclesia Christiana. v. 8. Tum moribundus, filio & septem huius mo religionem serio illis commendat. *Seruite*, ait, *Domino*. & seruiendi modum apponit, *in veritate non ficta*. Deinde: *Inquirite*, ait, *vt faciatis, quæ placita sunt illi*. Zelum feruoremque in Dei obsequio præscribit. Non decet qualicunque modo Numini summo seruire, ignauorumque seruorum instar semper expectare, vt hoc aut illud quod ad Dei honorem spectat agere iubeamur & perpellamur. Inquirendum sponte, magnoque studio, quidnam sit, quod Deo placeat, idque cupidè faciendum. Scrutanda etiam Domini lex. audiendum Dei verbum. libelli pij legendi, scitandum etiam quandoque à melioribus & prudentioribus, factu quid vtile. At pietatem istam, non in istis tantum, qui modo coram astabant, insculptam voluit Tobias: sed in tota etiam posteritate, vt faciant iustitias & eleemosynas. Deinde, vt *sint memores Dei*, & tertio, *benedicant eum*. At quam filio dici videntur. videlicet tamquam præcipuo, & aliorum qui aderant, patri & magistro, & nisi bo isti ab impio & ingrato Amone, in dignitatis & vitæ periculum adducti: pietate tamen, & eleemosynis enaserunt: ille vero, qui Achiacari alumnus fuerat, pessime perit. Quæritur de hoc ipso loco Ambrosius Pelargus in quadam ad Erasmum Epistola, quæ incipit. *Quando vel Homerus. In Tobia*, inquit, (*quem cum aliis aliquot tum veteris, tum noui instrumenti libris prælegendum suscepi Theologiæ candidatis*) *multa occurrunt frigida prorsus, & ieiuna, plura item subobscura, in editione præsertim septuaginta Interpretum, vt me susceptæ prouinciæ pene pœniteat*. Quid, Pelarge, ais? quid quæreris? Et gratta est, eius prouinciæ vnquam pœnituit. Subobscura quidem non pauca occurrerunt. sed & & verum hic pyriten sentio, de quo libr. 1. de dogmatibus Turrianus. Et miror, quomodo, quam 70. Interpretum editionem agnoscis, eam tuis istis & frigoribus & ieiunitatibus abundare censeverba legitur. τεκνον δὲ τι ἐκολλησεν αμαν αχιαχαρω τῷ θρέψαντι αὐτὸν ὡς ἐκ τοῦ φωτὸς ἤγαγεν αὐτὸν εἰς terpret, nescio quis, ita locum vertit, quasi Aman alteri suo Achiacharo pessimam retulerit gratiam, nimirum quem e lumine in tenebras duxerit. Veram hinc non liquet, vtrum senserit interpres (silicet Achi) in tenebrosum conclusum carcerem, an vitatum oculorum luminibus. *Obsecro vt, loco excusso, significes per præterea, qui tibi se-sus magis probetur*. Quid ad hoc igitur Erasmus?? *In Tobia*, inquit, *nihil dubito, quin mendum sit scribæ. Nam Franciscus Asulanus scripsit sibi fuisse depraua: tissimum exemplar, quum libros istos excuderet. Nec mouere debet exemplariorum consensus, quum Argentinensis, imitatus sit Aldinam*

Rectè

Rectè mendum est. Sed quomodo emendandum? Tacet Erasmus. & tamen partim ex interprete, quem viderat Pelagius, partim ex antithesi τῷ φωτὸς non erat hoc vlq; adeo collecta correctuque difficile. Ipsa ergo septuaginta editio correcta, libriq; alij, etiam quos sequutus erat Interpres à Pelagio citatus, non κόλλησεν sed ἐκάτησεν habent. Per quod nomen intelliguntur carceris & egestatis, vitæque abiectioris tenebræ. cum ab istis tenebris saluatus postmodum & liberatus dicatur Achiacarus: & in easdem ipse Aman detrusus. Quod enim viris bonis intriuerat, exedundum ipsi fuit, prout in Amane alio, edocebit Estheris volumen.

QVAESTIVNCVLA I.

Quodnam Domini verbum de Niniues interitu ver. 6.

DVo Prophetæ Niniuen exscindendam prædixerunt, Ionas quidem ante decem tribuum captiuitatem. Nahum vero, post. Agit vero sanctus Tobias de verbo quod per Ionam fuerat enunciatum. Ita enim Græcè habetur πεπεισμαι ὅσα ἐλάλησεν Ιωνὰς ὁ προφήτης περὶ Νινευὴ, ὅτι καταστραφήσεται, id est, *Credidi*, seu vt prologo in Ionam citat S. Hieron. *quæ locutus est Ionas Propheta ad Ninive, quoniam subuertetur*. Iterumque postea. Καὶ νῦν τέκνον, ἀπελθὲ ἀπὸ Νινευὴ, ὅτι πάντως ἔσται ἃ ἐλάλησεν ὁ προφήτης Ιωνὰς. *Et nunc excede fili è Ninive. quia omnino erunt, quæ locutus est Propheta Ionas*. Quia vero Nahum post abductum in captiuitatem, de qua primum caput agebat, Tobiam, vaticinatus est, ideo eius non meminit Tobias.

QVÆSTIVNCVLA II.

Cur euersa Ninus?

CAusa ponitur versu 13. *Video*, ait, *quia iniquitas eius finem dabit ei*. Nam vt ait prologo in Ionam D. Hieronymus, *ad Ionæ prædicationem acta pœnitentia, veniam consequuti erant Niniuitæ, posteà vero in pristinis vitijs perseuerantes Dei in se pronocarunt sententiam*. Fuerat Ionæ prædicatio, non absoluta, sed cum conditione, *nisi pœnitentiam agerent*, & per veniam à Deo propter pœnitentiam, data verbis salus etiam cum conditione fuit, *si in pœnitentia & emendatione scelerum persisterent*. Hinc v. 6. *Non enim excidit verbum Domini, quod secundum Ionam prædixerat*. Hinc verò intelligimus, vnde bella, vrbium excidia, regionum vastationes & depopulationes. *Iustitia*, inquit Salomon Prouerb. 14. vers. 34. *eleuat gentem, miseros autem populos facit peccatum*.

QVAESTIVNCVLA III.

A quo euersa Ninus?

MVltæ sententiæ. *Prima* Iosephi lib. 10. cap. 3. à Medis & Chaldæis, & videtur ita sentire Strabo initio lib. 16. dum statim, post imperii ad Medos translationem, delatam, ait. *Secunda*. Bedæ de temporibus. cap. 20. & lib. de sex ætatibus. Orosii lib. 1. cap. 19. lib. 2. cap. 2. ab Arbace Medo. & Beleso Satrapa Babyloniæ, ex Iustino lib. 1. & Diodoro lib. 3. cap. 7. qui Ctesiam adduxit, quem tamen falso Herodoti sæculo vixisse refert: sicuti & falsum, quod ait, Ninum vrbem ad Euphratem sitam fuisse, cum ad Tigrim fuerit. *Tertia*. Cedreni fol. 13. à Perseo Ioris & Danaes filio. *Quarta* Reineccii tomo 1. à Merodach. *Quinta*. Herodoti l. 1 Eusebii in Chronicis, à Cyaxare Medo. *Sexta*. D Hieronymi in Nahum. cap. 2. Ruperti ibidem, Theodoreti in prologo, Hebræorum in Seder cap. 24. & Genebardi, à Nabuchodonosore. Sed omni molestia nos textus Græcus in extremo isto capite liberat, qui euersam tradit, à Nabuchodonosore, & Assuero, ita vt cum prima rectè posteriores iungi possint sententiæ. Νινευὴ ἐχμαλώτισε Ναβυχοδόνοσορ ὁ Ασσυρίου. *Niniven cepit, sub iugumq; misit Nabuchodonosor & Assuerus*.

QVAESTIVNCVLA IV.

Quando euersa Ninus?

QVia hanc Niniues euersionem ad Nabuchodonosorem esse referendam iam probaui, duæ *de Nabuchodonosoris tempore* notandæ sunt *opiniones*. *Prior* ait, Ninum ab ipso deletam, primo regni ipsius anno, id est, anno tertio Ioachim Regis Iudæ. Ita Beda loco citato, Rabbini quidam, & alij plurimi. *Posterior* idem Nini excidium confert in vigesimum quartum annum regni ipsius, eiusdem Nabuchodonosoris qui est sextus annus post euersam ab eo Hierosolymam. Et *mihi hæc placet opinio*. *Primo*, quia non nisi, post Alexandriam vastatam, vastata Ninus, vt habetur ex Nahû 2. & 3. Isaiæ 10. Ieremiæ 25. Sed Alexandriam ille non nisi anno regni sui 23. vastauit, vt ait Iosephus lib.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phus lib. 10. cap. 11. *Deinde*, quia pluribus quæ huc nihil opus transcribere, id recte noster probat Ribera in Nahum, cap. 2. Sed cum eodem Ribera, obseruandum, hic, illum, quem, vt quæst. 2. vidimus, Nabuchodonosori adiungit textus Græcus. *Assuerum*, esse Regem illum, qui ab aliis dicitur *Cyaxares*. *Primò*, quia Eusebius Cyaxaris principium ponit in decimoquinto anno Iosiæ: & Herodotus, contra ipsum Eusebium tradit, eum regnasse annos 40. ita vt Hierosolymitani excidii tempore adhuc extiterit. Desiderabantur tamen adhuc anni sex, vsque ad Ninives euersionem. Sed, vt in aliis multis, eos omisit Herodotus. *Secundò*, qui ab Hebræis Ahasuerus dicitur, sæpe à Græcis vocatur Axauerus, Oxares, & Axares. Præponitur vero particula *ax* siue *achs*, quia lingua Persica, Dynastam, vel principem significat, sicut alicubi propriis nominibus præponi solet, *Don*, & hodie in regno Megor postponitur, *gio*, id est, anima, vt hodierni regis Ecbari filius primogenitus vocatur *Sciegio*, id est, *Scieci anima*, prout Mogorica narratio indicat, nisi quæ in suo Turcico Pandecte cap. 1. de *Kio*, & *Scach*, notat Leunclauius, malimus, *Giokelpem*, ait, *nos vocamus, sequuti Gauderium, linguæ Turcicæ Cæsareum interpretem, qui Turcis est, aliorum pronunciatione, Kukelpes vel* ando vocem *Kioe vnica tantum syllaba, qui alibi Gog Chan dicitur: vt etiam Gukelp & Gog Elp, pro eodem accipiatur, quod nomen indicandum putani, propter appellationem gentis, quæ sacris in literis exstat, Scachs autem appellatio, vel Regum vel magnorum est principum, præsertim apud Persas, sicut apud Hispanos Don vocabulum in vsu est. Vnde vox Cosoraßath mutanda prorsus in Cosroas Sach, id est, Cosroes Rex. Tertio*, Mediâ Nabuchodonosore victi iam erant, ita, vt Cyaxares ei tantum auxiliaris fuerit. Est vero alius ab eo, de quo in Esdram egi.

QVAESTIVNCVLA V.

Quomodo futura moriturus prædixerit Tobias?

VEtus opinio est, morientium animos futura interdum quædam præsentire atque prædicere, *Appropinquante*, ait apud Tullium primo de diuinatione, Quintus, *morte, multo est animus diuinior. Nam & idipsum vident, qui sunt morbo graui & mortifero affecti. instare mortem. Itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum: tumq; vel maxime laudes student: qui secus quam decuit, vixerunt, peccatorum suorum tum maximè pœnitet. Diuinare autem morientes etiam illo tempore confirmat Rosidonius, quod affert Rhudium quendam se æquales nominasse & dixisse, qui primus eorum, qui secum* dus, qui aeinceps moriturus esset. E nostris vero Arnobius lib. 2. contra Gentes. *Morti*, ait, *vicini maxime valemus scientia, sta vt de futuris vaticinemur, vt prodiit est à Platone in Apologia Socratis, dixisse Socratem.* Et D. Gregorius li. 4. Dialog. cap. 25. ita Petrum illum suum, colloquentem facit, *Velim scire quonam modo agitur, quod plerumq; morientes multa prædicunt.* Respondet vero ipse capite sequenti. *Ipse aliquando animarum vis, sub vtilitate sua, aliquid præuidet. Aliquando autem exitura de corporis afflata in secreta cælestia incorporeum mentis oculum mittunt.* Significat vero sanctitate, doctrinaque clarissimus Pontifex duos prædictionis huius modos, naturalem vnum, supernaturalem alterum, & in duo rursum membra istum partitur. Naturalem exponunt aliter Platonici, aliter Aristotelici. Illos D. Thomas 2. 2. quæst. 172 art. 1. etsi non contemnit, hisce tamen potius assentitur & in argumenti primi solutione illam D. Gregorii subtilitatem ita explicat, vti in animo, qui è corpore iam euolaturus sit, alia prænoscendorum futurorum vis nulla insit quam habilitas & promptitudo quædam, præsentes quoidam motus & impressiones acrius meliusque cognoscendi, quas cum animus corporis magis adhuc affixus, eiusque vinculis & materia impeditior est, minus cognosceret, vt ibidem etiam similiter docet Caietanus. Tobiæ ergo nostri naturalis an supernaturalis præsensio prædictioq; fuit? Putarit forte quispiam fuisse naturalem, quia, vt quæst. 3. vidimus, aiebat, *Video, quia iniquitas eius finem dabit ei.* Quid vero non naturale, si quis, bia, iniustitia, luxuria, sceleribusque aliis perditam, funditus breui quis exscindendam prænunciet? Ideoque mera tantum naturalis prudentia videatur, vt alio illinc excedere filium præciperet. *Ruinis*, ait Plinius lib. 8. cap. 28. *imminentibus, musculi præmigrant. Aranei cum telis primi cadunt.* Nihilominus tamen *vera hic & supernaturalis prophetia fuit.* Certissime siquidem futura, quæ ex hominum arbitrio pendent, quæque aliter omnino euenire possunt, ante prouidere atque præloqui non ab hominis natura est sed extrinsecus aliunde. Quot & quam sceleratas vrbes, domos, homines videmus, & tamen quis futurum eorum interitum, absque vllo errore, nisi à superiore qualitatum è captiuitate reditum. Hierolymorumque restaurationem, & Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis statum proposuit. Cum ergo sanctissimus vir esset, fecit, quod, cum corporis vinculis laxandi iam essent, alii sancti fecerunt: Genes. 27. 49. 50. alibi. Vnde & à S. Ambrosio lib. de ipso, *propheta* nominatur.

Mortuus vero est Niniuæ, *vbi*, ait lib. de vita & morte Sanctorum cap. 99. Isidorus, *iacet sepultus in pace*

in pace. Eius *imago* ante annos 1200. in Ecclesiis, cum S. Iob, vt exempla patientiæ duo præclarissima essent, pingi consueuit, quemadmodum hisce versibus Natali 10. S. Paulinus scribit. Portieus enim

- - - quæ sunt dextra, lauaq; patentes
Binis historiis ornat pictura fidelis.
Vna sanctorum complent sacra gesta virorum.
IOB *qui vulneribus tentatus, lumine* TOBIT.
Ast aliam sexus minor obtinet inclyta IVDITH
Quæ simul & regina potens depingitur ESTHER.

QVAESTIVNCVLA VI.

Quid post patris mortem iunior fecit Tobias?

PRIMO, fecit. quod capite 4. & iterum hic ver. 13. præceperat pater. hunc & matrem eodem tumulo condidit: & quæcumque lib. 4. de legibus à piis filiis in parentes viuos & mortuos præscisci Plato vult, præstitit hic noster quam cumulatissimè. *Deinde* ver. 14. *abscessit ex Ninive. Tertio, socerorum* adhuc viuentium *curam gessit* magna vtique cura & pietate. *Quarto* clausit oculos eorum vers. 15. Hoc officium à liberis accipiunt libenter parentes. Vnde Telemachi marex ad illius patrem scribebat,

Dii precor hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis.
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
Et postea vt ipse hoc idem patri etiam suo faciat,
Respice Laerten, vt tam sua lumina condas.
Extremum fati sustinet ille diem.

Morientibus oculos operire, ait lib. 11. Plin. cap. 37. *rursusq; in rogo patefacere, Quiritium magnoritu factum est, ita more conditum, vt nefas ab homine supremum eos spectari fas esset. & cuius non offendi nefas.* Cur verò mortuis ij claudantur, causæ afferri queunt plures. *Vna* modo satis. *Vna*, vt intelligant mortales, verè somnum quendam esse mortem. *Iacet*, ait Cicero 1. de Diuin. *corpus dormientis vt mortui.* Et Homerus mortis fratrem somnum appellauit, Alius verò,

Stulte quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

Altera causa, ne vllus à mortuis horror viuentibus injiciatur. Terribile siquidem plerisque videtur aperti oculis à mortuo veluti aspici.

Quinta amplam socerorum hæreditatem adiit vers. eod. *Tandem* & ipse mortuus est.

QVAESTIVNCVLA VII.

Quæ, secundum Latinum, Græcumque textum, vtriusque Tobiæ morientis ætas.

SEnior in Latino textu *vixisse* dicitur annos 102. in Græco annos 158. In Latino, post *receptum visum* vixisse annos 42. in Græco 92. Fuit *cæcus* secundum Latinum, annos 4. secundum Græcos, annos 8. & secundum eosdem Græcos factus cæcus anno 58. in Hebræo cap. 5. cum mitteret filium in Mediam ad Gabelum Tobias inquit, *Ex quo argentum in manu eius posui, hodie viginti anni sunt.* quibus ex tempore, antequam argentum hoc accepisset, illique traderet, annus forte vnus addi potest. quo, fide ac virtute sua, Regis huius animum sibi tantopere adiunxerit. Si ergo hi anni 21. ante recuperatum visum, accipiantur cum iis, qui visum secuti sunt, *vixerat in captiuitate* vnuersè, secundum Latinum textum, annos 63. secundum Græcum annos 121. Ideoque *venerit in captiuitatem*, anno ætatis suæ, secundum Latinum textum trigesimo nono, secundum Græcum, trigesimo septimo, vnde videtur anno quarto vel quinto Assaradonis cæcus factus, &, cum regnante huius Patre S ennacheribus annos septem, venisse in captiuitatem, vel quinto vel sexto anno Sulmanasaris. *Mortuus* est. *ante Hierosolymam euersam*, secundum Latinos, annis 70. secundum Græcos annis 16. quia ex Chronologia alibi posita, à captiuitate 10. tribuum, ad Hierosolymitanum excidium anni sunt 127. Mortuus *ante Ninivem euersam*, secundum Latinos, annis 46. secundum Græcos annis 22. *Iunior* vero Tobias secundum ferè Latinorum omnium sententiam ex vers. 16. *vixit* annos 99. secundum Græcos annos 127.

QVAE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Vter numerus melior, Græcorum an Latinorum?

NEuter forte videatur probandus. *primo.* quia secundum neutram putationem vidisset Tobias iunior Niniues interitum, vt patet per Iudæ regum annos. Et fatetur historia Scholastica illum ad annum Ioliæ 20. peruenire tantum potuisse. At vidisse interitum Niniues differte ait Græcus textus ὑγιὴς μεχρὶ ἀποθανεῖν αὐτὸν τῶν αἰχμαλώτων Νινευΐ. *Auditus prius quam moreretur, exitum Niniues. Secundo.* In vtroque textu lectionis varietas est. Nam in Latino ver. 1. pro 42. legit historiæ Scholasticæ Magister 52. eamque lectionem approbat Hugo Cardinalis. In Græco vero pro 158. annis Tobiæ senioris leguntur à Glyca parte secunda, anni 130. Pro 127. Tobiæ iunioris annis ab Athanasio in Synopsi traduntur anni 102.

Græcus tamen videri forte queat melior. *primo.* quia ver. 1. & 14. in Latino dicitur vidisse Tobias senior tertiam generationem, id est, filium, nepotes, & horum filios. Nam ver. 5. cum correctis bibliis legendum. *Vocauit ad se Tobiam filium suum, & septem iuuenes filios eius nepotes suos.* At quo modo duobus & centum annis generationem tertiam vidisset? *Secundo.* Dicitur vers. 6. *prope esse interitus Niniue.* At, secundum Latinos, annis adhuc 76. aberat. *Tertio,* Hebræus alter, in hac annorum putatione Græco consentit. *Quarto.* Secundum Latinos, iunior Tobias non potuisset ver. 15. videre *generationem quintam.* Patri enim qui in tertiam tantum generationem viderat nonnisi 42. annos superstetisset.

Videtur tamen Latinorum numerus magis probandus. *Primo,* quia sæpius in Græcorum numeris etiam alibi erratum est, vt in Genesis capite 5. notatum, aliisque in locis. *Secundo,* plures in Græco textu sunt lectionis varietates, & è melioribus petitæ. *Tertio,* de cæcitatis annis, Hebræorum alter Latino consentit, vt supra dictum. *Quarto,* Tobias senior, secundum Græcos, & Eusebii de Niniues excidio sententiam, id in Cyaxaris anno 13. vel 22. videre potuisset, & tribus minimum annis ei adhuc superfuisse. *Quinto* multo minus apud Græcos potuisset iunior Tobias generationem quintam videre, quia Patri superstes tantum fuisset annos 35. *Sexto.* Valde senes fuissent, qui seniori Tobiæ superstites fuisse traduntur, eius vxor Anna v. 12. Raguel v. 14. Tobiæ iunioris vxor Sara, præsertim cum iuniori nupsisset post septimum iam matrimonium.

Argumenta obiecta facile dissoluuntur, nisi quod qui traduntur v. 16. Iunioris Tobiæ anni 99. videantur putandi à senioris morte, seu à migratione ad Socerum in Mediam. His vero si addas totum captiuitatis tempus præteritum, annos scilicet 63. habebis annos 162. eius. Facigitur annorum fuisse duorum, cum in captiuitatem vna cum parente veniret, & ex iisdem simulque illis 162. fierent anni 164. sicque vxorem duxisset ætatis anno 25. vel 24. cum ea opportunitas, longinqua in regione, daretur, vt ex sua tribu bonam sanctamque coniugem posset accipere.

Ætatis Tobiæ Senioris synopsis.

- TOBIAS SENIOR secundum textum,
  - I. Hebræum.
    - I. Vixit à data Gabelo pecunia annos 10.
    - II. Cœcus annos 4.
  - II. Latinũ
    - I. expressè
      - I. Vixit annos 102.
      - II. Post recuperatum visum annos 42.
      - III. Cœcatus anno ætatis 56.
      - IV. Cœcus annos 4
      - V. Recuperat visum anno ætatis 60.
    - II. Per ratiocinationẽ adiuncto Hebræi textus adminiculo
      - I. Vixit in captiuitate annos 63.
      - II. Venit in captiuitatem anno ætatis 39.
  - III. Græcum,
    - I. Expressè,
      - I. Vixit annos 158.
      - II. Cœcus fuit anno ætatis 58.
      - III. Cœcus mansit annos 8.
    - II. Per ratiocinationem adiuncto Hebræo textu
      - I. Recuperat visum anno ætatis 66.
      - II. Vixit post recuperatũ visũ annos 92.
      - III. Vixit in captiuitate annos 121.
      - IV. Venit in captiuitatẽ anno ætat. 37.

Ætatis

Ætatis Tobiæ Iunioris synopsis.

- TOBIAS IVNIOR,
  - I. expressè vixit annos
    - secundum plerosque Latinos, 99
    - secundum Græcum textum, 127
  - II. per ratiocinationem ex eodem Latino textu, Græco & Hebræo.
    - I. Iuit in Mediam post ætatis annum. 23.
    - II. Eodem anno 23. vel 24. duxit vxorem.
    - III. Cum in captiuitatem veniret, erat minimũ annorum 2
  - III. Secundum expositam sententiam.
    - I. Vixit cum viuo parente annos 65. vel 66.
    - II. Vixit post parentis mortem annos 99
    - III. Vixit vniuersè ann. 164. vel 165.

QVAESTIVNCVLA VLTIMA.

Quid post iunioris Tobiæ mortem, eius fecerunt filii?

CVM gaudio ait textus vers. 16. sepelierunt eum. Sed quomodo? non veræ hic lacrymæ, alti gemitus & suspiria esse debebant?

> ——— *Pater est, qui fletur,* ait Statius lib. 3. *Adeste*
> *Dij hominesq; sacris, procul ite nocentes:*
> *Si cui corde nefas tacitum, fessiq; senectus*
> *Longa patris.*

Posset fortassis istud. *cum gaudio* referri ad antecedentia, *completis annis in timore Domini cum gaudio.* aut certè apud istos, tantæ pietatis cultores, etsi dolor quispiam, moderatus tamen erat. vt iam obseruarint, quod postea S. Apostolus 1. Thessal. 4. vers. 13. monebat. *Nolumus vos ignorare. Fratres, de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.* Pergit textus noster, præclarumque omnino diuinæ bonitatis erga Tobiam testimonium annectit. Cum enim fiat non rarò, vt bonorum virorum degenerent filij, sintque vti dici solet: *Heroum liberi, noxæ. Omnis tamen Tobiæ cognatio, & omnis generatio eius in bona vita, & in sancta conuersatione permansit, ita vt acceptus esset tam* DEO, *quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Illustrissima sane commendatio hæc. & alta mente ordo hic reponendus, vt primò DEO, deinde hominibus accepti esse velimus: & quidem, quoad fieri potest, omnibus. Atque hunc ordinem nobis etiam in exemplari perfectissimo depinxit, S. Lucas capite secundo. vers. 53. cum scripsit. IESVS *proficiebat ætate & sapientia, & ætate & gratia, apud* DEVM *& homines. Cui &* PATRI *&* SPIRITVI SANCTO *sit* GLORIA, *sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum:* AMEN.

M PARÆ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

PARÆNETICÆ D. TOBIÆ, SANCTIQVE RAPHAELIS AD BENE VIVENDVM PRÆCEPTIONES, A D. AVGVSTINO libro, quem SPECVLVM inscripsit; collectæ, simulque iuxta veterem è Græco textu versionem; propositæ.

HONOREM *habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo.* Et post duos versus, *Omnibus autem diebus vitæ tuæ* DEVM *in mente habe, & caue ne aliquando peccato consentias, & præterm*ittas *præcepta* DEI *tui. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit; abundanter tribue: si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude. Præmium enim tibi bonum thesaurizas in die necessitatis: quoniam eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo* DEO *eleemosyna omnibus qui faciunt eam. Attende tibi fili ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Superbiam autem nunquam in tuo sensu, aut in verbo dominari permittas. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicunque tibi aliquid operatus fuerit, statim mercedem ei restitue, & merces mercenarij apud te omnino non maneat. Quod ab alio odis fieri tibi, vide ne alteri tu aliquando facias. Panem tuum cum esurientibus egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege.*

Et post duos versus, *Consilium semper à sapiente perquire. Omni tempore benedic* DEVM, *& pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.*

Et post septem versus: *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus* DEVM, *& recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.*

Est post multa: *Tunc Raphael dixit ei occultè, Benedicite* DEVM *cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi, quoniam fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem* DEI *reuelare & confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis quam thesauros auri condere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.*

Et paulo post: *Audite ergo me filij patrem vestrum. Seruite in veritate, & inquirite vt faciatis quæ sunt placita illi, & filiis vestris mandate, vt faciant iustitias & eleemosynas, vt sint memores* DEI, *& benedicant eum in omni tempore in veritate & in tota virtute sua.*

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM, PRÆCIPVE MEMORABILIVM, QVÆ in Tobiæ Commentario continentur, perspicuus & accuratus.

A

ADamum Dæmonem esse parentem fabulantur Rabbini.34
Ægyptus superior, quòd ex ea Nilus delabatur, & montibus abundet.90
Ægypti superioris vastitas & horror. ibid.
Allegoria piscis qui Tobiam inuasit. 60
Amor in Dæmonibus non est supernaturalis. 63
Angelus custos nobis assignatur, priusquam nascamur.123
Angelus custos, quomodo se erga nos in hac vita constitutos gerat? ibid.
Angelus custos animas piorum ad Paradysum perducit. ibid.
Angelus in persona pastoris filium Artaburij Rauēnam deducit.59
Angelus pietatem erga parentes commendat. 103
Angelus terrorem affert & adimit.120
Angelus quomodo cuanescat? 121
Angeli boni cur formam iuuenilem assciscant? 122
Angeli hominum preces Deo cur offerunt? 41
Angeli quomodo preces nostras cognoscunt, easq; Deo sistunt? ibid. 41. & 42
Angeli non tantum preces, sed & opera hominum Deo offerunt.44
Angeli piorum tantum, aut certè eorum qui vitæ melioris propositum habent, preces offerunt.45
Angeli precum nostrarum oblationi suas adiungunt precationes. ibid.
Angeli septem quomodo ante Dominum astent? 113
Angeli hominū quasi quidam pædagogi. 113. & 114
Angeli è corporum periculis liberant homines. 114
Angeli officio SS. Missæ interfunt. ibid.
Angeli verberib. etiam ad fidem apostatas adigunt. ibid.
Angeli à nobis propulsant Dæmones. ibid.
Angeli morientibus fideliter assistunt. 115
Angelorum inuocationem admittit Caluinus. 46
Angelorū auspicio adornata in Indiā nauigatio. 39
Angelorum ordines & hierarchias negant & reiciunt hæretici. 79
Angelorum ministeria non semper expectanda. 114
Angelorum inuocationē & maxime Raphaelis Asmodæus reformidat. 92
Angelorum nomina septem, eorumq; interpretatio. 115. & 116
Angelorum septenarium, cuius meminit Raphaël, alibi quoq; scriptura agnoscit. 107
Angelorum acies innumerabilis. 109
Angelis imperfecta quædam comestionis ratio conuenit. 119
Angelica precum nostrarū oblatio Ethnica nequaquam censenda. 43
Angelica precationu contra Bezam defensio. 46
Angliæ Regina, crepto sibi calculo, triduum cibo potuque abstinet. 35
Antidæmonicorum sensilium internoscēdorum quæ ratio? 84
Appelles candenti ferro Dæmonem fugat. 87
Arma Dæmones non timent. 86
Asmodæus cur Dæmonium dictus, non Dæmon. 27
Asmodæus non ideo Dæmonium malū dicitur, quasi aliqui boni sint Dæmones. 28
Asmodeus eorum tantum Dæmonum Rex, qui ad libidinem instigant. 31. & 32
Asmodæus vnde, & cur tam execrabile nomen sit sortitus? 33
Asmodæus fumo hepatis fugatur 79. & 80
Asmodæus semel effugatus, redire potest. 97
Asmodæus quamdiu permanserit alligatus. 91
Asmodæi malitia singularis. 29
Asmodæi ditio & imperium. 32
Asmodæo matrem & alia delira affingunt Rabbini. 34

B

BEnè agentibus assistunt angeli. 114
Bezæ insignis calumnia. 91
Blasphemiis & iuramentis Dæmones non abiguntur, sed aduocantur potius. 87. & 88

C

CAllionymus piscis vastus, immanis, serratisque dentib. Tobiam inuadit. 60
Caluinus angelorū inuocationem non inficiatur. 46
Caponæ priscis temporibus ignotæ. 61
Cæremoniæ sensilesque qualitates spiritualib. iunctæ viribus contra Dæmones valent plurimum. 83
Cæremoniæ si angeli boni ope nituntur, bene adhibētur, secus si opera Dæmonis. ibid.
Cæcitatis Tobiæ causa. 15
Concionanti S. Ambrosio astat angelus, quo viso Arrianus quidam conuertitur. 114
Coniuges ante nuptias cōsiteri & communicare iubentur. 96
Coniugum quorundam perpetua castitas. 97
Corpora è sublunari materia assumunt angeli. 66
Constantia S. Saturi in fide retinenda. 15
Continentia ante coniugium & in coniugio. 51
Conuictus malorum vitandus. 54. & 55
Conuitia bene agentib. etiā ab infimis perferēda. 25

Universidad de Deusto
Biblioteca

Conuitia superbis Dæmonib. molestissima. 87. & 88
Conuiuiorum moderatus apparatus. 12. & 13
Conuiuiorum hodiernorũ cum nuptiali Tobiæ cõuiuio comparatio. 99

D

Dæmon sine Dei permissu in homines nihil potest. 47
Dæmon alligatus cur tantum in homines possit. 89
Dæmon variis modis spiritualiter expellitur. 91 & 92
Dæmonium an amârit Saram. 69
Dæmonium quomodo Saram amârit. ibid.
Dæmonis nomen semper in sacris literis infame. 28
Dæmoni initio statim resistendum. 92
Dæmonem per fumum profligari posse, negant quidã Hæretici. 79
Dæmones suos habent Duces & Principes. 30
Dæmones possunt indicare rem aliquam esse honestã amare eandem non item, 71
Dæmones cur arma timeant, causa nulla. 86
Dæmones lucem, ignem nostrum & sanguinem, nihil morantur. 86. & 87
Dæmones duobus modis possunt ligari. 88
Dæmonum quidam apud Ethnicos boni. 28
Dæmonum summa carnificina in abyssum relegari. 31
Dæmonum quidam certis vitiis præsunt. 31. & 32
Dæmonum varia in homines officia. 63
Dæmonum in homines odium capitale. 64
Dæmonum propriè filij non sunt, qui ab incubis gignuntur. 68
Dæmonum accessum ianuæ, seris & repagulis firmissimè communitæ, non arcent. 87
Dæmonum vincula duplicia. 89
Dæmones à nobis propulsant angeli. 114
Dæmonibus superbu conuitia per quam molesta. 87 & 88
Defunctorum sepultura. 12. & 13
Deus peccatores quomodo derideat. 37
Deus cur iustos affligat. 15
Dei iugis memoria. 49

E

Ecclesiæ Catholicæ Gloria. 127
Eleemosyna quomodo liberet à peccato. 50
Eleemosynæ commendatio. 106
Eleemosynæ distributio post defunctorum sepulturam. 54
Epulæ funebres, sepulchris cibus potusque superpositus. 52
Exẽpla eorum qui inter malos boni fuerunt. 8. & 9
Exempla eorum, qui alios ad libidinem instigárunt. 32. & 33
Exempla eorum qui ex incubis nati. 67
Exempla eorum qui à Dæmone interfecti. 74
Exempla eorum qui pro castitate acriter pugnarunt. 93

F

Fel Tobiæ cæcitatem naturali virtute quadantenus curat. 102
Fellis mystica interpretatio. 103
Filius Symphoriani S. Agnem contingens à diabolo præfocatur. 77
Fuga malorum consortiorum. 9
Fumi hepatis mystica significatio. 82
Fumi hepatis efficientia partim naturalis, partim supernaturalis fuit. 81
Fumo hepatis aliqua in eiiciendo Dæmone fuit efficientia. 80

G

Galilæa duplex, Superior & inferior. 7
Galilæa superior cur sic dicta? ibid.
Genus & familia Tobiæ. 7
Gratitudo vtriusq; Tobiæ aduersus Angelum. 105
Gratiarum templa in vrbium medio excitata. ibid.

H

Hæretici angelorum ordines & hierarchias explodunt. 38
Hæretici de precibus per Angelos oblatis, quid sentiant? 43
Hæretici Dæmonis per sumũ exactionem rident. 79
Hæreticorum de Angelorum septenario somnia. 109
Hæreticis Liber Tobiæ comœdia est, seu pœma quipiam. 4
Hæreticũ Liber Tobiæ multa ridicula & fatua continet. ibid.
Hepatis fumo fugatur Asmodæus. 79. & 80
Herbæ & radices, an & quomodo aliquid cõtra dæmonem valeant? 85
Hierusalem Triplex. 125
Hirundinis stercora naturali vi Tobiam excæcant. 13
Homines veri sunt qui ex incubis nascuntur. 67. & 68
Homines è corporum periculis liberant Angeli. 114
Hominibus singulis suus attributus est Angelus. ibid.
Hospitalia sunt in regno Mogorico in quib. ægri gratis curantur. 50

I

Ieiunij commendatio. 106
Ignem Iudæorum incantationib. ligatum, cruce signo & aquâ benedictâ soluit Iosephus. 89
Imago Tobiæ & Iob ante 1200. annos in Ecclesiis pingi solita. 130. & 131
Imperium Asmodæi. 32
Incubos dari, imo & liberos gignere posse. 65. & 66
Ingratitudinis notæ quatuor. 125
Institutio proba liberorum. 9
Iob Rex fuit, & idem qui Iobab, Genes. 36. 18. & 19
Iter agentium priscis temporib. quæ conditio. 61
Iudæi Germani salutant Christianos Schedwillkom / pro Seidt willkom. 29
Iudæorum in Dæmone fugando ritus. 88
Iuramentis Dæmones non abiguntur, sed prouocantur potius. 87. & 88
Iustos cur Deus affligat? 15

L

Lapidibusne quibusdam aliquæ in fugandis dæmonibus virtus? 86
Laus magna in Apostatarum regione veram religionem retinere. 8

Libertati arbitrij nihil officit Saræ oratio. 36
Liber scriptus est lingua Chaldaica, versio extat Græca, Hebraica duplex, Syriaca. 2
Liber olim quibusdam Canonicus fuit, aliis non item. 3
Liber tandem ab Ecclesia Canonicus est declaratus. 4
Libri author Tobias vterq;. 1
Libri inscriptio à Tobia patre petita potius. ibid.
Libri diuisio. 6
Libri interpretes. ibid.
Libri authoritatem oppugnantia, soluuntur argumenta. 4. & 5
Librum depradicant Drusius & Munsterus. 5
Librum plerig; hæretici apocryphũ esse cõtendunt. 4
Libido & superbia hominibus inuiscerata. 34
Libidinosos cur non omnes vt Sara maritos obtruncat Asmodæus. 73
Lucifer tribus apud Inferos verbis est alligatus. 89
Lucifer ex inferno aut nunquam, aut tantum ad breue tempus egredi permittitur. 30
Lutherus ex incubo natus. 67
Lutherus duplici nomine diaboli filius. 68

M.

S. Malachias. 8
Mariti Saræ non ob infidelitatem, sed ob intemperantiam à diabolo suffocati. 71. & 77
Mariti Saræ equo & mulo comparantur. 72
Mariti Saræ septem fratres, de quibus Matth. 22. 77
Memoria Dominicæ passionis Asmodæum fugat. 93
Mercedis retentio peccatum in cœlum clamans. 53
Miles obscœnam in caupona emens imaginem, à Dæmone occiditur. 75
Ministeria Angelorum non semper expectanda. 114
Misericordia erga pauperes. 50
Missæ diuino officio intersunt Angeli. 114
Monstrorum genitrix Africa. 67
Moriturus fideliter assistunt Angeli. 115
Mortem adhibita moderatione licet petere. 73
Multitudo Angelorum innumerabilis. 109
Mysteria quædam Septenarij Angelorum. 110

N.

Nephtali nomen tribus & vrbis, è qua Tobias oriundus. 7
Nero magiam addiscere non permittitur. 74
Nihil minutius videri debet, quam vt in sacris literis referatur. 102
Niniue à Nabuchodonosore & Assuero euertitur. 129
Nomen Vrielis an aliquando retinendum? 118
Nomina septem Angelorum, eorumq; interpretatio. 115. & 116
Nomina Angelorum tantum tria agnoscit Ecclesia. 116
Nomina alia Angelorum non temere fabricanda. ibid.
Nomina Angelorum plurima Iudæi, Hæretici & Magi commenti sunt. 117
Nomina Angelorum cur tantum tria à S. literis celebrata. 119
Nominum horum fabricandorum modus ineptissimus. 117
Nominum Angelorum superstitiosus vsus. 117. & 118
Notæ ingratitudinis quatuor. 125
Numerus annorum Tobiæ in Latino melior. 202
Numerosæ de Angelorum numero opiniones. 109
Nuptiarum ritus aliqui. 99

O.

Oculos morientium parentũ claudunt filij. 138
Odium capitale Dæmonum in homines. 64
Officia pietatis omnia vim Asmodei frangunt. 95
Officia septem Angelorum Deo astãtium. 113. & 114
Officia varia Dæmonum in homines. 63
Officiorum Raphaelis ad Angelum cuiusq; propriũ accommodatio. 122. & 123
Oratio Tobiæ & Saræ. 26. & 27
Oratio amat loca superiora. 34
Oratio assidua Dæmonem fugat. 92
Orationis, ieiunij & eleemosynæ commendatio. 106
Ornamenta virginum pulcherrima in Sara ostenduntur. 35

P.

Parentum morientium data filiis præcepta. 49
Peccata, ob quæ Deus in homines dæmoni facit potestatem. 75
Peregrini quidam reduces, solũ mala quæ viderint, aut falsa narrant. 104
Pietas in parentes vivos & mortuos. 49
Pietatem erga parentes commendat Angelus. 103
Piorum animas Angelus custos ad æterna perducit gaudia. 123
Precatio Saræ libertati arbitrij minime officit. 36
Preces nostras cur Deo offerunt Angeli? 41
Preces nostras quomodo Angeli cognoscũt? 41. & 42
Preces & opera hominum Deo offerunt Angeli. 44
Precum nostrarũ oblationi suas addunt Angeli precationes. 45
Principes vrbes ingressi rectà olim ad templa deducebantur. 104
Prophetarum Tobiæ ad triplicem Hierusalem accommodatio. 127
Primitiæ & Decimæ triplices. 9
Puer S. Malachias magistri leuitate offenditur. 8
Puer Themistocles cæteris ludentibus orationes meditatur. ibid.
Pueriles leuitas duplex. 7. & 8

R.

Radices & herbæ, quomodo aliquid contra Dæmonem possint. 85
Raphaël curans Deus, aut medicina Dei. 38
Raphaël ægrorum & peregrinorum patronus. ibid.
Raphaël Archangelus non fuit proprius Tobiæ aut Saræ custos. 39
Raphael cur cum aliis Archangelis quandoque non nominatur? 40
Raphael non mentitur dicendo se filium esse Ananiæ. 58

Universidad de Deusto
Biblioteca

Raphaelis mystica interpretatio. 48
Reges quales amici Iob, & an Iobo insultarint. 18. & 21
Renouatio votorum aduersus Asmodaum valde opportuna. 95

S.

Sacerdos precibus spectrum fugat, quod iuramentis aurigane quicquam urget. 88
Sacramenta Confessionis & Eucharistiæ vim Asmodæi debilitant. 94
Sanctorum honorifica appellatio. 17
Saræ eximia modestia. 36
Saræ abeunti data præcepta. 100
Scripturæ sacræ assidua commentatio, Asmodæo inimica. 94
Scythæ acinacem veluti magnum numen olim venerati. 86
Septenarius Angelorum septenario virtutum præcipuarum præpositus videtur. 111
Septenarius horum Angelorum aliquid sibi præcæteris excellentiæ vendicat. 110
Septenarius dæmonum septenario virtutum præsidet. 111
Septenarij Angelorum mysteria aliqua. 110
Septenarij bonorum Angelorum imperium nullis limitibus coërcetur. 112
Septenarium Angelorum septenario Planetarum affigunt aliqui. 109. & 110
Sepultura defunctorum. 12. & 13
Somnia hæreticorum de Angelorum septenario. 109
Spes eorum, qui paupertatem patienter ferunt. 56
Sponsorum in connubio nuptiali sobrietas. 99. & 109
Succubos parere posse, creditu nimis difficile. 66. & 67
Suffitiones in expellendis dæmonibus adhiberi solitæ, quo loco habendæ. 84
Superbia homini inuisceratæ. 34
Superbia quare fugienda? 51. & 52
Synopsis ætatis Tobiæ senioris & iunioris. 132. & 133

T.

Talentorum argenti decem quis valor? 10
Tessaræ hospitalis institutio. 62
Themistocles. 8
Tobiæ puer nihil puerile gerit. 7
Tobiæ è Nephtali oriundus. ibid.
Tobias cæteris ad vitulos aureos pergentibus, in Hierusalem solus pergit. 8
Tobias decimas omnes & primitias fideliter soluit. 9
Tobias malorum fugit consortia. ibid.
Tobias captiuus abducitur à Salmanasare in Niniuen. 10
Tobias post captiuitatem quomodo se gesserit. ibid.
Tobias omnibus fortunis à Sennacheribo spoliatus, exulat. 11
Tobias Achiachari precibus Niniuen redit. ibid.
Tobias fratres pauperes & Deum timentes, connubio excipit. 12
Tobias à suis irridetur. 22
Tobias quantopere furtum fuerit detestatus. 24
Tobias senior futura prædicit, ideoq; verus est Propheta. 125. & 130
Tobias extra domum aperta facie dormiens excæcatur. 13
Tobiæ cæcitatem naturali virtute fel quadantenus curauit. 102
Tobiæ genus & maiores aliqui. 7
Tobiæ patria Galilæa superior. ibid.
Tobiæ virilis ætas ante captiuitatem. 11
Tobiæ iunioris in beneficiorum acceptorum commemoratione gratitudo. 98. & 104
Tristitia duplex, altera secundum Deum, contra Deum altera. 16
Triumphus S. Augustini de Asmodæo. 92
Tyranni nomen in bonam quandoque partem capitur. 17

V.

Versio Syriaca ex Origenis hexaplis traducta. 2
Versionis Græcæ authores 70. ibid.
Versionis libri huius Latinæ ex Chaldaico author est D. Hieronymus. ibid.
Versionis authorum incertitudo libri authoritati præiudicare non debet. 3
Virginum ornamenta pulcherrima in Sara expressa. 35
Vincula dæmonum duplicia. 89
Vota duplicia secundum Augustinum Deo offerenda. 44
Vtilitatem Libri Tobiæ esse magnam, ipsi fatentur hæretici. 5
Wittakerus nec Raphaelem nec septem Angelos, quorum ille meminit, agnoscit. 107
Wittakeri mendacium. 2
Wittakeri insignis impudentia. 50.

FINIS INDICIS.

SERE-

SERENISSIMÆ PRINCIPI, RENATÆ LOTHARINGÆ, SERENISSIMI BAVARORVM DVCIS SENIORIS CONIVGI, RELIGIONIS, VIRTVTVMQVE OMNIVM & MORVM SIMILITVDINE, coniunctissimæ,

NICOLAVS SERARIVS.

MOGVNTINVS *quondam Archiepiscopus, doctrina, vitæque sanctimonia præstans admodum,* RABANVS *Maurus, suos in* IVDITH *Commentarios, Imperatoris Ludouici coniugi* IVDITHÆ *dedicauit. Ego vero, in Moguntina iam Academia versans, per Tui è fratre Nepotis Reuerendissimi & Serenissimi* CARDINALIS *nomen, meos istos Tibi,* SERENISSIMA PRINCEPS RENATA, *offero. Etsi enim, quod in* LOTHARINGA *prosapia gesserunt olim alique, ipsum* IVDITH *nomen haud geris: Serenissimusque Dominus Maritus, quem vitam viuere longissimam tecum auent boni omnes, adhuc supersit: nullus etiam Bauaricam Bethuliam Assyrius premit Holophernes: ea tamen in Te peregregia sanctæ ipsius* IVDITH, *siue dum vxor, siue dum vidua fuit, religionis, castitatis, modestiæ, precationum, omnisque diuini cultus ornamenta sunt, vt summi Ecclesiæ nostræ* CATHOLICÆ *Ioachimi, si non verbis, factis certè, alitsque erga Te, proleſque Tuas lectissimas, beneuolentiæ summæ notis, acclamarint; Tu, in Germania,* GLORIA HIERVSALEM TV LÆTITIA ISRAEL: TV HONORIFICENTIA POPVLI NOSTRI. *Cui ergo meam potius* IVDITH *consecrarem: præsertim, cum præter tot & tanta in Societatem nostram promerita, maneat apud me mente repostum alia, quantum, aliquot ab hinc annis, mihi, Reuerendoque admodum & doctissimo viro,* EVCHARIO SANG *vel ipsis potius diuinarum litterarum studiis, earumque Authori Deo O. M. honoris feceris, dum* SERENISSIMVM GVILELMVM *Tuum comitata, vna tum ipso, & Serenissimis* FILIIS *aliisq; Principibus, splendidissimâ Tuâ præsentia & attentione, Theologica quæ tum nobis Herbipoli deferebantur, insignia honestare voluisti. Sed, vt contraria iuxta se posita magis elucescant, clareque perspiciatur, quantum periculi & stultitiæ sit, dum, prout in Danielis XI. loquitur S. Hieronymus, absque Dei gratia, & doctrina maiorum, scriptura tractatur, patere, quæso,* SERENISSIMA DOMINA, *me, non ex auritis, quos cietant alij, sed ex oculato tragœdiæ illius teste, vnam hic hæreticam Iudith narrare. Cum, anno Domini, supra milleſimum & quingenteſimum, triceſimo quarto, Monasterium VVestphaliæ caput, vrbem sane amplam & insignem, occupassent Anabaptistæ, alij quidem se Iosuas & Dauides, aliis ali. nominibus afficiebant. Sed, ex Hollandia, duo summi prophetæ. Enoch & Elias, aduenerunt, Ioannes, inquam Bokelson Leidanus, sartor antea, postea noui templi in Sion Rex, & Ioannes Mathisson Harlemius. Hic, ipso Paschatis die, à cœlesti Patre sibi nunciatum dixit, exiret in obsidentis Episcopi castra, futurum vt ipse solus, nouus nimirū Samson, hostes omnes funderet, caderetque. Approbarunt prophetæ omnes, & ille bipenni sola instructus egreditur, statimque hasta transuerberatus concidit. Nihilominus tamen mulier vna fuit, Hilla nomine, Frisia, è quodam ad Leouardiam opido, quæ quod Holophernem, in Bethuliensi obsidione, à Iudith occisum cognouisset, alteram se iamiam Iudith appellandam sibi ipsi persuasit. Adit prophetarum summorum residuum, Leidanum illum, & indigenam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

prophetam alium Kniperdollingium. Iis consilium suum aperit: è tenuissimo lino interulam, lethifero veneno imbutam, quam Episcopo donare velit, ostentat: formam, blanditias, dolosq; ad miserum irretiendum, abunde sibi docet suppetere. Laudant eam illi magnopere, & cum omni sese tam lenocinio & fuco illa venustasset; eam, in Curiam, vbi muliebris mundus omnis congestus erat; deducit Kniperdollingius: iubet accipiat annulos, monilia, calanticas, aurum, denique quidquid velit. Die Iunij XVI. vrbem sola prorsus & incomitata exit: sese obsidentibus militibus vltro capiendam dat. Ad VVolbecanum ilicò Satrapam deducitur: ab eo examinatur, & de variis interrogatur. Illa se, cum marito, Euangelii causâ, Monasterium è Frisia, venisse ait: sed facli pœnitere extremam in vrbe famem esse: huic exitium iam impendere: & vero se, quæ Bibliorum lectionem assiduam optasset, nunc in aggerenda, pro mœnibus, terra perpetuo distineri, miserèq; vexari: sed & habere, quæ ipsi Episcopo, partim de vrbe à marito, quæ nullum habebat; probanda, dicere, partim donare velit: extulisse istud, quidquid erat, auri & gemmarum, vt dum caperetur vrbs, essent hæc saltim iam conseruata. Pæne persuasisset, nisi conscelleratam Sinoniam, veneficamque Deianiram transfuga ciuis Hermannus Ramers detexisset, ipsaque tandem abscisso. licet à cœlesti Patre se omnino protegendam asseueraret; capite, redactoque in cineres cadauere, pœnas dedisset. Sic hæretici nimirum, planeque fanatici homines, quas lectitãt scripturas, intelligunt: sic sacros omnium actionum nostrarum canones ad stolidissimam cerebrorum suorum amussim renocant: & è pulcherrimis, fragantissimisque diuinorum horum floribus venenum, araneorum instar, legunt. At quæ in sacro Apostolicæ, Catholicæque fidei, vestrâ in Bauaria & familia vel maximè vigentis, alueario, piè, modestè, prudenteque apes versantur, optimum tantummodo suauissimumq;, ad rectè credendum, bene beateque viuendum suo quælibet vitæ generi conuenienter, mel colligunt. Atq; in his Te, SERENISSIMA PRINCEPS, vti maximæ cum Europæ totius depredicatione, hactenus semper; Tecumque SERENISSIMAM sororem Tuam DOROTHEAM Viduam, perpetuò, & in hoc, & in futuro sæculo, quo vobis pridem optima & religiosissima parens Vestra, CHRISTINA Dana, præiuit; inueniri, diuinam, imis precibus, precor Bonitatem. Moguntiæ, ipso pridiano Beatissimæ Virginis Natiuitatis, anno.

cIↃ. IↃ. Ic.

IN LIB.

IN LIBRVM IVDITH.

PROLEGOMENA SEPTEM.

PRIMVM INSCRIPTIO.

QVEMADMODVM Tobiæ, & Machabæorum, sic & *Iudith Liber* habet inscriptionem ex eius, cuius gesta scribuntur, nomine, quemadmodum ait Isidorus Orig. lib. 6. c. 2. & D. Hieronymus epistola 140. *Iudith* verò nominis interpretatio est, Iudæa, id est, vt idem Isidorus ait, lib. 7. c. 8. *laudans*, vel *confitens* Domino: non autem Iudith vocatur, id est *Iudæa*, quasi ex Iudæ tribu fuerit, quemadmodum c. 7. fiet perspicuum: sed ex Hebræa radice *iadah*, id est, laudare, gratias agere, confiteri: quemadmodum & *Iudas*, laudans, vel confitens dicitur, Genes. 29. & *Iehudi* nomen viri proprium Ierem. 36. *Iehudiah* 1. Par. 4. v. 18. *Iehudith* vxor Esau Genes. 26. v. 34. idemq; nomen 4. Reg. c. 18. v. 26. adiectiuum est, vt sit *Iudæa* scilicet lingua, vel certè aduerbium etiam in Hebræo est, cum dicitur, *Non loquaris nobis Iudaice audiente populo*. rursumq;. v. 28. *Exclamauit voce magna Iudaicè.*

PROLEGOMENON ALTERVM.

Author.

IVLIVS Rugerius opusculo de libris Canonicis, c. 20. ait, authorem fuisse quempiam, qui eo tempore vixerit. Quis verò itle fuerit, nominat ea, quæ Philoni tribuitur; Chronographia lib. 2. *Gessit*, ait, IESVS *pontificatum primum, vsque ad 12. annum Assueri Prisci, annis 36. Ioachim verò filius eius in absentia annis 8. & Iudith gesta conscripsit, & anniuersariam liberationis memoriam, quotannis agendam instituit.* Et assentitur R. Azarias loco infra citãdo, & Sixtus Senensis Bibliotheca, lib. 1. & lib 8. vbi eiusdẽ sententiæ Hebræos authores laudat. Isidori tamen lib. illo 6. c. 2. hæc verba sunt: *Iudith & Tobias, siue Machabæorum libri, quibus authoribus scripti sunt, minime cõstat* ita scil. vt certum sit, & indubium. Alioqui, quemadmodum in Tobia & Machabæis probabiliter authores quidã proferũtur: ita & Ioachimus ille queat admitti, de quo plura inferius; vel alius eo posterior, cum sub libri huius finem scribat author; solitum victoriæ, quam Iudith peperit; festum diem *ad sua vsque tempora* celebrari. Solent verò ita loqui, non qui rebus ipsis interfuerunt, sed qui post fuerunt. At Ioachimus rebus istis non modo interfuit, sed & pæne præfuit. Nihilominus rectè censeri author possit? quia huiusmodi additiunculæ aliis etiam libris postmodum adiunctæ inueniuntur, vt 1. Reg. 9. v. 9. *Olim in Israël sic loquebatur vnusquisq; vadens consulere* DEVM, *venite, & eamus ad videntem.* Et Genes. 15. v. 18. *Hebron* iam nominatur, cùm hoc tamen nominis posteà impositum sit Iosuæ 14. v. 15. Accedit, quod quemadmodum c. 1. quæst. 1. dicetur; historiarum huiusce modi scribendarum prouincia summis sacerdotib. imponebatur. Certè R. Azarias lib. 3. Meorhenaim, cap. 52. fol. 106. functus est, ait, Ieschuoh (IESVS) sacerdotio suo magno annos 33. & hic scripsit gesta Iudith: & decreuit fieri memoriam liberationis huius anno quolibet: prorsus vt citatus antea Philo.

PROLEGOMENON III.

Qua lingua primò scriptus liber hic?

CHALDÆA cum lingua scriptum fuisse, satis loqui videtur D. Hieronymus epist. 111. dum eo sermone à Iudæis *inter historias computatum*, & à seipso lectum Latineq; conuersum refert. Sebastianus Munsterus præfat. in Hebraicũ Tobiam: *Hebraicè*, ait, *Iudith exemplar absq; dubio Constantinopoli à Iudæis equè vt Tobiæ exemplar, typis est multiplicatũ.* Sed neutro adhuc idiomate, has in partes, q; sciam, deuenit. *Græca* tamen versio exrat, cuius interpretem dicit lib. 1. Senensis, incertum. cum tamen causæ dari nihil possit, vt in Bibliacis prolegomenis dixi; cur 70. Interpret. non sint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

int. Nam quòd inter Latinum, & Græcum textum discrimina quædam sint; id libri huius proprium non est. vti nimium quam sæpe ostendit D. Hieronymus. vel exemplar illi aliud secuti sunt, vel periphrastikῶς certe conuerterunt. Se vero magis sensum è sensu, quã ex verbo verbum transtulisse, monet loco citato D. Hieronym. idq; non *ad Paulæ, & Eustochij petitionem*, vt in principio ait historia Scholastica; sed ad Episcoporum potius postulationem Chromatij nimirum & Heliodori. Cum enim vt epist. 110. inquit, eorum rogatu, Tobiam vertisset: eosdem, iisdem pænè verbis, Iudith versionem exegisse significat epist. 111. & sub eius finem recte hoc illos petisse docet, quia Iudith non fœminis tantum, sed & viris imitanda est, vt infrà dicetur prolegom. 5. Extare verè apud se libri eiusdem sicuti & Esther, Tobiæ, Deuteronomij, *Syriacam* versionem, quæ ante annos nongentos è Græco in Origenianis hexaplis posito textu expressa sit; testatur ad Philippum Hispan. Regem epistola dedicatoria Masius in Iosuam.

PROLEGOMENON IV.

Quænam libri huius Auctoritas?

APVD Iudæos Canonica quidem non erat, vti refert D. Augustinus lib. 18. Ciuit. cap. 27. & D. Hieronymus epistola citata: magna tamẽ eius erat auctoritas: & tanta, quanta verissimis alioquin historiis, quæ à Spiritu sancto dictatæ nondum omnino pronuncientur; tribui potest. adeo vt ab iis, inter Hagiographa, de quibus in Galeato prologo; legeretur, licet authorate dispari. Hæc enim citatâ epistolâ D. Hieronymus docet omnia: *Apud Hebræos* inquit, *liber Iudith, inter Hagiographa legitur, cuius authoritas ad roborandas illas, quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur; Chaldæo tamen sermone conscriptus inter historias computatur.* Hanc & ipse Hieronymus aliquando sententiam sequutus est, vt in Galeato prologo & epist. 11. ad Furiam, & in c. 1. Aggæi: eandemq; ipsũ Ecclesiæ Christianæ asscribit epist. 115. quæ est præfatio in Salomonis Prouerbia; *Iudith & Tobiæ, & Machabæorum*, inquit, *libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non recipit.* Ità etiam scribunt Athanasius in Synopsi, Ruffinus in Symbolum. Quid, nostro isto æuo, hæretici pleriq; omnes? Videbis, si quidẽ tua id nosse interesse putes, de quib. in Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei, c. 10. Sed horum quidam multo longiùs (nescit enim eodem gradu consistere temeritas) euecti, hoc etiam vnum, quod superiores cõcedunt; huic libro detrahunt, omnem scilicet *historicæ veritatis authoritatem*. Nam Lutherus in Symposiacis, c. 59. audacter pronunciat, *historiam non esse, sed poeticum quoddam commentum Homerico, & Virgiliano simile.* vt scilicet, quemadmodum D. Chrysostomus oratione 11. & Metrodorus apud Tatianum oratione ad Græcos, nullum fuisse Troianum bellum, Hectora & Achillem nullum asserunt: ita nullam fuisse Iudith intelligamus. Nam concludens, *Idcirco*, ait, *mihi videtur Iudith esse Tragœdia, in qua ostendatur, quem Tyranni exitum sortiantur.* Ne tamen in conuiuiis tantum comœdias, tragœdiasq; agere, videarur Lutherus, similia repetit Germanica præfatione in suam huius libri versionem. nisi quod, pro Homero, & Virgilio, *parabolas euangelicas, Cantica Canticorum & Ioannis Apocalypsin* nominat, & addit; *videre sibi hoc ipsum voluisse Poëtam innuere, dum data opera, & temporum & nominum errata inseruit, vt lectorem admoneret pro sacro quodam spiritali commento habenda omnia* Sic eandem reiicit historiam Lutheranus ille Reineccius tom. 2. fol 13. & *tragicomœdiam* indigitat, fol. 7. Atque hi illi sunt, de quibus in Onomastico suo Chytræus; *Alij*, ait, *eruditi* (impios & audaces dicere debuit) *existimant librum Iudith Tragœdiam esse, ab aliquo pio & ingenioso homine propositam, qua doceret, durius quidem affligi Ecclesiam* DEI, *& in extremas angustias redigi: sed tamen mirabiliter contra Tyrannorum furores defendi & seruari.*

Dico tamen CANONICAM LIBRI HVIVS AVTHORITATEM ESSE. *Primò*, quia hunc librum tanquam diuinum citat S. Iacobus epist. cap. 2. vers. 23. prout infr. cap. 8. exponam. *Secundo*, eundem *Synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse.* His enim ipsis verbis, quibus vsus sum, vtitur D. Hieronymus epistol. 111.

Defenditur Nicæni, de hoc libro, Concilij authoritas.

CAluinianus Wittakerus cap. 2. controuersiæ 1. q. 1. grauissimum grauissimæ Synodi testimonium, multisanè eleuari nititur. I. *Grauè*, ait, *admodũ præiudicio, quod præterm: sit libros perdicæa, quæ paulò pòst Nicænam habita est; non reliquisset hunc librum in Apocryphis, si eum Synodus Nicæna Canonicum esse statuisset.* IV. *Erasmus rectè annotauit* (in præfationis, scil. huius censura) *ab Hieronymo non affirmari, approbatum hunc in Synodo Nicæna librum, sed tantum dicere; legitur computasse.* V. *Non idem est, esse Canonicam scripturam, & cõputari in numero sacrarum scripturarum. Computantur enim in numero scripturarũ, quæ cum sacris scripturis leguntur ad ædificationem plebis etiamsi nũ ad dogmatum confirmationẽ.* Sunt tamen multo hęc omnia infirmiora, q̃ vt tantam nobis authoritatẽ extorquere, vel villâ etiã nubeculâ obscurare debeant. Nã *ad primum* dico non omnia, q̃ controuersa esse possunt,

possunt, vno in Concilio definiri, sed tantum, quę tunc proponuntur, & necessaria videntur. Multum interest an quidpiam damnes, anne verbo quidem attingas. & tamen etiam Tobiam ea in Synodo approbatum fuisse docuit Rupertus lib. 12. de diuin. off. cap. 25. vti prolegom. 5. in Tobiam notaui. *Ad secundum* dico, non narrasse S. Hieronymum, vbi legeretur, quia *in ipsamet Synodo* legebatur, licet iam non legatur, vti tomo 3. Illustrissimus Baronius ostendit. *Ad tertium*, vel ex hoc vno loco, & rationibus aliis, in Tomi 4. Appendice Reuerendissimus idem Baronius colligendũ ostendit; ante Nicęnum Concilium fuisse Laodicænam Synodum. *Ad quartum.* Parui apud doctos, grauesque homines ponderis est Erasmi temeritas, & ei vel solus ipsius Amicus, quem præfatione in S. Augustinum vocat *apprimè doctum*, opponi potest, Ludouicus Viues. Scribit enim iste in 18. lib. Ciuit. cap. 26. hisce verbis; *Sanctus Nicænus conuentus inter sacrarum scripturarum volumina, & hunc librũ Iudith computauit* Alioquin, & multo quidem plausibilius; ex eodem D. Augustini loco liceret colligere, Iudæos in Canone librum istum recepisse, quia nõ ait ipse D. Augustinus; *non receperunt*, sed tantum; *non recepisse dicuntur. Ad quintum*, plane idem est, *esse Canonicam scripturam, & cõputari in numero sanctarum scripturarum.* Nam quod in harum numero est, id, dum sacræ scripturæ numerãtur, simul etiam numeratur, & eius numeri pars est. Iam verò fatẽtur ipsi hæretici libenter D. Hieronymum epistola 130. per catalogum diuinarum scripturarum, intelligere numerum Canonicarum, cum ait: *Hebræos Tobiam de catalogo diuinarum scripturarum secerasse.* Cum ergo idẽ Hieronymus epistola 111. *in numero sanctarum scripturarum computatum* librum hunc ait, de vero earundem catalogo cur nõ loquatur? Neque vero libros, quos Apocryphos Hieronymus iudicat, *eos in scripturarũ numero* esse vsquam ait; licet bene quandoque dicat, *cum scripturis* aut *inter scripturas legi.* Et vero etiãsi duo illa idem apud D. Hieronymum alibi valerent, hic tamen nullo modo. quia disertim Iudæorũ sententiæ Nicænorum Patrum sententiam opponit. At Iudæi, vt supra dictum est, hunc inter Hagiographos librum legebant, neque in sanctarum scripturarum catalogo computabant: contrà verò Nicæna Synodus computat. Hoc enim, quæ à D. Hieronymo ponitur aduersatiua particula, *sed*, indicat. adeo, vt hanc etiam causam dicat, cur sepositis, quibus arctabatur maximis, plurimisq; occupationibus, acquiescat Chromatio & Heliodoro, libri huius traslationẽ exigentibus. Viden' bone Lector, quã frustrà, limpidũ alioquí Nicænæ authoritatis riuũ turbare lupus ille conetur? Duos tamen adhuc ei testes do, veterem vnũ, sed Catholicum: recentẽ alterum sed Wittakero ipsi concolorem. Prior est Rupertus loco citato. *Hæc duo*, ait, *volumina Tobiæ, & Iudith apud Hebræos non sunt in Canone, sed Nicænæ Synodi authoritate ad institutionem venerunt sanctæ Ecclesiæ.* Posterior est Dauid Chytræus in Onomastico antea citato; *Librum*, ait, *Iudith Chaldaico sermone scriptum à Synodo Nicenâ in numero sacrarum litterarum computatum, & à se versum esse, testatur Ieronymus Tom. IIII. fol. 9. D.*

Senis adhuc argumentis eadem Canonica libri huius authoritas comprobatur. simulquè D. Hieronymi sententia explicatur.

PRIMÒ igitur, vel duorum iam positorum ordinem potius tenendo; *Tertiò* probatur eadem libri huius authoritas quod alia etiam Concilia, quæ in Tobia prolegomeno 5. proposit. tertia citata, eundem Canonicum decernunt. *Quartò*, probatur ex Pontificibus ibidem citatis. *Quintò*, ex Ecclesiæ vsu, de quo ibidem. Nam in scripturarum Canonicarum ordine legere illum illa consueuit, vt in hebdomade quarta Septembris. *Sexto*, Patres in Canonicis eum libris numerant, & tanquam Canonicum citant D. AVGVSTINVS de doctrina Christiana, lib. 2. cap. 8. cui & de ipsa Iudith duo sermones, scilicet 228. de tempore, & 229. à quibusdam ascribuntur: ab aliis in Augustini Appendicem transferuntur, & veteri cuipiam bonoque Scriptori tribuuntur. vt vel hinc testium nostrorum crescat numerus. Quia verò & in Tobia ille è doctrina Christiana locus iam citatus, & in Machabæis citandus rursum erit, eum hîc semel totum exscribam. *Totus*, ait, *canon scripturarum his libris continetur: quinque Moysos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeris, Deuteronomio, & vno libro Iesu Naue, vno Iudicum, vno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad regnorũ principia videtur pertinere: deinde quatuor Regnorum, & duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis simulque pergentibus. Hæc est historia quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem verũ. Sunt aliæ tanquam ex diuerso ordine, quæ neq; huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Iob & Tobias & Hesther & Iudith, & Machabæorũ libri duo, & Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiã, vsq; ad Regnorum, vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus Dauid vnus liber Psalmorum: & Salomonis tres Prouerbiorum, Cantica Canticorũ & Ecclesiastes.* Cætera, quæ huc haud pertinent omitto. Secundus Pater esto S. ISIDORVS Originum lib. 6. ca. 2. vbi præter Canonicorum librorũ ordines tres, qui apud Iudæos fuerunt; ostendit esse in Ecclesia Christiana quartum, & in hoc esse Iudith. Rursum lib. 7. cap. 8. eam inter Prophetas collocat, & libro de vita, & morte Sanctorum, cap. 64. RABANVS lib. 3. de Inst. Cler. c. 7. & lib. 5. de vniuerso, c. 1. qui & in librũ hunc scripsit commẽtarium

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatium. *Tertullianus* de Monogamia, cap. vltimo. ORIGENES in cap. vltimum Iudicum. Nonnulli apud S. HILARIVM prologo in Psalmos, à quibus ipse nō dissentit CLEMENS Strom. 4. c. 6. sub finē. CHRYSOSTOMVS lib. de variis in Matthæum, homil. 9. D. AMBROSIVS lib. 3. officiorum, cap. 13. epist. 82. & libro de viduis. PRVDENTIVS in Psychomachia pudicitiæ, & libidinis. S. FVLGENTIVS epistola 2. de statu viduarum *in veteris testamento*, librum istum collocat, & tāquam diuinæ scripturæ testimonium adducit laudatissimus Sancti huius discupulus FERRANDVS Carthaginiensis libro ad Reginum de re militari, regula prima. IVNILIVS *Africanus*, de partibus diuinæ legis, lib. primo, fatetur *ad diuinam historiam* pertinere, & licet non pari cum aliis authoritate inter Canonicas scripturas ex Hebræorum sententia dicat; *eiusdem* tamen *ordinis* esse vult *cum Paralipomenis*, & *Iob*, & *Esdra*. Iam verò Paralipomena, Iob & Esdras nonne Canonici? CASSIODORVS diuinarum lectionum, cap. 6. & ibidem BELLATOR apud eundem, ALCIMVS ad sororem, CHROMATIVS (quem D. Hieronymus præfatione in Paralipomena, temporis illius *doctissimum*, & *sanctissimum* dicit) in cap. 6. Matthæi. S. PAVLINVS Natali 10. picturas, quæ in religioso admodum templo visebantur, describens, prout etiam Tobiæ vltimo audiuimus; vno ita canit versiculo:

Ast aliam (picturam scilicet) *sexus minor obtinet inclyta* IVDITH.

SVLPITIVS in historia vocat *sacrum volumē, historiā sacram, diuinam*. ALREDVS in historia S. Eduardi Regis Anglorum. OTTO Frisingensis in prologo libri 8. *Deficiet me*, ait, *tempus enarrantem, si vniuersas sacræ scripturæ paginas, vtpote Ruth*, IVDITH, *Esdræ, Machabæorū percurrere velim, qui mystico sensu & deifica sapientia sunt grauidi*. ÆTHIOPICA etiam Ecclesia eundem recipit, & legit prout lib. 7. de emendatione temporum tradit Scaliger, de quo infrà. Sanctus etiam HIERONYMVS, cui vltimum idcirco locum reseruaui; cum, ante præceptam Concilij Nicæni sententiam, in opinione contraria fuerit; posteaquam illam didicit, hunc pro Canonico prorsus librum habuit. adeò vt, citra dubitationem vllam, cuiusmodi olim epistola 11. & in Hagæi cap. 1. adhibuerat; ipsam Iudith imitandam iam omnibus hac in præfatione proponat, eaque præfatio, post cæteras pæne omnes veteris testamenti præfationes, scripta, vt idcirco in illius epistolis ordinem libro, cuius præfatio est, conta, inquit Wittakerus, *quibus hunc librum non esse Canonicum probare velit Hieronymus. Vnum est, quia apud Hebræos apocryphus est*. Verum iam dixi, ipsum Iudæis opponere Nicænos Patres, hisque potius suffragari. *Alterum, Chaldæo sermone scriptus fuit liber, & eius exemplaria valde vitiosa*. Quid inde? Idcirco scilicet è Chaldæo illa se correxisse profitetur. & nonne aliorum Canonicorum librorum vitiosa itidem exemplaria, idem crebro inculcat epist. 107. 108. & 109? & in Isaiæ cap. 14. prophetiam per librum istum exponit. *Potest*, ait, *& in Assueri temporibus intelligi, quoniam occiso Holoferne, hostis ab Israel, cæsus est exercitus*. Absque omni vero ambage idem Sanctus epistola 140. *Ruth*, ait, *& Hester & Iudith tantæ gloriæ sunt vt sacris voluminibus nomina indiderint*.

Sed iam authoritati libri huius probandæ argumentum *septimum* sit, quod noui isti Comœdi, fabulæ suæ ne vnum quidem authorem laudare possunt, eamq; fabulam non solum, quos adduxi; Patres explodunt, sed ipsi etiam Iudæi, qui, vt supra dictum est, historiam censuerunt. Nec desunt, qui ipsum *historiæ* nomen, quod ab his detralutur, expresè vsurpent, vt D. Hieronymus hac præfatione, & epistola 9. Chromatius & Isidorus locis citatis. Sunt hæc D. Hieronymi epistola illa 9. ad Saluinam verba; *In priora te extendas, habēs tui ordinis, quas sequaris*, IVDITH *de Hebræa historia: & Annam filiam Phanuelis de Euangelij charitate, quæ diebus & noctibus versabantur in templo, & orationibus ieiuniis thesaurum pudicitiæ conseruabant*. E quibus verbis intelligi & illud potest, cur pudicitiæ filum; tota rerum series & connexio, ipsum denique libri huius de Iudith vita, processu, morte, die memoriam, dies ageretur? *Octauum argumentum* est, quod hæreticorum, contra tanti Concilij, & tot veterum authoritatem, argumenta, & pauca, & infirma sunt.

Hæreticorum contra Iudith argumenta ponuntur, soluuntur.

PRIMVM est, quòd sit temporis explicatio difficilis. Hoc enim Lutherus, in sua præfatione, præcipuum sibi telum esse fatetur. *Secundum*. Bethuliæ vrbs nusquam nota Lutherus ibidē. *Tertium* Wittakeri & Iunij. Hanc historiam non attingit Iosephus. *Quartum*, nomina poëmati apta sunt. *Quintum*, authoritas D. Hieronymi, Athanasij, & Ruffini supra citati, & addi è recentioribus possunt Carthusianus, & Caietanus sub finem Hester. Ad *primum*, postea capite 1. Tantum hic obseruandum, si ob difficiliorem temporis calculum, historiam negare liceret; futurum profectò, vt omnium pœnè diuinorum librorum labefactetur authoritas. Quanta enim Chronologiæ in omnibus difficultas? Norunt eruditi. inter quos, vel ob hoc solum argumentum, numerari à Chyträo Lutherus non debuit. *Ad secundum*: Elias in Tisbi eodem modo contra CHRISTVM Dominum argumentatur, dicens, Nazareth nusquam esse. Vbi verò Bethuliæ sit, dicam postea cap. 6.

Ad

Ad *tertium*, non attigit Iosephus: sed nec reiecit. Authores interdum quippiam omittunt, aliumque in locum resetuant, quemadmodum pulcherrimam de Onia historiam non in Antiquitatibus, sed in libello de tatione idem Iosephus exposuit, vti etiam hæreticorum gregalis notat Reineccius. Et verò lib. 10. cap. 5. de iis, quæ ad Assyriorum, & Medorum imperium spectarent; alibi se dicturum idem Iosephus pollicitus est. Quid? quod nobilissimam verissimam, à Propheris Apostolisque testatissimam Iob historiam, idem Iosephus ne verbulo quidem vno vnquam attigit? Ad *quartum* dixi in Tobia prolegom. 5. argum. hæret. 4. Ad *quintum*, quia vt sub quarti huius prolegomeni initium dicebam; citat Diuus Hieronymus Ecclesiam; respondet Catharinus, ab Hieronymo *Ecclesiæ nomen* pro plebe, seu inferioribus accipi, vt Actorum 20. non pro Episcopis aut doctoribus, vt Matth. 18. accipitur. At num è vulgo Diuus ipse Hieronymus? Diuus Athanasius? Rectiùs Sixtus Senensis lib. 8. Bibliothecæ, de illius temporis Ecclesia, quo dubitare de libro isto licebat, loqui S. Hieronymum respondet. ante, scilicet, Concilium Nicænum, vel certè post idem Concilium, prout quidem ipse Hieronymus existimabat, antequam illud, vt suprà dixi, legisset, quemadmodum Diuus Augustinus de sua ipsius ordinatione, iam ordinatus ex eodem Concilio didicit, quod antea nesciebat, vt scribit ipsemet epist. 110. & de eo Possidius cap 8 vitæ. De S. Athanasij Synopsi, eiusne sit à quibuidam dubitatur; si tamen eius est; ante Nicænum Concilium scripta videtur, vti de Laodicæno Concilio dictum. Ruffinus in pluribus errauit, vt ostendit Diuus Hieronymus libro contra ipsum. *Recentiores* illi minus ad posteriorem Diui Hieronymi sententiam attenderunt, quemadmodum ipse scilicet Hieronymus initio Nicænæ Synodi iudicium minus perspexisset. Adiiciam ex citata Lutheri præfatione argumentum, si tamen hoc nomine dignum est, vnicum. *Iudith gesta, è probatis*, ait, *certisque historiis probari non possunt*. Quomodo ergo vera? Responderi posset ex iis, quæ de Iosepho paulò antè dicta sunt. Sed à Luthero quæro, è quibusnam probatis historiis probari hanc vellet? sacris, an prophanis? si è sacris, non erit Ruth, non Esther, non magna ex parte Iudicum liber Canonicus. Nam & hæ historiæ, quibus ex historiis Canonicis probantur? Si è prophanis; par adhuc ratio. Prophanorum enim scriptorum, quis Iosuæ, Othonielis, Gedeonis, aliorumque Iudicum, & Ruth, & Saulis & similium meminit? Perinepte igitur hoc ipsum ab illo exigetur. Aptissime siquidem cùm ad alia, tùm ad hoc ipsum, quod in manibus est, Diuus Hieronymus in Ezechielis caput 26. *Probare*, inquit, *possumus multa dici in scripturis facta, quæ in Græcis voluminibus non inueniantur: nec debere nos eorum authoritati acquiescere, quorum perfidiam, & mendacia detestamur*. Et de hac ipsa historia Sulpitius, quasi ante oculos ipsum iam Lutherum videret; *Cæterum*, ait, *illud neminem mirum esse oportebit, quod scriptores sæcularium litterarum, nihil ex his quæ sacris voluminibus scripta sunt, attigerunt*, D. I. *spiritu prævalente*.

PROLEGOMENON V.

Quænam vtilitas.

D. Hieronymus præfatione in Sophoniam; *Iudith*, ait, *& Esther in typo Ecclesiæ & occiderunt aduersarios, & perituram Israël de periculo liberarunt*. Dum verò hunc in librum præfatur; *Accipite*, ait, *Iudith viduam, castitatis exemplum, & triumphali laude perpetuam eam præconio declarate. Hanc enim non solum fœminæ, sed & viris imitabilem dedit, qui castitatis eius remunerator virtutem ei talem tribuit, vt inuictum omnibus hominibus vinceret, & insuperabilem superaret*. Sed, in Germanica libri huius præfatione, Lutherum sibi ipsi pœnè repugnantem audiamus. *Est*, ait, *liber pulcher, bonus, sanctus, vtilis & nobis Christianis bene legendus. Verba enim, quæ hic personæ loquuntur, intelligenda sunt tanquam quæ loquantur sanctus Poëta vel Propheta ex Spiritu sancto, qui eiusmodi personas in theatro suo proponit, per eas que nobis concionatur*. Et in Principio; *Si Iudith gesta, possent è probatis certisque historiis probari, liber sane esset nobilis & dignus, qui in Biblia esse deberet*. At hoc in sacrorum librorum nobilitate necessarium haud esse, iam dictum est. Si tamen qui librum laudent, boni authores requirunrur, an superiori prolegomeno patum multi, parumque nobiles allati?

PROLEGOMENON VI.

Quinam Interpretes.

SCRIPSIT in hunc librum olim 7. libros BELLATOR antea citatus. Hodie præter Lyranum, Hugonem, & Carthusianum vnus paulò vetustior supersest Rabanus, qui, ad Iuditham Imperatoris Ludouici coniugem, allegoricam expositionem scripsit. Tropologicam persecutus est more suo Petrus Berrorius lib. 18. moralitatum. Extat Gerardi Lorichij Epitome, &, apud Gesnerum, Iacobi cuiusdam Zigleri Landaui mihi nondum visa expositio.

N PRO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVDITH

PROLEGOMENON VII.

Quis libri huius ad Biblicos alios ordo, & quæ partitio?

ATHANASIANA Synopsis, Diuus Augustinus libro 2. de doctrina Christiana, cap. 8. Cassiodorus diuin. lect. cap. 6. alij librum hunc Estheris libro subiungunt. Sed, Tobiam inter & Estherem, rectè in Bibliis nostris collocari, temporis disputationes partim in Tobia iam habitæ, partim in hoc & Esthere habendæ commonstrabunt. Senensis verò lib. 1. ait, Græcos in 60. capita periculum proponit, vsque ad caput 8. *Secunda*, liberationem à cap. 8. vsque ad versum 9. capitis 15. *Tertia*, quæ liberationem hanc secuta sunt.

PRIMA LIBRI PARS.

CAPVT PRIMVM.

1 ARphaxad itaque rex Medorum subiugauerat multas gentes imperio suo, & ipse ædificauit ciuitatē potentissimam, quam appellauit Ecbatana.

2 Ex lapidibus quadratis & sectis: fecit muros eius in latitudinem cubitorum septuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta. turres verò eius posuit in altitudinem cubitorum centum.

3 Per quadrum vero earum latus vtrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, positæq; portæ eius in altitudinem turrium.

4 Et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.

5 Anno igitur duodecimo regni sui: Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnauit in Ninive ciuitate magna, pugnauit contra Arphaxad, & obtinuit eum.

6 In campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphratem, & Tigrin, & Iadasson in campo Ertoch regu Elicorum.

7 Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor eius eleuatum est: & misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano.

8 Et ad gentes quæ sunt in Carmelo, & Cedar, & ad habitantes Galilæam in Campo magno Esdrelon.

9 Et ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Iordanem vsq; ad Ierusalem, & omnem terram Iesse, quousque perueniatur ad terminos Æthiopiæ.

10 Ad hos omnes misit nuncios Nabuchodonosor rex Assyriorum:

11 Qui omnes vno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abiecerunt.

12 Tunc indignatus Nabuchodonosor rex aduersus omnem terram illam, iurauit per thronum & regnum suum quòd defenderet se de omnibus regionibus his.

COMMENTARIVS.

SVNT capitis huius partes duæ. In priore ostenditur, quemadmodum Arphaxado Medorum Regi bellum inferat Assyriorum Rex Nabuchodonosor. in posteriore, quemadmodum populus alius pluribus. Et verba quidem contextus nuda si spectentur, commentario vix vllo indigent. libro adhuc feci, agam deinceps.

QVAESTIVNCVLA PRIMA.

Cur, in libri huius principio, statim dicitur, itaque?

HOMILIA secunda in Ezechielem Diuus Gregorius, eius libri principium exponens. *Primo*, inquit, *quæstio nobis oritur, cur is qui nihil adhuc dixerat, ita exorsus est, dicens. Et factum est in tricesimo anno?* ET nam quæ sermo coniunctionis est: & scimus, quia non continuatur sermo subsequens, nisi sermoni precedenti. *Qui igitur nihil dixerat, cur dicit: Et factum est, cum non sit sermo cui hoc, quod dicit, subiungat?* Eodem & ego modo cum ad connectendum, & aliud ex alio colligendum particula, *itaque*, adhibeatur, quomodo ab ea iste liber incipit? Cum quo per eam priori prima eius sententia connectitur, aut è quo colligitur? Sane verò, quia & Machabæorum liber primus, & in Hebræo textu Exodus, Leuiticus, Numeri, Iosue, Iudices, aliique diuinarum litterarum libri complures ab istiusmodi vocalis incipiunt, & ea litterarum istarum maiestas est, vt vel minimus in iis apex præteriri,

teriri, sperniue non debeat, dicam, cur id fiat; breuiter. Opinor, meo quidem sensu, prophetarum minorum Interpres Ribera, Hebrææ aut linguæ idiotismum, vt particula &, nullo interdum copulandi officio fungatur, sed redundet. Similiter & in Hebrææ Grammaticæ parte 4. cap. 2. Bellarminus, *nota*, inquit, *copulativa significationes* ET, ATQVE, AVTEM, *sæpissime proponuntur ad initia librorum vel sententiarum, ornatus gratia.* Posset tamen in istis etiam initiis propria illa vel copulandi vel concludendi vis retineri. idque duorum modorum alterutro. *Vnum* est, quem loco citato tradit S. Gregorius; vt per istiusmodi sermonis vincula deuinciatur exterior sacri authoris oratio cum interiore illa oratione, quam animo author idem viderit vel audierit. Fit enim nonnumquam, vt secum ipse interiùs quispiam loquatur, vel alium quasi loquentem videat, tumq; subitò in exteriorem, quæ huic eius cogitationi respondeat; vocem prorumpat, & hæc illi connectatur, quæ animum intrinsecus non aures vel oculos extrinsecus percussit. Ita enim, secundum litteratorum sectionem, incipit elegia 17. Propertius:

Et merito quoniam potui fugisse puellam.
Nunc ego desertas alloquor halcyonas.

Et Ouidiana Canace:

Si qua tamen cæcis errabunt scripta lituris.
Oblitus à domina cæde libellus erit.

Suntque huic generi assimilia in Tullianarum epistolarum initiis hæc: *Tu igitur. Tu vero. Ego vero. Atqui tu.* Modus *alter* est, vt cum scripto alio, quod istud, quo de agitur, antecessit; fiat connexio. Atque mihi ad omnia pæne sacrorum, in quibus historia est; librorum initia modus hic pertinere videtur. Vel enim cum iis Bibliorum libris, qui extant, iunguntur, vt Exodus, Leuiticus, alij vel cum publicis Israëlitici populi monimentis, è quibus ij excerpti. Est enim sciendum, fuisse in Oriente moris, vt à certis constitutisque hominibus publica populorum gesta litteris mandarentur, studioseque custodirentur, vti contra puerilem Græcorum historicorum ætatem de Ægyptiis, Chaldæis, & Phœnicibus docet libro 1. in Apionem Iosephus, qui δημοσίας ἀναγραφὰς, *publicas descriptiones* appellat, tandemque idem de Israëlitico suo populo testatur, dicens: καὶ ἐπὶ τοῖς ἱερεῦσι καὶ τοῖς προφήταις τὸ προφητεύεσθαι. *Hoc*, ait, *publicarum descriptionum munus sacerdotum principibus & prophetis demandarunt.* quin & addit istiusmodi commentarios ad sua vsque tempora conseruatos. Legendum enim apud ipsum ἕως (non ὡς) τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων. Atque hanc scribendi rationem imitati etiam postea sunt Romani, vti testes Tranquillus, Plinius, Tullius. *Ab initio*, inquit iste lib. 2. de Oratore, *rerum Romanarum, vsque ad P. Mutium Pontificem Maximum res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas vt esset populo cognoscendi, q; qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Et primo de Legibus, Atticum *Pontificum Maximorum Annales* citantem inducit. *Cæterum*, ait præfatione in Iosuam Matius, *priscis temporibus, apud Ecclesiam fuisse diaria & Annales, in quibus res gestas, vt quæque notatu dignissimæ, & ad doctrinæ sacræ propagationem vtilissimæ videbantur, continuata serie inscribebant q, qui quoque tempore elegantis eruditionis, pietateque præstantes in populo DEI viuebant; satis docent, cum alia, quæ sæpe laudantur, quamuis iam interciderint, Regum historia, tum liber bellorum Domini, & liber Recti, in quo & Iosuæ nostri, & Samuelis, Saulisq; gesta fuisse inscripta certum est.* Quin ipsæ sacræ litteræ (Num. 21. ver. 27. *sect tales annalium siue diariorum scriptores hammoschelim appellant, hoc est, argutos, sectos, facetosque homines, & subtiles ac elegantes scriptores. Maschal enim dicendi scribendique genus est vrbanum, ingeniosum, facetum, elegans. Nimirum isti vel omnes, quæ memorabiles vsquam, in cœtu DEI, enemiebant, prout magis minus insignes, partim ligata oratione, aliàs soluta conscribebant.* Ex hisce igitur tabulis, publicisque Commentariis nonnulla interdum excerpta, vel certè ita conscripta, vt in vnum cum illis corpus compingi, iisdem adiungi possent; supersunt. & ea per &, *itaque*, similesque connexionis vocalis inchoantur. quemadmodum & omnes omnino Gorionidæ Iosephi libri.

QVÆSTIVNCVLA II.

Num, ante vel post captiuitatem Babylonicam, libri huius historia contigerit?

ANTE *captiuitatem* Babylonicam contigisse asserunt nonnulli, sed bifariam. Vel enim certum ante captiuitatem illam tempus nullum definiunt, vel definiunt. Illi sunt, Canus lib. 11. de locis Theologicis, cap. 6. & Carion in Monarchia secunda. Hi verò sunt triplices. Nam Genebrardus lib. 2. Chronol. in Sedechiæ Regis tempora eam historiam conficit. Iohannes Benedictus & apud ipsum Zigerus in Iosiæ nostri verò Bellarminus lib. 1. de verbo DEI, cap. 11. in Manassæ. *Post captiuitatem* verò eidem historiæ tempus tribuunt alij. sed *sextuplicitor. Primò* enim Zonaras ad Nabuchodonosorem magnum eam reuocat. *ad Cambysen* verò bene multi. Eusebius in Chronicis, V. Beda de temporibus, & libro de sex ætatibus, Rabanus hoc loco, sed timidè, Glycas parte 2. Annalium, Otto Frisingensis lib. 2. cap. 15. Suidas verbo *Holofernes*, historia Scholastica, Lyranus in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tobiæ fine, Hugo Cardinalis hoc loco; itemque Carthusianus, Iohannes Tritemius lib. 1. de scripturis, cap. 2. par. 2 lib. 3. cap. 5. part. 3. & secundum quosdam, verbi causa, Canum loco citato, Philo ille Pseudophilus. *Tertio* Diuus Augustinus lib. 18. Ciuit. cap. 26. cum de tempore à Cyro ad Darium vsque ageret; *Per idem*, ait, *tempus etiam illa sunt gesta, quæ conscripta sunt in libro Iudith, quem sanè in canone scripturarum Iudæi non receperunt*. Iohannes Benedictus ita Diuum hic Augustinum intelligit, quasi diceret *per Cyri tempus*. cum potius à Cyro vsque ad Darium, tempus; vt dixi; proponat. Sicque, vt rectè aduertit loco citato Bellarminus à superiore vix sententia differat. Iam *quartò* ad Xerxis ævum eandem historiam traducunt Suidas verbo *Iudith*. Iulius Africanus apud eundem Suidam, Ribera in caput 2. Nahum. *Quinto* Darij Hystaspis tempus Mercatori magis placet, nec non Philoni, prout ipsum alij exponunt. *Sexto* denique Artaxerxis Ochi tempore totam hanc historiam accidisse scribit in historia sua Sulpitius.

I. *Opinionum ego istarum, quæ post captiuitatem huic historiæ tempus quærunt, nulli assentior*. quia vel haberent Esdræ 1. cap. 4. & 5 libro 2. cap. 4. Templum etiam tùm vel prostratum iacebat, vel non nisi sensim excitabatur, vt ex iisdem locis, & Aggæi 1. perspicuum. Deinde sub extrema Persicæ monarchiæ tempora, licet aliquo iam modo & Hierosolyma & templum reflorescerent, quemadmodum, quæ de Alexandro magno contra Darium tendente, Hierosolymamque veniente docet apud Iosephum lib. 11. cap. 8. historia: nihilominus tamen nullus tum Eliachim erat Pontifex: Assyriorum sceptrum conciderat: Medorum regnum Satrapia iam erat; omnia denique vna Persicorum Monarcharum ditione atque dominatu tenebantur. At verò infrà cap. 4. vers. 2. & 6. cap. 15. vers. 9. cap. 16. vers. 22. stat templum, vigent Hierosolyma, Pontificatum gerit Eliachim. Et cap. 1. Assyriorum rex adhuc est: Niniue triumphat: Media regni adhuc dignitatem & quidem præpotentis obtinet. E contrario Babyloniorum hic Regum nulla mentio. Persidis verò fit capite 1. mentio in Græco & cap. 16. in Latino, sed tamquam obscuræ adhuc regionis, & quam facilè territaret adhuc Assyrius.

II. *Ante captiuitatem omnia hæc euenisse opinor, non tamen Sedechiæ temporibus*. qui cum tot bellis & calamitatibus Sedechiæ regni principio exhausta esset & Iudæa & cæterarum tribuum regio 4. rit, ipsumque à Nabuzardan templum incensum ibid. cap. 25. quomodo in istud tempus congruat, quod hic infra scriptum est cap. 16. vers. 30. *in omni spatio vitæ eius* (Iudith) *non fuit, qui perturbaret Israël: & post mortem eius annis multis*. Et quomodo Nabuchodonosoris annus decimus tertius, de quo hic cap. 2. vers. 1. vel etiam decimus octauus, qui in Græco est eodem cap. 2. conueniat cum Sedechiæ annis explanatè positis 4. Reg. cap. 25. & Ieremiæ 52? Nam cùm Sedechiæ obsidio cœperit anno eius nono, & annus eiusdem decimus dicatur ab Ieremia vers. 1. Nabuchonosoris decimus octauus, annus verò illius vndecimus, huius sit decimus nonus 4. Reg. cap. 25. vers. 8. nonne secundum Græcorum hic positum numerum, Hierosolymam altero iam anno obsideret Nabuchodonosor, & in alta quasi pace bellum cõtra Iudæos moliretur? Nonne secundum Latinorum calculum anno Sedechiæ quinto bellum auspicaretur, & quarto postmodo anno reuerteretur, vt diuturnior Iudæis pax & requies nulla esset?

III. *Iosiæ tempus multo est omnibus historiæ huius gestis accommodatius*. Etenim annorum ei triginta & vnius pax fuit: ipsiusque tempore viguit DEI cultus vel maximè: summa sacerdotum fuit authoritas: & sub extremum vitæ, ideo contra Ægyptium Regem, Regi Assyrio, studuisse videri possit 4. Reg. cap. 23. vers. 29. ne tantam istam à Iudith acceptam cladem vlcisci vmquam ille vellet. Actum, quæ momenti maioris erant, non à Rege puerulo, sed à Pontifice prudentissimo administrata & inscio, tantam ipsius copiis & duci perniciem allatam, eamque opinionem vt tueretur; voluisse rium fore, vt Iudith cum Holofernem iustulit; annorum esset aut 75. aut 80. aut certè non multò minus. Cum enim annos 105. vixerit cap. vlt. vers. 28. postquam nobilissimum istud factum, tota eius vita, imo & post eius mortem, annis pluribus pax Israëlitis fuerit ibid. vers. 30. si à Iosiæ regnantis principio, tranquillitatis annos 30. sumamus, hosce duas in partes diuidere oportebit, vt alij tot residui eius vitæ anni fuerunt; alij pacis post eius mortem anni sint. Si faciamus is numerorum commutationibus. Detrahantur verò illi 30. ex 105. residui erunt 75. Si anno regni subducantur, qui restabunt, erunt 80. sicque in alios, quoscunque dederis, annis ratiocinari licebit. At cum ad Holofernem veniret, puella erat cap. 12. vers. 12. Quomodo ergo natu tam grandis? *Alterum*, Iosiæ tempore Pontifex erat Helcias 4. Reg. 25. vers. 4. Qui verò ista in historia Pontifex est Eliachim cap. 5. vers. 5. & Ioachim cap. 15. vers. 9. appellatur. Posset nihilominus responderi *puellam* Iudith vocari lococitato. quia ob pulchritudinem diuinitùs inditam ca. 10. ver. 4 puella videbatur:

debatur: Pontificem verò Iosiæ tempore fuisse *Helciam* non in eius regni principio, cùm bellum hoc gereretur; sed annis aliquot postea. Sic enim 4. Reg. cap. 22. vers. 3. *Anno autem octauo decimo Regis Iosiæ, misit Rex Sapham filium Asliæ filij Mesulam scribam templi Domini, dicens ei: Vade ad Helciam sacerdotem magnum*. Sed de his iterum oportunius postea.

IV. *Accommodatissimum tamen merito censeatur, Manassæ tempus posteaquam Babylone is rediit*, 2. Paralip. 33. vers. 13. quia cum scientiæ aliæ omnes, præter eam, quæ Iosiæ tempore constituit; refuratæ sint, & à Manassæ illo reditu, vsque ad Iosiæ finem pax perpetua fuerit, multò hæc sententia commodiùs pacis illud tempus, quod & superstite & mortua Iudith, à scriptura cap. vlt. v. 30. proditur; explicat. *Deinde*, quia, vt postea videbitur; valde congruit posterior Manassæ pietas, Elichimi Pontificatus, aliæque circumstantiæ. *Tertiò*, quia eidem opinioni subscribit noster Pererius in Danielis cap. 1. imo & qui Bellarmino bellum, sed absque armis & vnibus indixit; Wittakerus loco citato, id, quod hac de re à Bellarmino afferrur; *videtur*, ait, *multo probabilius, quàm quod alij opinantur. Quartò*, tum apud Medos, qui Ecbatana, vt infrà dicetur, ædificauit; potentissimus erat Deioces: Niniue, vt in Tobiæ vltimo capite monstratum est; diruta nondum erat: nondum etiam Hierosolyma, DEique templum deiectum & inflammatum erat. *Postremò*, quia quæ differri contrà possunt, expediuntur commodè omnia. Sunt autem apud Wittakerum ea duplicia. *Quædam sunt*, quæ sibi iam ipse obiecerat Bellarminus, & dissoluerat. Wittakerus verò, vt sæpissimè aliàs, quæ argumenta obiiciuntur; arripit: neque eorum tamen, quia scilicet non potest; solutiones non modo non expugnat; sed ne oppugnat quidem. Huiusmodi est, cur in bello isto de Iudæorum Rege tantum silentium, quomodo c. 5. dicantur paulò antè Iudæi ex dispersione reuersi, quomodo ibidem in Græco templum solo æquarum dicatur. de quibus omnibus eo loco quæ fàr erunt; dicentur. *Alia* verò sunt, quæ Marte ipse suo iacit. & ea, ne in vnam omnia quæstiunculam compingamus; posteà cùm res tulerit; afferentur: & quidem eius ipsius verbis. Nunc illud, contra Luthernm antea Prolegomeno tertio citatum, tantummodo notemus; temporis, in quod historia ista inciderit; difficultatem tantam non esse, inueniri vt illud nequeat. quin verò probabiliter admodum non vnum, sed duo, vti vidimus; tempora proferri; Iosiæ scilicet, aut eius aui Manassæ.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quis Nabuchodonosor hic?

EX superiore quæstione liquet ferè, quæ authorum variorum sententia sit. Nam ex iis, qui ante Babylonicam captiuitatem gesta hæc fuisse opinantur, alij enim ipsum Nabuchodonosorem, qui Iudæ Reges vltimos, ipsamq; Hierosolymam cepit, esse censent, vt Zonoras & Genebrardus. alij alium hoc ipso priorem, & hunc alio nomine dictum putat loco citato Bellarminus Merodach Baladan, de quo 4. Reg. c. 20. v. 12. Is verò, qui victoriam istam captiuitate illa posteriorem volunt, Nabuchodonosor hic est Persarum Regum aliquis, Cambyses, Darius Hystaspis, Xerxes, Artaxerxes Ochus. Quæ mihi videntur sunt hæc.

PRIMVM. *Non fuit iste Nabuchodonosor idem ille, qui Hierosolymam eiusq; Reges cepit*. 4. Reg. c. 24. & 25. quia iste noster bellum aduersus Occidentis partes, in quibus & Iudæa fuit; anno regni sui decimo tertio suscipit, vel secundum Græcum textum anno decimo octauo. Sed qui Hierosolymam cepit Nabuchodonosor, regni sui principio contra Ioacimum Hierosolymorum Regem numeroso cum exercitu ascendit, 4. Reg. 24. v. 1. & cum seruiturem ei seruiisset Ioacimus, ab eoque posteà defecisset, iterum copias in eum illico emisit Nabuchodonosor. ibid. ver. 2. idemque Nabuchodonosor anni regni suo octauo Ioacimi filium Ioachimum Regem Babylonem captiuum abduxit: ibid. ver. 12. Sedechiam Regem constituit, qui & septem vel octo annos in fide mansit. Sed cum à Nabuchodonosor posteà recessisset, 2. Paralip. 36. ver. 13. ille ira furoreque ardens, rursùm anno regni sui decimoseptimo aduenit, Hierosolymam obsedit, eaque decimonono potitus est, 4. Reg. 25. ver. 8. Quomodo ergo hic cap. 2. ver. 1. vel cum Latino textu, anno regni sui decimo tertio, dum ei adhuc obsequeretur Sedechias, vel cum Græco, anno 18 dum Hierosolymam suo iam exercitu cinxisset; in Iudæos bellum appararet? Faciamus tamen citius ab eo Sedechiam defciuisse, ipsumque Nabuchodonosorem anno decimo tertio, qui Sedechiæ regni quintus erat; contra Occidentem bellum decreuisse, vbi longa illa, quæ plures, post Iudithæ facinus; annos Iudæam beauit, infrà cap. vltim. ver. 30. pax inuenietur? An tribus, quatuorue annis, qui inter hunc Sedechiæ annum quintum & nonum illum, quo rediit Nabuchodonosor, possunt vllo modo verba hæc applicari. *In omni spatio vitæ eius, non fuit, qui perturbaret Israël: & post mortem eius annis multis*. Denique noster iste Nabuchodonosor Niniuæ imperabat, vt cap. 1. ver. 5. dicitur. At alter ille, etiam postquam Niniuen prout in Tobiæ capite penultimo dictum est, euertisset, Babylone regnabat. quemadmodum ex bona illa Pererij nostri, quam libro 5. in Danielem instituit; ratiocinatione planum est. Habuit enim Babylone somnium, quod Danielis cap. 4. Daniel ipse interpretatus est. Exinde, vno post anno, ipse in bestiam commutatus est, vt ibidem dicitur v. 25. eoque in

ſtatu totos ſeptem annos permanſit. Iis verò exactis, id eſt, nono poſt ſomnium anno, ipſe & meatu & regno reſtitutus eſt: neque ita multo poſt; mortuus.

ALTERVM. *Non fuit Perſarum Regum, poſt captiuitatem Babylonicam, vllus.* Nam primò probatum iam eſt, ante captiuitatem contigiſſe hæc. Poſteriorum igitur Regum nullus eſt. *Deinde*, propria de ſingulis argumenta proferri poſſunt. Cambyſes totos octo annos non regnauit, vt ait lib. 3. Herodotus, Ioſephus lib. 11. cap. 2. vel certè tantum octo, vt vult in Chronicis Euſebius. Noſter verò etiam decimum tertium regni annum attingit cap. 2. Idem Cambyſes & Darius eas ipſas, quas hic noſter vi occupare vult, regiones, Ciliciam, Damaſcum & Palæſtinam iam poſſidebant, 1. Eſdræ c. 4. & 5. itemque Xerxes & Ochus, vt ex Iuſtino, Diodoro, aliiſq; perſpicuum. Videri poſſunt Canus & Bellarminus locis indicatis.

TERTIVM. *Non fuit etiam Merodach Baladan.* Hic enim Babylonis rex erat, 4. Reg. 20. v. 12. Iſa. 39. ver. 1. Nabuchodonoſor verò, quem quærimus; Niniuitanus monarcha erat, cap. 1. ver. 5. Dices; fortè & Babylonis & Niniuæ Rex ſimul erat. Sane iſta Genebrardo mens videtur, cum ait: *Domitis Aſſyriis, Merodac Babylonius tenuit monarchiam.* Abſurdum tamen. Nondum enim ad Babylonios Aſſyriorum Imperium translatum erat, vti Tobiæ vltimo capite concluſum eſt. Deinde cum Merodach iſte Babylonius ad Ezechiam legatos mittebat, vel viuebat adhuc Niniuæus Sennacherib, 4. Reg. 19. ver. 36. Iſaiæ 37. ver. 37. vel certè regnabat iam ipſius filius Aſaraddon. ibidem ver. 37. 38. Ad hæc Merodac iſte, omnino vt lib. 4. Regum aiebam; eſſe ille videtur, qui apud Ptolomæum in Almageſto Mardokempadus dicitur. At is Babylonius eſt, & Nabonaſſaris à quo Aſtronomicarum obſeruationum calculum ducit idem Ptolemæus, filius. Solent verò Aſtronomi à Babyloniis, non Niniuæis aſtrorum obſeruationes petere. Domitorum porro à Merodacho Aſſyriorum, quod vllum vſquam vel obſcuriſſimum veſtigium? An quod nulla deinceps in ſcripturis mentio Aſſyriorum Regum fiat, ſed Babyloniis tantum? Ita diſputant eruditi ſanè viri. Sed hoc ipſum primo nego quia clare Niniuæus hoc loco Nabuchodonoſor proponitur, & 2. Paralip. 33. ver. 11. *Superinduxit eis principes exercitus Regis Aſſyriorum, ceperuntque Manaſſem, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt Babylonem.* Diluciderò profecto Rex adhuc Aſſyriorum hîc auditur. & quidem eiuſmodi, cui tanquam inaiori ſubditus eſſet Babylonius, cum ab illius copiis Babyloniam innuit ſcriptura, 4. Reg. cap. 17. verſ. 24. *Adduxit Rex Aſſyriorum de Babylone, & de Cutha.* Id enim multo verius, quam quod lib. 5. de emendatione temporum ait Scaliger per Babylonem, intelligi Babyloniam. in cuius regionis partem dominaretur Aſſyrius. Quamquam ſi Babylonia etiam intelligeretur, adhuc Rex Aſſyrius à Babylonio tamen diſtingueretur, eoque adhuc eſſet potentior, cum eius regionis partem occuparet. Ad hæc Aſſyriorum deinceps nomina reticentur. quia, poſt Iudithæ victoriam, nihil deinceps amplius contra Iudæos tentarunt. quin eius victoriæ occaſione, aliiſque oportunitatibus vſi Babylonij, opes ipſi ſuas augere, Aſſyriorum paulatim iugum excutere, tandem verò ipſorummet imperium arripere, ipſamque imperij arcem & Metropolin Niniuen inuadere, atque delere, vti Tobiæ capite vltimo, quæſt. 3. & 4. dicebamus; auſi ſunt. Et ſanè quemadmodum Aſſyriorum Reges tam multi, qui apud Euſebium Chronicis referuntur; ante Phul, 4. Regum 15. verſ. 19. non nominantur: ita eorum extremos pauculos retieri quid mirum?

QVARTVM. *Fuit iſte Nabuchodonoſor, Aſarradonis liberorum quiſpiam.* Cum enim, vt hactenus probatum; Aſſyrius fuerit, & quidem poſt Sennacheribum occiſum, poſtque recuperatam à Manaſſe libertatem, & ante Nabuchodonoſorem magnum, neceſſariò dicere habemus vel Sennacheribi filium Aſſaradonem fuiſſe, vel huius ipſius filium. Cum enim à Sennacheribi clade, fugaque turpiſſima ad Manaſſæ principium & medium, anni non ita multi ſint, vt ad Aſaraddonis nepotes progrediamur, neceſſe haud videtur. Ipſe tamen Aſaraddon eſſe Nabuchodonoſor iſte non poteſt, quia, vt ſæpè iam repetitum, ad bellum noſter iſte aggreſſus eſt regni anno 13. vel 18. ſed à Sennacheribi fuga & parricidio, vſque ad Manaſſen, anni pænè ſunt 15. Deinde antegitauit Manaſſes, 4. Reg. 21. tùm captus & in tributarij Regis vrbe Babylone attentus fuit, 2. Paralip. 33. ita vt annis minimùm quinque ad hæc opus fuerit: ſicque Aſſaradonis eſſet non decimus tertius aut decimus octauus, ſed viceſimus. Eſto igitur filiorum eius aliquis, cui Nabuchodonoſor nomen fuerit.

QVAESTIVNCVLA IV.

Quæ contra Nabuchodonoſorem iſtum acies?

QVÆ Nabuchodonoſorem Aſſyrium deletum velint, ſunt acies potiſſimum tres. In primis primipilum agit Wittakerus; *Scire, ait, velim, an aliquis fuerit Nabuchodonoſor tempore Manaſſæ quod minimè puto. Nam prior Nabuchodonoſor, cuius filium fuit ille ſecundus magnusq; Nabuchodonoſor, regnare cœpit cum Ioſia, qui Manaſſe fuit poſterior annis 53. Ante hunc nullus aut Niniue, aut Babylone Nabuchodonoſor regnauit, ſi hiſtoriis creditimus.* Imo, ſi, mi homo, ſacræ huic hiſtoriæ crederes, iam qui Niniuæ regnaſſet: Nabuchodonoſorem videres: eumque à duobus illis, quos concedis Nabuchodonoſoribus diuerſum. Sed pergit primipilus iſte. *Nam quod omnes Babyloniorum Reges dictos eſſe Nabuchodonoſoros affirmant, id quidem poſt illam magnum Nabuchodonoſorem concedo eſſe verum: cuius magnitudo fecit, vt nomen hoc Regibus Babylonis hereditarium eſſet. Sed antea vocatos eſſe omnes Nabuchodonoſoros non conſtat.* Si non conſtat, quemadmodum me vocatos fuiſſe affirmare non deceret: ita certè neque te negare. At, neque ante neque poſt Nabuchodonoſorem magnum, *omnes* ita appellatos fuiſſe iam contendo, de quo Bellarminus loco citato, argumento ſecundo: ſed *quoſdam* tantum, & quidem ante, & verò etiam Aſſyrios. De vtriſque teſtes mihi non Alphonſini tantum Aſtronomi, ſed Albategnius etiam, qui Nabonaſſarem, ſemper Nabuchodonoſorem appellat. & Albategnio vetuſtior Arabs Ptolemæi Paraphraſtes, à quo Nabonaſſar ſemper vertitur Bechatnezar, id eſt, Nabuchodonoſor. & ita ſeſe Ioſephus Scaliger lib. 5. in quibuſdam Tabulis ſcriptum inueniſſe teſtatur, itemque in Almageſto Latino vetuſtiſſimo, qui ſub Domini annum 827. Iam D. Epiphanius libro primo, eum Aſſyriorum Regem, qui 4. Reg. c. 17. in Samariam Cuthæos tranſtulit, Nabuchodonoſorem appellat. fuit verò is aut Salmanaſar aut Sennacherib. qui & lib. 1. Eſdræ cap. 4. ver. 10. dicitur Aſenaphar magnus & glorioſus. facile igitur prima hæc acies repellitur. *Alteram* verò ducere videtur Ioſephus, qui lib 10 cap. 3. cum de recuperata Ezechiæ valetudine ageret; adiungit. Ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ, ἐφ' ὃν ἡ τῶν Ἀσσυρίων ἀρχὴ ὑπὸ Μήδων καταλυθῆναι. Hoc, ait, *tempore contigit Aſſyriorum imperium à Medis diſſolutum eſſe.* Quo igitur modo iſte Nabuchonoſor Medorum iam Regem viciſſe dicatur? Diceret forte aliquis, verborum inuerſionem eſſe in Ioſepho: ſicque legèdum, τὴν τῶν Μήδων ἀρχὴν ὑπὸ τῶν Ἀσσυρίων. Non hoc tamen dico: ſed cum temporibus iſtis cœperit Deioces, de quo infra; Medorum ſibi regnum vendicare, factum eo ipſo eſſe, vt Aſſyriorum imperij aliqua iam diſſolutio eſſet. Licet enim Medum vicerit adhuc in hac hiſtoria cap. 1. Niniuitanus, non tamen ita vicit, quin tandem ſeſe Medorum Aſſuerus Babyloniorum Nabuchodonoſori coniunxerit, ſicque Niniuen ambo vnà deleuerint. prout in Tobiæ vltimo audiimus. idque in Phraorte & Cyaxare totum oſtendit Herodotus lib. 1. *Tertia* vero iam ſuccedit *acies*, quæ ad ſuperiores ſi conferatur; omnino tertiarium eſt. Volunt iſti regulam eſſe certiſſimam, Chaldæorum nomina nullis impoſita fuiſſe Aſſyriis, & contra, Aſſyriorum Chaldæis nullis. Nam contra nonnullos, quorum ego alioqui ſententiam non probo; diſputans loco antea citato Scaliger *Prima*, inquit, *pars* Nabuchodonoſoris *nomina Nabu eſt Regum Chaldæe, non Aſſyriæ, ſine Coroſan.* Et libro 6. vbi Chaldæorum & Aſſyriorum nomina expoſuiſſet; *Horum*, ait, *nominum methodum vtiliſſimam & maximè neceſſariam eſſe Chronologo ſalcem vt ne Reges Aſſyrios cum Chaldeis confundat.* Sanè vero confundenda non ſunt. ita ſcilicet, vt qui fuit Salmanaſar apud Aſſyrios, idem eſſe ſtatuatur, qui apud Chaldæos fuit Nabonaſar. vel vt qui Aſſyrij Reges ſunt, ij Babylonij vendicentur: ſed fieri non poſſe, vt nomen aliquod vtrique genti commune ſit, id vero eſt, cuius probationem velim. Mihi enim perinde hoc videtur, atque ſi, quia Gallorum, Hiſpanorum, & Germanorum diſtinctæ gentes & regna ſunt, pugnaret nullos, apud hos vel illos, eſſe Reges aut Imperatores Ludouicos, Henricos, & Carolos, quia apud alios ſint. vel quia Iſraëlitis Reges fuerunt Ochozias, Ioram, & Ioas, nullos eodem nomine Hieroſolymis regnum tenuiſſe. Quid noſtræ huius hiſtoriæ caput Olofernes? An apud Aſſyrios tantum aut Perſas eſt, non etiam apud Armenos & Cappadocas, vt infra dicetur? Quid Aſſueri & Cambyſæ? Nonni & Medi & Perſæ ſunt? Habent ſanè vicinæ gentes vt alia multa, ſic & nomina quædam communia, vt frigida nimium pæneque futilis videatur concluſio, ideo Aſſyrium Nabuchodonoſorem non eſſe, quia ſit Babylonius aliquis. Non ita, quem antea excuſi, exiſtimauit S. Epiphanius: neque cur ita exiſtimemus, rationem vllam intelligo. Dicere aliquid videtur Scaliger, cum eadem libri ſexti pagina ſubdit; *omnia ſunt Deorum Babyloniorum nomina. vt Mero, Nebo, Bel. Iſaiæ 46.* At probandum etiam eſſet, vel Deos iſtos, vel iſta eorum nomina ita Babyloniorum eſſe propria, vt aliorum gentium nullis conuenirent. *Nebo* in Moab nonne legitur Numerorum 33. ver. 47. Iſaiæ 15. ver. 2? An apud ſolos Babylonios *Bel*? cum Beelzebub & Beelphegor alibi etiam ſint? Primo in Stiliconem Panegyrico, de Perſarum Rege loquens Claudianus:

> ——— ——— *vituque iuuencos*, ait,
> *Chaldæo ſtrauere Magi. Rex ipſe micantem*
> *Inclinat dextra paterам, ſacrataque BELI*
> *Et vaga teſtatur volucrem ſidera Mithram.*

Tanto verò magis & Dij & nomina quædam Aſſyriis Chaldæiſq; communia eſſe potuerunt, quod eoſdem pænè regnorum vrbiumque conditores habuerint, vti non modo ex Diodoro lib. 2. exoticiſque aliis perſpicuum, ſed & ex Geneſis cap. 11. Tradit verò etiam Herodotus libro 7. in Aſſyriorum gente numerari Chaldæos. quos etiam Arphaxadæos vocat Ioſephus lib. 1. Antiq. 7. Maneat igitur Aſſyrius Nabuchodonoſor. Quemadmodum verò hic vnus tantum in ſcriptura eſt; ſic & in eadem, Babylonio vno plus non inuenies.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA V.

Quis Arphaxad?

QVATVOR ei, è quibus agnoſci poſſit; *notas* appoſuit Latinus textus. Prima eſt ver.1. *Rex Medorum.* Altera. *ſubjugauerat multas gentes imperio ſuo.* Tertia, *ædificauit ciuitatem potentiſſimam, quã appellauit Ecbatanis.* Quarta ver.4. *gloriabatur quaſi potens in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum.* Ex iis primam tantum & tertiam expreſſim poſuit Græcus. duæ tamen aliæ innuuntur, cum in ipſa eius vrbis ædificatione dicitur, portas ad potentiſſimas copias, pedeſtreſque ſuas acies inſtruendas exſtruxiſſe. Hunc verò, qui poſt Babyloniam migrationem regnaſſe cenſent, alio nullo nomine afficiunt. Et ſanè meritò. Quis enim, præter Perſas, Medorum tum Rex? Qui verò, vti ſuprà faciendum probaui; altius hiſtoriam iſtam reuocant, nomen eius apud ſcriptores aliud eſſe arbitrantur, Bellarminus *Dioclem* ait fuiſſe. quia, vt Herodotus lib.1. & Euſebius Chronicis tradunt, Ecbatana ædificauit, id eſt, è poſitis iam notis, prima & tertia inſignis eſt. Secũdam verò indicat etiam Herodotus, cum etſi ſolos Medos ſubegiſſe ait, eorum tamen gentes plures facit, Buſas, Paratacenos, Struchates, Arizantos, Budios, Magos. De quarta verò nota, quin & ea in eo hæſerit, quis ambigat, qui aduerterit, regnum eum ſummopere ambiiſſe, dolo, calliditate, omnique ſimulatione ad ſe perttraxiſſe. cumque pertraxiſſet, vetuiſſe, ne quis in Regis conſpectum veniret, eiue quidquam, niſi per internuncios, proponeret: ne cuiquam coram illo aut ridere, aut ſpuere fas eſſet? Congruit etiam tempus cum in Olympiadem 18. & Manaſſæ annos primos, huius principium cõferat Euſebius. Huius filium *Phraortem* malunt Benedictus & Ziglerus. Geſſit enim contra Ninum & Aſſyrios bellum, in eoque ipſe magna cum exercitus parte periit, vt ab Herodoto lib.1. recenſetur. At hic cap.1. ver. 6. victus ab Aſſyrio fuit Arphaxad, & vt poſteà dicemus, occiſus. Huius porro filium *Cyaxarem* potius fuiſſe opinatur Genebrardus. omnibus verò iſtis antiquiorem *Arbacem* Carion.

Sed in prima illa ſententia primò quidem mendum occurrit, cum Diocles vocatur, qui Deioces, apud Herodotum Δηϊόκης dicitur. Deinde cum ſecundum Euſebium, regnare cœperit anno Manaſſæ quinto, & annos regnarit 54. vel vt habet Herodotus 53. Manaſſem qui annos 55. Rex fuit; viuendo ſuperarit. Sed vt habetur cap.1. ver.6. fuit Arphaxad à Nabuchodonoſore deletus & to vltimis Manaſſæ annis priorem fuiſſe; dictum antea eſt. In Phraorte, quid præter tempus diſſonet, nihil equidem video. Cum enim ei Euſebius annos det 24. Herodotus 22. multò inciperet citius eius filius Cyaxares regnare, quam vt cum Nabuchodonoſore magno Ninum poſſet euertere, quod tamen Tobiæ cap. vlt. quæſt.3. & 4. conſtitutum. Atque hinc etiam patet cur Cyaxares Arphaxad eſſe nequeat, cum etiam apud Herodotum ille Nini domitor, à Niniano iſte domitus fuerit. Quo etiam modo explodi Arbaces videtur. Nam, vti bene longa oratione perſequitur lib. 2. Diodorus; Sardanapalum Aſſyrium is tandem vicit, ad ſuiipſius & regiæ ſuæ incendium coegit, Ninumque occupauit.

Eſt autem intelligendum, fateri libro 2. Diodorum, de Medorum principatu, quando, quomodo, & per quos cœperit, Aſſyriumque labeſecerit, magnam inter Gentiles, qui ſummo loco habentur, eſſe diſſenſionem. ita vt quidquid illi dicant, nos diuinorum noſtrorum auctoritati adhæreſcere oporteat. ex iis illos corrigere. & quod in iis adhuc veritatis elucet, id, quemadmodum & alia prophana omnia in ſacrarum iſtarum litterarum obſequium cogere. Herodotus igitur, qui ab Aſſyriis Medos auulſerint, auulſoſque regio dominatu, vſque ad Cyrum continuerint, enumerat quatuor, *Deiocem, Phraortem, Cyaxarem, Aſtyagem.* In Cteſia verò apud Diodorum ſunt nouem. *Arbaces*, qui Sardanapalum ſuſtulit: *Mandauces, Soſarmus, Artias, Arbianes, Arſæus vel Artæus, Artynes, Artibarnas & Aſpadas.* Et hunc ait Cteſias à Græcis vocari Aſtyagem. Diodorus verò, quem nominarat Herodotus Deiocem, eum ipſe Cyaxarem nominat, eumque Olympiadis decimæ ſeptimæ anno 2. imperaſſe tradit. Quid igitur mirum ſi abſque vlla dubitatione, quis Medorũ iſtorum Arphaxad fuerit, pronũciari non poſſit? Poteſt ex iis quos ab *Ar* tam multos incipit Cteſias, aliquis deligi, & is ipſe fortaſſis ex iis, quos Herodotus nominat, aliquis fuerit, cum diuerſis iidem vti viſum eſt nominibus efferantur.

Mihi porro, vt concludam; *duo* videntur. *Primò*. ſi Deiocæ tempus ante Manaſſem inchoaretur, itemque Phraortæ, vel certè pauciores ipſi Deiocæ anni tribuerentur, & inter hos vltimumque ſit, eum etiam vocatum Arbacem. Ab illo enim celebratiſſimo Sardanapali triumphatore, priores vel imminuere certè conati ſunt *Arbace*. ſeu *Arpacadi*, vel pinguiore ſono *Arphaxadi*, vocabantur. quemadmodum à Syluio illo primo, Latinorum Reges omnes Syluij ait in 6. Æneid. Seruius. ſicq; apud alios *Ptolemæi, Arſacæ, Pharaones, Agagi, Cæſares* & hodie à Turcis ſeruiæ Deſpotę omnes, *Lazari*, omnes Conſtantinopoleos Imperatores *Conſtantini* appellantur, prout notat Pandectæ cap. 46. & 51. Leunclauius. Ad hoc verò Arphaxadi nomen accedere illud Scytharum Regis videtur *Arpoxais*

tur *Arpoxai* apud Herodotum libro 4. Nam iſtud *p* ſæpè ab aliis per *ph* exprimitur, vti Sanctus olim notauit Hieronymus, & videmus hodie in Syris & Arabibus, quemadmodum c.2. Tobiæ quæſt.1. inſinuaui. Et quid remotiora iſta loquor? Nonne inter Germanicam hanc noſtram & Saxonicam vel Belgicam linguam hoc etiam diſcrimen eſt? Sic & Indiæ fluuius, qui à Strabone lib.17. & à Dionyſio *Hypanis*, à Ptolemæo: Plinio & Curtio *Hypaſis*, idem à Diodoro *Hyphaſis*, appellatur. De litterarum verò *b* & *p*, permutatione, cum vſitatiſſima ſit; ſi monuero, ineptiam. Eſt etiam Iudæum & Chaldæum nomen *Arphaxad*, vti patet ex Geneſ.10. & 11. Ioſepho lib.1. Antiq.cap.7.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Car in ſcriptura Niniue vocatur quæ ab aliis Ninus dicitur, & cur toties ciuitas magna?

VTRVMQVE iſtud Tobiæ cap.1.fol.14. tactum breuiter: ſed nunc explicandum. Apud Herodotum ergo libro 2. Diodorum libro 2. Plinium lib.6. cap.13. Ptolemæum lib 6. cap.2. *Ninus* vocatur, quæ Geneſ.10. ver.11. 4 Reg.19. Iſaiæ 37. Ezechielis.47. in Tobia denique, Iona & Nahum Hebraicè dicitur *Ninueh*. vel, vt D. Hieronymus, in verſione ſua, & quæſtionibus in Geneſin, *Ninive*, Græcè Νινευή. Nominis vero cauſa & D. Hieronymo, loco citato, & aliis ab eius conditore Nino, quem Geneſeos caput 10. Aſſur nominat; petenda videtur. Sed quomodo? Fuerunt, vt ait Diodorus, Nino filij *Hyſpates, Hydaſpes & Ninyas*. Hic poſtremus idem cum Hebræa Ninueh nomẽ gerere Scaligero in Veterum fragmentis videtur. Sed cum *nauah* Hebræis habitare ſignificet, *naueh* vero aut *neueh* habitaculũ Iſaiæ 27. ver.10. cap.33. ver.20. cap.34. ver.13. Ierem.31. ver.23. cap.33. ver. 12. cap.50. ver.44. Hoſeæ 9. ver.11. 2. Reg.7. v.8. Prouerb.3. ver.31. cap.21. ver.20. cap.24. ver.15 alibi. quid Niniue aliud, quam ἡ Νίνος εἰκηζε ἐναλλαγμα: *Nini*, inquã, *habitatio & domicilium? Magna* vero hic appellatur v. 5. itemque in Tobia & Iona cap. 1. & 3. vbi Hebraicè non ſimpliciter magna. ſed *magna Deo*, id eſt, in conſpectu Dei, ſeu verè magna. Quod enim tale in conſpectu Dei dicitur, vere tale eſt. Falluntur quandoque hominum oculi & iudicia: Dei numquam. Eam igitur, etiam quoad principia, ita deſcribit loco indicato Diodorus. *In Syriam copias deducens Ninus, opportunum locum ad vrbis magnæ cõſtructionem delegit. Cum enim, quam ante ipſum alius vllus, illuſtriorem geſſiſſet, talem ſtudebat magnitudine vrbem condere, vt non modo earum, quæ tunc in toto terrarum orbe eſſent, foret maxima: ſed etiam vt eorum, qui poſtea futuri erant, alius nullus, etiamſi adniteretur, ſuperare poſſet. Ipſe vero copias vndique rerumque propriarum apparatum congregans, ſuper Euphratem fluuium vrbem condidit bene muratam. Figuram ipſius conſtituens altera parte longiorem. Habet verò vrbs lõgiorum laterum alterum 150. ſtadiorum, breuiorum verò 90. Ideoque cum totus vrbis ambitus ex 480. ſtadiis conſtaret, ſpe illa ſua fruſtratus non eſt. Tantam enim vrbem nemo poſtea ædificauit, neque quoad ambitum magnitudinem, neque quoad ipſam muri magnificentiam. Habebat in altitudine muros pedes centũ, in latitudine ternos vnũ curru poterant equi trahere. Omnes vero turres numero erant mille & quingentæ. altitudinem vero ea habebant pedum ducentorũ.* Nonne merito igitur *magna & in Dei oculis magna* dicta eſt? cum circuitu ſuo miliaria cõtineret Italica 60. Hiſpanicas leucas 20. noſtratia Germanica miliaria 15. Quæ Colonia, qui Pariſij cũ ea poſſunt comparari? Babylonis olim, & Romæ, hodie regni Cathaij metropolis *Cambalu* valde magnitudo celebratur. Sed Paulus Venetus eius ambitui 32. Italica miliaria tãtum dat, Nicolaus verò de Comitibus duodetriginta. Vna in vrbe, de qua quidem compererim; cœli vrbs eſt, ſeu Tartarorum ipſorum linguâ, *Quinzai*, quæ Paulo eodem Veneto referẽte (& is in ea ſub annum Domini 1260. habitauit) miliaria Italica centum orbe ſuo complectitur. Atque hinc patet quomodo toto triduo varias eius vrbis plateas & compita concionabundus perambulare Ionas Propheta non potuerit. *Aſſundatim exciſa iam eſt. pagi tamen & caſtella multa intra veteris ambitus ſpatium ſunt*, ait huic in Itinerario Beniamin, & cap. 11. de Tartaris Aithonus. Quomodo verò erret Diodorus, Euphratem pro Tigri ponendo, monſtrant citati omnes Herodotus, Plinius, Ptolemæus, Beniamin.

QVAESTIVNCVLA VII.

Quæ Ecbatana, & ea num Arphaxad ædificarit?

ECBATANA Mediæ vrbem eſſe. idq́ue nomen interdum Interpreti noſtro, quemadmodum & hoc loco; non dechinari dixi Tobiæ c.3 & 5. fol.39 & 87. Sunt verò apud Leunclaulum Pandectæ cap. 187. qui Turcarum expeditionibus nobilem illam vrbem eſſe putant, q́ Tauris vel Tebriſium vel apud Cedrenũ Taureziũ vocatur. Sed eos hallucinari docet ipſe ea nominatus Cedrenus; qui in Perſarmenia eã collocat, & Aithon, cuius hæc verba. *In Armenia maiore ciuitas Tauriſi famoſior eſt, & plus alijs opulẽta Iouios hiſtoriarũ lib.14. Inter Sophiani*, ait, *imperij prouincias, Armenia maior primã obtinet claritatẽ. Tauriſio regia vrbe inſigni, q́ Terua Ptolemæo antiquitus fuit vel vt Hebræis quibuſdam linguarũ & regionũ peritia videtur; Saſa priſcæ quondã celebritatis.* Ideoq; vero nõ abſimile Teruã illam

eſſe,

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse, quæ transpositis litteris Teare iam dicatur. Hanc enim lib.5. cap.13. in Armenia etiam maiore collocat Ptolemæus. Sed vt alia nunc taceam; vel inde apparet, non esse Susa, de quibus idem Ptolemæus lib.6. cap.3. & ego in Esther cap.1.

Ea verò tradit Plinius lib.6. cap.14. a Seleuco ædificata. Diodorus lib.2. iam ante Semiramidem extitisse, eum aut, post ædificatam Babylonem huc illam venisse, magnifica ibi palatia excitasse, & cum aquarum inopia laboraret vrbs, in eam Oronte monte, qui duodecim stadijs abest, perfosso, aquæ abunduntiam deriuasse. Herodotus lib.1. eorum conditorem Deiocem pronunciat. Duos priores arguit lib.11. cap.6. vanitatis Melchior Canus. Et sane vt Tobiæ iam auctoritatem omittã, vel ex solo Alexandri responso apud Curtium lib. 4. ostensu perfacile est, ante Seleucum Ecbatana fuisse. Iis enim, qui à Dario litteras attulerant, respondit, se *Persepolin caput regni eius, Bactra deinde, Ecbatana, vltimique Oricutis oram imperio suo destinasse.* Mihi tamen isti omnes & inter se & cum scriptura nostra in gratiam redituri facilè videntur, si aduertamus, fieri non rarò, vt vrbem dicatur quispiam ædificasse, quam non omnino primus inchoarit, sed vel restaurarit, vel multis magnisque quibusdam ædificijs exornarit aut amplificarit. quemadmodum de Babylone constat ex Geneseos cap.10. & Danielis 4. & de Susis ex Plinio & Æliano in Esther cap.1. patebit. Et sanè ita noster iste textus intelligendus. *Arphaxad adificauit ciuitatem potentissimam, quam appellauit Ecbatanis.* Ideò enim non ait textus Græcus ᾠκοδόμησεν Ἐκβάτανα *ædificauit Ecbatana*: sed ᾠκοδόμησεν ἐπὶ Ἐκβατάνων, *ædificauit in Ecbatanis.*

QVAESTIVNCVLA. VIII.

Cur ea vrbs potentissima vocetur, & quomodo ædificata?

CVM inter Orientis decora, eam vrbem, vt vidimus; reposuerit Alexander, potentissimam fuisse non difficulter coniicimus. Sed & tota ædificatio hic proposita idem significat. cuius modus in Græco, ab eo quem Latinus noster affert; aliquantulum discrepat. non verborum copia tantum, sed & numeris. Ita enim habet, *In Ecbatanorum vrbe muros in circuitu exstruxit ex cæsis seu politis lapidibus, qui ternos cubitos lati, senos longi erant. Murus vero altitudinem habebat septuaginta cubitorũ, quinquaginta latitudinem. Turres præterea portis imposuit, quarum altitudo ad centum cubitos erecta erat: & latitudo in sexaginta fundata patebat. Portas autem eius excitarat septuaginta cubitos altas, quadraginta latas, ad potentium eius exercituum egressiones, & ad pedestrium copiarum suarum instructiones.* Murorum latitudo in Latino est cubitorum 30. non 50. Et sanè deformis & inelegans structura videatur, si quidpiam altum sit 7. pedes & crassum latumue 5. non autem si 3. Quæ verò ratio est 7. ad 5. vel 3. eadem cubitorum 70. ad 50. vel 30. Latitudo verò portarum cum 40. tantum cubitorum dicatur, esset etiam murorum latitudine, totis 10. cubitis exilior, eum ob adiunctarum turrium proportionem; par sit crassiorem fuisse: quamquam dici forte queat, portarum hic latitudinem notari, qua patent; cum latitudinis huius hic subdi vsus videatur, vt instructæ peditum equitumque acies cõmodè possent educi. At quid de vrbis huius potentia & pulchritudine recenseat loco monstrato Herodotus, accipe. *Mœnia*, inquit, *construit Deiotes ampla simul & valida. Ea nunc Ecbatana vocantur. in quibus mœnia mœnibus in orbem inclusa sunt. Est verò ita murus exstructus, vt vnius ambitus vel circulus sit alterius solis pinnis altior, & ad hoc adiuuat ipsa loci natura, cum collis sit. Hoc verò maiore etiam arte industriaque elaboratum, quod sint septem ambitus inter se contigui. In eorum autem postremo insunt regiæ domus & thesauri. Qui per ista est murus, maximus est, magnitudine adaquãs plus minus Athenarum muri ambitum. Primi autem circuli pinnæ sunt albæ: secundi nigræ: tertij purpureæ: quarti ceruleæ: quinti sandaracinæ. Sexti, circulorum omnium pinnæ seu propugnacula coloribus eleganter variegata & florum instar picturata sunt. Duo vero vltimi pinnas habent, alter quidem argentatas, auratas alter.* Ex his igitur Ecbatanorum & potentiam, & elegantiam magnificentiamque perspicis. sed & illud, fuisse ipsa in planicie quidem, seu vt ait Diodorus lib.2. πόλιν ἐν πεδίῳ κειμένην, vrbem in campo sitam, vti Tobiæ c.5. dicebatur; cliuum tamen quendam assurgentem habuisse.

QVAESTIVNCVLA IX.

Quæ inter hosce duos Reges belli causa, & modus?

VNAM textus noster ver. 4. *causam* indicat, Arphaxadi videlicet superbiam. *Gloriabatur enim quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.* Dum suas videlicet opes, copias, currus, omnesque belli nervos sibi paratos videret, cœpit efferri, Assyrij iugum aspernari, ad libertatem & imperium aspirare. Quia enim egerant Niniuitæ, non ita multo ante, pœnitentiam, & Sennacheribi arrogantia compressa iam fuerat, nondum tanta pristinorum erat scelerum congeries, vt hoc ipso tempore, Ninum euersam vellet DEVS. quin, pro immensa sua bonitate, adhuc ad annos pæne centum distulit. Iam tamen tanta illa monarchiæ illius Assyriæ moles valde nutabat, in

bat, indiesque magis ac magis luxabatur, quoad fuit Niniuitarum completa malitia, prout in Tobiæ vltimo dictum est. *Modus* verò gesti huius belli non alius in Latino nostro textu indicatur, quam prælium inter istos commissum fuisse *in campo magno, qui appellatur Ragau.* Sed in Græco additur, quinam sese populi Nabuchodonosori coniunxerint, & qui, licet inuitati, coniungere noluerint. Hoc tamen posterius noster ver.8. ita recenset, vt non ad belli huius societatem inuitarentur, sed potius, ex victoriæ occasione, ad seruitutem. Qui vero se illi coniunxerunt, fuerunt ait textus Græcus, *omnes qui montana inhabitabant, & qui Euphratem, Tigrin, & Hydaspen & campi Arioch Rex Elymæorum. multæque gentes filiorum Cheleul in aciem conuenerunt.* quamquam suspicari ferè liceret, istos Arphaxado potius sese consociasse. quia de Nabuchodonosore postea ver.7. in eodem Græco Xenophon Cyropæd. licet ipsius etiam Mediæ insignes montes tradat lib.6. c.2. Ptolemæus, *Zagron, Oronten, Iasonium, Coronium.* De aliis in Græco nominatis, quæ sequitur aget quæstiuncula.

QVÆSTIVNCVLA X.

Belli huius exitus quis, & vbi fuit?

DESCRIBITVR is cap.6. victum scilicet prælio Arphaxadum, & captum fuisse. Nam istud, *ebibit eum*, Arphaxadum scilicet Nabuchodonosorus, idem valet atque *cepit eum.* Græcus enim vers. 15. ait ἔλαβε τὸν Ἀρφαξάδ. &, quæ ad victoriam eandem pertinent alia nonnulla explicat sic: *In bello suo roboratus est Nabuchodonosor: & omnem Arphaxadi potentiam, & omnem equitatum eius, & omnes currus eius euertit: & ipsius vrbium dominus factus est, & Ecbatana vsque peruenit, & potitus est eius turribus, plateasq; vastauit: & ipsius ornatum ad eius opprobrium redegit. Et cepit Arphaxadum in montibus Ragau. & iaculis eum suis confixit, eumque prorsus perdidit & exterminauit vsque ad diem illum.* At de loco vbi victoria hæc obtenta, clarè textus Græcus ἐν τῷ πεδίῳ τῷ μεγάλῳ· τοῦτό ἐστιν ἐν τοῖς ὄρεσι Ραγαῦ, *in campo illo magno. hic est in finibus Ragau.* Et posteà, ἔλαβε τὸν Ἀρφαξὰδ ἐν τοῖς ὄρεσι Ραγαῦ, *cepit Arphaxadum in montibus Ragau.* & significatur tam planities quam montes Rhagarum, de quibus in Tobia cap.1. & 5. fol.15. & 87. licet *Ragau* sit etiam proprium nomen Genes. 11. Dices; Iste campus in Latino ver.6. dicitur *circa Euphratem & Tigrin.* Respondeo dupliciter: *Primò* hæc forte aut similia in Latino deesse. Habebat Nabuchodonosor gentes circa Euphratem & Tigrin. Nam, vt superiore quæstiuncula vidimus; hoc ipsum Græcè asseritur. Deinde verò fieri potuit, vt qui inter Euphratem & Tigrin campi sunt, de quibus lib.8. Ammianus, lib.6. Tacitus, eodem Rhagarum cognomine, cum iis, qui vltra Tigrim sunt; afficiantur. Sed quem Latinus *Iadason*, cum *Hydaspen* Græcus vocat, qui Indiæ fluuius est apud Plinium lib.6. cap.20. Strabonem lib.15. Curtium lib.4. In manuscripto Rabano, quem pro sua humanitate, vtendum mihi dederat Reuerendus & Nob. Dom. Ioh. Christophorus Neustetter, modò *Hyadas*, modò *Idaspem* scriptum erat, vt deprauatio facilè appareat. Illud verò, *in campo Arioch Regis Elicorum*, in quibusdam manuscriptis, quos in Oudeheimensi Reuerendissimi Spirensis Bibliotheca videbam; erat modo *Regis Euthorum*, modo *Eliothorum*. Noster Pererius lib.3. in Genesin vult esse Regem Arioch, qui & Genesis 10. *Rex Elasar*, Videretur ex Græco legi posse *Rex Elymæorum* aut *Elymæorum*, vt sit quædam eius quod dixerat *in campo magno Ragau*, explicatio, cum Ragau ad Elymaidem spectare possit apud Ptolem. lib.6. cap.3. Strabonem lib.15. & 16. Inuenio tamen apud Egesippum lib.1. cap. 28. proprium nomen *Elnibi*, pro quo apud Iosephum lib.14. cap.20. & lib.1. Capt. cap.10. est ἰλιξ. mendosè in Latino *Felix*. cum eidem Iosepho libro 20. cap.6. & sancto Lucæ Actor.24. *Felix* scribi soleat φῆλιξ. Porro *Arioch* in exemplaribus aliis, *Arioch* nominatur. & Græcorum tamen duplex hic lectio est. In Complutensibus enim Bibliis hæc: κατεπάλαιστος πεδίον Ἀριὼχ ὁ βασιλεὺς Ἐλυμαίων. In Romanis correctis ista πεδίον Ἀριὼχ ὁ βασιλεὺς Ἐλυμαίων. ideoq; superiore quæstiuncula vertebam non, *qui incolunt campum Arioch Regis Elymæorum*, sed *campi Arioch Rex Elymæorum*, vt, ὁ βασιλεὺς τῷ πεδίῳ dicatur pro ὁ βασιλεὺς τοῦ πεδίου. Notum siquidem, substantiua interdum cum verborum suorum casibus connecti: vt apud Aristotelem νέμεσις δικαίως ἐπὶ ἀδίκοις διώκουσι. apud Ciceronẽ Topic. *Abalienatio est traditio alteri.* Et τῷ βασιλεῦσι tertius etiam casus subdi solet, vt Iliados 2. Est verò & Daniel. ver.24. *Arioch* proprium. Sed possit etiam *arioch* videri appellatiuum, Græcè Latineque, vt alia nonnulla; ex Hebræo rerentum. quasi *arouch*, id est, longum, extensum. vt in Latino textu sententia sit, *in campo longo* seu *spatioso Regis Elymorum.* Additur vero καὶ συνῆλθον ἔθνη πολλὰ σφόδρα εἰς παράταξιν υἱῶν Χελεούλ. & verti potest aut vt *gentes multæ filiorum Cheleul in aciem conuenirent*, vt suprà quæst.9. dictum est, aut vt *multæ gentes in aciem* vel *prælium coierint contra filios Cheleul.* pro quo legunt Cõplutensia Χελεούλ. An à Chale siue Χαλάχ, de qua Genes.10. ver.11.12. an ab alio nomine proprio, nihil constituo.

QVAE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAESTIVNCVLA XI.

Quoto Nabuchodonosoris huius anno bellum hoc gestum:

BELLI huius principium tam Latinus quam Græcus textus in Assyrij Nabuchodonosoris anno duodecimo confert. Belli rursum contra Gentes alias susceptj principium, in annum quidem victoriam, & belli huius finem secutus est. Sed Græcus bello huic annos sex dat, vt cælius fuerit Arphaxad anno Nabuchodonosoris decimoseptimo, bellum verò alterum instructum anno decimooctauo. Latinus verò belli prioris finem anno duodecimo & secuti belli primordia decimotertio ascribit. Atque hic mihi certior calculus est, propter indicatam causam cap. vltimo Tobiæ quæst. 8. Licet verò ex istis de tempore quæstionibus intelligere admirabilem DEI in Tobia, Raguele, Gabeloque dirigendo & conseruando prouidentiam. Cum enim captiuitatis anno 11. vel circiter, id est, ante Manassæ initium, mitteret ille filium ad Gabelum, & Satam Ecbatanis vxorem iste duceret, nondum inter hosce Reges gratiam ruperat, bellumque cecinerat iniquitas & superbia. Nō adeo multis annis post, exarsit bellum, capta & vastata Ecbatana sunt. Altra igitur florentq; pace vt nuptias illi suas celebrarent, effecit Deus, itèque vt ante vastitatem Rhagis depositā pecuniam asportarent. Ecbatanis, dimidia cum socerorum opulentia excederent: residuum interea in direptione mediaque vastitate protegeretur. Contrà verò, quando bellicæ huic tempestati finis fuit, cœperuntque paulatim Ecbatana reflorescere, Ninus verò ad interitum propius tendere, ecce iubetur hinc illuc Tobias proficisci. Verè bonus & miserator Dominus, humilia respiciens in cœlo & in terra. *Quæriteergo primum regnum* DEI, *& iustitiam eius: & hæc omnia* (de quibus tantopere soliciti sunt mortales) *adiicientur vobis*, Matth. 6.

QVÆSTIVNCVLA XII.

Ex hisce Regum istorum bellis, emolumenti ad nos quid:

PLVRIMVM vtique, si velimus; ex hisce bellis ad nos emolumenti redundabit. eorum videlicet causam & originem, ipsum præterea exitum intuendo. Illam quæst. 9. spectauimus. *Gloriabatur Arphaxad quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum. Vnde* ait S. Iacobus cap. 4. *bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Superbia & fastus, vanissimæ gloriæ, imperiique fugacissimi cupiditas, & ambitio in Arphaxadi animo castra fixerant, hæc ad bellum eum excitabant. gloriabatur & verbis & factis: seipsum, suaque peditum equitumque copias circumspectans. sicut ille scilicet Nabuchodonosor Danielis 4. vers. 27. sicut ille apud Tragœdum alius:

Æqualis astris gradior, & cunctos super,
Altum superbo vertice attingens polum
Dimitto superos. summa volorum attigi.
——— O me cœlitum excelsissimum
Regemque regem. vota transcendi mea.

Sed quis exitus? *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti,* in quibus gloriaris potentia exercitus tui, gloria quadrigarum tuarum, *cuius erunt?* Ecce, vt quæst. 10. vidimus; captus iste tam potens, tam gloriosus. omnis eius vis & robur elanguit. potentia concidit. subuertit Dominus rotas curruum. ille ille infelix, qui mane quasi potens gloriabatur: ante vespertum, iaculis confixus æternum tacet taceteque. *Non saluatur Rex per multam virtutem: & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur*, Psal. 32. Ergo *qui confidunt in virtute sua: & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur*, Psal. 48. *hi in curribus & in equis: nos autem in nomine Domini* DEI *vestri inuocabimus. Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus* Psal. 19. Prudenter admodum apud Herodotum lib. 7. Xerxi Artabanus: Ὁρᾷς δὲ οὐ τὰ ὑπερέχοντα ζῷα ὑπὸ τῶν ἐλασσόνων βλάπτεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ ἀπὸ τῶν κρείσσω; Ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα αὐτῶν τὰ μεγάλα ἀνὴρ ἐπιβὰς βάλλει. Φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα ταπεινοῦν. *ait, vt animalia prægrandia fulmine ferit. neque cogitationibus insolescere finit* DEVS, *quæ vero parvula sunt nec tantillum quidem vellicat. Videsvt in maxima ædificia & arbores. eiusmodi semper tela contorquet? Amat enim* DEVS *incidere siue truncare, quæ eminēt omnia &* causa subditur; διὸ γὰρ ἐᾷ φρονεῖν ἄλλον μέγα ὁ θεὸς ἢ ἑωυτόν. *Neminem enim sinit magni quidpiam de se sentire, præter seipsum.* quin videlicet solus ipse magnus. solus magna faciens in cœlo & in terra. Ipse *superbis resistit*, 1. Pet. 4. & *deponit potentes de sede:*

Dominare, ait in Hercule Seneca, *tumidos spiritus altos gere.*
Sequitur superbos victor à tergo DEVS.

Ideoque in Thyeste:

Vos quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ
Ponite inflatos, tumidosque vultus:
Quidquid à vobis minor expauescit,
Maior hoc vobis Dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnum est.
Quem dies vidit veniens superbum
Hunc dies vidit fugiens iacentem,
Nēmo confidat nimium secundis.

Gloriantur sanè in exercitus sui potentia, qui in diuitiarum, possessionum, famulorumque multitudine sese efferunt & ostentant. Gloriantur in quadrigarum suarum gloria, qui in corporis robore & pulchritudine, in mentis acumine & sapientia sese iactant & circumspiciunt. *Mihi autem*, ait Apostolus Galat. 6. ver. 14. *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri* IESV CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Neque verò Ecbatanorum & Ninj aspecta cum amplitudo & magnificentia, tum rudera & vastationes quæst. 6. 8. 10. nullam nobis vtilitatem afferent, si insistamus paulisper, & cogitemus, quemadmodum sub cœlo firmum & stabile nihil sit: manufacta omnia dissoluantur: nobilissima domicilia, vrbesque amplissimæ & munitissimæ pessum eant funditus O terum vanitatem. *Mors etiam saxis, nominibusque venit.* Talia sanè Gentilis etiam ille apud Ciceronem libro 4. epist. cogitabat Sulpitius: *Ex Asia* inquit, *redienti, cum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Ægina: ante Megara: dextra Piræeus: sinistra Corinthus: quæ opida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita breuior esse debet, cum vno loco tot opidorum cadauera proiecta iaceant.* Nos inquam homunculi possessiones & domos in terra splendidas, opesq; magnas concupiscimus, congerimus, ædificamus, cum tantarū, tamque celebratarum & verè magnarum vrbium cadauera, locorum nescio vbi, iam sint. Cur, quando *terrestris domus nostra dissoluetur, ædificationem ex* DEO non quærimus, *domum non manufactam æternam in cœlis?* 2. Corinth. 5. ver. 1.

Posterior capitis pars.

BELLI prioris finis, alterius principium extitit. cuius hoc ipso loco causæ tres indicantur. *Primus* ver. 7. *Tunc exaltatū est regnum Nabuchodonosor*, id est, magnopere amplificatum, & insigni gloria cumulatum. vnde *& cor eius eleuatum est.* Quæ Arphaxado exitio fuerat, ea iam Nabuchodonosorem elatio & superbia inuadit. *Felicitas*, ait lib. 3. historiæ Tacitus, *in malo ingenio auaritiam, superbiam, cæteraq; occulta mala patefecit.* Vix possunt fatui mortales, μεγαν ὄλεον καταστέψαι, *magnam felicitatem concoquere*, vt aiebat Pindarus, & vt Troad. Seneca.

——— *Regi frænis nequit.*
Et ira & ardens hostis & victoria
Gladiusque felix, cuius infecti semel
Vecors libido est.

Est verò in victoriis hoc miserrimum, quod victarum quandoque gentium non opes tantum & bona, sed vitia etiam & peccata, adeoque ea ipsa, ob quæ illarum à DEO vindices & flagella constituti sunt; ipsi ad se victores transferant. Eleuatum erat Arphaxadi cor: vt eum DEVS deprimeret, missus Nabuchodonosor est. ille depressus & infra mortuos omnes amandatus est. iam Nabuchodonosoris ipsius cor eleuatur. Quid ergo tandem, nisi vt quam alteri pœnam intulit, eandem & ipse iustissimam excipiat? *Altera* causa. Quærit ipse Nabuchodonosor, contra gentes alias, belli ansam & materiem. Mittit enim ad illas vers. 8. nuncios, qui ab illis & iniqua & intolerabilia postulent. vt si annuant, magis efferatur, qui solo sui nominis terrore, vnicaque denunciatione tot sibi gentes subigat: si abnuant, inferendi iis belli easque immensa copiarum suarum vi domandi, occasionem habeat. Enumerantur in Latino gentes istiusmodi fere istæ. Cilices, Damasceni, Libani incolæ. Carmelitæ, Cedareni, Galilæi, Esdrelonij, Samaritæ, Transiordanini, vsque ad Hierosolymitas Iessæi, & alij populi, vsque ad terminos Æthiopiæ. Habent fortè obscuritatis aliquid *primò* Cedareni. seu, *qui in Cedar*. Hanc verò docet S. Hieronymus in Ezechielis 27. esse Arabiam, in qua Saraceni, qui progeniti ab secundogenito Ismaëlis filio Cedar, de quo Genes. 25. vers. 13. Is verò non à κήδω, vt Græci quidam trahunt; sed à nigredine (cum Hebraicè Kadar nigrescere valeat, Psal. 55. vers. 14. Psal. 38. ver. 7. Iob 5. ver. 11. cap. 6. ver. 16. Ioel 2. & 3. Michææ 3. vers. 6. Ierem. 8. vers. 21.) nomen accepit. qua & ob solis ardores ferè tincti sunt Cedareni, adeo, vt quemadmodum Tobiæ c. 2. quæst. 3, dictum est; interdum idcirco Æthiopes vocentur. Hinc verò illa Psal. 119. *Habitaui cum habitantibus* vel tabernaculis *Cedar*. Cantic. 1. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Et Isaias cap. 21. cum de Arabiæ punitione ageret vers. 13. addit, *auferetur*

Universidade de Lisboa Biblioteca

omnis gloria Cedar. & reliquiæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur. Similia cap. 42. & 60. Ieremiæ 2. & 49. Ezech. 27. *Inhabitantes* verò *Galilæam in campo magno Esdrelon*, ex Bracordo & Iosepho cognosci possunt. Ait ille campi huius longitudinem esse 10. miliarium & latitudinem à mari Occidentali ad Galilæam. quod & Tyberiadis stagnum dici solet. Iosephus vero de eodem campo sæpè, libro 14. Antiq. 17. lib. 15. cap. 11. lib. 18. cap. 3. & 7. lib. 20. cap. 5. In vita etiam sua dicit Meminit rursum lib. 2. Capt. cap. 17. & 21. lib. 3. cap. 4. sed lib. 4. cap. 27. vberius etiam describit, & sane non paulò quam Brocardus longiorē & latiorem. *Media*, inquit, *regio, quæ inter duos montes est, (eos paulò ante descripserat) vocatur magnus campus, à vico Gennabrin perueniens vsq; ad Asphaltitē lacū. Est verò ipsius quidē longitudo stadiorū 1200. (σταδίων χιλίων διακοσίων, ideoq; in Ruffiniana conuersione non rectè, ducentorum & triginta stadiorum) latitudo 120. A Iordane medius intersecatur, & stagna habet dulce & fœcundum est. Æstatis vero tempore campus hic incenditur & quodāmodo ignescit. ideoq; propter in huius ripis accidit, vt sint palmæ pulchriores & feraciores. minus vero pulchræ & feraces, quæ absunt longius.* Iezreel. Sed lib. 4. Reg. c. 23. v. 29. 2. Paralip. 35. ver. 22. vocat *Mageddo* ab Herodoto lib. 2. Μάγδολον, cum eandem de Iosiæ clade historiā attingens ait: Σύρους πεζῇ ὁ Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε. *Terrestri acie cum Syris congressus in Magdolo Necos* (in scriptura nostra Neechao rex Ægypti) *victoriæ potitus est. Tertiò* lessæi non vocantur, qui è Dauidis stirpe, cuius pater Isai seu vt in 70. legitur Ieosaè Ruth cap. vlt. sed qui, vt habet hoc loco noster textus, *terram Iesse* incolebant, id est, ij Arabes, qui Australiorem & Occidentaliorem Arabiæ partem, quæ ad Ægyptum propriè dictam vergit. quæ à nostro Interprete Genes. 46. ver. 34. cap. 47. ver. 4. & 27. cap. 50. ver. 8. Exodi 8. v. 26. Gessen. vertitur, in Hebræo Gosen dicitur. à 70. Γεσέμ. Et eadem hoc loco vox in Græco est, & coniungitur, vt post magis videbitur, cum Ægypti fluuio, Ægyptiisq; vrbibus Thaphne ac Rameſſe. & dū Ægypti nomen latius panditur, Ægypti pars, in Genesi, locis citatis, statuitur. Alioquin Arabiæ pars erat, vt ipsi 70. crebrò monuerūt. Sic enim Genes. 46. *Ἵνα κατοικήσητε ἐν γῇ Γεσὲμ Αἰγυπτίας, vt habitetis in terra Gesem Arabiæ.* idemque eodem cap. 46. v. 28. & 29. periphrasi quadam appellant, vt ferè Hebræus & noster cap. 47. ver. 11. *terram Rameſſe, iuxta Heroum vrbem.* de qua dictū Exodi cap. 14. Fuit in mōtosis etiam Iudææ locis vrbs *Gosen* Ios. 10. 41. cap. 15. 51. Esset de hisce Gentibus iam satis, nisi monēdum videretur, in Græco eas, vt suprà dictum, proponi quasi, ante Arphaxadeam victoriam, ad augum institui. *Misit rex Assyriorum Nabuchodonosor ad omnes, qui Persidem incolebāt, omnesque habitantes versus Occidentem, ad habitatores Ciliciæ, Damasci, Libani & Antilibani, atque ad omnes, qui maritimam oram insidebant. ad eos præterea, qui sunt in populis Carmeli & Galaad & ad superiorem Galilæam, & magnum campum Esdrelone. item ad omnes habitantes in Samaria, eiusq; vrbibus, & trans Iordanem, Hierosolymam vsq;, & Bethanen*, (nam Βεταν̑η legitur in Complutensibus & 70. quasi sit Bethana Iosuæ 19. 38. legunt tamen quidam Βεττα̑ν) *& Chelles, & Cades, vsq; ad fluuium Ægypti ac Taphnem & Rameſſem, omnemq; terram Gesem incolentes. ad eos vsq; qui supra Tanim Memphimq; sunt, ad omnes denique incolas terminos duorum marium.* id est, ad eas vsq; terras, quæ duo maria contingunt & quas finiūt. & intelligi possunt maria Æthiopicum & Arabicum. potius sanè quam Arabicum & Mediterraneum. vel hoc & mortuum, de quo D. Hieronymus Ioelis 2. Alioquin & Plinius lib. 6. cap. 28. *Arabia*, inquit, *est inter duo maria, rubrum & Persicum.* Quid vero populi isti Nubuchodonosori responderint, ostendit versus 11. vbi quod noster ait, *vno animo*, Græci efferunt ὡς ἀνὴρ ἓν & vel ἐς. *quasi vir æqualis* vel *vnus.* ita vt aliud ij dicant, qui vertunt, *quasi virum vnum despicerent.* Persas tamen eius auctoritatem & signa secutos, declarat versus 12. cap. 16. & causa, de qua in quæstiuncula de Holopherne cap. 2. Cum vero 4. Reg. 17. & libr. 11 Esd. 4. Samaria colonis ab Assyrio Rege missis cōplereretur, videntur hoc tempore, aliqua, vt fieri solet, occasione, istum, qui Assyriū nunc diadema obtinebat nō magni feciſſe, ab eoq; defeciſſe. vt mirandū sit ob istum, similesq; locos, hunc, apud Lyranum, à quibuscūq; ctiones, seditiones, defectiones oriantur? Ideoq; ne Wittakerus quidē, qui omnia vndiq; cōtra id genus libros corradit; difficultatem istā obiicere ausus est. *Tertia* porro causa v. 12. est. *Tunc indignatus regionibus his* id est, vindictam de omnibus sumeret, quod *per θρόνου, regnum, sceptrum*; & quidem maximum, vt ait Homerus Iliad. 1. Herodotus lib. 4. Et vide quibus gradibus in summum ascendat hominum nequitia. Superbit, intumescit, alios despicit, iniuriæ occasionem quærit. *Elatioris* enim *iactantiæ filia, iniuria est*, inquit libro 3. de Legib. Plato. & quasi bonum iam factum ille faceret; iurisiurandi religionē adhibet. quemadmodū Herodes Matth. 14. v. 17. At malè id genus iuraiuranda cōcipiuntur: peius obseruantur. Lege D. Augustinū serm. in decollatione S. Iohannis Baptistæ. Antequam vero ad alterum

rum caput aggrediamur, sciendum à textu Græco notari, quid prostrato Arphaxado statim egerit Nabuchodonosor. *Reuersus*, ait, *ipse cum ipsis suis copiis Niniuen, & omnis qui ad eum sese aggregarat exercitus, virorum bellatorum multitudo ingēs admodum. & erat illic otians, epulisque vacans, tam ipse quam eius exercitus, ad dies centum & viginti.* Quia vero Latinum editionis Romanæ textum præpono, ne litterulam quidem vnam versu secundo mutare volui, etsi verborum transpositio videtur.

CAPVT II.

1 ANno tertiodecimo Nabuchodonosor regu, vicesima & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regu Assyriorum vt defenderet se.

2 Vocauitq; omnes maiores natu, omnesque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilij sui.

3 Dixitque cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio.

4 Quod dictum cum placuisset omnibus, vocauit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ.

5 Et dixit ei: Egredere aduersus omne regnum Occidentis, & contra eos præcipuè qui contempserunt imperium meum.

6 Non parcet oculus tuus vllo regno, omnemque vrbem munitam subiugabis mihi.

7 Tunc Holofernes vocauit duces, & magistratus virtutis Assyriorum: & dinumerauit viros in expeditionem, sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, & equitum sagittariorum duodecim millia.

8 Omnemq; expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus sufficerent copiose, boum quoque armenta, gregesq; ouiū quorum non erat numerus.

9 Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit.

10 Aurum verò, & argentum de domo regis assumpsit multum nimis.

11 Et profectus est ipse, & omnis exercitus cū quadrigis & equitibus, & sagittariis, qui cooperuerunt faciem terræ, sicut locusta.

12 Cumq; pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Angē, qui sunt à sinistro Ciliciæ, ascenditque omnia castella eorum, & obtinuit omnem munitionem.

13 Effregit autem ciuitatem opinatissimam Melothi, prædauitq; omnes filios Tharsis, & filios Ismael, qui erant contra faciem deserti, & ad Austrum terræ Cellon.

14 Et transiuit Euphraten, & venit in Mesopotamiam: & fregit omnes ciuitates excelsas, quæ erant ibi, à torrente Mambre vsquequo perueniatur ad mare.

15 Et occupauit terminos eius à Cilicia vsque ad fines Iapheth, qui sunt ad Austrum.

16 Abduxitq; omnes filios Madian, & prædauit omnem locupletationē eorum, omnesq; resistentes sibi occidit in ore gladij.

17 Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis, & succendit omnia sata, omnesq; arbores, & vineas fecit incidi:

18 Et cecidit timor illius super omnes habitantes terram.

COMMENTARIVS.

DE cogitato quæsitoque bello traduntur hîc *quatuor.* quomodo videlicet in deliberationem & consilium à Rege id adductum sit. quomodo duci commissum, ab hoc apparatum, tandemque geri cœptum sit. *In primo*, spectandum consilij *tempus, consultores, materia & exitus. Tempus* fuit Nabuchodonosoris *anno* decimustertius (de quo ante in quæstiuncula 11.) *mensis* anni primus. Chaldæos, Assyrios, adeoque Orientem totum ab Autumno annum inchoare tradunt non pauci. neque ego contra pugno: sed tantum primum hic mensem non videri autumnalem, quem Tisri & Hyperberetæum alij, nos Septembrem vocamus. Nam cum è superiori bello copiæ adhuc adessent, vel earum certè pars maxima, vt ex festarum, de quibus capite superiori, epularum agitationibus colligi potest; bellum hoc Holoferni demandatum. Is verò celeriter perrexit: hiberna nusquam habuit: & tamen hoc ipso capite ver. 17. *descendit in campos Damasci, in diebus messis.* Vel igitur apud Assyrios, sicuti & apud Hebræos, duplex erat anni auspicium, vnum ab Autumno, à vere alterum: vel isti Hebræorum anno, cui noua æquinoctij verni luna initium dabat; quemque Nisan & Xanthicum appellant nos Martium, conuenienter ab Hebræo auctore scripta sunt. *Dies* erat mensis huius vicesimus secundus. An historicæ veritati parum studetur, vbi tam accuratè anni, mēses, dies recensentur: Est hoc vero tempus, *quo solent Reges ad bella procedere* 2. Reg. 11. ver. 1. Si porro per 120. dies, quibus otiatum epulantumque Græcus nobis textus dicebat; ascendamus, deferum Arphaxadum comperiemus mense Nouembri. Sicque hiemem totam epulationibus & ludis datam. itemque legationibus huc & illuc, vanos ad populos, ablegandis & recipiendis. *Consultores* in

Universidad de Deusto
Biblioteca

Latino triplices nominantur versu 2. *omnes* scilicet *maiores natu, omnesque ducti, & bellatores.* Per *bellatores* non milites omnes intelliguntur, sed belliceæ rei peritiores homines, eaque laude præstantiores. Quod enim consilij *mysterium*, id est, arcanum, foret, si gregariis etiam militibus omnibus pervulgaretur? Similiter in Græco dum prætet τὰς μεγάλας, ponuntur *πάντες οἱ ἐξοχώτατοι*, intelligũtur *omnes ministri*, non opinor etiam attinentes, culinarij, mediastini, sed intimi & præcipui. *Materia* duplicitèr proponitur. *Primò, vt defenderet se.* Iusta belli causa tradi solet, defensio, quæ locum tunc habet, cùm vi vis illata defendenda est, cum propulsanda inquam à nobis, vel iis, quos tueri debemus, iniuria. Nulla verò Nabuchodonosori à Gentibus illis iniuria fiebat, quin vero ipsis ab eo fiebat. Ideò facit ille, quod iniqui pæne omnes solent. honesto nomine suum ipse scelus velat. quemadmodum & apud Herodotum lib. 7. Xerxes bellum, quod Græcis inferre volebat. τῶν Ἀθηναίων τιμωρίαν *Atheniensium punitionem*, etsi multo quam Nabuchodonosor verius; appellabat, cum ambitio, latiusque regnandi mera esset cupiditas. *Deinde, dixit cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subiugaret imperio.* Iam planè loquitur. defensionis laruam deponit, ambitionis vlcus apetit. *Vna*, inquit in iis, quæ supersunt, fragmentis Sallustius, *& ea vetus causa bellandi est, profunda cupido imperij & diuitiarum.* Idemque in Catilina; *libidinem dominandi, causam belli habent, & maximam gloriam in maximo imperio putant.* Sed quam insaturabilis bellua cupiditas? Non earum solummodo Gentium, quas ante nominauit; terram deuorare vult, sed *omnem* omnino *terram.* O ventrem! ô abdomen. Ex eadem scilicet numquam explenda fame *Pelleo iuuenem totus non sufficit orbis. Ego*, ait ipsemet apud Curtium lib. 9. *orsus à Macedonia imperium Græciam teneo. Thraciam & Illyricos subegi. Tribalis, Medosque imperio. Asiam, qua Hellespontio, qua rubro mari alluitur, possideo. Iamque haud procul absum a fine mundi. Quem egressus, aliam naturam, alium orbem aperire mihi statui.* Et sanè sunt, qui fleuisse ipsum aiant, cum alium, quem deglutiret; terræ orbem nullum esse, à philosopho quodam audiret. Sed *vbi sunt*, ait Baruch cap. 3. vet. 16. 18. *principes qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum?* In Græcis vero duplex hîc lectio: in Complutensibus quidem σωνεκάλεσε πᾶσαν τὴν καχίαν τῆς γῆς ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, *conuocauit ex ore suo*, seu *declarauit & expromsit omnem terræ malitiam*, quomodo scilicet malè ab omni terra legati sui accepti fuissent. In Romanis verò σωτέλεσε πᾶσαν κακίαν τῆς γῆς ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ, *perfecit ex ore suo*, id est, perfectè narrauit, malitiam terræ omnem, qua se affectum contemptumque putabat. vel *perfectè omninoque declarauit se malo terram omnem affecturum & diuexaturum.* Consilij porro huius *exitus*. versu 4. est; quod à Nabuchodonosore *dictum erat, placuisse omnibus.* In tantu maiorum natu cõsiliariorum, summatum, bellatorumque numero Artabanus, qui prosperiore victoria tumidum, iniusta ira furentem, ambitione insanum Xerxem officij moneret, nullus fuit? Ecce in Romanorum Senatu cum, deicto Macedonum Rege Perseo, gaudio pænè ebria omnino oque de mentis statu deturbata Roma esset, iamque Rhodienses, qui Regem illum adiuuarant; veniam supplicitet petentes vix Ramonorum principum pleriique audicent, eamque ampullimam ciuitatem animo iam suo exsorberent; eccè inquam, quæ apud Gellium lib. 6. c. 3. suaserit, dixerit Cato; *Scio solere plerisque hominibus, rebus secundis atque prolixis, atque prosperis animum excellentem, atque superbiam, atque ferocitatem augescere atque crescere. quod nunc mihi magnæ curæ est, quod hæc res tam secundè processerit, ne quid in consulendo aduersi eueniat, quod nostras secundas res confundat, neue hæc victoria in nimis luxuriosè eueniat. Aduersa res se domant, & docent, quid opus sit facto. Secundæ res lætitia transuersum trudere solent à rectè consulendo atque intelligendo. Quo maiore opere dico, suadeoque vt hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio impotestatem nostram redeamus.* At in Nabuchodonosoris consilio Cato nullus, Mardonij omnes, vt quod de Ægyptiorum Pharaone dixit cap. 19. Isaias ver. 11. id in nostrum istum quadret optimè. *Stulti principes Taneos, sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens. Vbi nunc sunt sapientes tui? annuncient tibi & intelligent, quid cogitauerit Dominus exercituum super Ægyptum. Stulti facti sunt principes Taneos. emarcuerunt principes Memphoos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum eius.* Misera profectò principum eorum sors, quorum consiliarius vnum hoc consilium, principibus ipsis assentari, primatæ suæ erga & gratiæ studere, omnia illorum honesta atque inhonesta laudare, nullis eorum iracundiam, auaritiam, fastum, ambitionem, cæteroque animorum impetus, modestis, prudentibus, æquitique studiosis vel refrænare, vel, pro virili, insufflaminare. *Dissipantur*, aut Salomon Prouerb. 15. ver. 22. *cogitationes, vbi non est consilium: vbi verò sunt plures consiliarij, confirmantur.* Sed verè cõsiliarij, qui Regis, regnique publicæ rei consulant, quibus & in pectore sapientia, & in ore, non illa, quæ nescio quis, byssina, aulæ verba vocabat, sed vera, fortia, vtilia. Horum verò, quos in consilium adhibuit Nabuchodonosor, fœdam assentationem, eodemque prosperitatis & ambitionis vino, aut veneno potius madidam & mentem & orationẽ ita notat textus Græcus; Ἀνέῳξε γὰρ ὁλοθρεύσας πᾶσαν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ λόγου τῆς σοφίας αὐτοῦ, *aperuit enim disperdens omnẽ carmen* funditus *perdere, qui verbum oris eius sequuti non essent. Omnis caro* pro omnibus hominibus dicitur, vt Genes. 6. ver. 12. *Omnis caro corruperat viam suã super terram.* Sicuti & ab altera hominis parte interdum etiam dicitur homo. *anima.* vt Genes. 17. vers. 14. Leuit. 4. ver. 2. & 27. cap. 4. ver. 6.

Alterum, quod hoc in capite, proponitur; est, quomodo cogitatum à Nabuchodonosore, à cõsiliarus omnibus approbatum bellum, à ducibus vni Holoferni demandatum sit ver. 4. vbi diuæ veluti quæstiunculæ sunt.

I. *Quis Holophernes?*

IN Græco ἀρχιστράτηγος & ca. 10. in Latino, princeps militiæ vocatur. sed in illo additur δεύτερος μετὰ τὸν βασιλέα, secundus post Nabuchodonosorem. quemadmodum post Pharaonem in Ægypto Iosephus Genes. 41. v. 40. Aman post Assuerum in Perside Esther cap. 3. & 4. ideoque apud Zonaram, Archisatrapa (dicam vero de Satrapiis in Esther cap. 1.) nuncupatur. Sed quid à quibusdam etiam Rex? *Sic*, ait lib. 1. contra Marcionem cap. 7. Tertullianus, *communis nostrum, conditionibus præiudicat, quanti ne quam serui Regum nominibus insultant, Alexandri, & Darij, & Olophernis?* Sermo in D. Augustini appendice sexagesimus sextus, *Paratur*, ait, *conuiuium Regi. Iudith interesse iubetur.* Sanè quia exercitui regundo præerat, Rex fortè dici posse videatur. Veriùs tamen id nomen, ob potentiam & opes pænè regias, Satrapis interdum nonnullis tributum fuisse. vt ex iis quæ Tobiæ 2. quæst. 1. & 3 perspicuum. Sed omnium maximè Reges dici poterant, qui ducum Satraparumque omnium principes, & a potentissimo Rege secundi. Atque isto modo à Philone Byblio apud Eusebium lib. 9. præparationis Euangelicæ, Iosephus etiam σκηπτοῦχος *sceptriger* nominatur. Verba ipsa, quia, vt alia non pauca, Latinus Eusebij versor ea omisit; reponam:

Ἰακὼβ δ' ἐπέυσεν πάντ' Ἰωσὴφ ὄνειρον
Θεσπιφδὸς, σκηπτοῦχος ἐν Αἰγύπτοιο θεόντος,
Δινδύσας λαθρηΐτα χρόνε πλημμυρίδι μείσης.
Somnia dum relegit fœcundo natus Iacob
Ioseph, Ægypti sceptro est foliõq; potitus.
Temporis occulta euolens ceu vortice fati.

Neque absurdum si Rex verus habeatur, cum maioribus Regibus minores quidam Reges ministri sunt & duces, vti apud Xenophontem, Babylonio Regi Cræsus. Euilmerodacho alij 4. Reg. vlt. ver. 28. *Persam* vero fuisse Holophernem ait Cedrenus, nẽque a Persarum nominibus eius nomen abhorret, vti mõstrat Artaphernes, Tisaphernes, Intaphernes, Pharnaspes, Pharnuches, Pharnazathres, Pharnabazus. Et causa hic fuisse videtur, vt tanto sese libentius Assyrio conungerent Persæ, de quibus supra cap. 1. & infra cap. 16. v. 12. Non tamen id nominis ita in Persis hærebat, vt eo Gentibus aliis vti non liceret, prout aliquantulum attigi cap. 1. quæst. 4. & ostendunt, Holophernæ alij. Nam apud Appianum Syriacis, Ariarathæ Cappadocum Regis frater fuit Holophernes, & Cappadociæ Rex, qui πλοῦτον καὶ τρυφὴν ἀνωλίαν induxit, Holophernes fuit, vti narrat Strephanus Niger lib. de nimio luxu. Quid magnus Strabonis auunculus Cappadox Moaphernes? Dixit vero Franciscus Maironis nostrum istum, Estheris & Assueri filium fuisse. At sua ista tam futili asseueratione non id tantum assequitur, vt cum rationem coniecturamque nullam afferat, cõtẽ- natur, verumetiam, vt ab Eusebio præfatione in libros de Ciuitate Dei egregiè irrideatur. Sanè, vt aliud nihil dicam; fuisset filius ante matrem. vt ex dictis cap. primo, quæst. 2. & ex dicendis de Assuero Estheris cap. 1. manifestum. Deniq; in Romano Græco textu & in Appiano leniter ὁλοφέρνης egitur in Græcis alus, & in correcto nostro Latino aspiratè ὁλοφέρνες, Holophernes. De ipsius moribus, posteà.

Q. II. Quomodo Holopherni bellum mandatum?

IN nostro eodem Latino *duo* proponit Holopherni Nabuchodonosor. contra quos videlicet gerere bellum debeat: & quomodo. *Prim* est ver. 5. *Egredere aduersum omne regnum Occidentis: & contra eos præcipuè, qui contempserunt imperium meum.* Omnes eum Occidentales iubet inuadere, sed præ omnibus & potissimum eos, qui contempserant eius imperium, vel *generali* illo *modo*, qui superiori capite attingebatur, quòd eius nuncijs non annuissent, eos, eorum quæ poscerent inanes remisissent: vel *speciali*, quodam modo, vt Damascenj, quos antea deuicerat Theglathphalassar 4. Reg. 16. vt Israelitarum reliquiæ. cum eos perdomuisset, iamque in Assyriam captiuos abduxisset Salmanasar, 4. Reg. 17. Iudæi & Hierosolymitani cum Assyriorum Regibus fœderati aliquando fuissent, 4. Reg. 16. vel etiam subditi, 2. Paralip 33. ver. 11. Samaritani, qui ex Assyria in vacuas Israëlitarum sedes immissi fuerant. 4. Reg. 17. & nunc fortè à Sennacheribi filijs, qui cæso illo, in Armeniã profugerant; 4. Reg. 19. v. 37. aut nepotibus, qui Asaraddoniam domum oderunt; concitabantur. *Posterius* est v. 6. *Non parcet oculus tuus, vllis regno, omnemque vrbem munitam subiugabis mihi.* Vetat, ne misericordiam regni vllius capiat: ne munitam vrbem vllam, quam vi non occuper; prætereat. Et dicit, *non parcet oculus tuus*, quia, ex miseriarum miserorumque aspectu, solet maximè commoueri misericordia. Si ergo misen, qualidique gentis alicuius legati veniant, supplicent. Assyrium à se numerum deprecati velint; sint oculi sicci, sint immisericordes. Aut iugum, aut gladium omnes accipiant. In Græco est hęc Nabuchodonosoris oratio multo fusior. Sic enim loquitur: *Hæc dicit magnus Rex Dominus omnis terræ. Ecce tu egredieris à facie mea, & sumes tecum viros, qui sunt ipsorum verbis confidant, pedatum ad cẽtum viginti millia, & multitudinem equorum cum eorum ascensoribus, multitudinem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquam duodecim myriadum, seu centum & viginti millium. & exibis in occursum, fiet præliũ contra omnem terram, quæ ad Occidentem est, quia oris mei verbo non obtemperarunt. & ipsis denunciabis, vt terrã & aquam præparent, quia egrediar in furore meo contra ipsos. & operiam omnem faciem terræ pedibus mei exercitus, & dabo ipsos illis in direptionem, eorumque vulnerati valles atq; torrentes ipsorum implebunt. fluuius etiam mortuis eorum exundans complebitur. ipsorumq; tandem captiuitatem agam seu propellam in terræ omnis extrema. Tu vero egressus præoccupabis mihi omnes eorum fines, & ipsi seipsos tibi dedent, & tu mihi eos in diem redargutionis eorũ reseruabis. Contra eos vero, qui rebelles & immorigeri sunt, non parcet oculus tuus, quominus eos in omni terra tua in eadem & direptionem des, quia viuo ego. & robur regni mei, quæ locutus sum ea etiam faciam in manu mea. Tu vero non transgredieris vel vnicum verborum Domini tui. sed perficiens perficies sicut præcepi tibi. & nihil cunctabere, vt ea facias. Sunt in his, quæ expositionem aliquam flagitent, nonnulla. sed ea opportunius infrà dabitur. Nunc in promptu ea semper habenda regula, quæ in Tobia tuas potius sibi ipsis ad sententiam perfectiorem tradunt operas.

Tertium in capite isto est belli apparatus, ver. 7. in quo periti ducis edit specimen. dum primò *duces & magistratus virtutis* seu copiarum *Assyriorum* vocat; deinde milites accipit, tertiò, iumenta & commeatum omnis generis adlubet ver. 8. camelos, boues, oues innumerabiles, frumentum etiam ver. 9. *Qui enim*, ait lib. 3. cap. 26. Vegetius, *frumentum, necessariumq; commeatum non præparat, vincitur sine ferro.* Denique ex Regis ærario aurum sumit & argentum copiosissimum ver. 10. Quemadmodum enim *negant medici sine neruis homines ambulare posse*, vt ait in Satyra Petronius, ita sine pecunia nusquam progredi bellum vllum potest. In Græco præter ea quæ in Latino, nominantur etiam *asini, muli & capræ.*

QVAESTIVNCVLA.

Holophernis equitum numerus quantus?

SVprà textus nobis Græcus narrabat πλὴν ἱππέων σὺν ἀναβάταις, μυριάδων δέκα δύο, id est, *centum & viginti millia.* Mendum omnino in scripto est. Quis enim centum viginti peditum millibus totidem equites adiunctos existimet? In numerosissimo & iactatissimo illo Xerxis aduersus Græciam exercitu, ἀριθμὸς τῶν ἵππων ait lib. 7. Herodotus, ἑξήκοντα ἐκλὼ μυριάδες, πάρεξ τῶν ἀραβίων καμήλων καὶ τῶν ἁρμάτων *fuit equitatus numerus octo myriades*, siue *octoginta millia, præter alios camelos & currus*, ad annonam scilicet onerandaque conuehenda, quæ, vt diximus & hic, numero maximo, affuerunt. Cum iret Darius Alexandro Asiam petenti obuiam; non enumerat libro 3. Curtius, nisi cia fuerat, in eius tamen totius summa, *equites erant quadraginta quinque millia, pedestris acies ducenta millia expleuerat.* Latinus noster ver. 7. tantum dicit, *equites sagittarios duodecim millia.* & sæpius iam significatum, non rara in Græcorum numeris menda inueniri. Fortè tamen neque in Græco mendum, neque inter ipsum Latinum vllam esse pugnam, pugnet quispiam. Qui enim sagittatanta Xerxis multitudine, an sagittarij erant, octies mille Sagartij equites? An in Darij conlis constabat, cui funditorum sagittariorumque viginti ferme millia iungi debuerunt? An Barcanorum equitum duo millia, *armati hipennibus, leuibusque scutis tectæ maximè speciem reddentibus?* An qui lib. 4. præter iacula, scuta iam & gladios acceperant? An ipsius Alexandri equites, quos cum hostium equitatu conferros & quasi cohærentes negat libro 3. Curtius vibrare tela potuisse, Latinus textus ver. 11. inter equites & sagittarios discrimen nonne constituit? Sunt hæc ita. & plucentum tamen & viginti millia non item. Etsi enim equitatu pollebant plurimum Persæ, Medi, Parthi, eorum tamen equites vel plures vel æquales peditibus fuisse, non equidem memini legead vnum aliquod prælium, sed ad bellum paulò vel remotius vel diuturnius, in quo montes & angustiæ non paucæ transeundæ, arces & vrbes cum expugnandæ, tum propugnandæ, præsidiusque firmandæ; proficiscendum est, non in pedite roboris plus esse concedat? Hic verò, num vnum Holopherni prælium præliandum? nonne belligerandum, & quidem nõ vna cum Gente, sed cum Occidentis totius Gentibus omnibus? Nonne montana impeditaq; loca subeundum quamplurima? Emendandum ergo Græcum illum numerum opinor. vt vel equitum vnuecsè fuerint δύο μυριάδες viginti millia: vel si quamplurimum vis, δέκα μυριάδες centum millia. è quibus sagittarij fuerint duodecies mille, quemadmodũ textus monet Latinus, ipseque et postea Græcus, τὸ ἑξαπλάσιον πασῶν τεταγμένων μυριάδων δισχιλίων. *Numerauit Holophernes equitũ sagittariorũ duodecim millia.* Quamquã videri

videri queat nunc non plus fuisse duodecim equitum millibus in toto exercitu: quia & Græcus hoc loco in summam illum colligit & Latinus vers. 7. licet cap. 7. vers. 2. plures accesserint, vt ibi rursum monebitur. Et dicentur *sagittarij* equites, vel à maiore præstantioreque parte, vel quia verè sagittarij erant omnes. idque vel vt hoc vno armorum genere potissimum semper pugnarent, vel vt saltem pugnæ initio, sagittarum in hostes procellam emitterent. *Omnis prope Assyriorum & Persidis regio vsum habebat sagittarum*, ait in Isaiæ 7. Diuus Hieronymus. Equites porro sagittarios, vt à peditibus distinguant Græci, solent eos vno interdum nomine ἱπποτοξότας appellare. quales Scythas tradit libro 4. Herodotus. De quadrigis porro curribusque falcatis, dixi Iudicum cap. 1.

Quartum in capite isto, est inchoata expeditio vers. 11. cuius ego vestigia, obscura sanè, in alio libentius legerem. & obscuritatis causa eadem, quæ in historiis aliis tam sacris quam prophanis. quia, vt ait extremo libro decimosexto Strabo, οἱ τῶν ὀνομάτων μεταβολαὶ καὶ μάλιστα τῶν βαρβαρικῶν πολλαὶ. *Ipsa nominum variationes, barbaricorum præsertim, multæ sunt.* Et Diuus Augustinus in Numeros quæst. 20. *Solent*, inquit, *locorum & gentium nomina plerumq; vetustate mutari.*

Primò igitur *pertransiit fines Assyriorum.* In Græco; *Egressus Ninive, peruenit triuni dierum itinere in faciem*, siue *planitem campi Bactilath* βακτιλαθ. In Complutensi βεκιλαθ. An affinitas aliqua cum Bacata illis, quos in Cassiotide collocat lib. 5. cap. 15. Ptolemæus?

Hinc *venit ad montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciæ.*

QVÆSTIVNCVLA

Quinam montes Ange?

MONTES Ange putat Ribera in Ionæ caput 1. esse *Argæum* montem. Sed quomodo is in Ciliciæ sinistro est, cum supra Ciliciam versus Septentrionem, in Cappadocia sit, & inter eum & Ciliciam non magna tantum locorum intercapedo, sed Tauri etiam & Antitauri montium pars interiecta sit? prour indicant Ptolemæus lib. 5 Geog. cap. 6. Plinius lib. 6. cap. 3. Solinus cap. 53. Nicephorus lib. 12. cap. 29. An *Bargilus* mons, de quo Plinius lib. 5. cap. 20. vel ob maiorem vocis affinitatem, *Angaru*, de quo cap. 13? Sed neque istos eorum situs admittit. Verum *Ange* nomen in 70. Interpretibus expressè positum est, Genes. 12. vers. 8. καὶ ἀπὸ ἀνατολὰς *Ange ad Orientem.* & cap. 13. vers. 4. ἀνὰ μέσον βαιθὴλ καὶ ἀνὰ μέσον ἀγγαι. quod S. Fulgentius lib. 2. ad Monimum, cap. 3. ita conuersum citat, *inter Bethel & inter Agge.* Norunt vero litterati, quæ genuino isto γγ Græcis scribuntur, ea Latinis interdum per *gg*, interdum per *ng* scribi, sed isto semper modo pronunciari. Nam verbi causa Ἀγγαῖος *Aggeus* & *Angeus* scribitur, & posteriore isto modo semper pronunciatur. Sed cum istud *Ange* sit vrbs, quæ in Hebræo & nostro textu *Hai* vocatur & ab iisdem 70. Iosuæ 7. γαι, interdum etiam à D. Hieronymo libro de locis Hebraicis, *Agai*, quomodo montes Ange? Habent quidem interdum eadem nomina vrbes, montes, & fluuij: & montem prope Hai vrbem inuenimus Genes. 12. vers. 8. Sed cum is in Iudæa tam notus, cur tam operoso, tamque peregrino & obscuro modo describeretur? Quid Ciliciam, quid sinistrum eius latus nominare opus fuisset? Qui Græcum textũ legerit πλησίον ἔχει ἐν ἀριστερᾷ τῆς ἄνω Κιλικίας, *prope montem, qui est a latere sinistro alta Ciliciæ*, putabit fortè in Latino legendũ hoc modo, *venit ad magnos mõtes, qui sunt a sinistro altæ Ciliciæ*, vt istud *altæ* non suas modo litteras, sed & veterem locum amiserit. Si veteres aliqui libri suffragarentur, esset arduus difficilisque locus planior. nondum tamen omnino planus & facilis. Cedo enim, quomodo post Assyriæ fines, Armenia, Syriaque prætenta, illicò ad Ciliciam venitur? & quænam alta hæc Cilicia? quod sinistrum eius latus? quinè tandem magni isti montes? Quia verò quidquid de Ange montibus dicamus, tria illa prima in quæstionem semper adducantur necesse est, de iis si quid fortè occurrat; dicam. Ac *primo* quidem Ptolemæus lib. 6. cap. 8. dum ait, τῆς ἰδίας Κιλικίας μεσόγεια, significat dupliciter Ciliciam accipi, propriè scilicet, seu prisse, & improprie seu amplè. quemadmodum cum eodem lib. c. 2. ait, τῆς ἰδίας Ἀσίας ἔθνη, & τὰ ἴδια παράλια Ἀσίας, duplicem Asiæ notionem ostendit. Vtrumque verò in Cilicia nominanda modum docet Solinus cap. 47. *Cilicia*, inquit, *antea vsque ad Pelusiam Ægypti pertinebat Lydis, Medis, Pamphilia, Cappadocia sub imperio Cilicum constitutæ. Mox ab Assyrio subacta, in breuiorem modum scripta est.* Videri ergo possit Cilicia hic amplissimè accipi. sicque vbi ex Assyriorum finibus excessum fuit, in Ciliciam statim deuentum fuisse. Vel distinguit scriptor, Assyriorum fines ab Assyria. Quæ siquidem illis regiones parebant, eæ ad eorum fines pertinebant, licet Assyria propriè non essent: vel denique scriptorum aliorum more, duos profectionis terminos ponit, eum à quo & eum ad quem Holophernes illo itinere profectus est; & media reticet. quæ tamen iterum postea vers. 14 attingit. *Alta* porro Cilicia seu *superior* eo modo vocatur, quo Galilæam superiorem vocari dictum est Tobiæ 1. fol. 10. & Ægyptum superiorem ibid. cap. 8. fol. 137. ea scilicet, quæ ad Septentrionem vergit, & è qua fluuij erumpunt Orimagdus, Calydnus, Lamus, Cydnus, Sarus, Pyramus. *Sinistrum Ciliciæ Latus* est Septentrionale, partim ob causam eodem Tobiæ capite primo indicatam partim quia veniente ab Oriente Tauro monti, Cilicia ipsa ex Occidente occurrit, eo modo vt Australiore parte hæc pergat, illle Septentrionaliore ipsam attingat. Quemadmodum verò si duo sibi homines occurrunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

currant, & vnus alterum transeat, ij vel dextrum ambo, vel sinistrum latus rangunt, ita etiam regiones & montes. Solini verò de Tauro verba loco citato sunt hæc: *Mons Taurus ab Indico primum mari surgit: deinde à scopulis Celidonis. Inter Ægyptium & Pamphylium pelagus obiectus Septentrioni dextro latere, leuo meridianæ plagæ occurrit, Occidente oburrsus fonte profusa. Demum* verò magnos istos Ange montes, *Taurum & Antitaurum* esse, vt existimem, animum inducunt meum hæc. *Primò* descriptio, *montes* non singulariè *mons*, & montes non simpliciter, sed *magni*. & ij quidem, qui secundum locorum situm, *sunt à sinistro Ciliciæ. Deinde* concors auctorum monitio est; Tauri finis istis montibus, pro varietate locorum & gentium, varia admodum esse nomina. In Periegesi Dionysius:

κεῖ ἐπωνυμίαν μίαν ἔκλαγεν· ἀλλ' ἐνὶ κάσσῃ
ἄνομ' ἔχει σφέτερον· τοῖσι δ' ἀν κείνοις μέλοιτο.
ἀνθρώποισιν, ὅσοι κεν χώρον ὀμπνείουσιν οἶκον ἔχοντες.

Quæ ita vertit Priscianus:

Non tamen est vnum montis cognomen vbique,
Sed varij flexus variantur nomine multo
Singula sed propriis sunt nomina nota colonis.

Plinius lib. 5. cap. 27. *Taurus mons ab Eoo veniens litoribus euadit, vsque ad cognita Rhipæorum montium iuga, numerosis nominibus & nouis, quocumque incedit, insignis. Imaus prima parte dictus. mox Edigis, Paropanisus, Circius, Chambades, Pharphariades, Choatras, Oreges, Orates, Niphates, Taurus. atque vbi se quoque exuperat, Caucasus, vbi brachia emittit, sublimè tentanti maria similis, Sarpedon, Coraxesius. Cragus, iterumq; Taurus. etiam vbi debiscit, seque populis aperit, portarum tamen nomine sibi vnitatem vendicans, quæ alibi Armenicæ, alibi Caspiæ, alibi Ciliciæ vocantur. Quinetiam confractus, effugiens quoque maria plurimis se gentium nominibus hinc & illinc implet. & à dextra hircanus, Caspius, à læua Paryedras, Moschius, Amazonicus, Coraxicus, Scythicus appellatur. In vniuersum verò Græcè Ceraunius.* Qui tot igitur ab aliis gentibus nomina suscepit, quid mirum si ab Hebræis vnum quoque accipiat? Et vocatur ab xi; similitudinem, vel quia *hai* Hebræis *acerum* est, & *vastatio* ac *desolatio*. Numer. 21. ver. 12. Iob 30. aceruatius? Quid vastius & horridius? Extat apud Plinium lib. 6. cap. 2. in Capnadocia oppidum *Gangre*, apud Herodotum lib. 7. *Rangæus mons magnus*, apud alios *Pangæus*, apud Curtium lib. 5. dux *Philotæ Angeus*. Ex iis fortè coniicier solertius aliquid alnis.

Tertiò, *effregit ciuitatem opinatissimam Melathi*. Nulla eius in Græco mentio. & videtur ea esse, quæ apud Plinium lib. 6. c. 3. *Melota, & à Semiramide condita haud procul Euphrate*, à Ptolomæo lib. 5. c. 7. *Melitena*. Ex ea, est prouincia Melitena, quæ, vt ait lib. 12. Strabo, *per omnia similis est Commagenæ. Tota enim domesticis conseritur arboribus, sola ex omnibus Cappadociæ partibus, ita vt oleum quoq; ferat, & Mouerite vinum, quod cum Græcis certet.* Si Ange montes Argæum cum Ribera conferem, quin hæc Mazaca foret, nihil ambigerem. Fuit enim ea opinatissima, id est, nominatissima & celeberrima. quia *à Semiramide condita, & à Cappadocibus mater vrbium vocata est*, vt ait Solinus cap. 35. *quæ postea Cæsarea* inquit Plinius loco citato. *Melothi* autem dicitur ab opulentia, rerumq; omnium plenitudine & abundantia. quemadmodum & Isaiæ 1. ver. 21. Ierusalem *meleathi mistat* ciuitas plena iudicio. De Mallo 2. Machab 4.

Quarto, *prædauit omnes filios Tharsis*. Hos esse Cilices docet Iosephus lib. 1. cap. 7. in Gr. & consentit exvrbe Tharso, in qua vna tantum litterula ϑ in τ mutata sit. quæ ab eodem dicitur δίλογγα, à Solino cap. 47 simpliciter *mater vrbium*, ab illo scilicet Tharsis originem ducens, de quo Genes. 10. Diuus tamen Hieronymus parum id probat epist. 133. quæ ad Marcellam est, fatetur *homonymum nomen* esse, quod multa significet. inter quæ sunt maris omnis accolæ, vt Cilices & Carthaginienses, alij. Sed de hoc nomine, cum lib. 3 Reg. 9. *de nauibus Tharsis* agerem; dicta sat multa. Græcus tamen Romanus non *Tharsis*, sed ἐμπόρια Ῥάσεως legit. Complutensis verò σκοὺς Ῥασεὶ. & subest vel Syriæ aliqua pars, vnde & *Rosin* ille, de quo 4. Reg. 16 Gr. ἐμπορεῖον. Certè initio sequentis capitis & Syria, & Syria Sobal in Holophernis potestatem se se dat, v. 1. Sed sunt litteriones (ita eos vocat D. Augustinus lib. contra aduersarium legis c. 24.) interdum nonnulli, qui quæ in priscis Ethnicorum scriptoribus, tamquam orat onis lumina, suscipiunt, ea in vetere nostro Interprete arguant & irrideant. Non. *prædauit*, inquiunt hic, & ver. 16. sed *prædatus est*, dicendum erat. Cur ergo, apud Nonium, laudant in Ennio *eximinat*, in Accio *miserarent & contempla*, in Turpilio *proficisceret*, in Pacuuio *moderant*, in Quadrigario *recordauit*, in Nænio *minitat*, in Pomponio *conuisant*. & *mirabis*, in Titinnio *osculauit*, in Varrone *imitat.*, in Virgilio *populat*, in Ciceron *augurat.*, in Plauto *rutetis, vagat, perscrutati, eluctaui*, aliaque non pauca? Ex Latino isto singulari & Complutensibus Græcis, adeoque ex ipsa oration's totius contextione videtur in Romanus Græcis legendum, non ἐπόρθησεν *vastarunt*, sed ἐπόρθησεν *vastauit*. Antecedit verò ἀπῆλθεν εἰς τὸν ὄρεινὸν, καὶ ἐπάταξε ἕως Φὼθ, καὶ λιβὸ. *Abiit in montanam regionem, & incidit* vsq; scilicet ἔθνος ἢ ἔρος. *gentem* vel *montem*

Phud

Phud & Lud. Phut Genes. 10. vers. 6. dedisse initium Phutæis aut Phutis in Lybia docet loco antea citato Iosephus. & Diuus Hieronymus quæst. in Genesin, sed quàm ab iis hæc Holophernis expeditio tam remota? Nihilominus tamen initio capitis sequentis, Holoferni fœdere dedunt Libyes, vers. 1. Ibidem verò aut Iosephus, quos *Lydos* dicimus, fuisse antiquitus Λυδοὺς vocatos. Sed neque ad istos peruenisse adhuc videtur Holophernes, prout à Plinio describuntur lib. 5. cap. 29. Herodoto lib. 1. etsi sunt aliæ Lydiæ viciniores apud Ptolemæum lib. 5. cap. 15. & 17. quemadmodum & eodem libro cap. 13. Armeniæ vrbes Ἄρσαμοσάτη. & postea Βόρεα χαλκίμια.

Quintò, *Effregit filios terra Ismael qui erant contra faciem deserti, & ad austrum terræ Cellon.* Hi sunt Arabum pars, qui dicti sunt *Ismaelitæ*, Genes. 36. *Agareni*. & tandem *Saraceni*. vt ait S. Epiphanius initio libri 1. & hæres. 30. Sozomenus lib. 6. c. 38. D. Hieronymus Isaiæ 60. Ezech. 25. & epist. ad Dardanum, eorumque meminit Pacatus Panegyrico ad Theodosium, Mamertinus Panegyr. ad Maximianum. Sed quæ *terra Cellon*? In quibusdam manuscriptis est *terra Celeon & Holaon*. verum Græcè dicitur in Complutensibus quidem γῆ χαλὼν, in Romanis γῆ χελαίων. Suntne isti idem cum iis, quos cap. 1. Græcus χελὲς dicebat? Suntne à *Coul*, de quo Genes. 10. vers. 23. & ex eius vrbis ditione, quæ à Ptolomæo lib. 6. cap. 15. in Syria Palmyrene ibi statuitur *Chelle*? Denique num aliqua his cum illis, apud Dodonæum fanum, *Sellu* Homericis, aut *Hellu* Pindaricis (vtriusque siquidem nominis liberam facit optionem lib. 7. Strabo) melius quam ego constituerint alij.

Sextò, *Transiit Euphratem, & venit in Mesopotamiam*. Paulò antè iam ad Ciliciæ fines venerat, & Arabiam, quomodo nunc in Mesopotamiam? & ex Assyria cum veniat, adeoque ex ipsa, quæ ad Tigrim est; Nino, si Euphratem transiit, quomodo in Mesopotamiam, & non ex Mesopotamia potius venisse dicitur? Videlicet itineris ordo non seruatur. Sed, vt sæpè alibi; possent præterita hæc, per plusquamperfecta, verti, *Transierat Euphratem, venerat in Mesopotamiam*. & vt in Græco est, διῆλθεν pertransierat *Mesopotamiam, Torrens Mambre* fortè dicitur ob aliquam cum eo similitudinem, qui per conuallem Mambre, de qua Genes. 13. vers. 18 & cap. 14. vers. 13. fluerat iuxta Hebron. In Complutensibus vocatur χειμάῤῥους ἀῤῥουνᾶ, in Romanis ἄῤῥουνᾶ. Videtur esse Huuius, qui Ptolemæo lib 5. cap. 10 χαβόρας. Strabonilib. 16. & Ammiano lib 23. *Aboras*. Neque inusitatum, vt fluuij torrentes vocentur, quemadmodum exponit lib. 1. Strabo. Vnde & apud Lucanum lib. 9. Magnus.

Non mihi Pyramidum tumulis eruisse Amasis
Atque alij Reges Nelo torrente natabunt?

Hunc verò Aboram, volunt quidam esse *Ohobar* apud Ezechielem cap. 1. Cæterum ab eo distant longissimè *Ambrones*, de quibus Strabo lib. 4. Florus libro 3. Liuij Epitome lib. 67. 68. *Vsque ad mare*, intelligo non Persicum, sed Cilicium.

* Septimò, *occupauit terminos eius*, maris videlicet, *à Cilicia vsque ad fines Iapheth, qui fines sunt ad Austrum*. Significari videtur *Ioppe* quæ & hodie vocatur *Iapha*, & à barbaris *Zapha*, prout monet ad caput 16. lib. 5. Ptolemæi Pirckheimerus. Plinius libro 5. cap. 13. *Vicus*, ait, *Ioppe Phœnicum, antiquior terrarum mundarieue, vt ferunt*. Est & in Iosepho lib. 2. belli, 42. alia ἰόππη.

Octavò, *Abduxitq; omnes filios Madian*. Hi sunt Arabes, vt in Exodi cap. 2. dictum est. *Nulli*, ait S. Hieronymus in Ezechielis 2. *dubium est Madianitas, & totam eremi vastitatem adiacere terræ Arabiæ, qui habent camelorum greges, onumq; & caprarum multitudines, & hic opibus vtebantur. Quod & terræ Israel in Iudium libro accidisse narrat historia cap. 6. quando venerunt Madianæi, & depasti sunt vsque Gazam omnes regiones eorum*. In Græco textu præter illa quæ in Latino; innuitur etiam Madianitarum ratio habitandi, διαλλοιοῦσι τὰς οἰκήσεις Μαδιὰν καὶ ἐποίησαν τὰ σκηνώματα αὐτῶν καὶ ἐπορεύθησαν τὰς κατὰ ἔθνος αὐτῶν. *Circumiunxit filios Madian, & combussit tabernacula ipsorum, cæsaq; vastauit*.

Nonò, *Post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis*. Quando præcisè *messis* dicitur, triticea Intelligi solet, ea tamen in Græco exprimitur. Hostilia verò hic edidit omnia. Sata exussit, arbores & vites excidit, *greges & armenta*, prout in Græco est; *absumpsit, vrbes diripuit, agros depopulatus est, iuuenes ipsorum omnes in ore gladij peremit*. hinc que factum, vt cecideri *timor illius super omnes habitantes terram*. Restringitur verò terra hæc in Græco ad παράλιον maritimam, & qui pertinuerint, adiunguntur ἕτεροι οἱ οἰκοῦντες ἐν Δαμασκῷ καὶ ἕως Μωὰβ καὶ ἕως Γαλαὰδ καὶ ἕως Ἀσσὼρ καὶ ἕως Ἀκκαρὼν καὶ ἕως τῶν ὁρίων Ἀζώτου καὶ Ἀσκαλῶνος. Sidonij, Tyrij, Surij, Ocinæ, Iemnei, Azotij, Ascaloniti; Ideoque hic videtur modus & ratio eius, quod septimo loco dictum est; exponi. Sed quinam *Surij & Ocinæi*? Quæ nobis Tyrus, ea Hebræis *Tsor* est, & hodie vulgò *Sur*. Si Surij ergo Tyrij essent, inepta iterationis mendum hic esset. Est & *Sur* solitudo Genes. 25. vers. 18. de qua dictum Exodi 15. At hic, quasi vrbs, inter vrbes alias numeratur. An *Dor* siue *Dur* pro *Sur* legendum? De hac vrbe Ptolemæus lib. 5. cap. 15. Plinius lib. 5. cap. 19. D. Hieronymus in epitaphio Paulæ, *Vrbs, ait, quondam potentissima*. & li. 1. Machab. c. 15. v. 11. *Ocina* verò est Ptolemais, *quæ quondam Ace* inquit Plinius libro 5. cap. 19. & *Coth*. vel potius *Gath* aut *Geth*, vt ait in Epitaphio Paulæ D. Hieronymus. Nam quod *Geth* Ascalonem ad Ptolemæi lib. 5. ca. 16. censet antea etiamis expositor, clarissimè reuincitur 1. Reg. 6. ver. 17. vbi Palæthinorum ciuitates quinq; numerantur, *Azotus, Gaza, Ascalon, Geth, Accaron*, & ex Diuo Hieronymo epistola ad Dardanum de terra promissionis. Quod verò idem D. Hieronym. in Mi-

chæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

cheæ capti cum de *Gath*, aliisque disputasset, subiunxit, id mihi, nisi quod terrestre nostrum hoc iter fuerit, subiungere posse videor. *Hactenus quasi inter saxa, & acutissimos scopulos nauiculam nostram attraximus. quæ vtrum intrauerit portum, an adhuc in salo fluctuet, Lectoris erit prudentiæ iudicare. Nunc orationibus vestris, pergamus ad alios fluctus, & imminente expositionis hinc inde naufragio, si possimus, euadamus.*

CAPVT III.

1 VNC miserunt legatos suos vniuersarum vrbium, ac prouinciarũ reges ac principes, Syriæ scilicet Mesopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Libyæ, atq; Ciliciæ qui venientes ad Holofernem, dixerunt:

2 Desinat indignatio tua circa nos: melius est enim vt viuentes seruiamus Nabuchodonosor regi magno, & subditi simus tibi, quam morientes cum interitu nostro ipsi seruitutis nostræ damna patiamur.

3 Omnis ciuitas nostra, omnesq; possessio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregesq; ouium, & caprarum, equorumq; & camelorum, & vniuersæ facultates nostræ, atq; familiæ in conspectu tuo sunt.

4 Sint omnia nostra sub lege tua.

5 Nos, & filij nostri, serui tui sumus.

6 Veni nobis pacificus dominus, & vtere seruitio nostro, sicut placuerit tibi.

7 Tunc descendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem inhabitantem terram.

8 De vniuersis autem vrbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum.

9 Tantusq; metus prouinciis illis incubuit, vt vniuersarum vrbium habitatores principes, & honorati simul cum populis exirent obuiam venienti.

10 Excipientes eum cum coronis, & lampadibus ducentes choros in tympanis, & tibiis.

11 Nec ista tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt:

12 Nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit.

13 Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, vt omnes deos exterminaret, videlicet vt ipse solus diceretur deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentiæ subiugari.

14 Pertransiens autem Syriam Sobal, & omnem Apameam, omnemque Mesopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa.

15 Accepitq; ciuitates eorum, & sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit vniuersum exercitum vtriusq; suæ.

COMMENTARIVS.

BELLI successus exponitur, quoad populos ipsos, qui bello eo petebantur; & quoad ipsum Holophernem. Illi copiarum tantarum, rerumq; hactenus gestarum terrore perculsi sese huic totos dediderunt, præter vnos Iudæos, de quibus sequenti capite. Dispiciendum verò, quinam alij illi populi fuerint, & quem in deditione modum tenuerint. Fuerunt igitur *vniuersarum vrbium ac prouinciarum Reges ac Principes*. Et ne de toto statim mundo cogitationem quis suscipiat; additur, *Syriæ scilicet, & Mesopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Libyæ atq; Ciliciæ*. Syria variè admodum sumitur. Interdum etiam Assyrios ipsos complectitur; ὅτι ὑπὸ Ἑλλήνων ἐπαλέσντο Σύροι, ὑπὸ τῶν βαρβάρων Ἀσσύριοι ἐκλήθησαν. *Qui à Græcis*, ait Herodotus lib.7. *Syri vocabantur, ij à barbaris Assyrij vocati sunt*. Rursumque posteà: ὅτι Σύριοι ὑπὸ Περσέων Καππαδόκαι καλέονται. *Syri isti à Persis Cappadoces vocantur*. Et Plinius lib.5.cap.12. *Syria quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus. Nam quæ Palæstina vocabatur, qua contingit Arabas, & Iudæa, & Cœle, dein Phœnice, & qua recedit intus, Damascena, ac magis etiam nunc meridiana, Babylonia. Et eadem Mesopotamia inter Euphraten & Tygrin, quæq; transit Taurum. Sophene citra verò etiam Comagene. & vltra Armeniam, Adiabene, Assyria antè dicta. & vbi Ciliciam attingit, Antiochia*. Patet igitur Syriæ nomen quàm latissimè. sed cum presiùs accipitur, ab enumeratis iam partibus distinguitur, sicque alia est *Syria*, alia *Syria Sobal*. Hæc enim ipsa est, quæ à Plinio loco citato, & Strabone lib.12. Ptolemæo lib.5 cap.13. *Sophene* dicitur, & eius mentio fuit 1 Reg.14. 2.Reg.8. vbi dictum, vocari quandoq; *Syriam Soba* à Iosepho *Oba*, à 70. *Souba*. Non præteribo de Syria presè dicta, Dionysij, prout eos quidem Latinos fecit Priscianus, versiculos, præsertim, quia nonnihil, quod capitis infrà secuturi quinti, versum septimum & decimumquartum attingit; continent. Cum enim varia esse Syrorum genera dixisset, pergit:

Namque alij mediis habitant tellurris in aruis
Hosq; Syros proprie perhibent. sed littora iuxta,
Phœnices viuunt, veteri cognomine dicti
Quos misit quondam mare rubrum laudibus auctos
Chaldæo nimium decoratam sanguine gentem,
Arcanisq; DEI celebratam legibus vnam.

Libya

Libia verò quomodo ab Holopherne tam adhuc procul dissito perterrita est? Quomodo eius mentio, & Ægypti nulla? Quomodo inter Syriam Sobal & Ciliciam media constituitur, quæ ab vtraq; tanto locorũ spacio dirimuntur? Sunt, qui *Lyciam* hìc velint. *Ligya* fortè legenda. Ligyas enim in hisce locis collocat Herodot. lib.7. cum Syris, & Maryandenis, de quibus lib. 4. & Matienis, de quibus lib.1. λίγυες δὲ Ματιηνοί τε καὶ Μαριανδηνοί τε καὶ Σύροι τοῦτο αὐτοῦ ἔχοντες Παφλαγόνες ἐστρατήλατεον. *Ligyes*, ait, *& Matieni & Mariandeni & Syri, eadem cum Paphlagonibus armatura præliabuntur*. & paulò post: Μαριανδηνῶν καὶ λιγύων καὶ Σύρων Γωβρύης ἦρχε. *Maryandenorum & Ligyum & Syrorum dux erat Gobryes*. vbi in Latina, quæ etiã correctissima putatur, conuersione; idem q̃ hìc mendum, vt *Libyum* dux sit Gobryas. Et ne quis vel eosdem Libyas & Ligyas, vel in Herodoto Libyas potius q̃ Ligyas legendos auguretur, liber in manus tantùm sumendus. Confestim enim erit vtroslibet legere, & valdè quidẽ diuersos: & Libyum quidẽ ducem esse Mansangen. Quia tamen antea, quàm *Phud* Libyã significaret, verisimiliùs nihil occurrit, sit sanè Libya. & ad eam licet exercitu nondũ peruenerit Holophernes, huius tamen animũ illa occupat, longeq; adhuc positum malũ auertit, vti se Gabaonitæ facere dicebant Iosuæ c.9. & faciebant apud Curt. lib.10. alij. Babyloniam enim reuertí volebat Alexander, quia *nunciabatur ei, legatos ex diuersis terrarum orbis partibus vndiq; Babyloniam cõfluxisse, eius aduentum expectare. Adeò totum orbem nominis eius terror inuaserat, vt cunctæ gentes, velut destinato sibi Regi adularentur*. Videntur verò iidẽ in Latino esse debere populi, qui in Græco, quia idcirco in Græco, iam istò capite reticentur, quod antea cap.1. nominati fuerint, & contrà, ideo in Latino, iam dicto capite, recensentur, quòd antea capite primo præteriti fuerint.

Modus verò deditionis fuit hic. *Primò, miserunt legates suos*. Ipsius Nabuchodonosoris antea legatos respuerant: suos ipsi nunc mittunt, & per eos supplicant. Per Holophernẽ petierat ille antea, vt ex Græco audiuimus; *terram & aquam*: Per legatos ea isti offerunt omnia. Est autẽ illa formula, quà postulabant isti Reges non, vt vertit Baduellus, *præparari sibi terras & aquas*, sed sibi dedi, subiiciquè omnia. quòd imperium omne vel terrestre vel maritimũ sit; bellum omne vel terra, vel mari gerãtur: omnes hominũ opes vel ex terra, vel ex aqua constent, vt sunt agri, fundi, syluæ, possessiones, domus, vrbes, stagna, lacus, flumina. quin aurum etiam & argentũ, & lapides pretiosi. Nam, vt sapienter & philosophorũ decretis consentaneè dixit S. Bernard. serm.4. de aduentu: *Aurum & argentum nonne est terra rubra & alba, quam solus hominum error facit, aut potius reputat pretiosam?* Vniones & gemmæ non è pelago etiã petuntur? Et in homine quæ pponderant aliis elementa, nonne terra & aqua sunt? nõne ex hisce duobus potissimũ constant omnia, quibus pascimur, potamur, amicimur? Sic apud Herodot. lib.4. Scythar. Regi iubebat Darius: δεσπότην τὸν σὸν δῶρα φέρων γῆν τε καὶ ὕδωρ, ἐλθὲ ἐς λόγους. *Domino tuo afferens dona, terram & aquam, in colloquium veni*. Et cum ille missilet, *aurem, murem, ranam & quinq; sagittas*. Darij opinio erat, σὺν τούτοισι ἑωυτῷ δώσειν σφέας τε αὐτοὺς καὶ γῆν τε καὶ ὕδωρ. *Scythas se sibi tradere, & terram & aquam*. quòd *mus* quidẽ in terra gignatur, & eodẽ quo homines fructu victitet: *rana* autem in aquis nascatur: *auis* verò sit equo assimilis. At *sagittis* dãdis, suũ ipsorum robur trãdere. Idem etiã Darius Athenas & Spartam legatos idem petituros cum misisset, eorum illi aliquos in barathrum, alios in puteũ iniecerunt, iubentes vt ex iis terram & aquam ferrent. vti lib.7. refert idem Herodot. qui memorat etiam, quemadmodum Xerxes δεῦρο γῆς αἴτησον κήρυκας miserit, & alij quidem terræ inanes, reuerterint, alij terram & aquam attulerint. Est & in Diod. lib.11. eadẽ formula. *Deinde* legati missi λόγοις εἰρηνικοῖς *verbis pacificis*, pacem poscere debuerunt. Ea traduntur v.2. quòrum triplex veluti membrum. *Primum* est deprecatio, quæ & v.6. repetitur. *Alterum* est ratio, cur ita sese dedant, quòd è malis duobus minus eligendum sit. *Tertium* est deditio ipsa omnium omnino rerum. v.3 & 4. adeoq; sui ipsorum & filiorum libertatis, v.5. & 6. Vocant verò v.2. Nabuchodonosorem *Regem magnum*, & seipsum ita, vt vidimus, ipse vocarat c.2. non vulgari cõmodo, quo potentem quemptam Regem vocare moris est, sed eximio illo, qui Persarum postea Regibus proprius extitit. vt nimirum aut *Reges magni* aut *Reges Regum* appellarentur, apud Herodotũ crebrò, Xenophontem lib.1. Anabas. Aristidem in Romæ encomio, Dionem Chrysostomum orat.3. de regno, Ammianum lib.17. Hinc & apud Strabonem lib.15. epitaphius iste Cyri versus:

Ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος, βασιλεὺς βασιλήων,
Hic ego Rex Regum iaceo, qui nomine Cyrus.

Et 4.Reg.18. ver.19. *Hæc dicit Rex magnus, Rex Assyriorum*. Esdræ 7. ver.12. *Artaxerxes Rex Regum Esdræ sacerdoti*. Danielis 2. ver.37. *Tu Rex Regum es: & DEVS cœli regnum, & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi*. Rectè verò apud Plutarchum Apophteg. Lacedæmoniorum Rex Agesilaus, *Quid*, aiebat, *me maior Rex, si non temperatior & iustior?* Ideoq; & Alexander, apud eundem Plutarchum lib.2. de illius fortuna, *solo plerosq; nomine magnos* esse dicebat. Cuius rei causam Plato libro 3. de legibus in malam, nimiumque mollem & delicatam educationem confert. Cùm enim Cyrum, Dariumq; Hystaspis durè diligenterq; in pueritia educatos laudaret, *Ex illo*, ait, *tempore nullus vmquam fermè Persarum Rex magnus, nisi nomine fuit. Neq; fortunam causam fuisse arbitror, sed vitam malam, quam filij valdè diuitum, tyrannorumq; plurimum viuunt. Numquam enim puer & vir & senex, ex huiusmodi vita, virtute præstans euadere poterit*. Sane verò vt apud Horatium epist.1. pueri, & Ausonius idyllio 17. *Qui rectè faciet, non qui dominatur erit Rex*. & verè magnus Rex. Omnium verò tanto isto nomine dignissimus ille, cuius memini Tobiæ cap.13. quæst.2. de quo Propheta Psalm.94. DEVS

magnus

Universidad de Deusto
Biblioteca

magnus Dominus. & Rex magnus super omnes Deos. Quia in manu eius sunt fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt. Quoniam ipsius est mare: & ipse fecit illud: & siccam manus eius formauerunt. S. Iohan. Apocalyp.19.v.16.*Habet in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.*

Holophernes verò quæ iam fecerit, narratur ver.7. *Descendit de montibus*, Casio, Libano, Antilibano, qui in Syria, inter quorum duos postremos Damascus est, in cuius ille felices campos descendebat, qui in Syria, inter quorum duos postremos Damascus est, in cuius ille felices campos descenderat c.1.v.17.*Descendit in virtute magna.* Etiam in literarum studio lippis notum, *virtutem* sæpè proverbio, & exercitu accipi. *Obtinuit omnem ciuitatem*, id est, præsidia custodiaq; imposita muniuit. quia Græcè est ἐφρούρησε, non vt c.1.v.6. ἔλαβε. vel infrà hoc ipso c.v.15. *accepit ciuitates eorum.* quamquam munitionem istam anteeat acceptio, necesse est. *De vniuersis vrbibus sumpsit sibi auxiliarios*, v.8. vnde factum, vt incredibiliter eius in dies augescerent copiæ. prout etiam dicitur infrà cap.7.v.2. Accipiebatur vbique honorificentissimè. Venienti procedebant obuiam non pauci aliqui, &, ciuitatum nomine, legati; sed *vniuersarum vrbium habitatores principes & honorati simul cum populis.* Et quomodo? *Excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibiis.* Summæ istæ omnia reuerentiæ, lætitiæq; publicæ apud veteres argumenta erant. De coronis dicam in Machabæis. De lampadibus, & quidem adeò, vt suas etiam interdum ianuas lucernarent; atteſtatur Iuuenalis Satyra 12. Xiphilinus in Nerone, Tertullian. in Apologia, & lib. ad vxorem. Curt. lib.5. *Bagistanes Babyloniæ arcis & regiæ pecuniæ custos obuiam victori Alexandro egressus, totum iter floribus, coronisq; constrauerat, argenteis altaribus ab vtroq; latere dispositis, quæ non thure modo, sed omnibus odoribus cumulauerat.* Scriptum à Diodoro est lib.16. quemadmodum Artaxerxi Ocho, cum oleæ ramis, obuiam supplices venerint Sidonij: & à Liuio lib. 44 quomodo contra Epiphanem Antiochum opem rogaturi Alexãdrini, cum oleæ itidem ramis, Romanorum Senatum ingressi sint. Magna sanè hominum miseria, quòd in summo suo luctu & calamitate, vel inuiti gaudere, tripudiare, festosq; dies agitare debeant:

Non bene mendaci risus componitur ore
Difficile est tristi fingere mente iocum.

Cum tamen sibi hæc, inuitis etiam & repugnantibus, imperarent, tanta nihilominus Holophernis elatio, arrogantia, & ferocitas erat, vt eam, ne istis quidem tot tantisq; honorum & gaudiorum lenociniis, mitigare possent, ver. 11. *Nam & ciuitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit.* Hos arboribus consitos & opacos, diis consecratos, quis, qui vel primoribus, vt aiunt labris, Virgilium gustarit; ignorat? Sed & in scriptura idem nostra significatum Deuteron.16.v.21. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta aliare Domini* DEI *tui.* 3. Reg.14.v.23. *Ædificauerunt & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos super omnem collem excelsum.* itemq; c.15.lib.4.c.13.17.21. Hierem.17. Mich.5. Quid igitur? Holophernes Gentilis non erat? Deos non colebat? Quomodo eorum igitur lucos excidebat? Quomodo, quæ veri DEI cultoribus præcepta erant Exod. 34. Deuteronom.7. & 12. pij cuiusdam Asæ instar 2. Paralip.14.v.3. faciebat? Obstupesce, ô homo, & humanam exhorresce superbiam. *Præceperat illi Nabuchodonosor Rex, vt omnes deos terræ exterminaret, videlicet vt ipse solus diceretur Deus.* Quò, quò ascendis terrula, puluiscule, vermicule? Arphaxadum vicisti, copias magnas coegisti, regnum dilatasti: & idcirco tu statim Deus, & *Deus solus*? Bene in extremo illo suo conflictu apud Curt. lib.4. Darius; Fragilitatis humanæ nimia, in prosperis rebus, obliuio est. qui lib.3. Charidemũ non audierat dicentem: *Tu quidem, licentia regni, subito mutatus, documentum eris posteris, homines, cum se permisere fortunæ, etiam naturam dediscere. Sic scilicet*, ait idem Curt. lib.10. *res secunda valent cõmutare naturam, & raro nusquam erga bona sua satis cautum est.* Atq; hoc idem c.5.v.29. de Nabuchodonosore traditur. *vt sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est: & præter ipsum alius nõ est*, & c.6.v.2. & 4. In capitis huius tertij textu Græco ita inscribitur: ἵνα δεδογμένον αὐτῷ ἐξολοθρεῦσαι πάντας τοὺς θεοὺς τῆς γῆς, ὅπως αὐτῷ μόνῳ τῷ Ναβουχοδονόσορ λατρεύσωσι πάντα τὰ ἔθνη, καὶ πᾶσαι αἱ γλῶσσαι, καὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ αὐτῶν ἐπικαλέσωνται τὸν θεὸν. *Erat ipsi decretum, omnes terræ Deos exterminare, vt ipsi soli Nabuchodonosori latriæ cultum deferrent omnes gentes & omnes linguæ, & omnes tribus eum in Deum inuocarent.* De intolerabili superbia hac, quę diuinitati etiam manus iniicit, dicam iterum aliquid infrà c.6. & 2. Machab.9.v.10. Legendus verò Isaias c.14.à v.4. Bellum ergo inferebat Holophernes non regionibus tantùm, sed & religionib. & licet opus bonũ esset ficta cõmentitiaq; Gentilium numina tollere, profana eorum fana & delubra exscindere, lucos impuritatis oẽs desecare; pessimè tamen agebat Holophernes, qui verũ etiam cœli terræq; Deum suo è solio deturbare conaretur, extremæq; illius Nabuchodonosorianæ impietatis & arrogantiæ tam sedulũ sese ministrũ, tamq; immanem satellitem præberet. *Venit* verò ipse *ad Idumæos in terram Gabaa*, v.15. Sed *quæ* ista *Gabaa*? Nam vna quidé in Iudæa 4. Reg.23.v.8. Iosue 5.v.48. ppe Maonem montem, & Darumã vel Dumam, de qua Masius in illud caput. Altera Beniamitica, quæ nefario scelere Iudic.20. & Saulis ortu 1. Reg. celebris. Si de priore agatur, nũ ad hanc Iudeę partẽ accesserat Holophernes? & nõne *Dumæos* q̃ *Idumæos* potius legamus? Si de posteriore; quinã in Beniaminia tribu Idumæi? & num illô etiã sese Assyrij iam penetrarant? *Gabe*, ait Plin.l.5.c.18. *vrbs regni instar.* Et Idumeæ nomen ita quandoq; amplũ est, vt Gazã etiam & Ascalonẽ, aliaq; id genus loca cõprehendat. vt l.4.Capt.26. monstrat Ioseph. & lib. cõtra Apionem. Græcus text. *Venit*, ait, *secundum faciẽ, vel in planitiẽ Esdrelon, prope Dotæam, quæ est è regione terræ magnæ Iudæa, & castrametatus est inter Gabe & Scythopolin.* Videt ergo legendũ: *Venit in Dotæos in terrã Gabaa*, id est,

id est, *montanam*, seu *cliuosam. Serra* verò Hispanis quidem, vt in Ezechielicos Serrani Commentarios explicat Arias; *est tractus perpetuo cliuosus & editus*; sed Græcis in topographia, est locus dentium serræ instar strictus, seu fauces & angustiæ. De *Scythopoli* Solinus cap.45. Plinius lib.5.cap.18. & ego ex D. Augustino Iudic.1. Egesippo lib.3.cap.19. *Dotea* solet aliàs etiam à 70. vocari Dothaim, Genes. 17.ver.17. *Postremò* his in locis mensem totum hæsit. exercitum totum colligens. Varias enim simul ditiones is exercitus peragebat, cum diuersas, huc & illuc, eius partes amandaret Holophernes. Vnde factum, vt eodem tempore, procellæ cuiusdam instar, pergeret, multasq; & vrbes & prouincias Nabuchodonosori subderet. Græcus mentionem tantum facit *sarcinarum & impedimentorum* colligendorũ. *Si* porro *quæras, cur terrorem tantum tot gentibus incusserit Holophornes*, cũ Assyriorum maiores antea copiæ visæ fuissent, 4 Reg.19.ver.35. *dicendum primò* quidem, initio fortasse non eduxisse tantas ex Assyria copias, quantæ aliàs iam fuissent, sed paulatim, nouis quotidie supplementis & accessionibus vehementer auctas fuisse, vt antea dictum est. *Deinde* magnam ducis peritiam fuisse; magnumque paulatim Nabuchodonosoris nomen extitisse, ob victum Arphaxadum, & felices Holophernis progressus. Huius etiam sæuitia & furor plurimorum animos frangebat. Et verò ita hæc omnia gerebat Holophernes, vt multo maiores adhuc indies copiæ non tam exspectarẽtur, quam timerentur. Semel enim & iterum dixit cap. 2. in Græco Nabuchodonosor, *Holophernem à se premittit: se* non ita multò pòst *secuturum.* At quæ quantæque cum Rege ipso copiæ? quis Assyriorum flos? quod robur? *Denique* DEI hæc voluntas erat, vt tanto postea illustrius esset beneficentiæ potentiæque ipsius miraculum, ad quod iamiam contemplandum accingimur.

CAPVT IV.

1 *VNC audientes hæc filij Israel, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde à facie eius.*

2 *Tremor, & horror inuasit sensus eorum, ne hoc faceret Ierusalem & templo Domini, quod fecerat cæteris ciuitatibus & templis earum.*

3 *Et miserunt in omnem Samariam per circuitum, vsque Iericho, & præoccupauerũt omnes vertices montium:*

4 *Et muris circumdederunt vicos suos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ.*

5 *Sacerdos etiam Eliachim scripsit ad vniuersos, qui erant contra Esdrelon, quæ est cõtra faciem campi magni iuxta Dothain, & vniuersos, per quos via transitus esse poterat.*

6 *Vt obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Ierusalem, & illis custodirent, vbi angustum iter esse poterat inter montes.*

7 *Et fecerunt filij Israel secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim.*

8 *Et clamauit omnis populus ad Dominũ instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiunijs, & orationibus, ipsi & mulieres eorum.*

9 *Et induerũt se sacerdotes cilicijs, & infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini. & altare Domini operuerũt cilicio.*

10 *Et clamauerunt ad Dominum* DEVM *Israel vnanimiter ne darẽtur in prædã infantes eorum, & vxores eorum in diuisionem, & ciuitates eorũ in exterminium, & sancta eorũ in pollutionem, & fierẽt opprobriũ gentibus. Tunc Eliachim, sacerdos Domini magnus, circuiuit omnem Israel, allocutusque est eos.*

12 *Dicẽs: Scitote quoniã exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in ieiunijs, & orationibus in cõspectu Domini.*

13 *Memores estote Moysi serui Domini, qui Amalec confidentẽ in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro propugnando, sed precibus sanctis oranda deiecit:*

14 *Sic erunt vniuersi hostes Israel: si perseuerauerint in hoc opere, quod cœpistis.*

15 *Ad hãc igitur exhortationẽ eius deprecãtes Dominũ, permanebãt in cõspectu Domini.*

16 *Ita vt etiã hi, qui offerebant Domino holocausta, præcincti cilicijs offerrent sacrificia Domino. & erat cinis super capita eorũ.*

17 *Ex toto corde suo omnes orabant* DEVM, *vt visitaret populum suum Israel.*

COMMENTARIVS.

ACCEDIT modò belli huius incendium ad Iudæam proximè. fuitq; Iudæis cum populis aliis tremor & horror communis, vers.1. & 2. sed sese, suaque sacra defendendi animus & studiũ proprium. Et fuit hoc bipartitum. *Præsidia* siquidem adhibuerunt *humana & diuina*. quorum optimam & necessariam esse consociationem tam scriptura, quam ratio demonstrat. Qui nobis ingenũ, industriam, manus, ferrum, & lapides dedit DEVS, ea nobis frustrà dedisse nõ vult. Idemq; rursum qui ista dedit, non omnẽ in his spem à nobis collocari, sed eã à se semper pendere, nos à se gubernari & adiuuari voluit. ad q; ita nos intelligere, vt hanc eius opem votis, precibusq; ardentissimis & humillimis rogemus atq; obtestemur. *No veris*, aiebat in Catilinario Salustij bello Procius Caro, *neq; supplicijs muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedũt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanè verò sunt hæc posteriora facienda omnia. Sed & illa coniungenda; quibus certissimè vera veri DEI auxilia parantur. Tum enim, quod ille postea queritur; non socordiæ nos atque ignauiæ damnatis, vt sit idcirco DEVS iratus & infestus; sed sanctissimum ipsius numen, sine quo noster omnis labor manis; propitiamus & obsecramus, vt adesse, tuerique nos dignetur: simulque operi manum admouemus, nauiter sedulòque laboramus, vigilamus, signa tollimus, prælia inimus. Vtriusque rei coniunctionem vel vnum illud, cuius paulò post mentio ver. 13. illustrissimum demonstrat exemplũ. Moyses orare voluit: neque tamen hoc solum: sed manum etiam cum hoste conserere. neq; id quouis modo, sed adhibito cõsilio, cura, & delectu. *Elige* ait ipse Iosuæ, *viros & egressus pugna contra Amalec.* Rursum ita consilium, curam, delectumque adhibuit, vt non in iis poneret omnia, sed, *ecce*, ait, *ego stabo in vertice collis, habens virgam* DEI *in manu mea.* factumq; totum valdè probauit DEVS. *Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Quatuor igitur *humanæ industriæ opera*, quæ Iudæi iam adhibuerint, recensetextus noster. *Primo* enim, qui in antea Samaritanos, certam ob causam, Iudæis hoc sese tempore coniunxisse. Israelitarum verò non ralip. 30. ver. 1. *Misit Ezechias ad omnem Israel, & Iudam, scripsitq; epistolas ad Ephraim & Manasse, vt venirent ad domum Domini in Ierusalem, & facerent Phase Domino* DEO *Israel.* Et versu 5. *Decreuerunt vt mitterent nuncios in vniuersũ Israel a Bersabee vsq; Dan, vt venirent & facerent Phase Domino* DEO *Israel.* Et ver. 6. *Reuertimini ad Dominum* DEVM *Abraham, & Isaac & Israel: & reuertetur ad reliquias, quæ effugerunt manus Regu Assyriorum.* Rursumq; v. 10. *Cursores pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem Manasse & Zabulon, illis irridentibus & subsannantibus eos.* Attamen quidam viri ex *Aser & Manasse & Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt in Ierusalem. Magna etiam*, v. 18. *pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat; comedit Phase.* Deinde, *præoccupauerunt omnes verteces montium.* Hi erant multi admodum & prærupti circa istas partes, vt perspicuum ex 1. Reg. 23 24. ex S. Luca *Iudææ montana* referente cap. 1. ver. 39. & 65. Iosepho captinit. lib. 4. cap. 27. vbi iuxta Esdrelonis campum magnum duos magnos describit, quorum alter *Ferreu* vocabatur. & alias *Thabor* dicitur. Hęc verò & alia, quæ opportunissimè facta sunt Eliachimi sacerdotis magni cõsilio & auctoritate facta esse tradit ver. 5. vbi Græcè dicitur, montium isturum angustias tantas alicubi fuisse, vt *bini solummodo transire ipsas possent.* Tertiò, *muru circumdederunt vicos suos* Solent communiter ab vrbibus distingui vici, siue ἐκτὸς τῶν πόλεων οἰκήσεις. quòd illæ muris, hę nullis cingantur. Sed necessitas, vel alia quæpiam oportunitas, his etiam muros quandoque dat, vt apud Iosephum lib. 4. Capitu. 25. Quod si vicos muris circumcingere voluerunt, quanto ipsi magis in vrbium mœnibus reficiendis, vallandis, omnique opere communiendis elaborarunt? Quarto, *congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ*, vt obsidionum scilicet moras ferre possent. Alioqui non tam hostis quam fames infesta. *Reliquis casibus*, ait lib. 3. c. 3 Vegetius, *potest in tempore subueniri: pabulatio & annona, opsidi ad vsum anni totius, in aceto, frumento, lardo, atque hordeo & palea condita habebat*, inquit in Gordiano Capitolinus. Quomodo verò frumentationi huic vacare Iudæi potuerunt, cum supra cap. 2. ἐν ταῖς θερισταῖς ἦν τὰ πεδία αὐτῶν πεπτερισμένα. *Nam ipsorum agri recens demessi erant.* Idem verò textus aliam etiam *duo* admonet. *Vnum* ver. 3. cur sibi & templo tantopere Iudæi timuerint, sed capite sequenti hoc explicandum. *Alterum*, quæ speciatim loca fuerint, ad quæ Hierosolymitani ver. 3. miserint, præter Samariam. videlicet κώμας, βαιθωρὼν, βελμὲν, ἱερεχὼ, χωβὰ, κισωφὶ, αὐλὼν, Σαλὴμ, *Vallis Salem.* Complutensis tamen editio primo loco legit κώμας, secundo βαιθωρὼν, sexto ἰεσωφὶ. Rursum ver. 5. dicit Ioacimum scripsisse Bethuliam incolentibus, & Betomesthaim, quæ ex aduersum est Esdreloni, in facie campi, qui est iuxta Dothaim.

QVÆSTIVNCVLA PRIMA.

Quis Eliachim hic?

HOc in capite dicitur *sacerdos* simpliciter, ver. 6. & *sacerdos Domini Magnus*, ver. 11. At cap. 15. ver. 9. *Ioachim summus Pontifex.* Eundem verò esse qui duobus nominibus vocetur, intelligi potest: *primo* quidem ex eo quòd in Græco bis hoc loco sit, Ἰωακὶμ ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας. Deinde quòd in aliis etiam hominibus videamus, eum qui horum nominum alterum haberet, altero quoque insigniri. Nam Iosiæ filius. Rex post illum secundus, & *Eliachim* & *Ioacim* dictus est lib. 4. Reg. 24. Verùm etiamnumerò in Hebræorum Pontificum catalogo vnus tantum à Iosepho Ἰωακὶμ nominatur lib. 11. cap. 5. qui vt paulò pòst dicam, Iesu filius. & rursum vnus Ἰακὶμ ponitur in libro vit cap. penult. is ipse, qui in Machabæorum libris *Alcimus* dicitur. Philo igitur ille, prolegomeno secundo citatus, esse censet Iosedechi filium, qui alio nomine apud Zachariam cap. 3. *Iesus*, Nehemiæ 12. *Ioiar.* Ab

istud suprà euersum, cum historiam istam priusquam Babylonica euenisset captiuitas, euenisse dictum est. Deinde multò commodiùs *Ioacimus* Iesu istius filius, vt apud Lyranum & Carthusianũ à quibusdam fit; constitueretur. de quo Nehemiæ 12. ver. 10. & 26. & apud Iosephum libro 11. cap. 5. Bellarminus verò lib. 1. de verbo cap. 12. rectè hunc Pontificem fuisse docuit Manassę temporibus, inter Sobnam, qui fuit Pontifex tempore Ezechiæ, Isaiæ cap. 22. ver. 15. & Helciam, qui fuit tempore Iosiæ, 4. Reg. 24. vers. 9. & 14. Nam ita olim etiam tradidit in Chronologia sua Nicephorus Cõstantinopolitanus, & peruincit Isaiæ textus cap. 22. Pontificis enim ornamenta & insignia Sobnæ illi detrahenda, & in Eliachimum transferenda dicuntur, *tunica, balthem*, seu vt à 70. vertitur, *stola, corona gloriosa, potestas, patris nomen & auctoritas* in Iudæos omnes, *claues domus Dauid super humerum*, & alia quæ imago & vmbra quædam fuerunt summæ CHRISTI Domini potestatis, Apocalyp. 3. ver. 7. in domo Dauid, quæ est Ecclesia, *columna & firmamentum veritatis*, 1. Timoth. ver. 15. Ad hæc, quæ contra differit Wittakerus; plumę instar habent. *Bellarminus* (ait) *non attendit illum Eliachimum, de quo in Ezechia historia legimus, non sacerdotem fuisse, sed præfectum aliquem, de tribu Iudah & familia Dauidis, vt Esaie 22. & 2. Reg. 18. Successit enim Sobnæ, qui fuit aut Scriba regius, vt aliqui vertunt, aut Cancellarius, vt alij, aut præfectus prætorio; vt alij. Sicerdos nec fuit, nec omnino esse potuit.* At bene quidem attendit Bellarminus: tu verò planè vel dormitas, vel somnias. Nam & 70. Interpretes, vt sacerdotem Sobnam, seu vt ipsi vocant Somnam, indicarent, sacerdotalem ei domum fuisse dixerunt. eamque τὸ ἀσοφόριον vocarunt. Templi siquidem exedras ita nuncupatas dixi 3. Reg. cap. 7. & dicam 1. Machab. 4. D. Cyrillus in hunc Isaiæ locum breuiter, *Pastophorium*, ait, *est cubiculum eius, qui templo præpositus est.* Diuus Hieronymus ibidem; *est thalamus, in quo habitat præpositus templi.* An in sactis tẽplis politici Scribæ, Cancellarij, Prætores habitabant? Certè templorum, eorumq; thesaurorum custodes etiam Horapollo lib. 1. cap. 41. ἀσοφόρους nuncupat. Quid quæ pręposita insignia? Num in ciuiles aut Scribas, aut Cancellarios, aut Prætores congruunt? Quamquam tot ista, quæ è recepta versione discedunt, inter se perpetuò dissident. D. Cyrillus loco citato; cum quæsisset, an Sobna quæstor esset regiarum, an sacrarum pecuniarum. *Videtur*, ait, *potius sacræ pecuniæ colligendæ, & rebus necessario; & vtiliter interdum ad restaurationem sacrorum vasorum expensis præfuisse. Narrant etiam illum ex sanguine Leuitico esse, & sacerdotij ornamentis insignem habitum fuisse.* Iterumque posteà: *Cum autem abductus esset & ipse in captiuitatem* (cum Manasse scilicet) *sacerdotij ipsius corona ablata est.* Et posteà: *Contra Somnam quæstorem, sacerdotij quidem dignitatem consecutum fertur Isaiæ narratio.* Ad ista si attendisset Wittakerus, num Sobnam sacerdotem negasset? Pergit verò de Eliachim S. Cyrillus, *Quod sacerdotij, ait, honorem ei collaturus esset* DEVS *perspicuum facit, cum se coronaturum illum pollicetur, & cum dicit, se togam ei daturum, & dispensationem, & porestatem, id est, vt possit subditis manu sua populis imperare.* Sunt & in Procopio, quæ hisce astipulentur. Sed D. Hieronymus cum Sobnam *quæstorem & dispensatorem thesaurorum domus* DEI dixisset, *Transferet*, ait, *Dominus sacerdotium tuum. Et qui quondã habebas* CORONAM PONTIFICIS, *& sanctificationẽ in auri lamina, in qua erat scriptum nomen* DEI, *coronaberis tribulatione & angustia.* Videmus ergo quemadmodum tam Sobna, quam Eliachim sacerdotes fuerint, maximæ quidem ambo, cum ista Isaias vaticinaretur, in templo dignitatis: posteà verò Pontificis. & deiecto, inque captiuitatem vnà cum Manasse Rege abducto Sobnæ, bonum sanctumque nostrum Eliachim succelisse. Neque tam felix fuit idem Sobnæ, vt cum Rege pœnitentiam ageret, Domini misericordiam imploraret, Hierosolymamq; tandem rediret: sed in vinculis & ferro mortuus est. Isaiæ 22. versu 18. Addo verò, etiamsi hos Regis Scribas, aut Cancellarios, aut prætorio præfectos fuisse, quasi conniuendo; daremus, exinde tamen haudquaquam effici sacerdotes non fuisse. Nam huiusmodi etiam munia interdum obibant illius temporis sacerdotes, prout contra Wittakerum, furinæ alioquin eiusdem homo, docet Cornelius Bertramus lib. 1. de Republica Iudæorum. Mutit tamen adhuc nescio quid Wittakerus. *Iosephus* (ait) *lib. vlt. de antiquit. Iudæorum; recensens omnes Iudæorum Pontifices, nullum aut Eliachimum, aut Ioachimum circa hæc tempora nominat.* Et hic iterum non attendit iste quid dicat. Non enim illic, libro scilicet 20, cap. 8. recensetIosephus omnes Iudæorum Pontifices: sed aliorum summa contentus, eorum tantùm edit nomina, qui ab Antiocho Eupatore fuerant. Quia tamen, vt ipse antea obiiciebam; eorum, qui à Salomonis tempore, vsque ad captiuitatem Pontificatum gesserunt, nomenclaturam proponit lib. 20. cap. 11. Iosephus, cur in iis Ioachimus nullus? Ego quidem in Machabæis ostendam vacillare aliquantulum Pontificias istas Iosephi recensiones, nunc tamen dico, Eliachimum esse, qui vel ὠδάκης vel Σαλδὴμ ab illo vocatur. Sed habeat Wittakerus illius etiã rei, è suorum numero, testem aliquem. Reineccius Tomo 2. fol. 255. *Sadocus*, ait, *absque dubio Eliacimus est & posteà: Sadocum secundum sub Ezechia & Manasse, ipsum esse* ait, *qui è Iosepho Odeus, à Nicephoro Callisto Ioas, à Niecphoro Constantinopolitano Eliacim vocatur.* Si verò veterem Russianam Iosephi versionem legas lib. 10. cap. 5. inuenies quidem *Heliachim* Iosiæ tempore. Sed neque iste noster est: neque in Græco Iosephi textu est *Heliachim*, sed Ἐλιακίμ. qui 4. Reg. 22. *Helcias*. cuiusmodi etiam nomen Eliachimi nostri patri fuerat, Isaiæ 22. ver. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA II.

Cur Pontificis tanta, Regis nulla vsquam mentio?

EXPEDITA eorum responsio est, qui Persicorum Regum temporibus historiam istam annectunt. Nullus, inquiunt, Iudæorum Rex tùm erat, ideò nulla eius mentio. Qui verò ante illa corpora eam collocant, hoc de Rege silentium vel Iosiæ regnantis pueritiæ, vel Manassæ capti & absentis vinculis ascribunt. Mihi verò, cum Bellarmino videtur probabilius; post emissum liberatumque Manassen, bellum hoc totum exarsisse. *Primo* quidem propter ea, quæ cap. 1. quæst. 2. dicta sunt. *Deinde* quia cap. 5. ver. 23. dicitur: *Nuper reuersi ad Dominum* DEVM *suum ex dispersione, qua dispersi fuerant.* Quæ verò ante illas sub vltimis regibus captiuitates dispersio Iudææ tribus alia, quàm Manassæa? Rege siquidem capto, & Babylonem abducto plurimi cum eo simul capti & abducti. & in his, vt suprà dictum est; Sobnas Pontifex maximus. *Tertio* in Græco huius ipsius capitis contextu causa, cur ab Holopherne adeo Iudæi trepidarent, hæc affertur v. 3. ὅτι πρόσφατος ἦσαν ἀναβεβηκότες ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας. *quia recens e captiuitate ascenderant.* Et nota illud πρόσφατος. Significat enim temporis non valdè multum elapsum, vt infrà, cum ver. 4. dicuntur. πρόσφατοι *recenter agri demessi. Quarto* infra cap. 8. ver. 18. magna populi emendatio significatur. *Non fumus*, ait Iudith, *secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt* DEVM *suum, & adorauerunt Deos alienos, pro quo scelere dati sunt in gladium & in rapinam, & in confusionem inimicis suis. Nos autem alterum* DEVM *nescimus præter ipsum.* Et Græcè adhuc significantius: Οὐκ ἀκέκοφεν ἐν ταῖς ἡμέραις ἡμῶν, οὐδὲ ἔστιν ἐν τῇ γενεᾷ ἡμῶν σήμερον ὅτι φυλὴ ἢ πατριὰ, ἢ ὄγδοα, ἢ πόλις ἐξ ἡμῶν ἐν θεοποιοῖς χερσὶν ποιήσασα θεοὺς χειροποιήτους, καθάπερ ἐγένοντο ἐν ταῖς πρότερον ἡμέραις. *Non surrexit in generationibus nostris* (apud Bethulienses scilicet) *neque est hodierno die aut tribus, aut familia, aut populus aut ciuitas ex nobis, qui adorent Deos manufactos, sicuti factum est prioribus diebus. Quinto* conuenientiùs explicantur omnia, dum hoc post Manassæam pœnitentiam & liberationem, tempus accipitur, prout partim vsque adhuc apparuit, partim quirendum. Bellum enim, & graue profectò periculosumque bellum instat. Nonne Regis potius quam Pontificis id ipsum gerere? regionis aditus & claustra omnia obserare? mittere, qui belli apparatum, murorum firmitatem, annonæ copiam lustrent, vigeant, conficiant? Accedit, quod ipso sit. cur non & Regis? ἐκολύσαν δὲ οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, καὶ ἐποίησαν αὐτοῖς ἱματίᾳ ὁμοίως, καὶ ἐγένοντο ἀπὸ πρωὶ ἕως ὥρας Ἰσραὴλ, ὃ ἐποίησεν ἐν Ἱερουσαλήμ. *Fecerunt filij Israel secundum ea, quæ præscripserat ipsis Ioacim sacerdos magnus, & Senatus totius populi Israel, qui sedebant in Hierusalem.* Meminit eiusdem Senatus infrà caput 11. ver. 12. caput 15. ver. 9. De Rege nihil vsquam. Sed *tripartita causa* est.

PRIMA, quòd reuersus Babylone Rex diuinoque beneficio, patriæ sibique ipsi restitutus, totus, & sub reditus initium maximè, in DEI cultu occupatus erat. adeò vt penes quos absente ipso stare fuerat Reipublicæ administratio, penes eosdem adhuc maneret: videretur; que regia sese potestate libenter abdicaturus, si vel illi voluissent, vel filium, quem in locum sufficeret; habuisset. Qui enim tertio & tricesimo regni anno ei natus est Amon, natus nondum erat. Et quia pessimè rem antea, pace belloque, gesserat, maior gratiorque apud eos, qui per varias aut Israëlis aut Iudææ partes habitabant; Hebræos, adhuc erat Eliachimi Pontificis & Seniorum auctoritas. Neque id ægrè Rex ferebat: quæ de maxima illius potestate, gloria, & principatu Isaias, quem ipse (vt in eiusdem Isaiæ caput 1. & 6. itemque epist. 142. ad D. Hieronymo, ex Hebræorum traditione. notatum est) interfecerat; vaticinatus olim fuisset, quàm cumulatissimè perfici omnia. Tandem verò periculi, è quo iam euaserat; admonitu, & belli huius, vt videtur, occasione, fecit, quæ 2. Paralip. 33. ver. 14. scribuntur; *ædificauit murum extra ciuitatem Dauid ad occidentem Gihon, in conualle, ab introitu portæ piscium per circuitum, vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer: constituitque principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis.* Stupendum verò tantam istam tamque salutarem Manassæ commutationem, in Regum libris omnino præteriri. Sed in 2. Paral. cap 33. & quæ post eam ab eo facta sunt; perstringi quàm breuissimè. Duos tamen, treue libros, in quibus copiosè ea omnia, & quæ ab aliis, eius tempore, gesta essent; descripta fuerint, annotari. Primus est, *liber sermonum dierum Regum Iuda.* 4. Regum 21. ver. 17. Alter, si tamen à priore iste diuersus, *liber sermonum Regum Israël.* 2. Paralip. 33. ver. 18. Tertius, *liber sermonum Hozai Prophetæ*, ibid. vers. 19. Qui si extarent, plurima quæ in Iudith ea hac historia caligine non parum haberent, diluescerent clarissimè. Exillo tamen secundi Paralipomenon libri segmentulo, & ex Iosepho lib. 10. cap. 4. iis, quæ de Manasse dixi, apud prudentes modestosque veritatis indagatores, probabilitatis quantum licet; nunc astruendum. *Primo* igitur *egit pœnitentiam* non quocumque modo, sed *vale coram* DEO *patrum suorum.* seu vt in Heb. ἐν θεῷ est, *humiliauit se valde ante faciem* DEI, *& deprecatus que est eum, & obsecrauit intente.* vers. 13. cap. 33. lib. 2. Paralip. & huius deprecationis iterata sæpius mentio, ver. 18. & 19. Non est autem existimandum, eam tantùm Manassæ orationem

fuisse

fuisse, quæ apocrypha circumfertur, & in Cõstitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 22. citatur: sed speciatim multa, quæ, ii liberaretur, ad DEI cultum & gloriam facere vellet; DEO promisit. In his verò præter illa quę eodem Paralip. cap. ver. 15. 16. recenientur, non malè quis annumeret, fore, vt Pontificis Eliachimi auctoritatem & potentiam ab Isaia prędictam non modo non imminuent, sed quãtum in se foret, amplificaret. Sacerdotum enim DEI honos, in DEVM nonne redundat? Agnouit, etiã Gentilis; Statius, cũ in libri quinti præfatione scripsit; *Qui bona fide* DEVM *colit, amat & sacerdotes. Deinde* ait Iosephus, τῶν μὲν παρ' ἕτερα ἁμαρτημάτων, τῶν περὶ τὸν θεὸν καὶ τὸν μόνον ἀληθῆ, εἰ δοκεῖ, καὶ αὐτῷ ἡμῖν τῆς ψυχῆς ἐκπλῆξαι. *Priorum, quæ in* DEVM *admiserat peccatorum eius in memoria, fieri ab eo si posset; ex animo eiucere studebat.* Multo ergo magis Isaiæ vaticinationi cedere, ipsumque Eliachim tanquam suum, communemque Iudææ totius patrem amplecti. Isaiæ 22. ver. 21. Alludit porro Iosephus ad Manassæ nomen, quod obliuiscentem, vel oblivione quidpiam conterentem significat. *Tertio*, ὥρμησε πάσῃ χρῶσθαι περὶ θεὸν θεραπείᾳ. *Magno impetu vt omni religion:* (bonâ siquidem in partem Græcum istud superstitionis nomen accipitur, sed ita, vt maximum religionis studium importet) DEVM *prosequeretur; seipsum incitabat.* Quæ & quanta paucis hisce verbis innuuntur? *Quarto*: πρὸς μόνῳ τῷ λοιπῷ ἦν. Hæc verò sunt adhuc quidem verba pauciora, non tamen tantum innuunt, sed pœnè clarissimè, quæ dicebam; demonstrant. *In vna*, inquit, *re, totum vitæ residuum, ipse occupabatur: in vna tantum re totus erat*: vnum solum deinceps, quoad vixit; agebat, studebat, conabatur. Quodnam verò istud? bella gerere? hostes propulsare? splendidè, magnificèque regnare? Non. sed hoc, χρῆσθαι τῇ τῆς εὐσεβείας ἐκλύσει τῷ θεῷ ἢ διαλῦσαι αὐτὸν ἐμμεῖναι πρὸς ἅπαν τὸν βίον. *& gratiã* DEO, *salutis recuperatæ causa referre, & benevolentem, propitiumque ipsum tot à vita retinere.* Quia igitur totius belli huius administrationẽ, sicuti & aliorum aliàs negociorum Pontifici & Senioribus concedebat, ideò isti soliciti sunt, & turbantur circa plurima. Manasses verò partem optimam elegit; quæ ab eo ablata non est.

ALTERA porro causa est. quòd semper quidem maxima summorum sacerdotum apud Iudæos, auctoritas fuerit, sed hoc Manassæo tempore, antequam Machabæi regnarent, omnium maximè. *Illud* ex 4. Reg. 11. Deuteron. 13. Numer. 27. prout in Iosuanis Sacerdotibus capite primo apertum, manifestum est. & verò etiam ex Iosepho lib. 2. contra Apionem, κἂν πολιτικῶν καὶ ἐνδημίων κρίσεων τὰ μεγίστα τοῖς ἱερεῦσι διακῶν ἐπιτρέπει. τῷ δὲ πάντων ἀρχιερεῖ πάλαι πεπίστευκεν τὸν τῶν ἀλλων ἡγεμονίαν. *Iudaica*, ait, *Reipubl. constitutio communiter sacerdotibus vt maxima quæque administrent, committit. Omnium verò Pontifici aliorum rursus sacerdotum principatũ demandat.* Breuiter verò, *sacerdotes*, inquit, *sunt exercituum ducibus, & magistratibus, & senatui, & populo, & omnibus in vniuersum, & singulis ciuibus, & peregrinis. Inspectores omnium, iudices eorum quæ ambigua, vindices eorum quæ damnata.* Et ex hac tanta sacerdotum potestate ac dignitate, colligit ille id, quod mihi antea dictum; summam Israëliticæ Reip. sanctitatem esse. in eaque DEI honorem maximè florere. *Posterius* verò, quod aiebam, Manassæo tempore, maximam Pontificum auctoritatem fuisse, intelligi potest ex quatuor. *Primò* ex Regis ipsius excellentissima iam religione ac demissione, prout expositum. *Secundo* ex communis boni vtilitate, cumvt magnatum rerum summa penes Eliachimum esset, populo secundissimo fieret, vt antea etiam indicatum. *Tertio* ex Isaiæ, vatis profectò summi, & cuius in omnium animis recentissima viuebant adhuc oracula; præfictione de Eliachimo hoc, Isaiæ 22. ver. 20. *Quartò* & postremò ex summa Eliachimi eiusdem sanctitate, sapientia, rerumque gerendarum industria & felicitate. Hæc enim iam inde à Sennacherib tibi temporibus vniuerso populo erat perspectissima, 4. Reg. 18. ver. 18. 26. 37. cap. 19. ver. 2. & maxima illustrissimaque suarum illatum virtutum documenta dederat, cum & Rex, & Pontifex alter, catenis onusti, Babylone, tenerentur.

TERTIA causa esse potest, quòd quemadmodum suprà ex 2. Paralip 33. ver. 14. dictum est; Hierosolymam sibi tuendam, mœnibus, propugnaculisque nouis communiendam Rex forsan ipse sumpserit: prouinciam verò cæteram aliis commiserit. Sed, præ omnibus, ipsi Pontifici & Senatui, per quos & ipse illam gubernare potuit. *Literarum* autem à Pontifice missarum potest *alia & quasi propria esse ratio*, quòd nimirum earum argumentum esset, non militare tantùm & politicũ de montium faucibus occupandis, sed sacrum etiam & religiosum de precibus, ieiuniis & ciliciis priuatim publicèque suscipiendis. Nam cum de occupatis iam montibus dixisset versus tertius, & ad eam occupationem Pontificis tantùm cohortatio subiuncta esset, ver. 5. & 6. tandem ver. 7. additur; *Et fecerunt filij Israel, secundum quòd constituerat eis sacerdos Domini Eliachim.* Atque, vt quod ille constituerat, vberius deinceps explicaretur, sequitur ver. 8. *Et clamauit omnis populus ad Dominum.* Rursumque postea ver. 12. & 14. dicitur, *si perseueraueritis in hoc opere, quod cœpistis.* Nam ad continuanda pietatis opera hortabatur, ad quæ inchoanda hortatus antea fuerat. Sed ad ea gradum, veram faciamus, propositus antea ordo hortatur.

De diuinorum præsidiorum adhibitione.

QVÆ contra tantum hostem, hominum adhibuerit industria, expositum est; diuina nũc sacraque præsidia inuenda. quæ tamẽ non ideirco posteriùs recensemur, quod posteriùs adhibita fuerint; sed quod maiora, meliora, ideoque & copiosiore oratione commemoranda. quemadmodum

Universidad de Deusto
Biblioteca

& in pijs Manassæ operibus fit. 2. Paral. ver. 15. Nam Iosephus lib. 10. cap. 4. religionem priùs, quam vrbis munitionem ab illo procuratam ostendit, cum scribit; διοικησάμενος δὲ τὰ περὶ τὴν θρησκείαν ὃν ἔδει τρόπον, καὶ τὸ τῶν ἱεροσολύμων ἀσφαλὲς προενόησεν. *Cum quæ ad* DEI *cultum spectant, procurasset eo quo oportet modo, & Hierosolymorum securitati prouidit.* Possunt præterea opera ista simul fieri, & simul tamen referri non possunt. ideoque eorum quæ tempora simul, vnum tamen, in narratione, prius altero esse debet. Accedit, quòd, animo & voluntatis præparatione, quædam pietatis opera priùs interdum suscipiantur, quæ tantisper tamen differenda, dum humanum opus quodpiam, è cuius accelerationependet plurimùm; efficitur. *Duplex* verò hic operum istorum *cōsideratio* proponitur: *Vna* circa eorum susceptionem versatur: circa perseuerantiam altera.

In *priore* considerandum quid agant Israelitæ: qui ex iis agant; quomodo agant & cur. *Primum* indicatur hisce verbis, ver. 8. & seq. *clamauit omnis populus: humiliauerunt animas suas in ieiunijs & orationibus: induerunt se cilicijs; infantes prostrauerunt contra faciem templi Domini: altare Domini operuerunt cilicio: clamauerunt ad Dominum* DEVM *Israel.* Vbi verò illi sunt, quibus sola semper in ore fides, nec in opere tamen vlla? Vbi mundi huius sapientes & politici, quibus, in armis, hastis, & mœnibus spes omnis? Vbi scurriles rerum sacrarum Momi, qui pios piorum ad DEVM gemitus, planctus, confessiones, cilicia irrident? Vbi denique molliculi & delicatuli oratores, qui vel in grauissimis Reipubl. Christianæ malis, in suorum etiam non leuium peccatorum expiatione, vnum aut cilicium aut ieiunium ferre vix possunt? Eò sanè tanta ista, tamque supina salutis vel securitas vel negligentia processit, vt nostris in Nundinis, cum serici, byssi, omniumque superbiæ, luxus & luxuriæ instrumentorum copia prostet maxima, vix cilicium vsquam vnas pauculas inuenire liceat. Sunt verò *duo* hic insignes *ritus* notandi. *Vnus*, infantes ipsos prosternendi coram Domino, siue è regione ipsius templi Domini. Ipsa ætas ad ciendam misericordiam per se ipsam idonea est; sed & innocentia DEO gratissima. *Ego*, ait Dominus Ionæ 4. ver. 11. *non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt inter dexteram & sinistram suam.* Prosternuntur verò & hodie, quando Ecclesiæ ad sacrum Baptismatis & Confirmationem offeruntur, quando ad templa & solennes supplicationes adducuntur, quando DEVM precari, manus in cœlum tollere, genua flectere, cruce seipsos consignare, sacra omnia venerari docentur, & in iis exercentur. In Græco, dicuntur ipsi pueri seipsos prostrauisse. sed vtrumque factum. Nam aliorum institutio, iussus & exemplum præuit; ipsi deinde sequuti sunt. Quemadmodum in parentum reorum iudicijs aliisque periculis, plurimum apud Iudices, aliosque rerum potitos, infantulorum aspectus frequenter valuit; ita & coram diuinæ maiestatis, ad eius auertendam iracundiam, tribunali. Simile quid 1. Machab. 3. vers. 46. & sequentibus, occurret. *Alter* verò ritus est, operiendi altare cilicio. Quemadmodum ad gratias DEO agendas festa & læta organa, sacrificia, palmæ, aliaque id genus adhibentur: sic ad misericordiam, rebus aduersis, conciliandum, tristia & mœsta rectè adhibentur. Atque hinc in Ecclesiæ cæremonijs, pro temporum varietate, tam opportuna tamque vtilis immutatio. Cessat interdum *alleluia*, cessat *Gloria in excelsis*, cessant nuptiarum celebritas. ieunia suscipiuntur, à carnibus abstinetur, obteguntur imagines, ponantur, aut velentur, equi etiam pullentur, & ad animi coram DEO humilitatem ostendendam & excitandam ieiunationes, prostrationes, atrationes improbentur? Addit Græcus textus ἐπισυνάξαι τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ ἔξεπτυναν τὰς σάκκους αὐτῶν κατὰ πρόσωπον κυρίου. *Conspersérunt capita sua cinere, & expanderunt saccos suos ante faciem Domini.* Puluis ea illa conspersio, vt in scripturis frequenter nominatur: ita etiam interdum solo humiliationis nomine continetur. Vnde supra vers. 8. habet idem Græcus tantùm ἐταπείνουν τὰς ψυχὰς αὐτῶν. *Humiliarunt animas suas.* Sed & illæ ritus, cilicia siue saccos coram Domino protendendi, notandus. Omnia enim ista luctum, nobis æternus DEI filius affixit, humiliauit, in pretium & satisfactionem dedit, non prætenda ediderunt; reliquias, vestes, & cilicia non proferamus, & coram Domino extendamus? Idcirco sanè, vt apud D. Hieronymum est in vita Pauli; S. Antonius *diebus solennibus Paschæ & Pentecostes semper* eiusdem *Pauli tunicæ vestitus est. quam in sportarium* scilicet *modum, ut palmæ folijs ipse sibi contexerat.* S. Paulus. *Alterum* erat, qui ex Israelitis hæc egissent. Iam pænè audiuimus; *omnis populus.* Sed tamen in Latino & Græco istud tam vniuersale particularius adhuc proponitur: primò quoad sexum. *ipsi & mulieres eorum*, ver 8. Deinde quoad statum. *sacerdotes* & laici, versu 8. Tertiò quoad ætatem in Græco, non adulti tantùm, sed ἡλικίαι etiam. id est, *infantuli, & κωφὰ παιδία pueruli. Quarto*, quoad conditionem; non liberi tantum & domini, sed serui etiam & famuli, qui quidem sunt οἰκογενεῖς vel ἀγοραῖοι, mercenarij, vel coempta mancipia. *Quinto* quoad patriam, non indigenæ tantùm & ciues, sed exteri etiam & inquilini, qui adessent, & προσήλυτοι vocantur. *Sexto* non homines tantùm, itaque omnis generis, sed ἄλογα etiam, brutæ animantes ieiunare, mœrere, DEique misericordiam ciere debuerunt. Assyriorum, contra Assyrios, renouatum exemplum. Illorum enim Rex clamauit & dixit in Niniue Ionæ 3. ver. 7. *Homines & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad*

Dominum

Dominum in fortitudine. Licet verò cogitare, quis vrbium, vicorumque status, quam tristis & lugubris facies fuerit, dum non ploratu tantùm, sed boatu etiam, hinnitu, balatu, gracillatu, latratuque omnia mœstissimè complerentur. Sed valdè mirum, ea ipsa tanta & tristitia & mœstitia DEVM oblectari, placari, & propitiari. Quin potius, rectè ratiocinari ii volumus; hominum animo pio, humili, reuerente, vnde cæremoniarum omnis hæc series; oblectatur ille, placatur & propitiatur. *Et vidit* DEVS, ait Ionas loco citato, ver. 10. *opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est super malitia quam locutus fuerat, vt faceret eis & non fecit.* Magna siquidem vis in illo, *quia conuersi sunt.* Dices tamen, cum initio Manassæ peruersitas impietasque tanta fuerit, *cur pœnitentiæ* reditusque ad Dominum, eiusque fidem & cultum *nulla* hic *mentio? Respondeo*, mentionem ideò nullam esse, quia pœnitentia illa hoc in tempus non incidit, sed statim atque rediit Manasses; omnis Hierosolymis exterminata impietas & idololatria. 2. Paralip. 33. ver. 15 16. Deinde verò, vt discamus non ea tantū, quæ necessariò facienda & præcepta sunt: sed velint nolint supererogationis hostes; alia etiam bona & religiosa, quæ sponte suscipiuntur; diuinæ bonitati grata esse hominum opera. Patet verò ex istis etiam omne hominum genus, ætatem, sexum, ordinem diuino cultui aptum esse; placere DEO virorum, fœminarum, sacerdotum, laicorum, senum, puerorum, diuitum, egentium, ciuium, & vrbanorum, rusticorum & peregrinorum pias preces, agmina, obsequia. Non est, quoad veram fidem & religionem, *Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scytha, seruus & liber. Sed omnia & in omnibus* CHRISTVS, Coloss. 3. ver. 11. Mysticè verò D. Hieronymus in Ionæ caput 3. *homines & iumenta sacciscoperta & clamantia ad Dominum*, esse dicit *rationabiles & irrationabiles, prudentes ac simplices. Tertium* porro est, quomodo hæc isti egerint. Ipsa, quæ ante posita sunt, clamandi & humiliandi verba suum ferè modum secum afferunt. Qui enim clamat, magnum præ se desiderium fert. Qui se humiliat, è sublimiore sese loco, existimatione celsiore, ornatu eminentiore demittit. Tria tamen adhuc in textu sunt, quæ insignem tam laudatarum alioquin actionum modum ostendant. Primum ver. 8. *instantia magna.* ἐν τάξει μεγάλῃ contentione, cura, studioque magno. & repetitur hoc in Græco pro in ieiunijs & orationibus. Vacamus interdum quidem precibus, sed nulla vel exigua cura & studio ieiunamus, sed instantia non magna cilicio amicimur, humilesque efficimur. Sed, quemadmodum Ennianus ille Meopotemus; paucis, incuriosè, remissè. Alterum vers. 10. *vnanimiter.* ὁμοθυμαδὸν, vt nulla inter eos esse dissentio; nullum de hisce faciendis aut non faciendis certamen. Fit enim nonnunquam, vt si à magistratibus, Ecclesiasticis præsertim, quidpiam decernatur, quod molestiolæ aliquid habeat, verbi causa, indicatur ieiunium, litania, templorum obitio; inueniantur, qui contrà disputent, neque id genus præcepta satis probent. Isti verò vno animo, magno & sensu & consensu, concorditer, dura & carni suæ ingrata omnia, quæ voluit Pontifex, fecerunt. Hanc particulam vertit noster Interpres Actorum 2. v. 1. *pariter. Erant omnes pariter in eodem loco.* ὁμοῦ, vti putat Erasmus; legerit: parum enim congruit ei quod additur ἐπὶ τὸ αὐτό. sed quod qui concordes sunt, ij pariter etiam sint. Græcus verò non contentus isto ὁμοθυμαδὸν, rursum ἐν ἑνὸς adiecit, vt vehementem semper curam significaret. Tertium est v. 17. *ex toto corde suo*, Græcè ἐκ πάσης ἰσχύος αὐτῶν *ex omni virtute*, tota vi & faculrate. O si & nos sic orauerimus, quos non Assyrios, barbaros & Turcas, quas non dæmonum, carnis mundique appetitiones propelleremus! *Postremum* verò eorum, quæ ante posita; est, cur hæc isti, & istis quidem iam expositis modis, egerint. Quinque verò causæ traduntur, ver. 10. sed ita claræ, vt tantùm monendum sit *in diuisionem* dici, pro *in direptionem.* Id enim est εἰς προνομήν. Et post *opprobrium*, additur Græcè, *ne gaudium simus Gentibus*, dum scilicet nos vincunt; nostraque diripiunt, & quemadmodum infra cap. 7. ver. 21. dicunt, *Vos estis* DEVS *eorum?* Omnes verò istæ causæ vna generali continentur. ver. 17. *vt visitaret* DEVS *populum suum Israel.*

Consideratio *altera* circa perseuerantiam quæ in hisce pietatis operibus fuit; versatur. Et primo quidem ad hanc Pontificis adhortatio fuit, non iam absentis & per literas, sed præsentis & per propriam vocem. Præclarum Episcopis omnibus exemplum dat Eliachimus diœceses visitandi, oues cognoscendi, consolandi & adhortandi. neque tantùm cum pax & rerum omnium tranquillitas est, sed etiam cum turbæ, pericula, calamitates. *Circuiit omnem Israel* Non vrbem, non pagum, non castellum, quo ad licuit, prætermittit, *allocutusque est eos.* Alloqui Latinis valet non alicui tantum loqui, sed consolari etiam. vt ex Varrone lib. 5. de ling. Lat. Horatio epod. 13 Catullo epigr. 30 docent literati. Consolatio vero & adhortatio magna vtique Israelitis omnibus, ex Pontificis tanti præsentia & aspectu, fuit. propriè tamen consolatio ex secuta boni euentus prædictione, ver. 12. adhortatio ex necessariæ conditionis expositione. *Si manentes*, ait, *permanseritis in ieunijs & orationibus in conspectu Domini.* Volumus interdū boni quidpiam, sed incepere nolumus; incipimus, sed statim desistimus, minimū nos laboris terret. adeò molles ignauique sumus. Ad perseuerantiā verò istam hortatur etiam Dominus Lucæ 11. parabola eius, qui, vt commodato panes impetraret, amicum *media nocte* ad se cum domi suæ clausum, in lecto cubantem, dormientemque iam & sternentē excitat: difficilē, durum & immunificum diu multumq; orat, obsecrat; excusantem se, tergiuersantē & cunctantem, perseuerantia tandē sua, in panarium pertrahit, ab eoq;, quotquot habet panes necessarias aufert. Rursumq; alia parabola cap. 18. vbi & concludit, *Audite quid iudex iniquitatis dicit.* DEVS *autē non faciet vindictam electorū suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiā habebit in illis?* Posset verò queri,

Universidad de Deusto
Biblioteca

An prophetico spiritu, an pia tantum fiducia, dixerit Eliachim, Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras.

CVM tot piæ sanctæque precationi facta diuinitus promissa sint, eaque in diuinis libris tanquã in tabulis consignata, ex fide quę circa diuinam veritatem, bonitatem & potentiam occupata; videtur eius, quod petitur, impetrandi tanta existere posse fiducia, vt certò possit quilibet precantibus dicere: *Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras*, maximè quando conditio apponitur, *si manseritis permanseritis in ieiunijs & orationibus in conspectu Domini.* Hoc enim velle S. Iacobus videtur, dum capite 1. ver. 6. ait, *Postulet in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento monetur & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.* Econtrario tamen certò felicem belli huius euentum polliceri non videtur Eliachimus potuisse, nisi prophetica ei præsagitio esset. Nam *primo* quod perebatur, eiusmodi erat, vt ad salutem præcisè necessarium nõ esset. Quidquid autem huius generis est, potest, ob maius aliud, quod dare DEVS vult; bonum non impetrari, etiamsi & in precatione studium & perseuerantia insignis adhibeatur. *Deinde* ob ea, quę hactenus à Manasse, aliisque Regibus & à populi parte non parua in DEVM, eiusque religionem & legem commissa erant, poterat iustissimè iam DEVS facere, quod, pro clementia & benignitate sua, in Sedechię tempora differre adhuc dignatus est, vt Hierosolyma caperetur, templum inflammaretur, iud ea tota peruastaretur, vt intelligere videntur, qui infrà cap. 7. ver. 29. aiunt, *Peccauimus cum Patribus nostris. Tertio*, possent iam, in tanta hominum multitudine, aliqui esse Achanes, Iosuæ 7. aliqui Ionathę, 1. Reg. 14. Iamnicensium anathematum depeculatores aliqui, 2. Machab. 12. aliqui inquam occulti peccatores, quorum gratia, nollet aliorum, de temporibus commodis, preces exaudire DEVS. Ita sanè res habet. Quemadmodum aduersorum prophetię quędam prædestinationes non propheticæ, sed è spe fiduciaque magna profectæ. & eæ veræ, cum adiunctam semper vel expressè vel tacitè conditionem habeant; *nisi quid aliud obstiterit.* Et isto modo loqui potuit Eliachim. Prophetico tamen spiritu hæc effatum, persuadere videntur & prophetica eius commendarata omnia dicere et; grauis, constans, apertus.

Cæterum consolationem, quam hortationem suam illustrissimo, è vetere memoria, exemplo confirmat, ver. 13. vbi de Moyse quod; *non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando deiecit*; verissimum. Licet enim, quæ per alios facimus, facere ipsi dicamur, vt ait Iurisconsultus: suprà verò iam DEVM tantummodo rogauit: neque qui in acie pugnabant, ferro plus, quam vnius Moysis precibus profecerunt. Scriptum quidem est Exodi 17. vers. 13. *Fugauit Iosue Amalec: & populum eius in ore gladij*, eam tamen victoriam precibus potius quam gladijs & bellatoribus tribuendam, indicat ibidem versus 11. *Cum leuaret Moyses manum, vincebat Israel: si autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Et paulò post, cum dictum esset, *Factum est, vt manus eius non lassarentur, vsque ad occasum solis*, plum hoc proposituris Eliachim, ait, *Memores estote.* Dominus enim, vt in omnem posteritatem vigeret, semperque viueret modi, quo victoria hæc parta esset, memoria; Moysi dixerat illic ver. 14. *Scribe hoc, ob monumentũ in libro, & trade auribus Iesu.* Credamus verò & nobis, in tot tantisque contra Turcas, aliosque omnes Christianæ fidei hostes, bellis, ab Eliachimo nostro acclamari: *Memores estote Moysi serui Domini.* Faciunt verò id Pontifices, quoties literis, indulgentiarũque largitionibus, rea pulsari, sacra heri, processiones haberi, eleemosynas dari, pœnitentiam agi præscribunt. Sed Pũnem eius deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini: ita vt etiam hi, qui offerebant Domino holocausta præcincti cilicijs offerrent sacrificia Domino, & erat cinis super capita eorum. Boni verique isti ętitate præeunt, cilicia non abditè tantùm & obuelatè, vt Samaritanus ille Rex. 4. Reg. 6. ver. 30. scilicet numero erant, quorum causà, DEVM amice terram zelatum, populoque pepercisse scribit cap. 2. Propheta Ioel; *inter vestibulum & altare plorabant sacerdotes ministri Domini, & dicebant: Parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eu nationes: Quare dicunt in populis: Vbi est* DEVS *eorum?* Christianus pulsque sacerdos, etsi dum sacris operatur; vestem, arbitratu suo, maioris in Ecclesia ordinis, decorique causa, mutare non potest, si rectè tamen iudicabimus, dum alba veste, casula, stola, cingulo, manipulo, cæteroque omni apparatu, CHRISTI IESV pro nobis passi, veste pænè histrionia irrisi, ligati, flagellati, crucifixi speciem ante omnium ponit oculos, nonne sacco veluti præcinctus, CHRISTIque Domini puluere fœdatus, vinculis astrictus, sanguine aspersus videtur? Verum non fuit sacerdotum solorum laus, vt Pontifici obedirent, in bonisque institutis perseuerarent, sed & totius populi ver. 17. *Ex toto corde suo* OMNES *orabant* DEVM, *vt visitaret populum suum Israel*: Græcus textus etsi Pontificis peregrinationem non reiu-

lit,

lit, eam tamen quam suo ipsius exemplo consolationem & exhortationem fecit; recitat. simulque sacerdotum, eum pereuntem consequentium, facta paulò pluribus explicat. *Ioachim*, ait, *summus Pontifex, atque omnes, qui coram Domino stabant sacerdotes, ceterique qui Domino ministrabant, saccis lumbos suos accincti offerebant iuge illud holocaustum, & vota, & voluntaria populi donaria. pului; que super eorum cidares, seu mitras erat. & clamabant ad Dominum ex tota virtute sua, in bonum* hue, *vt ad benefaciendum & subueniendum visitaret omnem domum Israel.* De populo verò paulo antè dixerat idem textus: *Populus erat ieiunans dies complures in omni Iudæa & Hierusalem ante faciem sanctorum Domini omnipotentis.* Sed quomodo κατὰ πρόσωπον τῶν ἁγίων, *ante faciem sanctorum?* Nam cum sancta ista Hierosolymis tantum essent, quomodo, qui in cætera Iudæa tota erant, coram hisce sanctis ieiunabant? Imò, qui Hierosolymis etiam versabantur, *quomodo ante sancta* eadem *ieiunare dicebantur?* Sanè ad Hierosolymitas tantum possunt sancta isti referri. & coram iis ieiunare dicuntur, quia ieiunij diebus precationi maximè vacabant, pæneque in templo assidui commorabantur. Si ad alios verò, qui, extra Hierosolymam, aliis in locis habitabant, sancta etiam ista referantur, dicendum *dupliciter* solitos eos ante ipsa similiter orare ac ieiunare. *Primo* quidem, quia habebant synagogas, seu προσευχάς, in quibus & quædam templi similitudo erat, dum pro sancto sanctorum & arca, in qua decalogus; erat ipsis locus, in quo lex asseruabatur, vti & hodie in eorum Synagogis videmus. Ad has ipsi, dum preces & ieiunia indicerentur; conueniebant, vti clarum ex historia illa, quam de Jonatha & seipso, lib. de vita sua refert Iosephus in Tyberiadensi proseucha. *Deinde* cum horum aut nihil habebant, aut domi certè precabantur, ad templum & sancta sanctorum sese conuertere solebant, Danielis 6. ver. 10. Habent igitur hoc in capite viri & fœminæ, pueri natuque grandiores, plebeij & laici omnes, Ecclesiastici & Sacerdotes, minores & maiores plurima, quæ imitari queant; dignissima. Fuit enim omnium exitus felicissimus, prout sequens historia tota monstrabit: & breuiter hic à Græco monetur. Εἰσήκουσεν κύριος τῆς φωνῆς αὐτῶν, καὶ ἐπαύσατο τὸν θλῖψιν αὐτῶν. *Exaudiuit Dominus vocem eorum, & reliquit afflictionem eorum.* Etenim, si vt suprà ex Lucæ 18. dictum est; vidua iniquitatis Iudicem exorauit, & inde à minori ad maius argumentatur Dominus, licebit etiam fortitan hic argumentari. Assyriorum *opera vidit* DEVS, Ionæ 3. cum homines & iumenta & boues & pecora ieiunarent, saccisque operirentur, cur, contra furentes iam Assyrios, *electorum suorum, clamantium ad se, die ac nocte*, sese vehementer afflictantium, puluere conspergentium, cilicia præcingentium, inediam sibi & infantulis, & bruris animantibus indicentium, vindictam non faciat? *Præcepta* CHRISTI, ait D. Ambrosius serm. 86. *arma sunt Christiano: & diuinus timor terrorem à nobis expellit hostilem. Arma autem hæc nostra sunt, quibus nos Saluator instruxit, oratio, misericordia, atque ieiunium. Ieiunium enim melius quam murus tuetur: misericordia facilius liberat quam rapina: oratio longiùs vulnerat, quam sagitta. Sagitta enim nonnisi proximè conspectum percutit aduersarium: oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum.*

CAPVT V.

1 *NVnciatumque est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quod filij Israel præpararent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent.*

2 *Et furore nimio exarsit in iracundia magna, vocauitque omnes principes Moab & duces Ammon.*

3 *Et dixit eis: Dicite mihi quis sit populus iste, qui montana obsidet: aut quæ, & quales, & quam æ sint ciuitates eorum: quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum: vel quis rex militiæ illorum:*

4 *Et quare præ omnibus qui habitant in Oriente, isti contempserunt nos, & non exierunt obuiam nobis, vt susciperent nos cum pace?*

5 *Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait: Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo de populo isto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falsum ex ore meo.*

6 *Populus iste ex progenie Chaldæorum est.*

7 *Hic primum in Mesopotamia habita* Genes. *uit, quoniam noluerunt sequi deos pa-* 11. 31. *trum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.*

8 *Deserentes itaque cæremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant.*

9 *Vnum Deum cæli coluerunt, qui & præcepit eis, vt exirent inde, & habitarent in* Genes. 11. *Charan. Cumque operuisset omnem terram fames, descenderunt in Ægyptum; Genes. 46. illicque per quadringentos annos sic multi plicati sunt, vt dinumerari eorum non posset exercitus.*

10 *Cumque grauaret eos rex Ægypti, atque in ædificationibus vrbium suarum in luto & latere subiugasset eos, clamauerunt ad Dominum suum, & percussit to- Exodi 7. tam terram Ægypti plagis variis.* 8. 9. 10.

11 *Cumque eiecissent eos Ægyptij à se, & Exodi 11.* cessasset plaga ab eis, & rursum eos vel- 12. *lent capere, & ad suum seruitium reuocare.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exodi 12 *Recedentibus his Deus cœli mare aperuit, ita vt hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & ista pede sicco fundum maris perambulando transirent.*

Exodi 13 *In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, vt non remaneret vel vnus, qui factum posteris nunciaret.*

14 *Egressi vero mare rubrũ, deserta Sinæ mõtis occupauerũt, in quibus nũquã homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit.*

15 *Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cœlo consecuti sunt.*

16 *Vbicunq; ingressi sunt sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit.*

17 *Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui.*

18 *Quotiescunq; autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerint, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.*

19 *Quotiescunque autem pœnituerunt sere cessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi.*

20 *Denique Chananæum regem, & Iebusæũ, & Pherezæum, & Hethæum, & Heueũ, & Amorrhæum, & omnes potentes in Hesebon prostrauerunt, & terras eorum, & ciuitates eorum ipsi possederunt:*

21 *Et vsque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem.*

22 *Nam & ante hos annos cum recessissent à via, quam dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam.*

23 *Nuper autem reuersi ad Dominum Deũ suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Ierusalem, vbi sunt Sancta eorum.*

24 *Nunc ergo mi domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: & ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ.*

25 *Si vero non est offensio populi huius coram Deo suo, nõ poterimus resistere illis: quoniã Deus eorum defendet illos: & erimus in opprobrium vniuersæ terræ.*

26 *Et factum est cum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum.*

27 *Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor, & exercitibus eius, homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ?*

28 *Vt ergo agnoscat Achior quoniã fallit nos, ascendamus in mõtana: & cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transuerberabitur:*

29 *Vt sciat omnis gẽs quoniã Nabuchodonosor deus terræ est, & præter ipsũ alius nõ est.*

COMMENTARIVS.

IN capite isto tria sunt. Vna scilicet de Iudæis interrogatio. ad eam respõsio, de hac ipsa iudicium. Interrogationis verò *primo* ponitur occasio, ver. 1. & 2. qua scilicet *montium trinera conclusissent* tur verò *scandala*, impedimẽta & obstacula, quæ in via quapiã ita sunt, vt progredi aut vetent, aut tineribus moles, arbores, saxa, sparsiq; lapides & murices. Hinc verò in scripturis peccata & peccaciant, scandala dicuntur. *Puto*, ait S. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, *quod peccatum scandalum fit, quod per scandalum venit. Nisi fallor enim σκῶλον* (quod apud 70. Exodi 10. ver. 7. legitur, pro quo Matthæi 5. & 1. Corinth. 8. *σκανδαλίζει*, Rom. 14. *πρόσκομμα σκάνδαλον*, Roman. 17. *πτῶσις* Apocalyp. 2. *dati* dicitur *non credentibus*. qui in eum, qui *credentibus* est *lapis electus & angularis*: suaipsi malitia & bus interrogatio facta est, recensentur, *principes Moab & duces Ammon*, ver. 2. Græcè adduntur Satra- de iis responsum videbantur. vel potius iis infestissimè cõsulturi. Magnũ. 11. malũ, malus vicinus. *Ter-* populo, ciuitatibus, virtute, multitudine, Rege. In ista vero quæritur, cur Orientalibus aliis sint imi- pertertiores Iudæi, neque vt cæteri, Holophernis illico iugum subeant. Pro iis *qui habitant in Orie-* te, habet Græcus *κατοικοῦντας ἐν δυσμαῖς habitantes in Occidente*. quod magis consentaneum versui quinto capitis secundi. Nihilominus tamen eadẽ sententia est. Nã qui ad Orientẽ solẽ habitant, ali- cæca propiores, eriãt ad Occidentẽ vergant, cũ iis tantũ conferunt, qui re motissimè in obeunt s solis regionibus habitant. Priore modo Iudæi sunt Assyriis Occidẽtales. & sic loquitur Latinus cap. 1. Græcus isto capite. Posteriore modo iidem adhuc Orientales sunt. & sic isto loco Latinus.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLÆ.

Officiat ne huius historiæ vel tempori vel auctoritati, Holophernis interrogatio?

EX declaratâ iam Holophernis interrogatione, contra Manassæum historiæ huius tempus, adeoque contra historiam ipsam, eiusque auctoritatem, magnum & primum scandalorum, vti paulo antè loquebamur; suorum (in via siquidem veritatis, quid aliud hæreticorum argumenta sunt?) facit, iacitque Wittakerus *In principio*, ait, *quintus capitis Holophernes: quando sensit populum Iudæorum, bellum meditari ac parare, duces omnes conuocat, ab eisque quærit, quis ille populus esset: & quem audem haberet. Verum, si Manasses paulo ante captus à Rege Chaldæorum & Babylonem deportatus fuisset, nec populum illum, nec Regem Iudæorum Holophernes aut Chaldæi ignorare potuissent, vt illi ab Achiore Ammonita hæc quærere ac discere necesse esset. Sic enim quærunt de populo, de regione, de vrbibus, de hominum potentia, de genere militiæ, de duce ac Rege, quasi qui nihil vnquam de Iudæorum gente audiuissent. At Chaldæi ante hunc populo bellum intulerant, Iudæam vastauerant, Hierosolymas ceperant, Regem Manassem secum in Babyloniam abduxerant. Ergo hæc, quæ nũc quærunt, illis ignota esse nequaquã potuissent.* Tota tanti scãdali vis est hæc: *Qui cognoscere vult, nescit. Quisquis interrogat, cognoscere vult.* Ergo *quisquis interrogat, nescit. At Holophernes nullo modo nescire potuit. Ergo.* Propositio illa vera vt concedatur, duplicẽ cautionem requirit. *Vnam* vt, *qui cognoscere vult*, significet, *qui cognoscere desiderat.* quòd desiderium scilicet rei sit absentis. Alioqui, etiam dum cognoscimus, cognoscere volumus. Vult DEVS quæ cognoscit, cognoscere. Volo quæ scio non nescire. Non vult Wittakerus quæ sibi nota, ignota esse. *Altera* est, vt nescire modo eodem accipiatur, quo cognoscere denderatur. Alioqui sæpè scimus, quæ cognoscere desideramus. At non eodem modo. Scimus imperfectè: perfectius cognoscere iucimus. Videmus in ænigmate & per speculum: videre facie ad faciem cupimus. Assumptio verò penitus falsa est. Docent enim Grammatici & Rhetores, &, absque illis, ipse quotidiani sermonis vsus, plurima plurimos interrogare, quæ norunt oprimè, tantum vt vel suâ aliquam admirationem proponant, ab alio facti alicuius confessionem eliciant, ea quæ norunt, laudent, vituperent, extollant & deiciant atque contemnant. Plena exemplorum prophana literatura. Sed, intra sacrorum Bibliorum terminos, scandalisten ipsi nostrum, quæ non ignoramus interrogemus. Cum Adamum interrogaret Dominus, Genes. 3. ver. 9. *Vbi es?* an vbi ille esset, ignorabat? Cum ibidem ver. 11. rursum interrogaret, *Quis tradidit tibi quod nudus esses?* an quis indicasset, non noscebat? Cum interrogando pergeret ver. 13. *Quare hoc fecisti?* an quare fecisset, nesciebat? Cum capite 4. ver. 6 dixit Cãino Dominus, *Quare iratus es? & cur concidit facies tua?* num iræ vultusque huius causam non tenuit? Cum iterum dixit ver. 9. *Vbi est Abel frater tuus?* an vbi examinis & mactatus iacebat ille, non perspexit? Tandem cum adiunxit ver. 10. *Quid fecisti?* non plagas, & cædem ipsum viderat, non sanguinis vocem de terra clamantem audierat? Cum idem Dominus ab Elia percunctaretur 3. Reg. 19. *Quid tu hic agis Elia?* cum ab Hieremia cap. 1. *Quid tu vides Hieremia?* ab Amos cap. 7. *Quid tu vides Amos?* apud Malachiam 1. v. 10. *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito?* num horum et quidquam ignotum erat? Ecquid verò sibi vult Moyses cum Numer. 16. ver. 11. interrogatione ista vritur? *Quid est Aaron, vt murmuretis contra eum?* fratrem non norat? Ecquid Nabal, cum 1. Reg. 25. ver. 10. Dauidis pueris respondet, *Quis est Dauid, & quis est filius Isai?* an qui filium Isai, & stigmosum postea seruum vocat, de Dauide nihil audierat? Ecquid Iehu, cum Iezraëlem intrans, Iezabelem videns, 4. Reg. 9. v. 32. stipatores rogabat, *Quæ est ista?* Num qui annos plures in Achabi, Ioramique Regum aulis versatus erat, & quidem inter palatinos summæ ipse auctoritatis, & cum Regibus familiaritatis, ii id. v. 5. & 25. Reginam non mutata veste fugientem, sed regio cultu fulgentem, stibio depictis oculis nitentem, regio capitis ornatu augustam, è fenestris despicientem, voces etiam, quæ audirentur; mirrentem, non agnoscebat? Non igitur quisquis interrogat, ideo ignorare, quia interrogat; existimandus, sicque ab- que vllo veritatis vulnere aut molestia, totum Wittakeri scandalum remoueretur. Hæ siquidem Holophernis interrogationes, non sunt omnino ignorantis, & de quibus nihil vnquam audiuisset, prout illi videri vult; exquirentis, sed sunt interrogationes militis, & militis, quia præter ipsius opinionem & voluntatem, ipsi tantas copias ducanti, fuisque viribus præsidenti resistere quidam audeant, micantis, irascentis, hostes vilipendentis & contemnentis. quasi diceret. Quid istuc noui? Tam instructas, tamque innumerabiles copias cum habeam, tot iam victoriis, prouinciis, populos, fulminis instar, quam ocyssimè pernasium, omnes vel solo Assyrij nominis terrore perculerim, dicite obsecro, quis iste tam stolidus, tamque ineptus & vecors populus, qui, me vt arceat, montana obsidere, arma parare, me que contra tueri audeat? Quæ, quales, & quantæ ipsorum, etiamsi essent iis, quas iam diximus, maiores & munitiores, ciuitates? Quæ tanta eorum virtus? Quæ, contra tot pedinum equitumque myriadas, eorum multitudo? Quis Rex nullius illorum, tuæ ipsius imbecillitatis & fortunæ tam immemor, cum nuper adhuc captus, & è

carce-

Universidad de Deusto
Biblioteca

carceribus cateníque noſtris vix pridem effugerit: Hanc verò eſſe Holophernis mentem non negabit, qui aduerterit primò ad ſimilem interrogationem, ver. 27. *Quis eſt iſte, qui filios Iſrael poſſe dicunt reſiſtere Regi Nabuchodonoſor, homines inermes, & ſine virtute, & ſine peritia artis pugnæ?* Achiorem videbant Holophernis magnates: loquentem diu audierant. Ammonitarum ducem ſciebant, & tamẽ, præcipua & contemptu, interrogant, *Quis eſt iſte?* & ſuam de filiis Iſraël opinionem, ob quam ſicantea Holophernes interrogarat; clarè aperiunt, homines eſſe inermes, imbecillos, reíque militaris imperitos. *Præterea* eodem modo, ſequentis capitis initio ipſe Holophernes in Græco, τίς ὁ Ἀχιὼρ καὶ οἱ μισθωτοὶ Ἐφραίμ; *Quis eſt Achior, & mercenarij Ephraim? Tertiò*, non mercenarios Ephraim tantum eo verſu nominat Holophernes, ſed hoc etiam cap. 5. ver. 3. Moabitas, Ammonitas & Palæſtinos, *filios Chanaan* appellat. Cur ergo & filios Iſraël ignoret, qui tantam vicinorum habet notitiam? *Quartò*, ſi quis conſideret; tota & tam altè repetita ipſius Achioris narratio huc tendit, vt oſtendat non adeo Iſraëlitis deſpicatui habendos: ſed ſummo eos numini charos eſſe, ipſiuſque auxilio & manu maximas ſæpiſſimè res geſſiſſe, vti non falsò intellexerunt Holophernis duces ver. 26. & 27. ipſemet etiam cap. 6. ver. 2. *Quintò*, hic ipſe tumidorum, verbiſque ipſos pænè cœlos territantium Pharaonum, Goliathorum & Rapſacarum loquendi modus eſt, plenus faſtu, ſui ipſorum admiratione, aliorum omnium contemptu. *Quis*, aiebat Pharao Exodi 5. ver. 2. *eſt Dominus, vt audiam vocem eius?* Cum inſpexiſſet Philiſtæus, & vidiſſet Dauid, deſpexit eum, 1. Reg. 17. ver. 42. Dixitque Rapſaces, 4. Reg. 18. ver. 29. *Hæc dicit Rex magnus Aſſyriorum. Quæ eſt iſta fiducia, qua niteris? Numquid liberauerunt*, ver. 33. *dij gentium terram ſuam de manu Regis Aſſyriorum: Vbi eſt Deus Emath & Arphad? Quinam iſti ſunt*, ver. 35. *in vniuerſis dijs terrarum, qui eruerunt regionem ſuam de manu mea, vt poſſit eruere Dominus Ieruſalem de manu mea?* Et Nabuchodonoſor Danielis 3. ver. 15. *Quis eſt Deus, qui eripiet vos de manu mea? Poſtremò*, nimium imperitus archiſtrategus, eoque prorſus nomine indignus Holophernes fuiſſet, ſi propriè ac verè, quænam iſta gens, & quæ regio eſſet, contra quam agmina tanta ducerer, ignoraret. præſertim cum in hac ipſa regione ac gente, recentiſſima eſſent Aſſyriorum trophæa Phulis, Theglathphalaſſaris, Salmanaſaris & Sennacheribi; etiamſi Manaſſæ captiuitas nulla fuiſſet, 2. Paralip. 33. ver. 11. Hiſtoriæ ergo huius vel temporis vel auctoritati prorſus nihil officit Holophernæa hæc arrogans & faſtuoſa interrogatio.

Reſponſio verò ad interrogationem iſtam fit ab Achiore, qui mendosè in Sulpitio *Accitor* ſcribi ſolet. diciturque *omnium filiorum Ammon dux*, vt eius opulentia, dignitaſque perſpicua ſit. Ammonitæ ſiquidem à filio Loth *Ammon*; populum magnum efficiunt, eorumque principes plures nominantur, Ieremiæ 49. verſ. 3. Amos 1. verſ. 15. & Rex præpotens, 1. Reg. 11. 2. Reg. 10. ver. 1. Ierem. 40. ver. 14. erantque, vt ait in Amos 1. D. Hieronymus, *Arabes*, quorum metropolis erat celebrata illa *Rabbath*, 2. Reg. 11. quæ poſteà dicta fuit *Philadelphia*. & Syrorum ſermone *Hamma*, vt in idem Amos caput 1. notat Theodoretus. Iam verò auctor Traditionum in Paralipomena, libro 2. docere vellent, *quia*, inquit, *ob reuerentiam paterni nominis* (Enom) *nolebant in priſtino habitu arma mouere contra Iſrael: ſed transfigurabant ſe in habitum Ammonitarum.* Nam libro 2. Paralip. 20. ver. 1. ita ſcriptum eſt. *Congregati ſunt filij Moab, & filij Ammon, & cum eis de Ammonitis.* Dum cum filiis Ammon congregantur Ammonitæ, nonne alij atque alij ſignificantur? Siue ergo Ammonitarum impropriè dictorum etiam, ſiue propriè tantummodo dictorum dux erat Achior, quia Græcè & Latinè *omnium* erat, fuit ſanè potens & magnus. Et vt videamus, quam bene *conuenirent rebus nomina ſæpè ſuis*, exponitur eius nomen, *frater lucis*. Conſtat verò eius oratio *exordio, narratione, concluſione.*

Illud tempori, loco, & perſonis accommodatum, plenum demiſſionis, prudentiæ & grauitatis que, & vbicumque, veritatem ſemper dicere. *Deponentes*, ait S. Apoſtolus Epheſ. 4. ver. 25. *mendacium, loquimini veritatem, vnuſquiſque cum proximo ſuo.* Solonis, vt ait Laertius, lex erat, *Ne mentiaris.* Apud Perſas quidem olim pueri εἰς μαθήματα τὰ ἀληθείας ἐδιδάσκοντο, *tanquam diſciplinæ docerei autem dicebantur quædam ſeruis ignefcendum.* Cum vero ſit *omnis homo mendax*, Pſal. 115. Rom. 3. ver. 4. id eſt, bet quotidie fixum hoc & firmè conſtitutum eſſe; *Non egrediatur verbum falſum ex ore meo.* Sed illa adhibentur, vel ab his, certis de rebus, interrogantur, ne, vt libro 3. ait Thucydides, παρὰ γνώμην τὴν ἑαυτῶν, *præter animi ſententiam* & *ad gratiam* quidquam loquantur. Ab Charidemo apud Curtium libro 3. & Demarato apud Herodotum lib. 7. exempla peti poſſunt non inepta, de quibus forſan aliquid poſtea.

Narratio multa complectitur. *primò*, primam Iudææ gentis originem in Chaldæa, ver. 6. *deinde*, illinc migrationem, migrationiſque cauſam, ver. 7. 8. 9. *tertio*, habitationem in Charrenſi vrbe ibidem. *quarto*, profectionem in Ægyptum, & commorationem ibidem, ver. 9. *quinto*, diſceſſum indidem, ver. 10. *ſexto*, nonnulla quæ, in itinere, mirabilia, tranſitum per mare rubrum: ver. 12. commorationem in Sinai ſolitudinibus. ver. 14. dulcoratos fontes, verſ. 15. cœleſtem mannæ annonam ibidem. victorias diuino auxilio potius, quam armis paratas ver. 16. *ſeptimo* generales cauſas partim rerum in eo populo aduerſarum, verſ. 17. 18. partim etiam proſperarum, verſ. 19. *octauo*, Chananææ terræ poſſeſſionem, quoad initium & progreſſum, verſ. 20. *Denique* horum confirmationem quandam ab exemplis tum priſcis tum recentibus, in calamitoſis, ſecundiſque temporibus, ver. 22. & 23. per peccata nimirum & pœnitentiam, per Dei cultum, eiuſque legis obſeruationem aut violatam aut reſtitutam. Eſſent in iſtis quæſtiunculæ bene multæ. Quas tamen in Geneſi. Exodo, ſecuiſque libris oportuno ſunt loco peractæ, non committam, vt à compoſito, veluti corpore membra diuellam, & huc illuc̃que ſpargam. Cauſæ tantum illæ generales vel ærumnarum vel proſperitatum notentur, & vna hæc:

QVAESTIVNCVLA.

Quomodo aduerſariorum & proſperorum, in Latino & Græco textu verſ. 22. 23. exempla, libri huius auctoritatem nihil omnino imminuant.

QVi Latinum ſolummodo textum aſpiciunt Lyranus & Carthuſianus; vel Græcum etiam, ſed ita, vt hiſtoriæ huius tẽpus captiuitate Babylonica poſterius exiſtiment, iis hic ſcrupoloſum plane nihil eſt. Nobis vero, qui & textum vtrumque pænè committimus, & ad Manaſſæ Babylonio ẽ carcere liberati tempus, hiſtoriam eandem reuocauimus, eadem iam facilitate gradi nõ licet. Nam vt è Latino *primo* aliquid afferam, quando & quomodo *nuper reuerſi ad Dominum Deum ſuum, ex diſperſione, qua diſperſi fuerant, adunati ſunt?* Quæ iſta diſperſio, & ex eadem, quæ adunatio vel collectio? Rurſum quomodo dicitur, *iterum poſſident Hieruſalem.* Qui enim iterum aliquid facit, id aliquando facere ante deſierat. Quando vero, ante infelicem illum Sedeciæ annum vtrumnam deſierunt Iudæi Hierotolymam poſſidere? vel certe ante Ioacimum, & Ioacinum Reges, à Babylonio Nabuchodonoſore abductos. Sed in Græco plus ineſt difficultatis, quam ideirco ſolam in Bellarminũ ſibi euibrandam cenſuit Wittakerus. *Quando*, inquit, *Holophernes in Iudæam venit, templum tunc ſum fuerat. Tunc enim hæc verba Achioris in libro Græco:* Ὅτι καὶ τὸ ἱερὸν αὐτῶν ἐγκεκύφασι καὶ αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν κεκονιμέναι εἰσίν. *Templum Iudæorum Hieroſolymitanum euerſum fuit, & ſolo æquatum, & ciuitates eorum occupatæ. Sed in illa Manaſſis captiuitate, nulla fuit templi euerſio: nec templum ſolo æquatum fuit ante regnum Sedechiæ, in quo magna illa captiuitas contigit, quod omnes profectò intelligant.* Addam ego & alia. *Primo*, hæc ipſa phraſi, non niſi quando funditus & templum & Hieroſolyma euerſa eſt, vti Ioſephum, cum l. 10. c. 11. ait. *Iuſſit Nabuchodonoſor καταπρῆναι ναὸν τῆς βασιλίας, τὴν πόλιν εἰς ἔδαφος καθελεῖν. incendere templum, & regias, & vrbem ad ſolum vſque tollere*, cumque facta hæc omnia poſtmodum explicat, verbis vtitur duobus ἐνέπρησε, κατέσκαψε. *incendit, euertit.* Quid horum verò ante illud tempus factum? *Deinde* in eodem Græco, ſupra 4. v. 2. προσέφατος ἦσαν ἀναβεβηκέναι ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας, καὶ νεωστὶ πᾶς ὁ λαὸς συνηθροίσθη τῶν Ἰουδαίων, καὶ τὰ σκεύη, καὶ τὸ θυσιαστήριον καὶ ὁ οἶκος ἐκ τῆς βεβηλώσεως ἡγιασμένα ἦν. *Recenter è captiuitate aſcenderant, & nuper omnis Iudæ populus collecta erat: & vaſa & altare, & domus è prophanatione, ſacra erant.* Quæ iſta tam recens captiuitas & ex ea reditus, & quidem totius Iudææ populi? Quæ vaſorum, altaris, templique prophanatio & iterata conſecratio ſeu expiatio? Nihil tamen omnia hæc tradita hiſtoriæ huius authoritatem ac tempus labefactant, idq; vt intelligatur, Latinum *primo* textum exponam, *deinde* quæ ipſius Græci propria ſunt.

In illo igitur calamitates variæ primo traduntur v. 22. *ante hos annos*, ait. In Græco non eſt, ſed valet, *olim & nuper, præteritis, tam remotis quam propinquis temporibus.* Præterea, *exterminati ſunt præſertim à multis nationibus.* De Babylonia captiuitate palam eſt, ſermonem non eſſe, cum vna tantum Chaldæorum natio nominaretur. Licet enim in Babylonii Nabuchodonoſoris exercitu, nationes plures militare potuerint, quemadmodum & in Holophernis iam exercitu videmus: vna tamen, quæ cæteras ſub ſignis ſuis habet, eaſque ad bellum deducit, eſt, quæ hoſtem ſuum vincere, captiuos abducere, cæteraque hoſtilia facere dicitur. Sic enim & Prophetæ loquuntur, & ſcriptores alij cum faci, tum propiam. Sed *quæ iſta multa nationes?* Sume vel vnum Iudicum libellũ in manus: lege capitis 3. verſum 8. 12. 13. cap. 4. verſ. 2. cap. 6. verſ. 1. & 3. cap. 10. verſ. 7. cap. 13. v. 1. & inuenies Iſraelitas noſtros quando à via, quam dederat illis Deus, receſſerant, exterminatos olim à Meſopotamiis, Moabitis, Ammonitis, Amalecitis, Madianitis, *cæteriſq.*, vt caput illud 6. v. 3. loquitur, *Orientalium nationum* denique ab Ægyptiis & Philiſthæis, ita vt cap. 10. ver. 11. dixerit illic Dominus, quod loco huic lucis non parum affert, *Nonquid non Ægyptii & Amorrhæi, filiiq; Ammon & Philiſthiim, Sidonij quoq; & Amalec & Chanaan oppreſſerunt vos. Et clamaſtis ad me, & erui vos de manibus eorum.* Adiunge vero, ſi libet, libros etiam Regum, & 1. libri 2. cap. 11. v. 14. com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

peries bella, clades, vastitatesque plurimas ab Idumæis, Syrisque, modo Damascenis, modo aliis illatas, adeo vt l. 4. Reg. 17. ver. 20. scriptum sit. *Proiecit Dominus omnem Israel, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec proiecerit eos a facie sua.* Et ne de recentissimis Assyriorum tantummodo cladibus cogitares, adiectum est vers. 21. *ex eo tam tempore, quo scissus est Israel a domo Dauid, constituerunt sibi Regem Ieroboam, filium Nabat.* Nouæ autem clades & recentissimæ sunt non Israelis tantum per Assyrios, sed & Hierosolymitani Regis Manassæ, 2. Paral. 33. vers. 11. Pergit vero hic Latinus noster, *& plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam.* Quis neget in tot, tantisque bellis, stragibus, vastationibus quamplurimos, in victorum terras, duramque seruitutem abstractos? Quis cum Manasse Rege in compedes & ferrum compactos quamplurimos? Dū vero signate ait, *plurimi eorum*, significat numquam ad hoc vsque tempus, vniuersum simul populum abductum, quod tamen perpaucis, & è viliore plebe relictis. 4. Reg. 25. vers. 12. & 22. Ierem. 39. vers. 9. cap. 40. vers. 7. factum Sedechiæ temporibus in extrema illa captiuitate. Quemadmodum ibidem cap. 17. ver. 23. dicitur, *Translatus est Israel de terra sua in Assyrios*: ita & cap. 25. vers. 21. *Translatus est Iuda de terra sua.* Threnorum 1. vers. 3. *Migrauit Iudas*, 2. Paralip. 26. vers. 20. *Si quis euaserat gladium, ductus in Babylonem, seruiunt Regi & filiis eius, donec imperaret Rex Persarum.* Ideoque hic locus eos potius arguit, qui posteriora illa tantum Persicorum Regum tempora mediantur. Cum enim magnas & calamitates, & salutes ostendere vellet, in communi illo Gentis totius excidio, ex vsitato quotidiani hominum sermonis, ipsiusque diuini etiam verbi vsu, dixisset potius *omnes* quam *plurimi*, quemadmodum Isaias cap. 64. ver. 6. *Facti sumus vt immundus* OMNES *nos: cecidimus quasi folium* VNIVERSI. Ieremias cap 6. ver. 13. *A minore vsque ad maiorem* OMNES *auaritiæ student, & a propheta vsque ad sacerdotes* CVNCTI *faciunt dolum* cap. 8. ver. 6. NVLLVS *est, qui agat pœnitentiam.* OMNES *conuersi sunt ad cursum suum.* ver. 10. *A minimo vsque ad maximum* OMNES *auaritiam sequuntur: a Propheta vsq; ad Sacerdotem* CVNCTI *faciunt mendacium.* Et de Iudæa post captiuitatem illam, vulgaris hic sermo erat, Ieremiæ 32. ver. 43. quod *in ea non remanserit homo, & iumentum & data sit in manus Chaldæorum.* Iam post calamitates tam veteres quam nouas, ponuntur quæ ex pœnitentia ortæ sunt salutes. non omnes, quarum facta erat mentio ver. 19. sed ex omnibus vna, quæ tempore nouissima, memoria, & ipso eius fructu testatissima. *Nuper*, ait, reuersi ad Dominum. Græcè νῦν, *nunc, iam.* Sermo est de reuersione per Manassen facta. Nam ipse 2. Paralip. 33. vers. 13 *reuertit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam. cognouit, quod Dominus ipse esset Deus*, abstulit vers. 15. *Deos alienos, & simulachrum de domo Domini: aras quoq; quas fecerat in monte domus Domini, & in Hierusalem, & proiecit omnia extra vrbem. præcepitq; Iudæ*, ver. 16. *vt seruiret Domino Deo Israel.* Hebraicè, *dixitq; ipsi Iudæ*, id est, egit cum Iuda, ei suasit & persuasit, *vt seruiret Domino Deo Israel.* Sicque reuersi sunt ad Dominum Deum suum, & ex dispersione, qua tum, partim abductione, partim fuga & latebris, dispersi fuerant, Rege redeunte *adunati sunt & ascenderunt montana hæc omnia.* Mōtanorum potissimū meminit, quia vt in Græco est, *deserta erant*, translatis iam in Assyriam tribubus Israel, vti significatum Deuter. 7. Exodi. 23. 4. Reg. 17. *& iterum possident Hierusalem*, *iterum* inquam, quia vel abducti ex ea fuerant, vel ex ea fugerant, &c. quemadmodum 2. Reg. 11. ver. 17. Ierem. 40. versu. 12. cap. 43. ver. 5. vel in Ægypto vel alibi, delituerant, eam possidere desiderant, iamque possiminio eam possident. imo, & omnes, etiam qui ex ea non excesserant, *iterum* eam possident, quia nouo modo, renouata libertate, pristinoque politiæ iure, patriam obtinent. Licet vero in Græco non istud, *iterum*, sed tantum καλιγον τὴν ἐς καλλίαν, *obtinuerunt Hierosolymam*: tamen clare, vt opinor, patet Latini textus expositio, & ad omnia, quę, quæstiunculæ mitto, ex illo quæsita sunt, responsio.

Ad Græcum venio, in quo est illa quidem, quam obiicit Wittakerus, difficultas, sed ab ipso, contra quem obiicit, prius nota & obiecta. imo & dissoluta. Si veritatis esset amans, hæreticus debuisset non difficultatem tantum aperire, sed vel eius dissolutionem approbare, vel cur non approbaret, ostendere, ipsumque refutare. Verum ita ex D. Thoma, cæterisque Scholasticis, quæ medicarunt argumenta, solent interdum Caluinus, Melanchthon, Chemnitius, aliique id genus lucifugæ, apud imperitos venditare: solutiones vero eorum dissimulare. Nos vero Bellarminum ipsum audiamus. Nec vero, ait, *mouere quemquam debet, quod in textu Græco auditur, etiam templum fuisse solo æquatum, quando dispersi sunt Iudæi. Nam illa verba suppositia videntur, quandoquidem S. Hieronymus, qui fidelissime transtulit hunc librum ex Chaldæo sermone in Latinum, nihil de euersione templi in sua editione posuit.* Huic rationi, quam ne verbulo quidem succutere Wittakerus potuit, possunt & hæc adiungi. *quod* Græcum sæpius textum mendosum deprehendamus. *quod* ad calamitatem istam exaggerandam, coram homine prophano & belli duce nato, ab homine prudente, multo magis iniecta mentio fuisset regiæ vrbis, non captæ modo, sed & inflammatæ, diruitæ, soloque penitus æquatæ. 4. Reg. 25. ver. 9. & 10. 2. Paralip. 36. ver. 19. Si suppositia tamen ea verba cōcedere liberet, exponi possent de summa & extrema illa templi vastatione, seu prophanatione, quam fecerat olim Manasses. Nam 4. Reg. 21. ver. 4. *extruxit aras* (Baal) *in domo Domini, de qua dixit Dominus: in Hierusalem ponam nomen meum. Et extruxit altaria vniuersæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini. Posuit quoque* v. 7. *idolum luci, quem fecerat in templo Domini, super quo locutus est Dominus ad Da-*

uid, & ad Salomonem filium eius: in templo hoc & in Hierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponā nomen meū in sempiternum, 2 Paralip. 33. versu 4. & 5. *ædificauit altaria in domo Domini cuncto exercitui cœli in duobus atriis Domini*, versu 7. *sculptile quoque & conflatile signum posuit in domo Domini.* Firmatur expositio hæc ex Græcis capitis quarti verbis antea citatis. *primo*, quia in ista, qua de agitur, vastatione significant mansisse vasa, altare & ipsam Dei domum, sed eorum omnium βεβήλωσιν, id est, *prophanationem* tantum fuisse, seu, vt Iosephus lib. 10. cap. 4. μίανσιν *pollutionem*, cum de Manasse ait: μιάναι τὸ ἱερὸν τὸν ναὸν θεοῦ. *Deinde* non ait, vasa, altare, templum reædificatum, vti Zorobabelis tempore fieri oportuit, sed tantum ἁγιασμένα. id est, *sanctificata.* Polluta siquidem mundari, prophana expiari, & rursum sacrari debebant. Tantum superest, vt quo tunc modo potuerit stans, manensque templum εἰς ἔδαφος γένεσθαι aperiam. Fieri hoc bifariam potuit. *Primo* σωρεδοχικῶς. quia magnæ illius partes dissectæ, dissolutæ, solo æquatæ iacebant, vti non obscurè colligas ex 4. Regum 22. versu 5. & 6. 2. Paralip. 34. ver. 10. & 11. cum curauit sanctissimus Manassiæ ipsius nepos, vt ingēti collecta pecunia, ædiles INSTAVRARENT *templū, & infirma quæque sarcirent. At illi dederunt eam artificibus & cœmentariis, vt emerent lapides de lapicidinis, & ligna ad commissuras ædificii, & ad contignationē domorū quas* DESTRVXERANT *Reges Iuda. Deinde*, possūt ea verba simpliciter verti, *fieri in pauimentum.* id est, templi sanctitatem ita violari, quasi commune quoddam publicumque solum esset, quod omnium iam pedibus conculcaretur. Nam ἔδαφος *solum, pauimentumq;* significat, & discrimen esse potest inter id, quod ex Iosepho afferebatur, εἰς ἔδαφος καθελεῖν & inter id, ꝙ hoc loco Græcus ait, εἰς ἔδαφος γένεσθαι. Illud enim valet, *ad solum vsq; tolli, solo æquari, funditus excindi*, ideoque & adhoc magis explicandum, non simpliciter εἰς ἔδαφος καθελεῖν dixit lib. 3. Thucydides, sed addit ἐκ τῶν θεμελίων, *e fundamentis*, quod & Plutarchus dixit per εἰς ἔδαφος καλλαΐσαι, *consicere vrbem in solum*, siue, *solo tenus deiicere.* ita porro conculcatum & prophanatum templum fuit, & ab ipsis impiis Iudææ Regibus, Manasse præsertim, antequam eum pœniteret, prout supra dictum est, deinde à Gentilibus, dum Manasses ipse captus est. secundum Wittakeri quidem verba, quæ quæstione superiore allata. videlicet *Chaldæi Hierosolymam occeperant, Regem Manassen secum in Babyloniam abduxerant.* Nam quod arx & templum ab Assyriis occupatum non fuerit, cum ciuitatem pessimus ille Pontifex Sobna, de quo supra, proderet, id Iudæus, quem D. Hieronymus audire solitus est, referebat ad Sennacheribi tempora, vt ait idem D. Hieronymus in Isaiæ 22. Periit vero multo ante captum Manassen ille Sennacherib. Quomodo vero non omnium calcari vestigiis templum deberet, satis ex scripturis, & Iosepho lib. 12. c. 3. lib. 2. contra Apionem, perspicuum, adeo quidem vt Dominus & Saluator noster non ementes modo & vendentes in eo versari nollet, sed nec *fineret* quidem, *vt quisquam vas transferret per templum*, Mar. 11. ver. 16. Cæterum quando scelerum impietatisque suæ Manassen pœnituit, correcta fuere hæc omnia, & quæ prophanata, consecrata, *populusq; omnis collectus*, dum qui excesserant, ad eos, qui manserunt redirent, ad vniuscuiusque religionis cultum, diuinasq; cæremonias redirent.

Conclusio ab Achiore facta, ver. 24. exordio, siue demissionem, siue prudentiam & grauitatem spectes, consimilis est, hucque tendit, vt in Iudæorum tantummodo religionem inquiri velit. Ea si ab iis deprauata, vincentur: si constanter studioseq; culta, vincent. Id enim ex calamitatum prosperitatumque causis antea positis & probatis recte concluditur, quia sane vt antea ver. 21. dixerat, *Deus illorum odit iniquitatem*, siue vt ait Græcus. Θεὸς μισῶν ἀδικίαν, μεῖ' αὐτῶν ἐστιν. *Deus, qui iniquitatem odit, cum ipsis est.* Sunt vero hæc nobis, hoc ipso tot tantorumque bellorum tempore, serio expendenda, quia ex tanto sacrosanctæ religionis nostræ Catholicæ neglectu, distractu & dissipatu, quem tot nobis hæreses afferunt, omnis Christiani orbis calamitas, omnes istæ lacrymæ, prout in Antiturcica mea priore clarius veriusque sane quam vellem, monstraui, cuius extremum duas duūm summorum Patrum memorabiles vtique sententias proponebat. Prior est D. Hieronymus epist. 13. *Nostris*, ait *peccatis Barbari fortes sunt: nostris vitiis Romanus fugatur exercitus.* Alter D. Ambrosius ser. 85. *Ciuitati non nisi propter ciuium peccata infertur excidium. Desine peccare, & ciuitas nō peribit.*

De Achioris responsione iudicium duplex tuum fuit. *Vnum* Ducum aliorum, alterum ipsius Holophernis. De illo hic à ver. 26. ad capitis finem. In Græco etiam dicitur *vniuersus, qui aderat & Holoferni tabernaculum circumstabat populus, murmurasse* seu *confremuisse*, quod in Latino significatur cap. 7. ver. 12. *deinde* proceres ea tantum dicunt, quæ in Latino sunt ver. 28. vsque ad *montana. Ideo*, inquiunt, *ascendemus, & erunt* (Iudæi) *exercitus tuo vniuerso in deuorationem, domine Holoferne.* De Holophernis iudicio capite sequenti.

CAPVT VI.

1 FActum est autem cum cessassent loqui indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior:

2 Quoniam prophetasti nobis dicens, quod gens Israel defendatur a Deo suo, vt ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 *Cum percusserimus eos omnes, sicut hominem vnum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis, & omnis Israel tecum perditione disperiet.*

4 *Et probabis quoniam Nabuchodonosor dominus sit vniuersæ terræ, tuncq; gladius militiæ meæ transiet per latera tua, & cõfixus cades inter vulneratos Israel, & non respirabis vltra, donec exterminetis cum illis.*

5 *Porro autem si propheriam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus & pallor, qui faciem tuam obtinet, abscedat a te si verba mea hæc putas impleri non posse.*

6 *Vt autem noueris quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, vt dũ dignas mei gladii pœnas exceperint, ipse simul vltioni subiaceas.*

7 Tunc Holofernes præcepit seruis suis, vt cõprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam, & traderent eum in manus filiorum Israel.

8 Et accipientes eum serui Holofernis, profecti sunt per campestria, sed cum appropinquassent ad montana exierunt contra eos sundibulatores.

9 *Illi autem diuertentes a latere montis, ligauerunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic vinctum de restibus dimiserunt eum, & reuersi sunt ad Dominum suum.*

10 *Porro filii Israel descendentes de Bethulia venerunt ad eum, quem soluentes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset quod illum vinctum Assyrii reliquissent.*

11 *In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel.*

12 *In medio itaq; seniorum, & in conspectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus: & qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum.*

13 *Quemadmodũ ipse Holofernes iratus iussserit eum Israelitis hac de causa tradi, vt dum vicerit filios Israel, tunc & ipsum Achior diuersis iubeat interire supplicijs, propter hoc quod dixisset:*

Deus cœli defensor eorum est.

14 *Cumq; Achior vniuersa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem adorantes Dominum, & communi lamentatione & fletu vnanimes preces suas Domino effuderunt,*

15 *Dicentes: Domine Deus cœli & terræ, intuere superbiam eorum, & respice ad nostram humilitatem & faciem sanctorum tuorum attende, & ostende quoniam non derelinquis præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humilias.*

16 *Finito itaq; fletu & per totam diem oratione populorum completa consolati sunt Achior,*

17 *Dicentes: Deus Patrum nostrorum, cuius tu virtutem predicasti, ipse tibi hanc dabit vltionem, vt eorum magni tu interitum videas.*

18 *Cum vero Dominus Deus noster dederit hanc libertatem seruis suis, sit & tecum Deus in medio nostri: vt sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conuerseris nobiscum.*

19 Tunc Ozias, finito consilio, suscepit eum in domum suam, & fecit ei cœnam magnam.

20 Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleta vigilia refecerunt.

21 Postea vero conuocatus est omnis populus & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt petentes auxilium à Deo Israel.

COMMENTARIVS.

QVID Achiori fecerit Holophernes, & quid Iudæi, monstrat caput hoc. Ardet igitur ira ille, ob hanc potissimum causam, quod si religionem recte suam Iudæi colerent, eos à Deo protegendos & adiuuandos dixisset. Hæc enim verba Deum Nabuchodonosore pollentiorem, maioremque significabant, quod blasphemiã, & stolida Nabuchodonosorianæ superbiæ, de qua capite prim. & secund. mancipia ferre non poterant. Ideo iam toties, Nabuchodonosor *Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* cap. 5. versu 29. *Non est Deus nisi Nabuchodonosor* cap. 6. versu. 12. *Probabis, quoniam Nabochodonosor Dominus sit vniuersæ terræ.* versu. 10. *Tanto abest,* ait capit. 34. Apologetici Tertullianus, *vt Imperator Deus debeat dici, quod non potest credi, nisi turpissima & perniciosissima adulatione. Tamquam si habens Imperatorem alterum appelles, nonne maximam & inexorabilem offensam contrahes eius, quem habuisti, etiam ipsi timendam, quem appellasti? Esto religiosus in Deum, quã visi illum propitium Imperatori. Desine alium Deum colere vel credere, atque ita & hunc Deum dicere, cui Deo opus est.* Hoc igitur bello agitur non de focis tantum, sed plane de aris, de Deo inquam, eiusque maiestate, ne in eam temere aut factis aut verbis inuadere vllus audeat. *Tunc* ver. 7. *Holofernes præcepit seruis suis, vt comprehenderent Achior,* hostibusque darent, vt paulo post, certo, cum iis omnino iam subactis, acerbissimas, tetterrimasque pœnas daret. Mentis tumor, Dei, suique

uiq; ipsius ignoratio quid non facit? Sic & apud Herodotum lib. 7. cum immensas terrestres nauales que suas copias, ipsã notationum nomina (tanta scilicet multitudo, totque ignotæ ipsi gentes erant) exquirendo lustrasset Xerxes, sapientem, humanæque non ignarum sortis Damaratum interrogasset, ecquid videretur, auderentne Græci vel manus contra tantas copias tollere, & ille, quod res erat, dixisset, posse verò & vincere, profusissime cachinnatus est. Fieri scilicet non posse putabas, vt vinci, victusque ac fugiens mergi posset. Multò tamen Holopherne fuit is moderatior. Risu illum excepit: non contumelijs, amicum eum postea semper adhuc habuit, non mortem interminatus est. Sed nobis de Dario contra Alexandrum pugnaturo, suis verbis narret Curtius. *Nihil,* ait, *illi minus, quam multitudo militum defuit, cuius vniuersa aspectu, admodum lætus, purpuratis sola vanitate spem eius inflantibus, conuersus ad Charidemum Atheniensem, belli peritum, &, ob exilium, infestum Alexandro, percunctari cœpit, satisne ei videretur instructus ad obeundum hostem?* Ille autem veriora quam gratiora respondit: *Erat Dario mite ac tractabile ingenium, nisi suam naturam plerumq; fortuna corrumperet. Itaque veritatis impatiens, hospitem ac supplicem, tunc maxime vtilia suadentem, abstrahi iussit ad capitale supplicium. Illeue tum quidem libertatis oblitus; Habeo, inquit, paratum mortis meæ vltorem, expetet pœnas mei consilij spretor ipse, contra quem tibi suasi. Tu quidem, licentia regni, subito mutatus documentum eris posteris, homines, cum se permisere fortunæ, etiam* NATVRAM DEDISCERE. *Hæc vociferantem, quibus erat imperatum, iugulant.* SERA deinde POENITENTIA *subit Regem, ac vera dixisse confessus, eum sepelire iussit.* Accessit ad Holophernem fœuitiæ proximè Darius, eum tamen vel *sera* saltem *pœnitentia* superauit, ipsãque in mortuum humanitate. Quemadmodum vero Achioris quam Charidmi fuit oratio sapientior, verior, diuinoque honori congruentior, ita & ei diuinum auxilium præsentius, exitusque multo iucundior & felicior exiit, prout infra fiet perspicuum. Filios Israel propter eorum ex Ægypto exitum, quem cap. 15. ver. 10. & sequentibus cõmemorarat Achior, vocat Holophernes ver 5. *πάντα τὰ γένη Αἰγυπτίων, gentes eorum, qui ex Ægypto sunt.* Sicque de suo Nabuchodonosore, deque se ipso clarissimè loquitur: *Quis est Deus præter Nabuchodonosorem? Hic missa potentia sua, illos a facie terræ ipsorum exterminabit. nec eos liberabit Deus ipsorum, sed nos Nabuchodonosoris serui, eos quasi virum vnum percutiemus, neq; illi equorum nostrorum vim sustinere poterunt. Ipsos enim in seipsis comburemus, eorumq; montes sanguine proprio inebriabuntur: & vãpi eorum cadaueribus implebuntur, neq; vestigio pedum suorum conspectum nostrum sustinebunt, sed perendo peribunt. dicit Rex Nabuchodonosor Dominus vniuersæ terræ. Dixit enim, neque vllum verborum eius vanũ erit.* Exitus probabit. Illud, *ipsos in seipsis comburemus.* Romanus Græcus, ait, *καὶ καύσομεν αὐτοὺς ἐν αὐτοῖς.* Sed Complutensis *κατατροφώσομεν αὐτοὺς ἐν αὐτοῖς, ἤτοι* videlicet, quorum facta erat mentio. *Ipsos equis nostris conculcabimus.* Alii quidam libri habent *καθαλώσομεν, ipsos equorum nostrorum multitudine mundabimus, quodam veluti aquarum cataclysmo* seu *diluuione obruemus.* Prophetam per contemptum vocat ver. 2. & 5. Achiorem, & verò prophetæ fuit non paulo quam ipse verior, aliquo sane modo cum Michæa, 3. Reg. vltimo, conferendus, nisi quod ibi sanctus diuinoq; spiritu afflatus profabatur Michæas: hic vero noster adhuc Gentilis, & humana tantum vt videtur prudentia vaticinabatur. Potest quidem Deus etiam Gentilibus præsensionem indere diuinam, vti & Sibyllis indidisse docent non pauci, neque sane ignobiles Theologi, Clemens Alexandrinus Stromare 1. D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. ad 3. Soarez de incarn. dispu. 3. sect. 2. nullum mihi tamen cœlestis prophetiæ in Achiore argumentum est, humana, vt dixi, sapientia dicere omnia hæc potuit. Licet ad dicendum motio Dei quædam & adiumentum singulare admitti posset.

Quid Achiori verò huic Iudæi fecerint, exponitur ver. 10. Vinctum soluerunt, Bethuliam adduxerunt, de omnibus interrogarunt, spe bona esse iusserunt, laudarunt, vti solus Græcus monet pulo acceperunt, cæteraque amicè & honorificè habuerunt.

QVAESTIVNCVLA I.

Quæ & vbi Bethulia?

FVIT *Bethulia* Galilææ vrbs, in tribu Zabulon, in monte sita, non procul ab vrbibus, de quibus supra cap. 3. Dothaim scilicet, versus Austrum: Scythopoli vero versus Septentrionem. rursumque à Tyberiade versus Occidentem, à Diocesarea, quæ & Sepphoris, versus Orientem. Quæ ea orientis loca oculis peregrinationibusque diligenter lustrauit, Brocardus, *A Nephthalim,* ait, *descendit Tobia, ires sunt leucæ ad Dothaim castrum, sub monte Bethulie, vbi Ioseph per suit, cum quæreret fratres suos.* Et postea: *De Abelina est vna leuca ad montem Bethulie, vbi Iudith occidit Holofernem, qui mons per totam fere cernitur Galilæam, habens adhuc pulchra quædam ædificia, sed plurescunnai. A Tyberiade vna leuca ad ciuitatem Tyberiadis, eundo scilicet inter Orientem & Austrum supra mare Galilææ dictum est mare Tyberiadis.* Quin & illic adhuc hodie Holophernis castrorum vestigia conspici, scribit Adrichomius. Quomodo ergo non falsum, quod in Germanica, huic in librum præfatione scribit Lutherus, vrbem esse quæ nusquam nota sit? Et iam supra proleg. 4. fol. 213. cum Iudæo quidam

Universidad de Deusto Biblioteca

cuidam Rabbino similem dixi, quia sacra ideo Euangelia falsa videri vult, quod nota in veteri testamento Nazareth nulla sit. quasi quemadmodum quæ aliquando fuerunt vrbes & vici nonnulli cadunt ita noui nulli surgere nascique possint. Quam post Iosuanam Geographiam, mœnia deinceps multa in terris illis excitata? Quot apud Iosephum locorum nomina: quæ in veteri Testamento nusquam? *Bethuliam* tamen eodem loco interpretatur Lutherus *virginem*. At dicere debuit non præcisè *virginem*, sed *virginem Dei*, vt ait libro de Interpretatione nominum Hebraicorum V. Beda, & ille ipse Robertus Stephanus, cuius apud Lutherum ipsum tanta erat auctoritas, vt libro, contra Schererum nostrum, dicant Tubingenses Lutherani, si anno vno adhuc vixisset Lutherus, vt Græcum Roberti eiusdem Testamentum nouum videre potuisset, restituturum in sacras literas fuisse nobilissimum illud de sacrosancta Trinitate oraculum, quod audacissimo, planeque nefario sacrilegio, è primæ D. Iohannis capite quinto versu 7. sustulit. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritussanctus, & hi tres vnum sunt.* At dixerit forte Lutheri assecla quispiam, idem visum est Luthero nomen *Bethul, & Bethulia*. Malè id quidem, quemadmodum aliud *Halelu*, aliud *Halelutah*, vt in Tobia cap. 13. quæst. 2. dictum est. Deinde si esse idem putauit, mendacii seipsum vel inscitiæ arguit. *Bethul* enim, quæ & *Bethuel* nota vrbs in Simeonia tribu est Iosuæ 19. & 1. Paralip. 4. Nostra porro hæc in Romanis Græcis vocatur Βετυλῶα in Complutensibus Βετυλῶα, in Suida, Βετυλούα ἡ τῶν Ἰουδαίων πόλις. Betuloea Iudæorum vrbs. In Zonora Tom. 1. Βαιτυλοῦα. Forte verò melius exponeretur *virginitas Dei*, quam *virgo Dei*, pluralis ille *Bethulim* sæpe in scripturis virginitatem significat, Deuter. 22. ver. 14. & 15. Iudic. 11. ver. 36. & 37. Leuit. 21. ver. 14. Ezech. 23. ver. 3.

QVAESTIVNCVLA II.

Quot, & qui Bethuliæ principes?

DVos tantum hic ver. 12. textus noster enumerat Oziam, & Charmi, *qui & Gothoniel*. Hunc tamen locum corrigere videtur cap. 8. ver. 9. vbi tres nominantur Ozias. Chabri, & Charmi deinde & hoc ipso etiam cap. 6. eodem versu 12. textus Græcus totidem recensens. Dices. Ab posteriore Latini textus loco, simulque Græco non corrigitur iste locus, sed magis explicatur, vno scilicet amplius nominato, qui prætcritus hoc loco fuerat. Sæpe siquidem fit, vt in re, cui multi affuerunt, modo plures, modo pauciores nominentur. Assentior omnino. sed in Romano Græco post Oziam est Ἀβρεὶς ὁ τοῦ Γοθονιήλ, καὶ Χαρμὶς υἱὸς Μελχιήλ. In Complutensi, Χάβρεις ὁ τοῦ Γοθονιήλ, καὶ Χαρμὶς ὁ τοῦ Μελχιήλ. Si Abris, vel Chabris est filius Gothonielis, & Charmis filius Melchielis, quomodo de Charmi hic dicitur, *qui & Gothoniel*? Numquid Chabris est ipsius Charmis filius? & cur clarè in Græco non diceretur, *Chabris est filius Gothonielis, & Gothoniel filius Melchielis*, An fortasse, vt Genes. 11. vno eodemq; versu. 29. Abrahæ vxor modo *Sarai*, modo *Iescha* vocatur, sic idem Charmis in Latino etiam Gothoniel esse significatur, cuius filius dicitur Chabris in Græco: Durum quidem videtur, sed illud forte durius, ita videri legendum, *Charmi, qui Melchiel, Chabri qui Gothoniel*. scilicet filius est. Quia enim iamiam dictum erat, *Ozias filius Micha*, ideo cum adiungitur *Charmi, qui Melchiel*, intelligendum *filius est*, & Chabri, *qui* etiam *Gothoniel filius*. Neque Grammatico aspernandum supercilio, quod dicantur filii non *Melchielis & Gothonielis*, sed *Melchiel & Gothoniel*. Nam in Græco ista inflexa non sunt, vnde & textus etiam ait, *Ozias filium Micha* non *Michæ*. Huicque loco assimillimè à S. Luca c. 3. v. 4. dicitur, *qui fuit filius Heli, qui fuit Mathat, qui fuit* (v. 27) *Zorobabel, qui fuit Salathiel*. pro *Zorobabelis, Salathielis*. Duos tamen hic tantum legit etiam olim Rabanus, Oziam & Charmi.

QVAESTIVNCVLA III.

Quales hi Bethuliæ principes?

COnuenit inter omnes, Oziam sacerdotem non fuisse, quia significatissimè ver. 11. *de tribu Simeon* fuisse memoratur. *in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est*, vti & de tribu Iuda inquit Apostolus Hebræ. 7. ver. 14. Duos vero alios, quia *presbyteri* vocantur, sacerdotes fuisse. sentiunt Lyranus cap. 8. & fere Carthusianus isto cap. citraque hæsitationem vllam historia Scholastica. quæ adiecit eosdem sacerdotes, ad belli huius curam, vrbisque totius administrationem Hierosolymis Bethuliam missos. Et possunt ei affirmationi argumenta suggeri, *primum*, quod in illa Israelitarum Republica, solerent non raro ardua magnaque id genus munia sacerdotibus imponi. Nam vt cap. 4. quæst. 2. dictum est. maxima sacerdotum authoritas tum erat. *Deinde* refert Iosephus in vita sua, & lib. 2. Captiu. cap. 42. quemadmodum ad bellum contra Romanos gerendum prouincias, vrbesque & vicos armis consilioque tuendos, Hierosolymis amandati sacerdotes, in quibus & ipse hanc ipsam, in qua iam versamur, Galilæam tenuit, fuerint. Rursumque

quemadmodum cum ex eo dignitatis gradu eum æmuli deturbare vellent, conati sunt πεῖσαι τὸ κοινὸν τῶν Ἱεροσολυμιτῶν τὴν ἀρχὴν ἀφελέσθαι, persuadere Hierosolymitarum Senatui, vt principatū auferret, missique tum è sacerdotali ordine quidam fuerint. *Præterea* ex cap. 33. lib. 2. Paralip. supra cap. 4. notatum est, à Manasse Rege constitutos *in cunctis Iuda ciuitatibus principes exercitus*. idque si de hoc tempore intelligendum, videri factum mediatè, vt scilicet constituendi potestatem dederit Eliachimo Pontifici Rex: ipse Pontifex hos constituerit, & è sacerdotum numero miserit. *Adhæc* ideo in Græco & Latino ver. 11. tam studiosè videtur dici, eos fuisse *Bethuliæ principes*, non simpliciter, sed *in illis diebus*, quasi ob temporum istorum necessitatem tantum principes decreti fuissent. *Postremo*, cum literas mitteret Pontifex cap. 4. ver. 5. verisimile, simul etiam pios prudentes, reique bellicæ gnaros aliquos homines misisse: vel certe, cum Israelis fines ibidem v. 11. hortabundus & consolabundus obiret, aliquos huiusce modi præstantes viros, iis in locis, vbi maxime necessarium videbatur, reliquisse. Altrinsecus tamen occurrit, *primo* quod isti semper in ciuitatis huius seniores & presbyteros numerentur, ver. 12. & 20. cap. 9. ver. 9. 11. & 28. cap. 10. v. 6. *Cumque venissent ad portam ciuitatis, inuenerunt exspectantem Oziam & presbyteros ciuitatis*. Constat vero, præter Hierosolymitanum Senatum, fuisse in vrbe qualibet suos etiam seniores, siue Senatum & principes vel optimates. Tradit enim lib. 4. Antiq. cap. vltimo Iosephus præscripsisse Moysen, vt in vrbe qualibet, septem essent, qui principatum tenerent, eorumque singulis duo adiuncti essent, è Leuitarum ordine, ministri. Et lib. 2. Cap. cap. 42. se in qualibet Galilææ vrbe septem similiter δικαστὰς *Iudices* instituisse refert. Sed & in libro Ruth cap. 4. ver. 2. sunt *seniores ciuitatis Bethleem* 1. Reg. 30. ver. 26. & sequentibus *seniores Iudæ, qui in Bethel, Rameth, Gether, Aroer, Sephamoth, Esthamo, Rachal, in vrbibus Ierameel* & alibi. Iam Israelis regno 3. Reg. 21. ver. 8. sunt in Iezrael *maiores natu & optimates*, 4. Reg. 10. ver. 1. in Samaria similiter. Quid ergo Hierosolymis seniores istos accersere opus, cum huius ipsius ciuitatis esse potuerint, & vero esse à textu significentur? Cur deinde propriorum ciuitatis huius principum mentio nulla fieret, sed aduenarum & legatorum illorum tantummodo? Quæ vero contra dicebam, ea veterem quidem sacerdotum huc illuc legandorum, maximisque negociis præponendorum consuetudinem ostendunt, sed nō vt ita semper factum sit, vel vt alii nisi è sacerdotibus nulli ad munera huiusce modi adhiberentur, vel vt etiamsi iam ab Iliachimo vel missi vel relicti Bethuliæ quidam fuerint: hos idcirco statim esse presbyteros istos concedendum sit. *Mihi ergo videntur hi presbyteri fuisse ciuitatis illius ciues primarii*: sed *Ozias aduena fuisse*, qui iamiam à Pontifice, ob incumbentem belli necessitatem, collocatus hac in vrbe fuerit. Aduenam fuisse, prodit eadem, de qua initio. Simeonia ipsa tribus, cum Zabulonia in superiore quæstione Bethuliam esse doctum sit. Quia tamen & è Simeonia tribu, paulo ante hæc tempora, plures plura in loca migrasse, nouasque sedes quæsiisse indicat prior Paralipomenon ca. 4. ver. 39. 40. 41. & sequentibus, rursumque constat, hoc ipso Manassæ Regis tempore post decem tribuum captiuitatem, ex iis residuos habitasse vbicumque voluerint. aut potuerint, fieri potuisset, vt aduena quidem esset Ozias, quia in alia tribu domicilium habebat, verum aduena, qui ciuitate iampridem donatus esset, cuiusque iam haberetur, & quidem è primariis vnus. Sic enim & Iudith virum, ipsamque Simeoniam fuisse infra patebit cap. 8. quæst. 1. Et videtur hoc inde stabiliri, quod hic ver. 19. Achiorem *suscepit* idem Ozias *in domum suam*. Qui enim suam ista in ciuitate domum habebat, merito eius etiam ciuis videatur. Nihilominus à Pontifice, vt difficillimo isto instantis belli tempore, Bethuliensium rerum summæ vna cum ciuitatis eius senioribus, præesset, iamiam huc missum, mihi est probabilius, quia non Bethuliæ tantum princeps, sed cap. 8. ver. 34. *princeps Iudæ* vocatur & cap 13. ver 23. *princeps populi Israel*. Dicitur vero Achiorem suscepisse *in domum suam*, id est in eam, in qua tum diuersabatur, quæ ipsi tamquam Israelitico principi à Bethuliensibus assignata erat. Veruntamen, absoni quid esset, si propriam hic etiam domū Israelis principem habuisse dicamus? imò si principem quidem Israelis fuisse, sed è Simeonis in Bethuliensi tam vrbe habitantibus, prognatum? ideoque & tanto nunc libentius ad patriæ defensionem accurrisse? Vocatur porro à Zo-nara ὁ τῶν τῆς πόλεως πρόκριτος, princeps eorum, qui incumtat. *Presbyterorum* vero nomen pro iis qui natu & authoritate maiores forent, non autem semper pro sacerdotibus, vix cuiquā ignotum te.

QVÆSTIVNCVLA IV.

An Achiore audiendo, tractandoque parum cauti Bethulienses?

FRonti nulla fides, sed omnium minimè hostium transfugis cito credendum. Nam, vt dicit Sophocles, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. *Hostium munera non munera*. Et ἐχθροῖς ἀπιστῶν μήποτ' ἂν πάθοις βλάβην. *hosti non credens nil feres vnquam mali*. Quam vafre Gabinos, apud Liuium l. 1. Superbi Tarquinii filius decepit? Quam versute Troianos apud Virg. Æneid. 2. Sinon? Quam dolosè Babylonios

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud Herodotum lib. 3. Zopyrus? Confer, si lubet, cum hisce posterioribus, historiam hanc. Si non se dixisse aiebat, Palamedis, *si patrios vnquam remeasset victor ad Argos*, mortem vlturum; se ad supplicium destinatum iam fuisse, vincula rupisse & aufugisse. Achior vero se dixisse ait, Deum Israelitarum, contra tantas Assyriorum vires, defensorem futurum: extrema etiam sibi minitatum Holophernem. Troiani vero *ignari scelerum tantorum artisq; Pelasgæ.*

His, aiunt, lacrymis vitam damus & miserescimus vltro.
Talibus insidiis, periurio, arte Sinonis
Credita res: capitiq, dolis lacrymisq, coactis.
Quos neque Tydides, nec Larisæus Achilles
Non anni domuere decem non mille carinæ.

Iam Zopyrus seipsum verberibus plagisque affecit, deformiter truncauit, naribus, auribusque spoliauit, ad Babylonios sese contulit, omniaque se hæcà Dario, quod, vt Babylonis obsidionem solueret, fuasisset, perpessum, in Babyloniorum magistratuum consessu narrabat. Quem isti, beribus & sanguine totum conspersum & deformatum videbant, vera loqui putarunt. Quomodo nostri ergo Bethulienses cauti satis, dum tam faciles Achioti aures dant, fidem adhibent, eum alloquuntur amicissime honorificentissimeque accipiunt? Nonne & in Chusai audiendo, sua magna cum pernicie, nimium facilis Absalon 2. Reg 17. ver. 7? Nonne & in hac ipsa nostra Iudith admittenda Holophernes? Veruntamen sicuti desertoribus & transfugis non temere credendum, ita suspectos eos nimium habendo, eorum verbis consiliisque nihil tribuendo, in contrarium iturgitantia & leuitas apparet. Nam & *Achior* ita sapienter, apteque omnia & dicebat & agebat, vt ei mento adiungenda fides esset, præsertim cum, ob Assyriorum vicinitatem, iam forte antea grauibus, virtutisque fama, Israelitis minime ignotus esset. *Deinde* ipsum iidem Israelitæ non ad Reipublicam statim & principatum adhibuerunt, vti Sextum Tarquinium Gabini, Zopyrum Babylonii, nulli eius, in aliqua vel excursione vel machina molienda, consilio parueruntvti Sinonis equum vrbe sua egressi acceperunt Troes: sed post eius orationem, omnes in Dei misericordia & ope sibi spes fixas professi sunt: ipsius nomen coram eo, clamoribus, lacrymisque plurimis comprecati sunt: ab hoc & illum optima quæque secum expectare iusserunt: beneuolentia interim & charitate omni, quemadmodum humanitas & ratio postulat, prosecuti sunt. Neque tamen ei adhuc arbitrio suo, quocunque vellet eundi & quidlibet speculandi facti videtur potestas. Illud enim ver. 18. Ozias, *finito consilio suscepit eum in domum suam*, significare videtur, mansisse deinceps in principis huius domo, non quidem vinctum & custoditum, sed tamen aliquantulum obseruatum & in plurium semper oculis constitutum. Vnde & postea, liberatrice Iudith reuersa, Holophernisque caput inferente, dum concurrerent omnes, exultarent, clamarent, ipse non nisi vocatus venit cap. 13.

QVÆSTIVNCVLA V.

Quæ Achiore audito Bethuliensium comprecatio?

DEscribitur ver. 15. in qua & res, quam precantur Israelitæ, & modus quo precantur animaduertendus. Res illa, verbis quatuor exponitur. *Primum: Intuere superbiam eorum.* Et satis hactenus nobis ante oculos versata est. Maiore tamen vi & energia sonat Græcum istud κάνδς ἐπὶ τὴν ὑπερηφανίαν αὐτῶν. *Respice in superbias eorum.* Neque enim vna sed varia & multipartita eorum erat superbia in cogitationibus, verbis & actionibus. *Alterum: Respice ad nostram humilitatem*, Æquum profecto, vt quæ detestamur in aliis, eorum nos contraria fectemur. Græcus ait ἐπίβλεψον ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν ἡμῶν. *Respice humilitatem nostram.* Potest tamen hæc humilitas pro ipsa humiliatione, afflictione & calamitate accipi. Etsi enim ταπείνωσις interdum humilitate, quæ superbiæ opposita virtus est, præditum significat Matthæi vndecimo, versi. 29. 1. Petri 5. hæc ipsa tamen virtus ταπεινοφροσύνη potius vocatur Actorum 10. ver. 19. Ephes. 4. ver. 2. Philip. 2. vers. 3. Colos. 3. ver. 12. 1. Pet. 5. Quid vero inter duo hæc intersit, vere sciteque D. Bernardus epistola 87. *Humilitatis*, inquit, *via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugiat humiliationis. Nam si non poteris humiliari, non poteris ad humilitatem peruenire.* Est autem & hic notandum, *duplicem* esse Dei in homines *respectum. Vnum* ad pœnã est; ad misericordiam & beneficentiam *alter*. Vterque vti hoc loco, ira & Psalmo 24. Prior quidẽ ver. 19. *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.* Posterior vers. 16. *Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego. Tertium: Faciem sanctorum attende.* Sancti vocantur, qui diuinæ sanctitatis quodammodo participes erant, eique consequendæ & venerandæ addicti ac destinati erant. Tales Israelitæ omnes primo quidem per circumcisionem, deinde per sa-

per sacra & cæremonias alias. Tales maximè Sacerdotes, Leuitæ ac Nazaræi. Tales & ipsi iam qui ieiunio vacabant, diuinamque bonitatem implorabant. Nam Græcus habet ἔπιβλεψον ἐπὶ τὸ πρόσωπον τῶν ἡγιασμένων σοι ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ. *Intuere in faciem eorum, qui tibi hoc ipso die sanctificati sunt* quasi ieiunio, precatu aliisque supra politis pietatis exercitationibus sanctificantur. Quemadmodum enim Ioelis. 1. & 2. aliquoties dicitur *sanctificari ieiunium*: ita & homines ieiunio sanctificantur. Possent tamen non sancti aut sanctificati, sed *sancta* etiam & *sanctificata* intelligi, cuiusmodi est templum, omniaque ipsius vasa & ornamenta, ipsa etiam sacrificia, primitiæ, decimæ, alia quæcunque Deo consecrata. Nam de his pius religiosusque Israelitarum animus erat maximè solicitus: eaque, quia Deo cara & grata, idcirco ab eo respici & defendi rogabat. *Quarum. Ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te.* Tota pulcherrima hæc particula è Græco peregrinatur. Verbi porro, *præsumere*, duplex hoc loco significancia obseruanda, cum in bonam malamque partem, eodem isto versu accipiatur. Quemadmodum enim Græcis προλαμβάνειν πρόνοια præ vel antesumere, prioremque sumptionem significat, ita & Latinis *præsumere*, idque vel in sumptione *corporea*, vt cum toties dicit Plinius contra ebrietatem præsumere cicutam lib 10. cap. 22. lib. 25. ca. 13. amygdalas amaras lib. 23. cap. 8. tophi farinam lib. 14. cap. 22. lib. 36. cap. 21. & proprie admodum noster Interpres 1. Corinth. 11. ver. 21. *Vnusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum*: vel in *spirituali* sumptione, mentis videlicet voluntatis actione, idque dupliciter. Nam si id quod oportet, ante alia omnia, cogitando, & volendo sumimus, bona ea præsumptio est, sicque Deum aut de Deo, insigni spe ac fiducia, nostri isti præsumunt: & infra cap. 9. ver. 17. Iudith, itemque apud V. Bedam lib. 1. historiæ Anglorum cap. 19. S. Germanus qui vt voraces grassantesq; flammas euaderet æger, ab aliis *moueri se, fidei præsumptione, non passus est.* Si vero quod non oportet, aut quomodo non oportet, ante alia omnia sumimus, vitiosa præsumptio est, sicque Nabuchodonosor, Holophernes & superbi omnes hic dicuntur *præsumentes de se.* Varia vero præsumptionis huius materia & causa est, vt hisce Assyriis potentia & opes: aliis ingenii dos quæpiam aut ficta virtutis opinio, vt cum D. Hieronymus epi. 27. de se ait, non didicisse scripturas *a seipso, id est, præsumptione, præceptore pessimo.* Ecclesiastici 18. ver. 10. *Vide præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est.* cap. 37. v. 2. *O præsumptio nequissima*: vbi Græcè ὦ πονηρὰ ἐνθύμησις. *O prava cogitatio*: D. Gregor. libro 5. Mor. cap. 10. *Præsumptores quique, nisi, audaci mente robustos se in domino crederent, nequaquam meliorum facta vel dicta, velut infirma indicarent.* D. Bernardus libro de gradib. humilit. gr. 7. *Qui alios se præcellere putat, quomodo non plus de se quam de aliis præsumat? Primus in conuentibus residet, in consiliis primus respondet non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, refutat facta. Quidquid ipse non fecerit aut ordinauerit, nec recte factum, nec pulchrè existimat ordinatum. Iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturis.* Sunt apud Iureconsultos & Theologos præsumptionum alia genera, quæ huc tamen iam assumere, non extra chorum: *Modum* porro comprecationis huius monstrant hæc ver. 14. *Omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, & communi laceratione, & fletu, vnanimes preces suas Domino effuderunt*, idque *per totam diem* ver. 16. & *in ieiunio* ver. 20.

QVAESTIVNCVLA VI.

Quid post orationem & ieiunium secuta nocte, ab Israelitis factum?

RESPONDET versu 21. *Conuocauit ergo omnis populus: & per totam noctem, intra Ecclesiam, orauerunt petentes auxilium à Deo Israel.* E quibus verbis discendum nobis, *primo* quemadmodum *magna* illa, quæ ob Achioris aduentum facta erat, *cœna*, versu 19. nihil impedierit orationis studium piamque pernigilationem. At hodie vel è conuiuiis ad lectum efferri vel ad choreas saltem, commessationes & nugas, vigilare solent nonnulli. Magna fuit illa cœna ciborum & Euangelica Luc. 14. versu 16. ciborum præstantia, ferculorum numero, conuiuarum multitudine, conuiuatoris egregia quæ mihi cœnarum semper caput videtur beneuolentia hilarique caritate, nulla tamen in ea profusio, temulentia, leuitas. Dicebat in epistola, quæ de acceptis munusculis, ad Eustochium est, S. Hieronymus: *Ita tibi semper comedendum est, vt cibum & oratio sequatur & lectio.* Et ad Lætam de institutione filiæ, *Sic comedat, vt semper esuriat: vt statim post cibum possit legere & psallere. Deinde* vigiliarum, quas maiores nostri frequentius coluerunt, quæcunque solum pænè in festis, præterquam in Dominicæ natiuitatis & resurrectionis nocte nobis retentum nomen illustre hic exemplum est. *Per totam* air, *noctem orarunt.* Apud Christianos Græcos vocabuntur παννυχίδες, vt ostendit Eusebius lib. 6. hist. cap. 25. & 34. apud Latinos *sacræ vigiliæ* aut *pernigilia*, vt in Lactantio est lib. 7. c. 19. *conuocationes* etiam *nocturnæ*, in Tertulliano lib. 2. ad Vxorem capit. 4. quod videlicet non priuatim in cuiusque domo, sed quemadmodum hoc ipso loco, publice in vnam omnes Ecclesiam euocarentur. Dehortans ille fœminas Christianas ne Gentilibus nubant, *Quis*, ait, Gentilium virorum, *nocturnis conuocationibus, si ita oportuerit, à latere suo eximi;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

eximi libenter ferat? Quis solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Plura vero de iisdem vigiliis Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum, cap. vltimo. Reuerendiss. Baronius Tomo. 1. Annalium. Christiani tamen populi nomine, sunt in Ecclesiasticorum Breuiariis nocturna officia, in Canonicorum Collegiis, in plurimorum Religiosorum cœnobiis nocturnæ matutinæque preces, vt vix noctis momentum sit, imò ne sit quidem, quo, in Ecclesia Catholica, diuinæ maiestatis precatio non adhibeatur. Et vbi paulo ardentior pietas, dum pericula quædam grauiora ingruunt, assiduè diu noctuque, vel quadraginta horarum, vel plurium etiam spatio, fiunt orationes. Verum & de hoc forte iterum aliquid cap. 12. ver. 5. *Tertio* ipse precationis peruigilationisque huius locus non prætereundus. Quid enim est *intra Ecclesiam*? Græcis ἐκκαλεῖν *euocare* est, & idcirco significat *ecclesia*, vel populum qui euocatur, vel ipsum, in quem is euocatur, locum. Et priore modo dicitur concio aut cœtus, estque vel *sacer* vel *prophanus*. *Sacer*, vt num. 20. Deuter. 23. Iudic. 20. 1. Reg. 17. 3. Reg. 8. 1. Paralip. 29. & 2. cap. 7. Psalm. 21. 34. 67. 88. 1. Machab. 3. & 5. in nouo item Testamento sæpissime, vt Matthæi 16. 18. 1. Corinth. 1. 14. 15. alibi. *Prophanus*. vt Psalm. 25. Actor. 19. ver. 39 & 40. Est vero *vterque* iterum *duplex*. *Vnus* status, atque ordinarius, quando, secundum præscriptum ordinem, certis, statisque temporibus fit. vocaturque Actor. 19. versu 36. ἔννομος vel τεταγμένη ἐκκλησία, *legitima concio*, non quod τῇ συγχύσει tantummodo seu turbulentæ seditioseque concioni apponatur. *Alter* extra ordinem, & dicitur σύγκλητος ἐκκλησία, *aduocata & extraordinaria concio*. quando, ob præsentem aliquam necessitatem, magnique momenti negocium, aduocabunt extra consuetam temporis rationem. Hic *ecclesia* pro loco sumitur, vti declarat particula, *intra*: & quidem ita, vt eum in locum, extra ordinem, conuocatio fieret. Ideo enim additur, *conuocatus est omnis populus* συνεκλήθη πᾶς ὁ δῆμος, vel πᾶσα ἐκκλησία, licet in Græco non sit tota hæc particula. & infra cap. 7. v. 18. locum itidem denotat *ecclesia*. Huiusmodi porro Iudæorũ diuersis in locis Ecclesiæ, vocabantur *Synagogæ*, Matthæi 13. Mar. 13. Luc. 4. & 7. v. 5. *Synagogam ædificauit nobis*. item προσευχαὶ vt ex Philone lib. de legat. & in Flaccum apparet, ex Iosepho loco ante citato in vita sua. vbi etiam ait συνάγονται πάντες εἰς τὴν προσευχήν. *Congregantur omnes in proseucham*. Sed quid *proseucha*? subdit ipse, ὄνειμα πολὺν ὄχλον ἐπιδέξασθαι δυνάμενον, *ædificium, quod magnam hominum multitudinem capere poterat*, & à precibus ac votis, quæ εὐχαὶ sunt, ibique fiebant, ductum nomen. Vnde & colligimus, non solum contra veteres Ecclesiarum euersores, sed & nouos, templa rectè construi, & cui rei? vt preces ibidem scilicet fundantur, diurni nocturnique, cũ ita expedit, Ecclesiæque pastores aut iubent, aut monent, in obsecrationibus & lacrymis conuentus habeantur. *Quasi facta manu oramus*, inquit in Apol. Tertullianus. *Hæc vis Deo grata est*. Sed in Bellarminum lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 4. plurium cupidus eat Lector. Videntur tamen Iudæi & alia, quæ ad commune bonum spectarent, in iisdem proseuchis interdum egisse ac tractasse, vti loco citato indicat Iosephus & Græcus hoc loco textus, dum v. 10. ait, captum Achiorem, in Ecclesiam adductum, ibidemque à Senioribus & concurrente omni multitudine, & fœminarum etiam & puerorum, spectatum & anditum fuisse, & v. 19. vbi noster habet, *finito consilio*, idem Græcus ait, παρέλαβεν αὐτὸν Ὀζίας ἐκ τῆς ἐκκλησίας εἰς οἶκον αὐτοῦ. *Accepit eum Ozias in domum suam*.

CAPVT VII.

1 Holofernes autem altera die præcepit exercitibus suis, vt ascenderent contra Bethu-
2 liam. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupauerat captiuitas, & abducti fuerant de prouinciis & vrbibus vniuersæ inuentutis.
3 Omnes parauerũt sese pariter ad pugnam cõtra filios Israel, & venerunt per crepidinẽ montis vsq; ad apicem, qui respicit super Dothaim, à loco qui dicitur Belma vsq; ad Chelmon, qui est contra Esdrelon.
4 Filii autem Israel, vt viderunt multitudinem illorum, prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes vt Deus Israel misericordiã suã ostenderet super populũ suum.
5 Et assumentes arma sua bellica sederunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, & erant custodientes ea tota nocte.
6 Porro Holofernes, dum circuit per gyrum reperit quod fons, qui influebat, aquæ ductum illorum à parte Australi extra ciuitatem dirigeret, & incidi præcepit aquæ ductum illorum.
7 Erant tamen non longe à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandũ potius, quam ad potãdum.
8 Sed filii Ammon, & Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes: Filii Israel non in lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio constituti.
9 Vt ergo sine congressione pugnæ ponas sine perare eos, pone custodes fontium, vt non hauriant aquam ex eis, & sine gladio inter-

fecies eos, vel certe fatigati tradent ciuitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse.
10 Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, & coram satellitibus eius, & constituit per gyrum centenarios per singulos fontes.
11 Cumq; ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita vt non esset intra ciuitatem vnde satiarentur vel vna die, quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie.
12 Tunc ad Oziam congregati omnes viri, fœminæque, iuuenes & paruuli, omnes simul vna voce dixerunt:
13 Iudicet Deus inter nos & te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.
14 Et ideo non est qui adiuuet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna.
15 Et nunc congregate vniuersos, qui in ciuitate sunt, sponte tradamus nos omnes populo Holoferni.
16 Melius est enim vt captiui benedicamus Dominum, viuentes, quam moriamur, & simus opprobrium omni carni, cum viderimus vxores nostras & infantes nostros mori ante oculos nostros.
17 Contestamur hodie cœlum & terram & Deum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secundum peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holoferni sit finis noster breuis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate fiti.
18 Et cum hæc dixissent, factus est fletus & vlulatus magnus in Ecclesia ab omnibus & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes.
19 Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.
20 Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo, qui ignorat te.
21 Vt non dicant inter gentes: Vbi est Deus eorum?
22 Et cum fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent,
23 Exurgens Ozias infusis lacrymis, dixit: Aequo animo estote fratres, & hos quinq; dies expectemus a Domino misericordiam.
24 Forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo.
25 Si autem transactis quinq; diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

COMMENTARIVS.

BEthuliæ describitur obsidio. quoad eius principium & progressum: & vtrumque quoad obsidentes & obsessos. In principio est obsidentium numerus ad vrbem accessus. Numerus in Latino textu est, *pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia*. Ecce alius iam equitum numerus & duplo ferè maior quam fuerit cap. 2. ver. 7. Neque dicere licet in maiori isto numero annumerari eos, qui ex domitis occupatisque populis & regionibus accesserant quamplurimi, cap. 3. vers. 8. Idenim diligenter cautum hic est, dum adiicitur, *præter præparationes virorum illorum, quos occupauerat captiuitas, & abducti fuerant de prouinciis*. Ideoque opinor, initio cum itineri se dedit Holophernes non fuisse nisi equitum sagittariorum duodecim millia, expectata tamen adhuc è gentibus, quæ Assyrio tam tum imperio parerent, vel ei fœderatæ essent, plura millia quæ consequi iussa sint, pertineantque ad illos etiam, quos cap. 3. vers. 15. expectauit Holophernes. Græca tamen hic æra rursum à Latinis discrepant. Peditum enim *millia centum & septuaginta* ostendunt: equitum *duodecim* tantum *millia*. Neque tamen à Latinis tantum, sed à seipsis dissentiunt. Antea liquidem c. 2. peditum *centum viginti millia*, pauciora scilicet quam hic: & equitum *centum* item ac *viginti millia*. multo numirum quam hic plura. Sed quoad pedites, componi queat lis non difficulter. Licet enim existimare antea Græcum ipsum enumerasse pedites, qui itineris initio aderant, non eos, qui consequi iussi sint, vti de equitibus iamiam in Latino dicebam: eundem tamen Latinum pedites, qui postea consecuti sint, silusse. Cum silentio tamen cautã mihi quidem nulla compareat, viaticos Græci textus numeros existimo. Quomodo enim è centum viginti duobus equitum millibus, ad duodecim millia ventum iam esset? Quæ hactenus pugna, quæ clades, quæ contagio tot chiliadas attriuit? Ex isto potius loco malim priorem illum sanare, vt pro myriadibus legendæ ibi sint, quemadmodum hic χιλιάδες δύο καὶ δέκα. Retinet verò ram equũ quam peditum collocatum hic numerum Zonaras Tom. 1. Accessus verò eorum ver. 3. est ubi *Belma*, in Græcis Romanis est βελμάν, in Complutensibus βελμαὶμ in Brocardo lib. de terra sancta, *Abelma*. *A Rama*, inquit, *est vna leuca & dimidia ad villam quandam, quæ olim grandis, sunt vocata Abelma, distans à Dotaim media leuca versus Orientẽ. de qua in 1. Iudith fit mentio. De Abelma est vna leuca ad montẽ Bethulia*. Et videtur eadẽ quæ in Græco infra c. 8. v. 3. Βεθλαμαΐμ. *Chelmo* verò in vtrisq. Græcis κυαμών, vel per allusionẽ *Chelmõ*, vel ob fabarũ, q̃ ibi crescebãt, multitudinẽ. Est n. faba κύαμος Hebr. phas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

phol. 1. Reg. 17. ver. 27. Græci tamen textus ipsam potius castrorum metationem hîc describunt, & quidam ita, vt ex loci occupatione, ingentem hostium multitudinem commonstrent hoc modo. *Castra posuerunt ad fontem in valle propinqua Betuliæ, eaque extenderunt in latitudinem à Dothaim vsq; Bethleem, in longitudinem à Betulia vsq; Cyamonem, quæ Esdrelom è regione obiecta est.*

Iam *obsessi* hoc ipso principio, *tria* fecerunt. *Primum* in Græcis traditur. *Israelitæ, vbi horum multitudinem viderant, admodum conturbati sunt, dixeruntq; alius alij. Nunc isti totius terræ faciem abligurient, ita vt neque editi montes, neque valles, neque colles eorum onus seu vim atque impetum sustinere possint.* Quod *abligurient*, dixi, Romanus ait, ἐκλείξει. Complutensis tamen ἐκκλείσει, *occupabunt & adaperient*, referabunt. Sed alterum illud maiorem multo significantiam habet, quasi subito deuorare omnia, linguisque tantum exertis elingere, aut ecligmatum seu electuariorum instar, ligurire quam citissime faciilimeque possint. *Alterum* in Latino solo est. *prostrauerunt se super terram mittentes cinerem super capita sua, vnanimes orantes.* Metus ergo illorum & trepidatio magna fuit, non tamen tanta, vt animo caderent, præsidiorumque, tali tempore oportunissimorum penitus obliuiscerentur. Ea porrò, vt ante dictum est, diuina & humana sunt. Ad illa primo, & quidem sapientissime religiosissimeque aggrediuntur, potestque hic rursum notari & eorum à Deo petitio, & ipse petitionis modus. Sed illud nunc adnotetur. quemadmodum boni Catholicique milites pugnam inire soleant. Prius enim de peccatis dolorem suscipere: si tempus ferat, de iis confiteri, & preces & auxilium obsecrare solent. Tum vero humanis quoque viribus depugnare incipiunt. Sequitur enim *tertium* ver. 5. *assumentes arma sua bellica sederunt per loca.* id est, manserunt ἔμειναν, *consistebant.* In Græcis additur ab iisdem Israelitis ignes excitatos, sed variante lectione. Nam complutensis habet ἀναλάμψαντες πυρὸν *accendentes pyram.* Romanus ἀναλαμπαντες πυρός. Id vero non ob molles & effœminati milites, vt prima statim nocte, focum requirerent?

In *progressu* ipsi *obsidentes. Primo* ver. 6. ipsis obsessis *aquam* eripiunt. Ea vero duplex erat. *Vna* patula & copiosa, quæ è montis parte inferiore, seu Australi valle per canalem in vrbem influebat, *de fons dirigebat?* Quomodo non ipse fontem potius? An *dirigabat* pro *dirigebat*, legendum? An abundantem ciuibus aquam præferret? *Altera* minus copiosa, minusque patula ver. 7. quæ in Græco dicitur è montis radice promanare, sed in nostro, *non longè à Bethuliæ muris.* & quidem pluribus refocillandis, quam siti explendæ omninoque depellendæ apta esset. Hæc vero non fuerat initio tandem est, sed *quomodo?* Cum bibentes iis in locis auiculas ille cerneret, ait Scholastica historia, sed homines. & Israelitarum quidem vicinos, indices proponit scriptura vers. 8. Ammonitas & Moabitas. Licet enim illorum dux Achior Israelitis deditus esset, ipsi tamen vel metu, vel adulatione, vel aliqua in ducem ipsum, quia bonus nimium, ira & odio exiguum hoc Israelitarum solatiolum prodiderunt, cum ob viciniam, & locorum & oportunitatum istarum ignari non essent. Pro his tamen ponunt hic Græci, *filios Esau*, siue Idumæos, & apponunt *ora maritima duces*, Philisthæos scilicet, vel potius hos vtrosque apponunt, quemadmodum textus noster istos præterit quidem, non tamen negat: ita *filios* hîc *Ammon* omittunt Græci, neque ipsos tamen inficiantur, ne vela aquila hac Israelitis frui liceret, fonticulorumque scatebræ omnes acri custodia tenerentur, mulque eius, quod ex ea statim secutum, explicatio hæc. *Profecti sunt ergo Ammonitæ cum quinq; filiis Esau & Ammonitæ in regionem montanam ascenderunt, castraque locauerunt è regione Dothaim. Porro parsi Chouri) quæ super torrentem Mochomour sita est. Reliquus Assyriorum exercitus in campo castra habuerant in multitudine valde magna.* Tam arcta vero grauisque obsidio & fontium custodia in textu siceret. Mihi in numeris Græcorum à Latino discrepantium arithmetica fere semper suspecta, vti iam aliquoties indicaui. Nunc obsessi quid egerint, intueamur.

Magnum *obsessis* telum fames ac siti, sed nescio quo modo molestior & importunior hæc, idcoque plurimas, virisrebusque aliis omnibus optime instructas arces & vrbes domuit, queamadmodum ostendit lib. 7. cap. 5. Polybius, lib. 4. Lucanus, lib. 15. Antiquitat. cap. 8. Iosephus, & li. 1. Captiui. 14. libro. 3. cap. 13. vbi & addit, quod huc ver. 11. spectat, hoc ipsum, quod *ad mensu-*

ram aqua diuiditur; ipsa penuria videri molestius. quia τὸ μὴ αὐτὸ ξύσιον πλῆθος κινεῖ τὴν ὄρεξιν, *magni appetitum proritat, quod liberum non est.* Aquæ verò penuria quanta hic fuerit, ita exponit, præter ea, quæ in Latino sunt; Græcus. *Exanimabantur infantes eorum, mulieres ac iuuenes præsiti deficiebant, & concidebant in vrbis plateis, portarumq; transitu, neque vllum in ipsis amplius robur supererat.* Tunc ego, vt paulò antè idem Græcus dixerat, ὠλιγοψύχησε τὸ πνεῦμα αὐτῶν, *elanguit spiritus ipsorum.* paruo angustoq; iam animo esse cœperunt; & Oziam omnes adierunt v. 12. eique dixerunt v. 13. ideo se in tantum vitæ discrimen venisse, quòd, quemadmodum vrbium prouinciarumq; aliarum principes cap. 3. v. 1. & sequentibus, poscere ab Holopherne pacem noluerit: se à DEO iam traditos (id enim vendi significat, vti pluribus, in Iudicibus, exposui) in Assyriorum manus. rogare, vrbem nunc dedat. quia, vt antea cap. 3. ver. 2. è duobus malis deligendum minus. Sed *minus* hoc *malum duplex* isti significant. *Vnum* ver. 16. præstare, vt laudandum DEVM, adhuc in vita maneant, quam cum suo, & religionis opprobrio, ipsi cum vxoribus & liberis moriantur. *Alterum* ver. 17. præstare, vt breui citaque, per gladium, morte defungantur, quam per assiduum aridarum faucium tormentum longo lentoque supplicio deficiantur. Dicuntur in Græco, hæc non vni Oziæ, sed principibus omnibus. quia tamen omnium præcipuus erat ille, ipsi, dubio procul, præcipuè dicta sunt. ideoque & ipse, non in Latino tantùm, sed & in Græco, solus respondet vers. 23. ex aliorum tamen principum sententia. vt ostenditur etiam cap. 8. ver. 10. Licet verò tristes admodum, exanimati, metu sitique fracti hæc illi dicerent, nunquam tamen de diuina misericordia & ope desperarunt. ad diuina iterum præsidia confugerunt valdè seriò & diu, v. 18. & sequentibus. Nam & cum fletu, & cum vlulatu, eoque magno, & ab omnibus, & non priuatim aut singulatim, sed publicè & in Ecclesia, & cum peccatorum suorum confessione ac detestatione, denique ad extremam vsque fatigationem & lassitudinem, ver. 22. ab iis ad DEVM clamatum. An tot tamque serias preces miserator & misericors, Pater ille misericordiarum contemnat? Adhibent ergo & huius diuinæ bonitatis professionem ver. 20. petuntq; non simpliciter ne pœnarum nihil sufferant, sed tantummodo ne, cum diuini nominis & religionis contemptu, in idololatrarum superbissimorumque hostium manus veniant. Ideò & alias quascunq; pœnas, vt morbos, famem, pestem, aliaq; similia, præ hostili hoc exilio; DEI *flagellum* vocant ver. 20. eo modo quo Dauid 2. Reg. 24. ver. 14. *Coarctor nimis: sed melius est, vt incidam in manus Domini (multæ enim sunt misericordiæ eius) quam in manus hominum.* & 1. Paralip. 21. v. 13. Collachrymati populo sunt Principes, ipseq; inprimis Ozias *lachrymis infusus*, ea dixit, quæ sunt 24. de quibus plura sequente, ver. 11. & sequentibus.

QVÆSTIVNCVLA.

QVÆ ex hoc capite, vel historica refutentur vel ethica discantur?

HISTORICA duo planè hinc refutantur. *Vnum* in Cedreno est, dum Hierosolymam ab Holopherne circumsessam, propeque huius mœnia, illius tentorium fuisse tradit. Numquid enim Bethulia Hierosolyma est? an parum accuratè ab hac illius & locus & mons, & vicinia, nomen, magistratus, aliaq; omnia distare monstrantur? ver. 3. 5. 6. 7. cap. 4. ver. 6. cap. 7. 10. cap. 15. ver. 9. clarissimè cap. 16. ver. 22. 25. *Alterum* in Suida verbo ὁλοφέρνης. vbi narrat, quemadmodum Achior, vt quam ei minitatus erat Holophernes, mortem euaderet; defectionem simularit, & vi Bethuliæ, seu, vt ipse scribit Betuloæ, aquas occupârit, sicque vrbē istam, vt iamiam se dedere cogitaret; coegerit. Non apertâ si non Suidæ, aliorum certè, qui ea in illum postea infarserunt; somnia sunt? Possit & *tertium* illud in Sulpitio adiungi, quòd Oziam scribit populo persuasisse, vt dies adhuc *quindecim* deditionem differret, nisi, quod facilè contingit; librariorum potius erratum videretur, ponentium xv. pro v. Sed quæ mores conforment *ethica*, iam sunt inde Commentario interspersa nonnulla. paucula tamen adiungenda. *Primum*, vt quando, religionis causa; nostras à Turcis vel hæreticis vrbes contingit obsideri, non manus statim demus: sed armorum, excubiarum, dimicationum labores feramus, negociationum cessationes, villarum, hortorum, omniumq; voluptatum excidia, facultatum etiam direptiones, famem denique ac sitim, Bethulienſium exemplo, quamdiu fieri potest; toleremus. Neque enim isti ad querelas statim & effœminatas complorationes venerunt, sed tantùm post complurium dierum tolerantiam; cum siti iam torridi penitus marcescerent, vti suprà dictum est. Quid enim? Quod Gentiles olim tam multi, tot hodie barbari tam pertinaciter faciunt, Christiani Catholicique homines; ad DEI gloriam, ipsiusque honorem fortiter non faciant? *Alterum*, vt quando diutius ferre mala extrema non possunt, modestè Magistratus & Gubernatores adeamus, miserias iis nostras, & simul rationes, non per tumultum & seditionem, sed pacatè demisseque proponamus. *Tertium*, vbi proposuerimus, & illi tolerantiam adhuc nostram proferri diutius voluerint; acquiescamus adhuc, & modestiæ, fortitudinisq; numquam oblisciscamur. *Quartum*, non imitemur in eo tamen Bethulienses, quod vellet nunc v. 13. deditionem initio statim à se factam fuisse. *Ps.* ait Trinummo ille, *probus est, quem non pœnitet, quàm probus sit, & frugi bona.* Quod ab iis factum hactenus, fortiter ac religiosè factum est. cur bene ipsos factorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

pœnitet? His illi similes, qui, nè temporalium bonorũ minima vel iactura vel cõcussio sit, perpetuò volunt *loqui pacificè Assyriis*, quidlibet hæreticorum importunitati annuere. Sed Bethulienſium impatientiam extrema quodammodo excusat necessitas. Machiauelliſtis verò & Amphidoxis excusatio quæ? *Quintum*, calamitatum, quibus cruciamur. causam diligenter ante oculos semper habeamus, & confiteamur. *Peccauimus cum Patribus noſtris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus.* Sanè nisi fuisset, in Lutheri, Caluini & hæreticorum aliorum exortu, Clericorum disciplina solutior, doctorum vel raritas vel segnitia maior, omnium vita corruptior, numquam malorum tantum ærumnosa sensisset. Quemadmodum enim è corporum vestiumque pædore, ac illuuie pediculi: sic è Catholicorum vitiis & sordibus hæreses nascuntur. *Sextum*, non putandum est, eorum vtrumq; verum esse, quæ bonis istis, sed nimium sitibundis, quasi minora mala visa sunt. Minus quidem cordi malum est, citissimè ensis ictu mori, quam lento vel morbo vel fame ac siti contabescere: animo tamen & virtutis, meritorumque apud DEVM, dignitati non item. Melius est, vt qui DEVM rectè sitiunt, *captiui benedicant Dominum viuentes*, quam moriantur. at non semper. Vbi alioqui martyres? vbi fortes ac generosi religionis patriæque propugnatores? Sed cum fecerunt homines quod in se est: cum captiuitatem inuitis & repugnantibus imponit necessitas, vel pius sanctusque suadet Ieremias quispiam Ieremię 21. & seq. *Septimum*. Rectissimè Bethulienses, nobis hunc viuendi finem & scopum esse demonstrant, vt *benedicamus Dominum. Posuit*, inquit Ecclesiasticus c. 17. v. 7. DEVS *oculum suum super corda ipsorum hominum ostendere illis magnalia operum suorum. vt nomen sanctificationis* collaudent, *& gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius.* Vnde liber de diligendo DEO in D. Augustini Tomo 9. c. 2. *Considera*. inquit, *diligenter a quo, quare, vel ad quid creatus sit homo. ata est rationalis creatura? Ad laudandum* DEVM, *ad seruiendum ei, ad fruendum eo, in quibus ipsa proficit, non* DEVS. DEVS *enim perfectus, & summa bonitate plenus, nec augeri potest, nec minui. Quod autem creatura rationalis facta est à* DEO, *referendum est ad creatoris bonitatem, & ad creaturæ vtilitatem. Cum igitur quæritur, quare vel ad quid facta sit rationalis creatura, respondendum est propter* DEI *bonitatem & creaturæ vtilitatem. Vtile nempe est ei seruire* DEO *& frui eo. Octauum.* Expende si lubet, æstuantissimæ licet, sitis flammæ Bethulienses, vel iis noxia petentibus principes ipsi cessissent, in quantam seipsos miseri am coniecissent? quàm insigni DEI beneficio nobili victoria æternaque se populumque vniuersum spoliassent? Venit in mentem Lysimachi Macedonum Regis, qui, narrante Plutarcho, cum Thracia ipse, toto cum exercitu, intoleranda siti vrgeretur, sese hosti dedidit. & cum captiuus, optato iam potu potiretur ac biberet, exclamauit. *O dij, quam praua voluptatis causa, meipsum ex Rege seruũ effeci!* Id verò toties nobis accidit, quoties, ob cibi vinique alicuius intemperantiam, ob aliam quamcumque voluptatem, Holophernæ nos tartareo constringendos damus, vt ex filiis DEI, regni cœlestis hæredibus, veriſque ac magnis, vti antea dixi; Regibus, miserrima diaboli mancipia, infelicissimæ æternorum ignium arbores, postremissimi postremissimorum cacodæmonum serui efficiamur. Scio quendam, qui cum hac in vita famem, sitimque nullam ferre, quin potius epulis poculisque indulgere maluisset, in inferno postea, frustrà tamen, clamans dixerit: *Pater Abraham. miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc 16. *Nonum* & postremum esto, nostri temporis Holophernas, qui Bethuliæ aquas eripiunt, esse ipsos hæresiarchas Lutherum, Caluinum, Schvvenkfeldium, Filidinum, alios. Est enim Catholica Ecclesia *Bethulia*, DEI virgo castissima, 2. Corinth 11. v. 2. in monte celsissimo posita Isaiæ 2. vt explicat D. Augustinus epist. 170. & tract. 1. in epist. 1. S. Iohannis. Huius fontes sunt sacrosancta septem *Sacramenta*, *sacriq;* duorum Testamentorum *libri*. Hos, ne diuina in nos gratia influat; nobis adimunt. multo variorum argumentulorum & sophismatiorum milite sepiunt, veintercidunt. Filidino, Caluino, Anabaptistis non est Baptismus necessarius. Sicq; aquæ penuria in non continet. sed cisterna vacua est, fons aridus. Luthero, ante sumptionem, similiter sacri nihil habet. puteus tantum inanis est. In ipsa verò sumptione adesse debet inobedientia, Ecclesiæq; CHRISTI vnam laico speciem porrigentis contemptus, vt omnis illico è fonte isto humor euanescat, sicque cœlestis aquæ à Confirmatione, Pœnitentia, Ordine, Matrimonio, Extrema vnctione ductus sunt, & maritos, valentes & ægrotantes aridissima sitis conficiat & exanimet. Librorum verò diuinorum quot, & quàm ætherio rore vuidas partes, tanquam vberrimos canales auerterunt? Quomodo veratum, Sanctarumque interpretationum tubos & commeacula omnia confregerunt & concidetunt! *Fontinuli* sunt omnes Ecclesiastici ritus & *caremoniæ*, omnia præcepta & institutа, omnes veterum sanctorumq; *Patrum Commentary*. Neque enim omnia hæc superioribus fontibus æquiparanda, suam tamen & ipsa diuinam aquam Bethuliæ ciuibus præbent. Intercipiunt, interuertunt, & obsident fonticulos istos hæretici, dũ ab eorum vsu adituq; arcere omnes ac prohibere satagunt. Hinc tanta & tam obscæna vbiq; sitis. vt iam fiant, quæ Annæus ille Poëta olim scribebat. Nec tamen pecudum *sordidus exhausto sorbetur ab vbere sanguis*. sed, quod multò miserabilius: hominum & quidem Christianorum, tot tamque diuturnis ciuilibus bellis, cruor bibitur. *Et*

Et licet in fluuios saniem, tabemq; ferarum
Pallida Dictæus hostes nascentia saxis
Infundant aconita palam, Germana iuuentus
Non decepta bibat. Torrentur viscera flamma
Oraque ficca rigent squamosis aspera linguis
Iam marcent venæ, nulloq; humore rigatus
Aëris alternos angustat pulmo meatus,
Resciſſoq; nocent suspiria dura palato.
Pandunt ora siti, nocturnumq; aëra captant.

vt eo scilicet aliquantulum refrigerentur, qui, si ab Holopherne Bethulienſium aquarum venæ ac fistulæ occupatæ, custodiaque Gentili circumuallatæ non essent; limpidissimis salubertimisq; Saluatoris nostri fontibus potari, lauari, & refocillari potuissent. Nunc *adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti*. Thren. 4. sternunturque passim non corpora, sed animæ innumerabiles, cœlestium laticum penuriâ. Legatur hoc loco Rabanus, D. Bernardus serm. 1. de natali Domini, D. Gregorius in caput 4. Canticorum, S. Augustinus in Psalm. 73. In scripturæ allegoriis, quas Godefridus Tilmannus Parisiis edidit, est & hæc non contemnenda. *Tunc inuidit diabolus aquæductum, cum fecit interrumpere studium litterarum. Erant autem non longè à muris fontes, dogmata philosophorum, qui scientiæ & honestati aliquod conferunt solatium. ex quibus videbantur haurire aquam ad refocillandum potius quam ad potandum. Nota, furtim, & ad refocillandum.* Ita ibi.

ALTERA LIBRI PARS.

CONTINET admirabilem Israëlitici populi à tanto, tamque formidabili periculo, per Iudith factam, liberationem. à capite octauo ad capitis decimiquinti versum nonum. potestq; pars ista diuidi in ea, quæ *ante sublatum Holophernem* contigerunt, & in ea, quæ *post*. Illa rursum duplicia sunt. Vel enim *Iudæis* & *apud Iudæos* à Iudæa ipsa Iudith facta sunt, vel *cum Assyriis*, & *apud Assyrios*. Priora sunt in capite 8. 9. 10. vsque ad versum 11.

CAPVT VIII.

1 ET factum est, cùm audisset hæc verba Iudith vidua, quæ erat filia Merari filij Idox, filij Ioseph, filij Oziæ, filij Elai, filij Iamner, filij Gedeon, filij Raphaim filij Achitob, filij Melchiæ, filij Enan, filij Nathaniæ, filij Salathiel, filij Simeon, filij Ruben.

2 Et vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ:

3 Insidebat enim super allegantes manipulos in campo, & venit æstus super caput eius, & mortuus est in Bethulia ciuitate sua, & sepultus est illic cum patribus suis.

4 Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus, & mensibus sex.

5 Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur:

6 Et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbatha, & neomenias, & festa domus Israel.

7 Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis bourn, & gregibus ouium plenas.

8 Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.

9 Hæc itaque cum audisset, quoniam Ozias promisisset, quod transacto quinto die traderet ciuitatem, misit ad presbyteros Chabri & Charmi.

10 Et venerunt ad illam, & dixit illis: Quod est hoc verbum in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium?

11 Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?

12 Non est iste sermo qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.

13 Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei:

14 Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamur, & indulgentiam eius fusis lachrymis postulemus:

15 Non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neq; sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur.

16 Et ideo humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato, seruientes illi,

17 dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam fiat nobiscum misericordiam suam: vt sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorũ, ita etiam de nostra humilitate glorietur:

18 Quoniam non sumus secuti peccata patrũ nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adorauerunt deos alienos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis: nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum.

Expectemus humiles consolationem eius, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, & humiliabit omnes Gentes, quæcunque insurgunt contra nos, & faciet illas sine honore Dominus Deus noster.

Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, vt memores sint, quia tentati sunt patres nostri vt probarentur, si vere colerent Deum suum.

Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.

Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses. & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.

Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt.

Exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.

Et nos ergo vlciscamur nos pro vlt, quæ patimur.

Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quibus quasi serui corripimur ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus.

Et dixerunt illi Ozias, & presbyteri: Omnia, quæ loquuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio.

Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & timens Deum.

Et dixit illi Iudith: Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis:

Ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, & orate, vt firmum faciat Deus consilium meum.

Stabitis vos ad portam nocte ista, & ego exeam cum abra mea: & orate, vt sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel.

Vos autem nolo vt scrutemini actum meum, & vsque dum renunciem vobis, nihil aliud fiat. nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.

Et dixit ad eam Ozias princeps Iudæa. Vade in pace, & Dominus sit tecum in vltionem inimicorum nostrorum. Et reuertentes abierunt.

COMMENTARIVS.

IPSA liberatrix Iudith primo describitur. deinde prima ipsius ad liberationem aggressio. Describitur verò quoad *genus* vers. 1. *statum* vers. 2. 3. 4. *religionem* vers. 5. &. 6. *corporis fortunæque bona* vers. 7. denique quoad *famam* vers. 8. Est verò aduertendum, totam sententiam in contexru pentheſi omnia. & sic initium istud connectendum. *Et factum est cum audisset hæc verba Iudith vidua*, incipiendo simpliciter. *Et audiuit in diebus illis Iudith.* Huiusmodi verò hyperbaton declinauit Græcus Paralip. 5. vers. 1. & 3. *Filij quoque Ruben primogeniti Israël, filij ergo Ruben primogeniti Israel.*

QVÆSTIVNCVLA I.

Iudith genus quod?

DVO hîc litigiosa. *Vnum* de Iudith ipsius tribus est. Nam *Scholastica historia* & ferè Dionysius Carthusianus, ipsam, quoad patrem, è Rubenica tribu: quoad matrem è Simeonica esse autumant. *Alij*, quos inter, ab interlineari glossa Hugo ponitur; vnius tantùm, quoad vtrumque parentem, tribus extitisse volunt. Quibus ego tanè assentiendum arbitror. *Primò* quia ipsa infrà c. 9. vers. 2. Simeonem patrem vocat: neque communi quodam modo, quo Israëlitarum omnium Patriarchæ omnes patres sunt; sed proprio, *suum. Domine*, inquit, DEVS *patru mei Simeon. Deinde*, cum in eodem illo facto, quod in eodem ipsa loco deprædicat, Simeon is fuerit Leui socius, cur illum potius quam hunc nominaret, aut certè cur vtrumque simul non mentionem faceret, nisi Simeonis, quam primi suæ tribus auctoris exemplar intueri, ab eo precum suarum efficacitatem quandam ducere voluisse? *Tertiò*, cum eius hic maiores recenseantur, nullus tamen vsquam in Græco *Ruben* auditur. At in Latino auditur. Cum enim vers. 1. dicta esset filia Merari hic ipse tandem *filius Simeon*, & hic *filius Ruben* dicitur. Verùm neque in Geneſis capite 46. vers. 9. neque in prioris Paralip. capite 5. vers. 3. vbi Rubenis filij recitantur, vllus, cui Simeonis nomen fuerit, inuenitur. Si præterea filiorum Ruben aliquis esset Simeon, non tamen is esset, quem infrà cap. 9. vocat ipsa Iudith *patrem suum*. Hic enim è duodecim Patriarchis vnus fuit Genes. 34. Neque dici potest, Rubenis filionon ita tamen vt præcipuorum nomina Patriarcharum confundantur. Alioquin ipsum Iacob fuisse

fuisse Rubenem etiam vocarum asserere, quis vetaretur? præsertim cum adiicere liceret, eum suum illud nomen primogenito suo imponere voluisse, vel potius Liam, quæ inde aliquam impositionis huius occasionem sumpsisset, vt diceret Genes. 29. vers. 32. *Vidit Dominus humilitatem meam. Ra ah* enim, quod est *videre*, dictus Ruben est. Mendum ergo in Latino hic aliquod videtur. quod quidem dupliciter emendari potest. Vel enim Simeon non *filius*, sed *frater* ipsius Ruben legendus; vel pro *Ruben* reponendus *Israel*. Sed in emendatione illa priore statim occurrit, vt quæratur, quorsum diceretur Simeon Rubenis frater, & non potius Iacobi filius? Potest verò non absurdè responderi factum hoc videri, vt Simeonis dignitas indicaretur, qui non quoquo modo Iacobi filius esset, sed natu secundus, ipsi primogenito Ruben proximus. Posteriorem tamen emendationem magis probat Bellarminus lib. 1. de Verbo, cap. 12. argum. 12. Nam & ita Græci textus omnes habent, & è veteribus Latinis, qui veterem è Græco versionem sequebantur; S. Fulgentius epist. 2. cap. 14. vti paulò pòst videbimus.

Alterum hic *litigiosum* est de ipsius Iudith generationibus seu maioribus, quot & qui fuerint. Textus noster *quindecim* enumerat generationes, Græcus tantum *duodecim*. Deinde dissonant aliquantulum nomina. Id enim non tanò in istiusmodi Catalogis accidere, testes Paralipomenon libri cum Geneſi librisque aliis collati. Ipsos duntaxat Simeonis filios mihi nunc intuere. Ii Genes. 46. vers. 10. sunt *Iamuel & Iamin, & Ahad & Iachim & Sohar & Saul.* Num. 26. ver. 12. *Namuel, Iamin, Iachin, Zare*, At 1. Paralip. 4. ver. 24. *Namuel & Iamin, Iarib, Zara, Saul.* Et quidem cur alicubi plures, alicubi pauciores numerentur, alia atque alia causa est. Sed cur nominum diuersitas sit, causarum vna & quidem valdè generalis est illa, quæ ante posita est, quod pluribus interdum nominibus aliqui vocarentur. *Altera*, quod eadem etiam nomina variè & scribantur & pronuncientur. Sic ergo Romanus textus Græcus, vt cum nostro eum conferre queas, habet; Ἰουδὶθ θυγάτηρ Μεραρὶ υἱοῦ Ὀξὶ, υἱοῦ Ἰωσὴφ υἱοῦ Ὀζὴλ, υἱοῦ Ἐλκία, υἱοῦ Ἐλιὰ, υἱοῦ Χελκία, υἱοῦ Ἐλιὰβ, υἱοῦ Ναθαναὴλ, υἱοῦ Σαμαλιὴλ, υἱοῦ Σαραδαὶ, υἱοῦ Ἰσραήλ. *Iudith filia Merari, filij Ox, filij Ioseph, filij Oziel, filij Electa, filij Eliu, filij Chelcia, filij Eliab, filij Nathanael, filij Salamiel, filij Saradai, filij Israel.* At Coplutensis, post Ozielem ita pergit, *filij Ἐλκία, filij Ἀζαρὶα, filij Ἐζεκὶου, filij Ῥαφαὴλ, filij Ἀνιθὼ, filij Eliu, filij Eliab filij Nathanael, filij Σαμαλιὴλ, filij Σαλαδαὶ filij Israel.* Et scripsi quædam Græce ideo, vt magis pateret discrimen. Sanctus verò Fulgentius loco antea monstrato sic: *Manasses vir Iudith, filius Achitob, filij Melchu, filij Helkiab, filij Nathanael, filij Surisada, filij Simeon, filij Israël.*

QVAESTIVNCVLA II.

Iudith status quis? vbi, & de eius viro.

VIDVA erat, & quidem *iam annis tribus & mensibus sex*, vers. 4. Græcè, *annis tribus & mensibus quatuor*. Sicque S. Fulgentius loco citato. *Vir* porro eius Manasses fuerat ex eadem, vti dictum est, tribu, & ex eadem etiam familia. Nam Græcè vers. 3. dicitur: τῆς φυλῆς καὶ τῆς πατριᾶς αὐτοῦ. Prædiuitem fuisse ostendit versus septimus, quem ornat etiam Græcus, dum eum Iudithæ reliquisse ait *aurum & argentum, seruos & ancillas, iumenta & agros.* Vnde & honoratum apud suos hominem fuisse satis intelligitur. quia ferè locorum vbique *plurimus auro venit honos.* Sed, meo quidem iudicio, etiam inde, quod vers. 3. *institisse* dicitur, *super alligantes manipulos in campo.* Mihi enim non simpliciter, neque in suo tantum agro institisse videtur, sed cum publica quadam præfectura & dignitate in campo illo magno, qui hoc loco erat, & de quo suprà capite 2. ver. 9. ait Græcus, Καὶ ἔστη ἐπὶ τοὺς θεριστὰς καὶ τὸ ἀγρύπνιον ἐν τῷ πεδίῳ. *Stabat tanquam præfectus.* siue *præfectus erat super eo, qui manipulum in campo illo colligebat*, id est, super omni messorum, quæ in campo illo ingens erat, multitudine. Nam ἐπίστασθαι est *præesse*, ἐπιστασία *præfectura*, ἐπιστάτης, qui magistratum, vel præfecturam aliquam gerit. vt apud Athenienses ἐπιστάτης ὑδάτων, *præfectus aquis curandis.* ἐπιστάτης τῶν πρυτάνεων, καὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων. Princeps Athenienſium decemuirûm, qui proedri dicebantur, & Prytanum præfectus, qui Reipublicæ sigillum custodiebat. Et generatim dicebatur epistates, inquit Suidas, ὁ ἐπὶ παντὸς πράγματος προστεταγμένος. *qui cumque in Rebuspublicis negocio cuicumque præpositus est.* Ideoque, ab vna vtili functione, videtur Manasses hoc loco descriptus, tanquam ὁ ἐπὶ τοῦ πεδίου προεστὼς *campo magno*, vel toti, vel magnæ ipsius parti. Huiusmodi enim apud Hebræos præfecturam fuisse declarat Iosephus, cum in vita sua inquit. Æbutius de chadarchus, ὁ δὲ μεγάλου πεδίου τὴν στρατηγίαν πεπιστευμένος. *cui magni campi præfectura commissa erat.* Dum verò sui huic publico muneri, ex fide, planeque sedulo vacat, *venit æstus super caput eius, & mortuus est*, vers. 3. quemadmodum bonæ illius Sunamitidis filius. 4. Reg. 4. ver. 19. Et verò erat propria quædam in hoc ipso campo causa, quia, vt suprà c. 1. fol. 233. dicebat Iosephus, *æstivo tempore*, solet is ἐπικαίεσθαι totus *ardere* ac torreri. Est autem Vallesio, libro de sacra philosophia c. 46. opinio, mortuum hunc esse vel pleuritide, vel apoplexia. & verisimile est, quia è nimio etiam æstu hi morbi existunt. Quia tamen possunt & alij existere, non necessariò istos fuisse concludi potest. Quin verò, quia hic in Græco est, ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ἐκλεύκανε τὴν κεφαλὴν, potest illa etiam ægritudo accipi, quæ propriè, eodem ipso nomine vel germano

Universidad de Deusto
Biblioteca

καύσων vel καύσῳ appellatur. Est autem febris, non qualiscumque, sed æstuantissima, quæ & calore ardentissimo, & siti vehementissima enecat, vt ostendit Aristotel. probl. sect. 1. Hippocrates aphor. 1. lib. 6. cap. 25. Celsus libro 2. cap. 7. Aretius lib. 1. de acutis morbis, cap. 4. Mercurialis 6. Var. cap. 1. Et sanè multo est hæc mors laudabilior, quòd in diligenti sedulaque publici officij perfunctione, vbi commune maximè bonum spectatur: acciderit, quam si in propria propriæ tantùm vtilitatis messe accidisset. possuntq; hinc, qui publicam aliquam personam & curationem gerunt, discere, quomodo sibi ipsis indulgere, ob exiguum aliquod frigus vel æstum, officio deesse, hypocausta rantùm & vmbras captare minime debeant. *Fregus sitis, ardor, æstus, Dulcia virtutis. Sepultus* porrò *in Bethulia ciuitate sua cum patribus suis.* Suprà ostendi, quomodo fieri potuerit, vt & ante, & maximè post decem tribuum captiuitatem, qui ex vna tribu erant, in tribuum aliarum locis habitare potuerint, & quidem in Zabulonia Simeonij. vt iam meritò dicatur *Manasse ciuitas*, Bethulia, & eius illic *patres in Bethuliæ ciuitatis agro.* Nam ferè Iudæi extra vrbes efferebantur, Lucæ 7. vers. 12. & diserte idipsum hic osteuditur in Græco. *Sepelierunt*, ait, *eum cum Patribus suis in agro, qui est inter Dothaim & Belamon.* Est quidem in Complutensi Βαλαμὼ, sed in Romano Βελαμὼν. quæ non est illa *Beelmeon*, de qua Ezechiel. 25. ver. 9. cum nostra cis Iordanem, illa trans, in Moabitide. quæ & Iosuæ 13. ver. 18. *opidum Baalmeon* dicitur. Hanc verò nostram à Brocardo vocari Abelinam, dixi superiori capite.

QVAESTIVNCVLA III.

Quænam Iudith religio? & primo quoad precandi studium?

RELIGIONEM hic voco, non pro eo DEI cultu, qui falsorum Deorum superstitioni, vel hæresi cuipiam opponitur. Quis enim ignorat Iudæam fuisse Iudith, veraque veri DEI fide imbuì interdum à quibusdam non malè *deuotio*, dicitur, eo modo, quo deuotum fœmineum sexum dixit S. Augustinus sermone 2. de annunciatione Dominica in illa pulcherrima, quæ hagiomachis meis *succurre miseris, tuua pusillanimes, refove flebiles.* ORA *pro populo, interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu. sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam commemorationem.* Atque sic hoc ipso capite vers. 19. dicitur Iudith εὐσεβὴς, *pia, sancta*, & quidem etiam à seipsa neque mentiente, neque gloriam inanem, sed populi totius liberationem apud Holophernem quærente cap. 11. vers. 14. ἡ δούλη σου φοβεῖται τὸν θεὸν, καὶ θεραπεύσει τὸν θεὸν νυκτὸς καὶ ἡμέρας· καὶ νῦν ἔσομαι παρὰ σοί, καὶ ἐξελεύσεται ἡ παιδίσκη σου καὶ προσεύξεται τῷ θεῷ. *Ancilla tua religiosa est, ipsum coli* DEVM, *noctes, atq; dies, colens.* Et disputat de hisce vocibus multa D. Augustinus lib. 10. Ciuitatis cap. 1. & lib. de vera relig. cap. vlt. Auctor de spiritu & anima. cap. 50. Iis tamen iam omissis, eximia nostræ Iudith *religio* speciatim *triplex* hic monstratur, prima quoad precationum studium, altera quoad vesium asperitatem, tertia quoad ieiunium. *Prima* vers. 5. exprimitur. *In superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Græci aiunt: ἐποίησεν ἑαυτῇ ὑπερῷον ἐν τῷ δώματι αὐτῆς καὶ ἐκάθητο ἐν αὐτῷ. *fecit sibi tabernaculum in domate domus suæ.* Est autem aduertendum primò, quæ in Græco ὑπερῷον, hinc tabernaculum dicitur, à nostro hic vocari *secretum cubiculum*, c. 9. v. 1. *oratorium.* Habebat enim quandam tabernaculi Mosaici & templi similitudinem. fuitque veteribus vsitatum, vt huiusce modi precationis loca, non oratoria tantum v. 6. vocarent, sed *cubicula* etiã *clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito.* S. Paulinus dum ad Severum epist. 12. exstructum templum *Domini meditationium.* Et paulò pòst: *Omne cubiculum binis per luminum frontes versibus prænotatur.* Anti- *S. Iohannis Baptistæ, intra quorum confessionis fecit arcus argenteos pensantes libras 30. quæ cubicula omnia a* Martyrologio die Iunij 11. *Cum venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua, mandat ei Sacerdos, vt* Leone, *Constituit*, inquit, *& addit super sepulchra Apostolorũ ex Clero Romano custodes, qui dicuntur Cubicularij.* Cur & quomodo loca orationis eadẽ *Cappella* postea dicta sint, exponit ibidem iamiã nominatus Reuerendissimus. Vocauit porrò noster non simpliciter *cubiculum*, sed *secretum*, quia id à reliquis domus habitaculis, quæ quotidianis vitæ vsibus applicata erant, seiunctum, solisque precibus & sanctis religiosisque actionibus dicatum fuit, itemque ab omni eorum, qui in eam domum venirent aditu, strepituque remotum. vt esset, quemadmodum, in illo S. Matthæi loco, ait Dominus. ἐν τῷ ταμείῳ *in abscondito.* Aduertendum insuper, superiora domus loca hic non qualiacumq; vocari, sed ea quę omnia suprema, ipsum scilicet *tectum*, cuius in Iudææ partibus formam fuisse planã planũ fecì Iosuæ 2. vers. 6. Nam idem domatis in Græco nomen, quod hic ἀνεβίβασεν αὐτὰς ἐπὶ τὸ δῶμα. noster

Noster Interpres: *fecit ascendere viros in solarium domus suæ.* & paulo post vers. 8. ἀνέβη πρὸς αὐτοὺς ἐπὶ τὸ δῶμα, *ascendit ad ipsos in solarium.* Et de istis agunt copiosè Nebrissensis in 50. cap. 26. Bursfouius initio lib. 11. de verb. signific. sed erit omnium instar nobis iam D. Hieronymus epistola ad Suniam & Fretelam. Δῶμα, inquit, *in Orientalibus prouinciis ipsum dicitur, quod apud Latinos tectum. In Palæstina enim & Ægypto vel vbi scripti sunt diuini libri, vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel solaria vel mœniana vocant. id est, plana tecta, qua transuersis trabibus sustentantur. Denique & in Actis Apostolorum (c. 10.) Petrus quando ascendit in domã* Τοῦ τὸ δῶμα, *in tectum ædificij ascendisse creditus est. Et quando præcipitur nobis* (Deuter. 22. ver. 8.) *vt faciamus domati nostro coronam, hoc præcipitur, vt in tecto faciamus per circuitum quasdam eminentias, ne facilis in præceps lapsus fiat. Et in Euangelio* (Matth. 10. ver. 27.) *Quæ*, inquit *auditis in aure, dicetis super domata, id est super tecta.*

Iudith ergo in domus suæ recto siue solario, precatorium tabernaculum excitarat, quia vti Tobiæ cap. 3. fol. 50. monstrabam, in editionibus id genus locis precari amabant veteres. At quomodo *secretum igitur cubiculum* dictum est? Nonne, quæ in tectis fiunt, ea conspicua & publica maximè? Nonne paulò antè idcirco dicebat Dominus: *Quæ in aure auditis dicite super tecta?* Nonne, cum impij Achitophelis admonitu, vellet Absalom, palam vniuerso populo facere, quam irreconciliabile cõtra patrem bellũ susciperet, 2. Reg. 16. ver. 22. ἔστησαν τῷ υἱῷ Ισραὴλ τὸν δῶμα, *tetenderunt tabernaculum in solario.* Nonne tunc quod prædixerat per Nathan Dominus cap. 12. ver. 12. factum est, *Tu fecisti absconditè rem autem hanc verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu solis?* Secretum tamen istud Iudithæ tabernaculum fuisse dico, partim ob causas antea propositas: partim, quia etsi esset omnibus tabernaculum conspicuum, quæ intus tamen gerebantur, non magis á quoquam videbantur, quam quæ intra domum, & sub recto quopiam fiunt, nisi de industria vellet quis ea videre, & vel voce, vel incessu & ostensu aliquo monstraret, prout in illis Matthæi & Regum locis fit. Quemadmodum enim longè ab incesto Absalonis tabernaculo diuersum hoc Iudithæ fuit: ita etiam eius conspectus & silentium. Subditur enim, *in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Mira profectò sanctissimæ huius viduæ in Deum pietas. *Morabatur in tabernaculo isto.* non semel tantum, bis, aut ter quotidie, vt oraret, ad illud ascendebat, quamquam & hoc magnum fuisset: neque vnũ vel alterum quadrantem, imo horam vnam vel alteram manebat, quod maius, sed, quod maximum, *morabatur.* id est, semper ibi habitabat, illinc non discedebat. moraliter intelligẽdo, eo modo, quo dicitur quispiam libris semper inhærere, ab alicuius latere numquam discedere. vt in assimilato isto suo templo taciat, quod in vero & Salomonico libentissimè fecisset, si Hierosolymis eam domicilium habere contigisset. ideoq tanto ante in Iudith cecidit, quod de beata illa nouæ testamenti vidua scriptum est, Lucæ 2. ver. 37. *Nõ discedebat de templo ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Vides* ait S. Ambrosius libro de viduis, *qualis vidua prædicetur, vnius viri vxor, ætatis quoq;, iam probata processu vitæ & gestorum & refrenata iam corpore, cui diuersorum in templo, colloquium in precè, vitam ieiunio, quæ dierum, noctiumq; tenoribus, indefessæ deuotionis obsequio, cum corpus agnosceret senectutem: pietatis tamen nescisset ætatem.* Omnia de Iudith. si senectutem, efferumq; corpus excipias; dicta quã aptissimè. Deinde, *clausa morabatur.* videri nolebat: solis Dei oculis placere studebat. quã obseruabat illud, quo monuit postea Dominus Matth. 6. v. 5. *Cũ oratis, nõ eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearũ stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedẽ suam. Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrẽ tuum in abscõdito: & pater tuus, q videt in abscondito, reddet tibi.* Clausa etiam erat. ne quid quam aut videret aut vero etiam audiret, quod collectam in sanctis precibus mentem dissiparet contentum sacrarum exercitationum arcum laxaret. Solent enim, per oculos & aures, multa influere, quæ, ni caueas, ardentissimas animi etiam religiosi & meditabundi flammas vel extinguant vel attenuent. *Nebu*, ait S. Gregorius lib. 21. Moral. cap. 2. *ad custodiendam cordis munditiã, exteriorum quoq; sensuũ disciplina seruanda est. Nam quantumlibet virtute mens polleat, qui in alibet grauitate vigeat, tamen alias tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt: & nisi interiora grauitatis premere, & quasi iuuenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæq; & leuia mentem enervem trahunt.*

Neque vero sua vnius virtute ac pietate contenta erat Iudith, sed cum puellis hæc omnia suis faciebat. Erant hæ, vel cognatæ, vel ancillæ, quas eadẽ pietatis exercitamenta docebat, in iis eas institutione, hortatu & exemplo referebat. Fuisse quasdam in templo virgines conclusas, dicam 2. Machab 3. vers. 20. Harum quoddam veluti simulachrum & imitationem suis cum puellis exprimere cupiebat Iudith & quia in templo non licebatum suo, prout poterat; oratorio adumbrabat. in operis facerent, aut nendo, aut suendo. & texendo, quod in templo quandoq; offerretur. Etsi verò vt dixi: hæc, in sublimi hoc sacroq; lacunio, tam Iudith quam puellarũ eius commoratio moraliter accipienda sit, *attamen* (si bene *& festa* procedant Græcus textus cap. 10. ver. 2. in inferiorẽ domum descendebat, eosque ibi dies agitabat. Tunc enim ad synagogã, seu ad communem synagogæ gynæconitidem. quia tunc maximè diuina lex & legebatur & explicabatur, Actor. 13. ver. 14. 15. cap. 15. ver. 21. cap. 16. ver. 12. cap. 17. versic. 2. & inde domum reuersa, suis cum domesticis omnibus seruabatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVDITH
QVÆSTIVNCVLA IV.

Quid ex ista Iudith religione, cum alij omnes, tum viduæ puellæque potissimum discedere habeant? vbi & de domesticis oratoriis, puellarumque institutione.

PRimò ex eo, quod sese domi conclusam tenet; discendum, per vrbis plateas & compita euagationes fugiendas, puellis tamen maximè ac viduis. Vituperat Apostolus 1. Timoth. 5. vers. 13. viduas, *quæ otiosæ discunt circuire domos*. è contrario laudat S. Ambrosius lib. 2. de virginibus beatissimam virginem, quod *prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, & hoc ipsum cum parentibus aut propinquis*. Vnde in Lucam libro 2. cap. de abitu Mariæ in montana; *Discite*, ait, *virgines, non circumcursare per alienas ædes: non demorari in plateis: non aliquos in publico miscere sermones. Ne dixeris*, ait idem Ambrosius libro de viduis, *sola ego sum. Castitas solitudinem quærit: pudica secretum, impudica concentum. Nolo*, ait ad Furiam D. Hieronymus, *in publicum subinde procedere*. Veteres, Eustathio in 2. Iliad. scriptore, virginibus ὑπερῷα ædificabant, id est, *superiora in ædibus loca, ὑπὲρ τῆς δυσεπιβάτου ἕνεκα, eam ab causam, vt difficulter adiri, conuenirique possent*. Refert in Lacedæmoniorum institutis Plutarchus, fuisse adolescentem Lacedæmone obiurgatum, qui ad trivialium confibulatorum cœtum viã nosset. Quomodo ij ergo laudentur, qui omnes omnium ebrietatum aleatum, flagitiorum officinas norunt, plateas vicosque omnes oculis pedibusque assiduè obterrant:

Secundò, discimus omnes. priscum morem priuatis in ædibus loca quædam sequestrandi, precibus addicendi, oratoria conficiendi. Quemadmodum enim, absque altari, & sacrificijs, varias, vt ante dictum est, variis in locis, proseuchas & synagogas cõstruere licuit: ita, ad priuatas suas preces, potuit domi quilibet: faciebantq; , qui erant religiosiores. in quibus & B. Virgo fuisse videtur. quę *rumperet, ne quis obstreperet*. Quid Psal. 143. *habinith heical*, ἐκλογὴ ναοῦ similitudo templi? Nõ domestica causa, intrare nos Dominus iubet Matthæi 6? Hodierno adhuc die, Iudæis mos est, vt etiamsi familiæ alicubi perpaucæ sint; synagogulam aliquam habeant, singuli verò, fieri si possit; locum mundum, nulloq; aut lotio, aut sorde alia inquinatum habeat, in quo sanctissimam illam quotidianam suam precem recitet. quę ex Deuteronomij capite sexto sumpta est, & à primis verbis *Kribi Simeon* sic. *Esto circumspectus in keriath schema, & in oratione*. De Danielis illa domo, in qua & ante templum conuertere, coramq; Deo confiteri solebat, Daniel. 6. v. 10. vix ambigo Hæc enim dobus partibus, *in cœnaculo* constituta. & qui Hierosolymitanum templum tanti faceret, vt vel plagã, quod illi simile cõcinnasse putemus? De Gedeone, cum è preciosissimis hostium spoliis *fecit ephod*, postea non leuis accesserit, vt ibidem subditur. Ad hunc item vsum fuisse arbitror illud sanctorum Apostolorum ὑπερῷον cœnaculum, vbi *omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione, cum mulieribus, & Maria matre* IESV, *& fratribus eius*. Actor. 1. ver. 14. vbi, *cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes parues: & factus est repente de cœlo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis, & replenit totam domum, vbi erant sedentes. & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis, sedit que supra singulos eorum. & repleti sunt omnes Spiritu sancto. & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui*. Actor. 2. ver. 1. & seq. Sed & Christianis eiusdem modi destinata precationi, rerumque diuinarum meditationi loca, piis etiam religionis nostræ symbolis, imaginibus & aliis instructa, testis pre- Baronium Tomo 1. anno Domini 293. è peratiquis Codicibus, extat historia. Cũ enim nobilissima regiæ domus præfectum accusãti, humoq; ter argumentũ certum vt haberet, suasit et delator, eorũ *ter eam admisisset probationem, auferet ab eis clauis. & cum aperuisset, inuenit protinus, sed non vt ipse sperabat Deo grata actiones, & præterea possessionum vacuitatem eorum, qui in cœlis magnum thesaurum recondebant. cuius præclara spes erant duæ floreæ in nudo solo stratæ, genuflexorum & bextorum Domus & Indes* suppellex, *fictile prætereà thuribulum, & lucerna & lignea scala, in qua reposuerant sacrã oblationem, cuius* fideliũ participes. Primis enim Ecclesiæ temporibus consuesse, ob persecutionum vim, Christianos consecratam à sacerdotibus Eucharistiam domum deferre, & inibi custodire, satis est ex Tertulliano lib. 2. ad vxorem cap. 5. Cypriano epist. 56. & libro de spectaculis, Basilio epist. ad Patricium, D. Hieronymo in Apolog aliisque constat. Vnus, qui pias illas, primatis in ædibus, ædiculas & oratoria egregiè

egregiè aperit, legatur S. Gregorius Nazianzenus oratione 11. vbi cum Eucharistiæ, quam prisco more, domi Gorgonia soror asseruabat; veneratione, multisque precibus & lachrymis, è graui desperatoque morbo diuinitus curatam refert, his eam historiam verbis orditur. *Desperatis aliis omnibus auxiliis ad mortalium omnium medicum confugit. atque intempesta nocte captata, cum morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit. eumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore inuocat*. En domestica veri altaris species. publiciq, oratorij & sacri ædis imitamentũ! Veras tameu Ecclesias & aras in quib. ipsa magnorum mysteriorum consecratio fieret; initio, cum ob Iudęorum & Tyrannorum importunitatẽ, aliud non liceret; priuatis in ædibus fuisse patet, vt alia iam non cõmemorem, ex Actorũ 2. v. 46. c. 20. v. 7. & 8. postea in Regum palatijs, ex Eusebio l. 4. vitę Cõstantini c. 17. nisi potius Ecclesię aliqua tantum, de qua iam ęgi; similitudo fuerit: imo & in bellicarum expeditionum tabernaculis ibidem c. 56. *Tabernaculum*, inquit, *ad Ecclesiæ similitudinem, magnificentia faciendũ curauit. in quo* DEO VICTORIARVM DATORI, *ipse* Constantinus, *cum Episcopis supplicaret*. iamq; antea huiusce modi *tabernaculum separatum* vocaret lib. 2. c. 14. cum, antequam prælium cum hostibus iniret, solitum ait, in tabernaculo separato preces ad DEVM fundere. Sancti verò Chrysostomi adhortatio insignis est in homilia 18. in acta Apostolorum, vt non in arcibus tantum, sed. villis etiam ecclesiolæ construantur, sacrificiumq; offeratur. Vnde & idipsum has in Germaniæ oras, vbi cum sacrosanctæ fidei Christianæ aduentu, adeo adductũ videmus, vt, vbi magna etiam sacrarum ædiũ publicè copia est; multæ tamen in paulo maioribus ac splendidioribus potentiorum dominibus aræ, sacellaque visantur. Atque hæc de isto veteris pietatis monimento.

Tertiò à Iudith nostra discimus, vt non tantum eiusce modi vel vera, vel imitatitia domi altaria & religionis ædiculas habeamus, sed in iis verè nos exerceamus, in iis DEVM oremus, sacra legamus, cœlestia meditemur. Possent enim apparari conclauia ad omnem pietatem aptissima, templorum instar, piis imaginibus, tapetibus, precatoriis coronis ornatissima. sed puerilium puparum instar omnia illic esse, vix vllas ibi preces concipi, pietatem vllam exerceri. Quamquam sanè est hoc ita rarum, vt vix sit, qui domi libenter hæc exstruat, idemq; non simul iisdem libenter vtatur. estq; potius dolendum, esse hęc iam apud plerosq; ratiora. & quidem ita, vt in Ecclesiasticorum etiam quorundam ædibus gladios potius, hastas & bomberdas. quam Oratoria, Crucifixos, Bibliorum, Sanctorumque Patrum, & precum libellos, aut corollas videre liceat.

Quartò & illud discimus, cum orandum est, cura omni prouidendum, vt clausi simus, mente tamen, & semper & vbiq;, aduersus omnem inanis gloriæ captationem, omnesq; distractionum illecebras & occasiones: loco autem ipso cum licet, commodeque fieri potest.

Quintò discunt viduæ, ad precandi studium maximè affici, prout etiam monet Apostolus 1. Timoth. 5. ver. 5. *Quæ autẽ vere vidua est & desolata, sperat in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus, nocte & die*. Omnis vtiq; vidua, licet opibus maximis, propinquitatibus, affinitatibus & clientelis plurimis abundet, desolata tamen est, prout ostendit Græcum μεμονωμένη, quod Comico alicubi dicitur, *sola*, à Tacito & Interprete nostro, *desolata*. Quam hisce omnibus Iudith nostra circumfluebat, & tamen quia viduam se & desolatam intelliget, in Deo solatium, spemq; omnem suam collocabat, in precibus noctes atque dies parmanebat. Tractat istum locum pulchrè S. Augustinus epist. 121. cap. 1. & 2. sed pressius cap. 16. vnde hæc. *Concerta in oratione vincere hoc sæculum, ora in spe, ora fideliter & amanter, ora instanter atque patienter, ora sicut vidua Christi. Quamuis enim ad omnia membra eius, hoc est, ad omnes qui in eum credunt, & eius corpori sociantur, sicut docuit, orare pertineat, specialiter tamen diligentior cura orationum in scripturis eius viduis inuenitur iniuncta. Nam duæ fuerunt Annæ honorabiliter nominatæ. vna cõiugata, quæ sanctum Samuelẽ peperit; alia vidua, qua sanctum sanctorum, cum adhuc infans esset, agnouit. Oranit & coniugata in dolore animi & afflictione cordis, q. filios non habebat: tunc ipsum Samuelem impetrauit, & acceptum Deo reddidit, quia cũ posceret vouit. Sed oratio eius, quomodo ad orationem illã Dominicam pertineat, non facilè reperitur, nisi quia in eo, q. ibi positum est; Libera nos à malo nõ parvum malũ, videbatur, & nuptã esse, & fructu carere nuptiarũ, cum sola excusset nuptias procreandorũ causa filiorũ. De illa vero Anna vidua vide quid scriptũ sit; Quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Nec alunde Apostolus, quod & supra cõmemorauit: Quæ aũt vere vidua est, inquit, & desolata, sperabit in Domino, & persistet in orationibus nocte ac die. Et Dominus cum semper ad orandũ, & non deficiendũ nos hortaretur, viduã cõmemorauit, q̃ licet in quũ & impiũ iudicẽ, ac Dei ac hominum contemptorem ad audiendã causam suã assidue interpellando conuertit. Quam ergo præcæteris viduæ debent vacare orationibus, satis hinc intelligi potest, q. omnibus ad suscipiendũ orandi studiũ de viduis propositũ est exhortationis exemplum. Quid aũt in hoc operis genere in viduis electũ est, nisi destitutio & desolatio? Quapropter si se omnino viduitatem suam Deo defensori assidua & impensissima precatione commendat. Ora ergo vt vidua* CHRISTI, *nondum habens eius conspectum; cuius precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora. Nondum enim veras futuri sæculi diuitias habes, vbi nulla damna formides. Licet habeas filios & nepotes, numerosamq; familiam: quod & supra dictũ est: sicut desolata ora. Incerta sunt enim omnia temporalia etiam vsq; in finem vitæ huius in nostram consolationẽ mansura. Tu aũt, si ea quæ sursum sunt, quæris & sapis, æterna & certa desideras, q̃ quamdiu nondum habes, etiam saluis omnibus atque obsequentibus tuis, tamquam desolatam deplorare te debes.*

Sexiò

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sexto discunt & hinc religiosæ matronę, pięque viduæ puellis bene instituendis, & ad pietatem, modestiam, operaque illi ætati & sexui congruentia conformandis operam libenter dare. Si liberos habent aut nurus; hanc imprimis curam iis debent, vti ostendit loco citato S. Paulus ver. 4. & 10. D. Hieronymus ad Saluinam. vbi & nobile illud effatum scripsit: *Non est parui apud* DEVM *meriti bene filios educare.* Si non habent; totas bonę aliorum institutioni sese si dederint, operę facient preciũ maximum. *Hoc quoque*, ait S. Ambrosius libro de viduis, *& ad subsidium & ad gratiam proficit viduarum, vt ita instituant nurus suas* (honestâsue puellas alias) *quo possint in his maturæ habere subsidium senectutis, & quasi* STIPENDIVM MAGISTERII. *mercedem quoque suæ capere disciplinæ. Bona vidua egere non nouit, & si fessa fuerit ætatis, & supremæ paupertatis, eruditionis tamen suæ solet habere mercedem. Et si proximi defuerint, inuenit tamen extraneos, qui matrem colant, reuereantur parentem.* Quæ sic puellarum magistra efficitur, plus omnibus mittit (Lucæ 21.) in sacrum Domini gazophylacium, dum fidem eas Catholicam docet, ab hæreticis custodit pudoré, pudicitiam omnemque iis honestatẽ instillat. Vix in gynæceis suis quidquam hodie vtilius facere possint principes nobilesque fœminę, vix in vrbibus & vicis aliæ quæcumque graues lectæque matronæ, vti à contrario colligere est, dum pernendi, suendi, elegantiusque quidpiam elaborandi, & acu pingendi, aut verò etiam legẽdi & scribendi speciem, quam plurimas vti etiam lib. 3 de vita Ignatij cap. 24. notat Ribadeneira; hæresi depravatas vidimus. ita vt muliebribus doctrinis, artificiis, virtutibusq; præstantes fœminæ meritissimò possint suo in sexu, Ciceronis 2. de diuinatione, illud vsurpare. *Quod munus Reipublicæ afferre maius meliusue possumus, quam si docemus atque erudimus iuuentutem?*

Septimò discunt à Iudith puellis puellæ, huiusce modi matronarum vsu, magisterio & disciplina gaudere, cum quibus contra omnium lasciuorum oculos & lenocinia clausæ custoditi, à quibus, quæ vera fœminarum adiumenta & ornamenta sunt; doceri, ab omni puellari leuitate, impudicitia, & procacitate arceri & reuocari possunt. Omnibus verò virginibus suadet D. Ambrosius lib. 2. de virginibus, magistram sibi morum proponant beatissimam Virginem. *Sit*, ait, *vobis tamquam imaginę descripta virginitas, vitaq; Mariæ, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi. vbi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, est nobilitas magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus, sine corporis contagione generauit?* D. Hieronymus ad Lætam; *Virginem nusquam a tibi reperiant* parentes, *nisi in adyto scripturarum, Prophetas & Apostolos de spiritualibus nuptiis scisitantem. Imitetur* MARIAM, *quam Gabriel in cubiculo solam reperit.* Plura inibi posteà. Et ca. 19. de bono viduitatis D. Augustinus puellas monet, vt sanctas 2 nus consulant, *quomodo contra bella tentatoru pugnandum sit.*

Postremò discere hinc etiam habent, quæ coniugio astrictæ viuunt, hæc tanta tot & tam illustriũ virtutum, quas partim iam attigi, partim deinceps attingam; rudimenta, non nunc, dum vidua extitit; omnium primò didicisse Iudith, sed & olim puella cum esset, à bonis hausisse parentibus, & in coniugio, dum in viuis fuit maritus, exercuisse, omniumque magna & solida fundamenta iecisse.

QVÆSTIVNCVLA V.

Quæ Iudith, quoad corporis cultum, religio?

QVis in coniugio, cùm viueret maritus, Iudith cultus fuerit, indicat caput 10. ver. 3. & maximè textus Græcus. Duplex verò quo assiduè vidua vtebatur; cultus hoc in libro describitur. *Vnus*, qui cum sui ordinis viduis ei communis erat, & vocatur infrà cap. 10. vers. 2. τὰ ἱμάτια χηρείας *vestimenta viduitatis.* cuiusmodi & in Thamar traduntur Genes. 38. ver. 14. & 19. Erant id genus vestes plena pudoris, modestiæ, grauitatis, vt indicat & D. Hieronymus, & ratio. Ille ad Saluinam viduã; *Tu*, ait, *in mariti tumulo sepelisti omnes pariter voluptates. litam purpurisso & cerussa faciem, super fererum eius lachrymis diluisti, pullam tunicam, nigroq; calceolos candida vestu, & aurati socci depositione sumpsisti.* Ratio vero est, quod facici nitor, vestiumque ornatus ideo vel suscipitur, vel toleratur, vt coniugi coniunx placeat. *Qui*, ait Apostolus 1. Corinth. 7. ver. 33. *cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* & ver. 34. *Quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Vidua verò virum non habet. Quærsum ergo sese operosius, elegantiusq; fingat, colat & comat? *Vidua*, inquit ad Furiam S. Hieronymus, *quæ marito placere desiit, & iuxta Apostolum verè vidua est, nihil habet necessarium, nisi perseuerantiam. Vbi*, ait libro de cultu fœminarum ca. 8. & 9. Tertullianus, DEVS, *ibi pudicitia, ibi grauitas adiutrix & socia eius. Quo ergo pacto pudicitiam, sine instrumento eius, id est, sine grauitate tractabimus? Quomodo autem grauitatem administrandæ pudicitiæ adhibebimus, nisi & in facie, & in cultu & in totius hominis contemplatione, seueritas circumferatur? Quamobrem erga vestitũ quoque, & reliqua compositionis vestræ impedimenta, proinde vobis curanda est amputatio, & decussio redundantioris nitoris. Nam quid prodest, faciem quidem frugi, & expeditam, & simplicitate condignam diuinæ disciplinæ exhibere, cætera vero corporis laciniosis pomparum, & deliciarum ineptiis occupare?* Eodem libro extremo,

extremo, Christianas fœminas insigniter admonet, aitque; *Prodite vos iam medicamentis & ornamẽtis exstructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia & spiritus taciturnitate, inferentes in aures sermonem Dei, annectentes cerucibus iugum* CHRISTI. *Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis. Manu lanis occupate, pedes domi figite, & plus quam in auro placebũt. Vestite eos serico probitatis, byssino sanctitatis purpura pudicitia. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorẽ.* Diuus verò Augustinus libro de bono viduitatis, cap. 19. *Aurem*, inquit, *inclinemus Apostolo. Quæ innupta est, inquit, sollicita est ea quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, sollicita est ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Non ait sollicita est ea, quæ sunt mundi, vt sancta non sit; sed certè minor est ea coniugalis sanctitas, ex ea parte curarum, qua mundana cogitatur voluptas. Quicquid itaque intentionis animi etiam his rebus impẽderetur, quibus placendum esset viro, colligere quodammodo, & redigere debet innupta Christiana in eam intentionem, qua placendum est Domino: & videat cui placeat, quæ Domino placet: & vtiq; tanto est beatior, quanto plus placet ei: quanto aũt magis cogitat ea, quæ sunt mũdi, tanto minus placet: placeatq; ita, tota intentione speciosa forma præ filiis hominũ: eius enim gratia illi placetis, quæ diffusa est in labiis eius. Placete illi ea quoq, parte cogitationis, q occuparetur mundo, vt placeret viro. Placete illi, qui displicuit mundo, vt placentes ei liberarentur ex mũdo. Hunc enim speciesũ forma præ filiis hominũ, videtunt homines in cruce passionis, & non habuit speciẽ neq, decorem, sed facies eius abiecta, & deformis positio eius. Ex hac tamen deformitate redẽptoris nostri, manauit pretium decoris vestri, sed decoris interioris. Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus. Hac illi pulchritudine placete: Hanc pulchritudinẽ studiosa cura, & sollicita cogitatione cõponite. Non amat ille fallaciarũ fucos, veris veritas delectatur. Ego sum, inqt, via, veritas, & vita. Currite ad illum, per illũ, ol icete illi ex illo, viuite ĩũ illo, in illo, de illo. Affectibus veris, & sanctissima castitate, á viro tali amate amari.* D. Fulgentius epist. 2. cap. 11. *Cur*, ait, *vidua Christiana gerat animũ vinculo cuiusq; mundanæ cogitationis innexũ: quæ mortuo viro mundum debet æstimare commortuum? Causa igitur mundanæ cogitationis desistente, debet ipsa quoq; cogitatio mundana cessare. Et sicut antea corporaliter ornabatur viro, qui delectaretur specie corporu, ita nunc spiritaliter ornãda est* CHRISTO, *qui solam in te quærit pulchritudinem mentis.* Et cap. 12. *Habitus tuus talis sit, qui non ad lasciuiam excitet, sed ad continentiam prouocet: qui nõ illiciat ad libidinem, sed comprimat ad timorem: qui non accendat carnis concupiscentiam, sed extinguat: qui non illiciat ad concubitum, sed excitet ad profectum: ex quo cordis compunctio, non carnis libido nascatur, vnde filio Dei placeas, vnde te vere castam obtutui sponsi cœlestis ostendas.* Denique S. Hieronymus ad Furiam; *Amorem monilium atque gemmarum sericarumq, vestium transfer ad amorem scripturarum.*

Cultus porro viduæ nostræ *alter* ipsi iam magis proprius erat, magisq; ad religionẽ & continentiã spectabat. Habebat *super lumbos suos cilicium.* vt sc. quo sese coram Deo magis demitit & affligit, eo ipsi magis placeat, maioremq; ab eo & nunc gratiam & olim gloriam consequatur. Deinde vt ista vestis asperitate carnis mollitiem perpungat, lasciuiã refrenet, ignes opprimat. Ideoq; non cilicium & saccũ quoquo modo habebat, sed super lũbos suos. vt carni, pximè adhęreret, eã fodicaret, doloreq; afficeret. At dicet aliquis, *super vmbilicum* habere illud potius debuisset. *Quia* inqt S. Gregorius homilia 13. *viris luxuria in lũbis sit, fœminis in vmbilico testatur Dominus, qui de diabolo ad beatũ Iob loquitur, dicens: Virtus eius in lũbis eius; & fortitudo illius in vmbilico ventris. A principali igitur sexu, lũborum nomine, luxuria designatur. cum Dominus dicit: Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos enim præcingimus, cũ carnis luxuriam per continentiã coarctamus.* Verũ enimuero ẽt fœminis in fœminibus & lumbis libido est, & viris in vmbilico. quia honestis nominibus, significatur, quæ inferiores corporis partes occupat libido. & qui ab hac lũbos coercet, ei ab vmbilico periculi nihil est. Vidua igitur nostra, duro âsperoque cilicio lumbos lãcinat, & sanè ita, vt vmbilico ẽt non pareat. Totã enim castissimam eius carnẽ circumplectebatur ciliciũ. Vnde & in Græco ἐκέκτητο ἕως τοῦ ὀμφαλοῦ αὐτῆς σάκκον. ϕ alicui fortè vertendũ videretur per singulare, *imposuit super lũbum suum saccũ*, Quia è cilicina materia facci fiebant Apocalyps. 6. versu. 12. ideo, quod Hebraicè & Græcè *saccus* dicitur, sæpè à nostro *ciliciũ* vertitur. At sciẽdum in Latina lingua, ϕ propriè τὸ ὀμφαλοῦ vim exprimat, vocabulũ nullũ esse: sed modo *lũbos*, modo *ilia*, p ea voce poni, cũ tamen eã totam dorsi partẽ, qua cingimur, significet, estq; totius spinę partiũ crassissimis maximisq; vertebris compacta, quæ quinq; numero sunt, eæq; inter dorsum & os sacrum mediæ, aut certè, Hesychio auctore, partem corporis illã indicet, quę prope latera inanis est. Ideo & lũbos & vmbilicum & ilia corpusq; totum cilicio sanctissima vidua hæc, vt sub Dei rectæque rationis ditionem, suam ipsa carnem totam subiungeret, diuexabat. Quemadmodũ enim vestium mollitudo, luxuriæ læna quædam est, ipsumque & corpus & animum, vt cuiusdam verbũ habet; *malacissat*: ita è cõtratio, earumdem duritas, castimoniæ custos est, ipsiq; & corpori & animo robur cœleste conciliat. *Quid existis*, aiebat Dominus Matth. 11. ver. 18. *videre? hominẽ mollibus vestitũ? Ecce qui mollibus vestiũtur, in domibus Regum sunt.* Regum inq; terrenorum, & principũ huius mundi. At quibus *melius est habitare in domo Domini, quam in tabernaculis peccatorum*, quique, cum sancta Iudith, in secreto domus suæ cubiculo, in præmodestæque vitæ tabernaculo clausi commorantur, quid iis cum mollibus? *Vestium põpa*, ait Tertullianus libro indicato, cap. 9. *de proximis curant luxuriæ negotium & obstrepunt pudicitiæ disciplinis.* Hinc magnus ille DEI cultor, & virginitatis exẽplar Elias, *vir erat pilosus, & zona pellicea accinctus renibus* 4. Reg. 1. v. 8. Noui testamẽti Elias, S. Iohãnes Baptista *habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos*, Matt. 3. v. 4. Sancti, quibus

dignus

Universidad de Deusto
Biblioteca

dignus non erat mundus, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*, Hebræ 11. ver. 37. *Hic*, ait in Zachariæ 13. D. Hieronymus, *erat habitus Prophetarum, vt quando populum ad pœnitentiam prouocabant, sâ* quo munere, quam infrequens iis vocatio?) *induerentur cilicio*. Et de veteribus Anachoretis & Cœnobitis, vt nihil iam dicatur, quot Episcopi sanctissimi eadem amicti veste fuerunt? Quot viri nobiles, principes, & Reges, quos inter, tam quam lilium, est S. Ludouicus Francorum Rex? Quot coniuges, viduæ, virgines? Lege, si quidem scire aues; Sanctarum historias. Cæciliæ, Melanæ Euphrosynæ, Pelagiæ, Hedvvigis, Regumque filiarum Edithæ, Margarethæ & Elizabethæ. Quocirca S. Fulgentius epistola 2. cap. 12. *Ille*, inquit, *sponsus carnem tuam maceratam vult videre, non nitidam. Animæ connubio vtitur, nec carni, sed animæ pulchritudine delectatur. Quocirca castigatione corporis acquire pulchritudinem cordis. Vilibus caro tegatur operimentis, & pretiosis anima vestibus induatur. Ne quæras vt placeas oculis hominum, sed vt Christi non offendas aspectum. Ille in te quod diligit videat, quod audit inueniat, quo delectatur agnoscat. Concupiuit enim rex speciem tuam. sed omnis gloria filiæ regis intrinsecus.* Cum à Lucinio Betico, locuplete quidem homine, sed admodum pio, munera quædã accepisset S. Hieronymus, quænam ipse remisit? *Ego*, ait, *insignia paupertatis, & quotidianæ symbolæ pœnitentiæ, tibi & sorori tuæ misi quatuor ciliciola, apta proposito, & vsibus vestris.*

QVAESTIVNCVLA VI.

Quænam, quoad cibum, eiusdem religio?

IEIVNABAT, ait textus vers. 6. *omnibus diebus vitæ suæ*. Non corpori dura tãtum & molesta extrinsecus admouet Iudith, sed ei etiam intrinsecus aufert, primò quidem quæ iucunda, dulcia & delicata: deinde vero & vsitata, quotidiana, pæneque necessaria, idque non alicuius iussu, neque consuetudine vel paupertate, aliqua, sed spõte, ob eosdem, qui superiore quæstione, in vestibus notati fines. In epistolæ supra citatæ c. 15. S. Fulgentius; *Ne quis*, ait, *illam sanctam viduam non deuotione cordis, sed necessitate paupertatis ieiunasse putet, audi quid de ea in subsequentibus dicitur. Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus diues, ætate iuuenis, specie mirabilis, diuitias contempsit, delicias respuit, carnis incentiua calcauit.* Nam quæ quotidianis assiduè ieiuniis vacabat, quomodo vllas ciborum delicias, vini vel abundantiam vel nobilitatem adhibeat? Imò verò totos ieiuna dies exigebat prandicula & prandia nulla sumebat, famelico latrantique stomacho, non nisi Occidente Sole, ne ipsum inedia corpus planè occideret; necessarium cibum præbebat, eumque modicum, vilem, prorsusque necessarium. Austera enim Iudæorum ieiunia fuisse, refert Iudæus Philo in Vita Moysis, quę *ante vesperum* non soluerentur, vti supra cap. 6. ver. 19. innuitur, imo ne *ante stellæ* quidem *ortum*, vt aperte ait S. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. *Vidua* inquit Apostolus 1. Timoth. 5. ver. 6. *quæ in deliciis est, viuens mortua est*. Pythagoreorum mos traditur, si à philosopha fectæ illius vita defeciuisset quispiã, solitos cæteros huic, etsi viuo adhuc; funus ducere, cenotaphium excitare, tanquam mortuum lugere. Hoc idem in viduis, quæ luxu deliciisque lasciuiunt, faciendum sentit Apostolus eas iam cõclamat, & in sepulchro veluti conditas, infraq; mortuos omnes, amandatas deplorat. Vnde contra intelligitur, eas vera vita perfrui viduas, quæ omnem à se luxum, deliciasque remouent. *Non velis*, ait idem S. Fulgentius epist. 2. cap. 13. *talibus nunc mensam tuã replete delicijs, qualibus eam replebas, quãdo carnali connubio seruiebas. Audi Magistrum Gentium, quid de vidua dicat: Quæ in deliciis est, viuens mortua est. Comedant*, ait ad Saluinam S. Hieronymus, *carnes, quæ carni seruiunt, quarum seruor despumat in coitum, quæ maritu alligata, generationi ac liberis dant operam. Quarum vteri portant fœtus, earum & interiora carnibus impleantur. Tu vero quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, quæ litam purpureo & ceruſſa faciem, super fetetum eius lachrymis diluisti, quæ pullam tunicam, nigrosq; calceolos cinaida gemmata tua sint, plumarum mollicies iuuenilia membra non foueat. Balnearum calor nouum adolescentulæ sanguinem non incendat. Audi quid ex persona viduæ continentis Ethnicus Poeta decanter: Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores Abstulit: ille habeat secum, seruetq; sepulchro. Si tanti vilissimum virum, quãti pretiosissimum margaritum? Si communi lege naturæ damnat omnes gentilis vidua voluptates, quid expectandũ est a vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solum ei debet, qui defunctus est, sed & ei cum quo regnatura est?* Et ad Furiam; *Vidua quæ in deliciis est, (non est meum, sed Apostoli) viuens mortua est. Quid sibi vult hoc quod ait: viuens mortua est? Viuere quidem videtur ignorantibus, & non esse peccato mortua: sed Christo, quẽ secreta nõ fallunt, mortua est. Animaq; peccauerit, ipsa morietur. Quorundã hominum peccata manifesta sunt precedentia ad iudicium: quosdam autem & subsequũtur. Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt. Quod dicis ilsiusmodi est. Quidam tam libere & palam peccant, vt post quã eos videris, statim intelligas peccatores. Alios autem, qui callidè occultant vitia sua, ex frequenti conuersatione cognoscimus. Similiter & bona apud aliquos in propatulo sunt, in alijs longo vsu discimus. Quid ergo necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus & appendicijs suis continentia & parcitate, fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suum, & animæ subiicit imperio: ne quod alijs præcipit, ipse non seruet: & adole-*

scen-

lescentulæ feruente cibis corpore, de castitate secura est? Nec, vero hæc dicens condemno cibos, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione, sed iuuenibus & puellis incentiua aufero voluptatum. Non Ætnæi ignes, non Vulcania tellus, non Velenus & Olympus tantis ardoribus æstuant, vt iuuenilis medullæ vino plena, & dapibus inflammatæ. quæ postrema nimium quam vera verba, aliam ob causam, in Tobia etiam citata cap. 8. fol. 139.

QVÆSTIVNCVLA VII.

Quibus temporibus cilicium gestabat, & ieiunabat Iudith, vel non? & primo de Sabbatis.

GRÆCVS, isto capite, textus tantum significat assiduè cilicium gestasse, prout assiduè suo in tabernaculo manebat, viduitatisq; suæ vestes induebat. Id autem quotidianũ erat. Latinus verò, eodem quidem sensu, sed paulò planius indicat iisdem omnino temporibus, quibus ieiunare solebat, cilicina quoque interula indui solitam. Ait enim, *habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat*. Si ergo *ieiunij tempus* habeamus, habebimus & cilicij. Explicat vero illud contextus *dupliciter*. Nam *primo* vniuersè, *ieiunabat* ait, *omnibus diebus vitæ suæ. Deinde*, speciatim, per quãdam veluti exceptionem, aut explicationem potius, adiungit *præter Sabbata, & neomenias, & festa domus Israël*. Prius illud, intelligendum de diebus omnibus vitæ non *totius*, sed eius, quam in viduitate agebat. De hac enim iam agitur & expresse à Græco notatur, ἐνήστευε πάσας τὰς ἡμέρας χηρεύσεως αὐτῆς. *Ieiunabat omnibus diebus viduitatis suæ*. Hoc verò viduitatis tempus, vel statum potius & ordinem, vocat libro de virginibus velandis cap. 9. Tertullianus *viduatum*. *Plane*, ait, *scio alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam*. Explicatio vero temporis, quo ieiunium intermittebat in Latino *triplices dies* proponit, quorum primus ad hebdomadas singulas pertinet. alter ad mẽses singulos. tertius ad certa quædam anni totius tempora. *Primus* est *Sabbatha*. Omnes interdũ hebdomadæ dies, *Sabbata* vocantur, totaque hebdomada *Sabbatum*, vt Lucæ 18. ver. 12. aliquando pro eo die est, qui propriè sabbatum vocabatur. de quo sic ad Hedibiam quæst. 4. D. Hieronymus; *Omnis hebdomada in Sabbatum, & in primam, & secũdam, & tertiam, & quartam, & quintam & sextam Sabbata nuncupatur. quam Ethnici idolorum & elementorum nominibus appellant*. Quia verò hic Iudæis dies gaudij erat, ob mundi creationẽ perfectam, vt indicat in Isaiæ 15. D. Hieronymus, & epist. 86. D. Augustinus, ideo nullum tunc ieiunium suscipiebatur. imo tradit Rabbi Moyses Ægyptius lib. 3. de temp. c. de sabbato, & c. de ieiunio, vetitum illis fuisse sabbato ieiunare, neque quantãuis graui calamitate ieiunium indicere, nisi si fortè ab hostibus vrbs obsideretur. & qui faxisset secus, eum ea plecti solitum pœna refert, vt esuriales postero iterum die ferias seruare cogeretur. & si *Purim* ieiunium, de quo in Esther dicetur; in sabbatum fortè incidisset, id anticipandum & in feriam quintam adducendum. At vero Sabbatis etiam ieiunasse Iudæos probari videtur ex eo quod lib. 4. epig. ad Bassam Martialis *ieiunia sabbatariorum* appellat. Quia tamen verè dici potest, sabbatarios, non eos qui sabbato ieiunant, sed Iudæos omnes, qui sabbata omnia feriabãtur; vocari, probatur exinde potius *primò* quidem, quod pallorem ex inedia quasi ortum sabbatis tribuat Persius satyra 5. *Recutitaq; sabbata palles*. *Deinde*, quod Strabo lib. 16. notat, sabbato dum ieiunij otiq; Iudaici diem obseruasset Pompeius, Hierosolymam eum cepisse. *Tertiò* quod Iustinus lib. 36. ait, Iudæorũ sabbata ieiunio esse à Moyse in omne ævum dicata. *Quartò*, quod sabbati ieiunij pænè prouerbio apud Gentiles iactatum fuerit. Est enim apud Suetonium in Octau. cap. 76. Augusti ad Tiberiũ epistola in qua cum scripsisset; *Dum lectica ex regia domo redeo, panis vnciam cum pauco admodum vuæ duracinæ comedi*, subiungit, *Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam libenter sabbati ieiunium seruat, quam ego hodie seruaui. qui in balneo demũ post horam primam noctis duas buccas manducaui, priusquam vngi inciperẽ. Postremò*, quod Iosephus Straboni, quem etiam laudat; omnino astipulatur cap. 8. lib. 14. mẽse tertio, τῆς νηστείας ἐπιούσης τὴν ἱερὰν ἑορτὴν. Hierosolymam à Pompeio esse occupatam; & sabbati nomen ꝓpriè accipit. Dicit enim ibidem, ab omni opere Iudæos vacare, καὶ ἐκείνας τὰς ἡμέρας, ἃς δὴ σάββατα καλοῦσιν, *illis diebus, quos sabbata vocamus*. iterumq; ὥστε ἐν ἐκείναις ἀργεῖν τὰς ἐθισθείσας ἡμέρας. *Patrij mores ac institutum nobis est septimos dies feriari*. Quomodo igitur sabbatis non ieiunat Iudith? Quomodo id vsq; adeo vetitum ait Rabbinus ille Moyses? Crediderim ego, *primò*, etiamsi die sabbati ieiunare prohibitũ non fuisset, recte tamen potuisse Iudith cœpta interrũpere ieiunia. quia magnũ erat sex totos ieiunij dies continuasse. & ꝙ videtur maius & melius, potest maiore cũ fructu & pietate interdũ omitti. verbi causa, vt sit quis deinceps ad cursũ reliquum vegetior: vt suis viribus agat conuenienter: vt aliis, quos optima quæque docere vult, se aliquantulum, absq; delicto vllo, accõmodet, ne seueritate nimia, quę nulla vmquã remissione condiatur, abstrerreantur. *Pluuia*, inquit ad Furiam D. Hieronymus, *illa optima est, quæ fusim descendit in terram*. Et Apostolus omnibus omnia factum se dicebat. Varię varijs sanctis rationes agendi sunt, & bonæ omnes, vnum in scopum tendentes, gradu licet modoque aliquantulum dissimili. *Deinde* potuit, cum vrbs obsideretur, ieiunium sabbato indici, vt ait Iudæus ille Magister Ægyptius. Quid ergo absurdi, si & sabbato & ieiunij die capta esset Hierosolyma? *Tertiò*, cum ieiu-

nio sese lud, et cruciabãt, omne fere illud tempus, precando in templo vel synagoga morando, feriisque ab operibus aliis cessando transigebant, atque ieiunij quædã apud eos sanctificatio erat, præcipue & sabbati. *Quartò*, Gentiles scriptores partim per minorem Iudaicarum rerum scientiam, partim vero per malitiam & irrisionem, omnia ipsorum ocia, & conuentus, Sabbata vocabant, ipsosque sabbatarios. Quamquam, Augustum ipsum propriè, quid sabbatum esset, ignorasse quis credat, qui priuilegium Iudæis fecerat, ne sabbatis ad vadimonia cogerentur, prout in ipsius edicto legere est apud Iosephum lib.16.cap.10. qui eorum synagogam ibidem σαββαΐειον appellat, quod, vt supra dictum est, & expressè monet, loco iamiam citando, Philo, sabbatis maximè Iudæi conueniebant, qui etiam noluit eosdem Iudæos publicarum distributionum, quæ in sabbatum fortè incidissent, fructu carere, sed postridie ipsis à diribitoribus dari præcepit, vt apud Philonem est libro de legatione ad Caium. *Quinto*, ad sabbaticorum ieiuniorum suspicionem Gentilibus excitandam, ansa dabatur ab Dositheana hæresi occasio. Qui enim Iudæi hanc sequebantur, adeo superstitiosè sabbatum colebant, vt eodem loco & situ, impransi & incœnati, totum eum diem permanerent, legisque libros legerent, quemadmodum narrant S. Epiphanius lib.1.c.13. Origenes lib.4. de principiis, Synesius ad Euoptium de sua nauigatione. *Postremò*, verisimilius, communiter nullum eo die ieiunium indictum fuisse, partim propter ante dicta, partim, quia nulla lex aut consuetudo quæ iebato Iudæi, & populum Ionathas aliique libenter diutius retinuissent, ausos tamen non fuisse, quia hora sexta iam aderat καθ' ἣν, ait, τοῖς σαββασιν ἀεργοποιεῖσθαι νόμιμον ἐστιν ἡμῖν. *qua hora nobis legitimum est sabbatis prandere.* ideoque non ieiunare, cum, vt suprà dixi, ad vesperam & stellarum aspectum, Iudaica proferri ieiunia solerent. Demum idipsum satis innuunt, qui sabbatis tradunt, ocio epulisque Iudæos vacare solitos. D. Hieronymus in Isaiæ 15. Socrates Ecclesiasticæ Hist. lib.7.ca.13. Ideoq; se sancta Iudith non huic intemperanti lasciuæque abusioni, sed bono alioquin & honesto Ecclesiæ illius temporis moti accommodauit. quemadmodũ docet S. Ambrosius libro de viduis, quem infrà licebit commodius audire.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

De temporibus aliis, quæ in Latino & Græco textu.?

FESTVM erat mensium omnium principium, quod *roschchodaschim* dicitur Num. 28. vet. 11. interdum simpliciter *chodesch*, vt Oseæ 2.v.11. à 70. Interpretibus νουμηνία, à nostro *Kalenda*. Quia enim à lunæ nouæ principio inchoabantur Iudæorum menses, sicuti & olim apud Græcos ἀπὸ τῆς μήνης ὁ μὴν, *a luna mensis*, apud veteres etiam Germanos à Mon est der Monat: ideo neomenia, siue nouilunium vocatur primus mensis cuiusque dies. Præter sabbata porro & neomenias istas, erant alia *festa domus Israel*, quæ scilicet celebrare solebant Israëlitæ. Ea, istis Iudith temporibus, erant in Lege præcepta, *Pascha*, Exodi 12. Leuit. 23. Deuteron. 16. *Azyma*, Leuit. 23. *septima azymorum* ibid. *Pentecoste*, ibid. quæ & *Hetsereth*, vel vt effert lib.3. Antiquit. cap.10. Iosephus ἀσαρθὰ vocatur, *Tubarũ clangor* ibid. *Expiationis dies*, siue *kippurim* ibid. *Scenopegia*. & *eius octaua*, quæ etiam *Hetsereth*, vel *festus dies cætus atque collecta*. His ergo neomenis & festis, ieiunium Iudith soluebat, communique aliorũ more prandebat. Semper enim more fuit illud receptum, quod postea expressit Nehemias cap.8. ver.9. *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro. Nolite lugere, & nolite flere*. Sed præter enumerata ista in Latino textu terna tempora, quibus modica ieiunij à Iudith relaxatio fiebat: adiunguntur à textu Græco terna insuper alia, τὰ προσόδεια, αἱ προγυμνίαι, καὶ χαρμοσύναι οἴκου Ισραὴλ. *præiani sabbatorum dies, pridiani kalendarum, & gaudia seu hilaritates domus Israel.*

QVAESTIVNCVLA IX.

Quid prosabbata sint, & num apud Iudæos festiualia & festa fuerint?

PROSABBATVM est, quod nobis *feria sexta*, Gentilibus *dies Veneris*, Iudæis *sextus sabbati*, vel *parasceue*. Nam & hac voce Græca eos vsos, testis D. Augustinus in Ioannem tract.117. Et de hoc die, *quatuor* hic perstringenda. *Primum, fuerint apud Iudæos ieiunio consecratu?* Opinantur aliqui, vna hac D. Augustini notatiuncula tract.76. in Iohannem commoti. *Parasceuen, cœnam puram Iudæi, Latine vsitatius apud nos vocant.* Cœna vero pura videtur, seuerum illud ieiunandi genus, quo ex aridis tantum cibis gustare licuit, & à Tertulliano aduersus Psychicos cap.1. & 9. *Xerophagia* nuncupatur. Sed si commune publicumque feria sexta Iudæis ieiuniũ fuisset, quomodo id Iudith violasset? Quæ virtus, quæ laus fuisset, in vetitũ niti, negata cupere, concessis edendi tẽporibus non edere, nõ concessis

cessis edere? Neque illa Diui Augustini notatiuncula quidquam euincit? Cum enim variè apud veteres purarum cœnarum nomen acciperit, vt ex Festo, verbo penè, Apuleio sub finẽ Asclep. Tertulliano aduersus Marc lib.5.cap.4. Irenæo lib.5 cap.23. intelligitur, ea tamen Iudæis parasceue sola, *cœna pura* erat, quæ azymis seu puris & infermẽtatis panibus, de quibus 1. Corinth.5. vtebatur. quemadmodum Tomo 1. Annalium disseruit accuratè Reuerendissimus Baronius.

Alterum est, *fueritne prosabbatũ festus dies?* Posset enim hoc alicui videri, quia causa nulla, cur alioquin eo die prandium cœnamque Iudith sumere voluerit; comparet. Hodie sanè Turcis, qui hæreticorum & apostatarum more, alios quam Ecclesia Catholica præscribat; sibiipsis ritus finxerunt; est is dies, quemadmodũ nobis Dominicus. & ab iis, vt scribit Pandectæ cap.11. Leunclauius, dicitur; *Dsiuma, duabus syllabis. vel dsiuma iuni. quod significat diem Ecclesiæ siue templi. Nam Veneris diem seriantur.* monetq; à quibusdã scribi *Zuma & zuna*, & addi possit *iommaiom*. li, prout meæ, à Turcicè loquentibus, aures capere potuerunt; scribendum esset. Non fuisse Iudæis festum, claret, quia neq; sacrificiorum vlla solennitas, neq; vlla operum abstinentia eo die indicta vsquam legitur. quin eo ipso die Dominum illi crucifixerunt, celeriter discipuli sepelierunt, aromata sanctæ mulieres emerunt. Quid? παρασκευὴ numquid erat? id est, præparatio vt sese ad sequentem sabbati festiuitatem compararent, cibosq; & alia omnia, quæ agere postea non licebat, præpararent? Est & hodie apud Iudæos Canon, qui totos tres eius diei quadrantes operosos, reliquum verò cessantem & ociosum esse vult, ita vt sit is dies intercisus. quadam scilicet ex parte non festus, quadam ex particula festus. Ita vero sciscit ille. *Qui in sabbatorum, dierumq; bonorum seu festorum vesperu, ab ipsa mincha, seu sacrificio vespertino & vltra, opus facit, is bonum benedictionis signum in æternum non videbit.*

QVAESTIVNCVLA X.

Sitne prosabbati tantum particula parasceue? & cur eo non ieiunabat Iudith?

TERTIVM ex iis quæ proposita sunt; est, *fueritne totus prosabbati dies parasceue, an certa eius tantum pars?* Arbitratur Iosephus Scaliger li. 6. de emendatione temporũ impropriè & καταχρηστικῶς, totum diem ita vocari, propriè verò eam tantum partem, quæ ab hora diei nona est, vsque ad desinentem duodecimam. Nihil tamen, quod huic arbitrio suffragetur, video. Vnus tantum in Augusti edicto antea citato, apud Iosephum lib.16. cap.10. locus ait, Iudæos non esse ad vadimonia cõpellendos, ἐν σαββασιν, ἢ τῇ πρὸ τούτων παρασκευῇ, ὅσον ὥρας ἐνάτης, *sabbatu, vel pridiana parasceue, ab hora nona.* Verum si propriè *parasceue* ab hora nona incepisset, neq; totum diẽ ea propriè vox significaret, opus non fuisset addere, *ab hora nona*. quemadmodũ si dixisset *pomeridiano tempore*, opus nihil fuisset subdere, *ab hora diei sexta*. vel si *a vigilia noctis quartæ*, quippiam omittẽdum præscripsisset, quorsum adderet, *ab hora noctu nona*? Sed quia totus ille dies *parasceue* propria erat, neq; tamen totum iis à vadimoniis immunem facere volebat, sed eam tantum diei partem, quæ ipsis erat religiosior, ideo distinctè adiecit, *ab hora nona*. Et quomodo duarum, triumue horarum spacio, potuissent, omnia secutarorum sabbatorum apparari & coqui edulia, præsertim cum, vt ante dictum est, sabbatis hilarius epulari consuessent, & Canon antea citatus ab vespertinæ oblationis tempore, q; ex Iosepho lib.14.cap.8. *horam nonam* fuisse constat, operis quidpiam operari vetaret. Meridianam verò nobis lucem affert S. Iohannes, dum cap.19. ver.14. inquit; *Erat autem parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Iudæis; Ecce Rex vester.* Nonne nonam anteiuit sexta? & tamen parasceuen iam tũ fuisse ait S. Iohannes. Qua vero vel minima ratiũcula impropriè is loqui ostendatur? Ideoq; nimium pro imperio Beza in eum S. Iohannis locũ; *Incipiebat*, ait, παρασκευὴ, *ab hora nona, & duodecima desinebat cum occidente sole. Sed minime nimirum totus ille dies vulgo parasceue dicebatur.* Quasi cũ Pilato in lithostroto ille Iudex sederet, ita nullam iudicij sui rationem affert, & cum vulgo Iohannem loqui prænũciat. Sed & alij Euangelistæ prosabbaticũ diem totum παρασκευὴν appellant S. Matth. 27. vers. 62. dum diem crastinum ipsi parasceues diei opponit, S. Lucas 23. ver. 54. dum nõ simpliciter ait, *erat parasceue, & sabbatum illuxit*: cæterum ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, *dies erat parasceue* S. Marcus 14. ver. 42. *Cum iam factum esset (quia erat parasceue, quod est ante sabbatum)* venit Ioseph ab Arimathæa. In Græco apertius, & quidem vocabulo, de quo hic positio, ἦν παρασκευὴ ὃ ἐστι προσάββατον. *Erat parasceue, quod est prosabbatum.* At prosabbatum non est propriè sola feriæ sextæ vespera. Ergo nec parasceue.

Quartum deniq; est, *Cur prosabbatu non ieiunarit Iudith?* Sic enim ad festum sese diem religiosius præparasset. Iam dixi antea, eam cõmuni sese more, variis de causis, accommodasse. Quia vero prosabbatum, etsi festum totum non erat; festi tamen aliquid iam habebat, ideo ieiunia minus admittebat mos publicus. ita vt à Iudith fieret, quod a bonis hodie pijsque viris fit, quando duæ vel tres continuantur festiuitates. vt in Paschate, & Natiuitate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAESTIVNCVLA XI.

Pronumenia quid, & Iudæis num festa? & cur in ea ieiunium relaxarit Iudith?

PRONVMENIA, id est, antenouilunium, dicitur mensium lunarium dies vltimus cum à luna nóua incipiat sequens. & quia interdum eius diei pars veteri, pars nouæ lunæ conuenit, ideo, vt in Aristophanis Nubibus disputat cum Patre filius, & alicubi diiudicat cum Solone Plutarchus; vocata est ἕνη καὶ νέα. quasi *vetus & noua*. Rursumque quia æquabilium lunarium mensium dies vltimus, ad tricesimum semper numerum pertinebat, ideo & τεμαχὰς nuncupatur. De hac vero *duo* quæ inquirantur; huius loci sunt. *Vnum: An festa Iudæis semper fuerit istiusmodi pronumenia?* Affirmat lib. 3. de emendatione temporum, paulò ante nominatus Scaliger, nec tamen, vt antea Beza, sine ratione. Nam *primò* is dies vocatur *cese* aut *ceseh*, ipsiusq; , tamquam festi mentio fit Psal. 80. vet. 4. Prouerb. 7. versu. 19. Exodi 17. v. 16. *Deinde* Horatius Saxyra 9. *curtorum* siue circumcisorum Iudæorum *tricesima sabbata* vocat πλὼ τεμαχάδα. *Tertiò* S. Paulus ad Colosſ. 2. v. 16. cõiungit ἑορτὴν, νεομηνίαν, σαββάτων. In eam tamen sententiam ire nõdum potui. *primò*, quia Hebræorum regula est, quam & hoc loco & postea lib. 6. notat Scaliger; cauendum ne duo sabbata, seu duo festi dies continuentur. At si tam nouilunium quam ante nouilunium festa essent, nonne continuarentur? *Deinde* in Leuitici 23. neque in vllis aliis Iudaicorum festorum fastis pronumeniarum mentio vlla est. *Tertiò*, quia Scaligerianarum rationum ne vna quidem firma est. *Prima* enim bifariam conuellitur, *generatim* nimirum & *speciatim*. *Generatim* quidem, quia negare licet *cese* aut *ceseh* significare diem illum *pus commodum & constitutum*, quod aliàs dicitur *moed*. & cum, pro locorum diuersitate, varium tempus hoc intelligi possit, varie à veteribus Græcis & Latinis vertitur, vti iamiam patebit: à nullo tamẽ vmquam triacas, *intermẽstruum*, aut *Antenouilunium*. Quid, quod nec Scaliger, bonam satis causam, cur ita vocari posset, excogitare potuit? Ait enim vel à *casas*, id est, à numerando duci posse, quod vltra tricesimum nullus numerus mensium admitteretur: vel à *casah*, id est, à tegendo, quod Luna tum tecta esset & silens. Numquam enim numeri alicuius extremum isto nomine vocatur: & non solum Nouilunij pridianus, sed propridianus etiam, eodem nomine affici deberet, vti ex astronomico lunæ curriculo doceri potest. *Speciatim* vero, in Psalmo 80. veterum Interpretum neq; Chaldæorum, neq; Hebræorum, Græcorum aut Latinorum vllus interlunium istud interpretatur. Sed Latinus quidem *Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solennitatis vestræ*. Septuaginta; σαλπίσατε ἐν νεομηνίᾳ σάλπιγγι, ἐν εὐσήμῳ ἡμέρᾳ ἑορτῆς ὑμῶν. Chaldæus, *in tegmine solennitatis nostræ*, vt potissimum agatur de festo tabernaculorum: aut certè generatim de omni constitura festiuitate, vt recte ibi explicat Genebrardus. In Prouerbiorum 7. potest similiter accipi tempus aliquod paulò lõgius præfixum. vt interpretantur Hebræi & 70. Qui vero tempus hoc definiunt, aiunt *plenilunij*, vt notatur, habet Scaliger neminẽ. Et textus noster aduersatur, qui Habraicas duas voces *ces iah* exponit, *solium Domini*. aduersantur Hebræorũ Magistri Salomon, Abenezra, Iosephus, alij, qui de Amalecitis delendis propheriam hic intelligunt. aduersatur denique sententia ipsa, & Hebraicus textus, & temporis ratio. *Sententia* quidem, quia Moysen vult in triacadis, qua Amalecitæ victi erant; memoriam, cippum erexisse, cum hac epigraphe, *Æternum bellum fore, inter populum* DEI *& Amalek*. Sed istud quomodo cum textu cohæret? Erexerat Moyses altare, vocaratque, *Exaltatio mea*. & cauſa subditur cum particula *quia*. Causa verò cuiusmodi fuerit, si cum Scaligero dicas; *quia cippus* seu *triumphalis arcus triacadis*? Iam Hebraici textus exemplariã, quæ hodie quidem in Christianorum, Iudæorumque manibus sunt; omnia cum nostro Interprete duas voces legunt *ces iah. solium* seu *throȣnum Dei*. ipse vero è duabus vnicam conflari vult *cesiah*. Cæterum ipsa *temporis ratio* quam ei repugnat? *Vltima*, inquit, *mensis secundi, Amaleki copiæ deletæ. Exodi cap. 19*. Nusquam hoc in cap. 19. asseritur. Sed neque secundum ipsummet Scaligerum asseri potest. Nam quo die pugnam hanc pugnarunt Israëlitæ, pugnatum fuit *ad occasum Solis*, eodem cap. 17. vers. 12. *Mensis* verò *tertij, primo die venerunt illi in solitudinem Sinai*, cap. 19. ver. 1. Nox ergo, inter victoriam & iter, vna tantum intercessisset. Quando igitur cippus erectus? Quando epinicia, de quibus Iosephus; celebrata? Quãdo venit Iethro, & suasit, quæ cap. 18. instituta? Ego hæc quidem in Exodo tractaui. Sed ne plausibile litterati hominis inuentum temere improbare videar, modicè iam delibanda fuerunt. Horatius porro *sabbata tricesima* vocauit, quæ tricesimo quoque die peraguntur, etiamsi non tricesimi, sed primi mẽsium dies sint. Vnde in Tretenani Horatij margine ascriptum est, *Neomenias* ab eo significari. Ex D. Paulo non magis efficitur, festum, de quo loquitur; esse Neomeniæ pridianum, quam neomeniam sabbatorũ. Tria enim illa tempora coniungit, quæ & noster hoc Iudith cap. 8. coniunxit, & ad eius institutum faciebant. *Pronumenias* igitur *festas non fuisse* concludo. Nunc esto *alterum*. Cur eas esu potius quam ieiunio celebrare Iudith voluit? Idem vero quod de prosabbatis respondendum.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA XII.

Quæ alia Israelitarum hilaritates? & cur tam ea, quam prosabbatha & pronumeniæ à Latino textu omissæ?

HILARITATES & gaudia domus Israël, fuerunt quidem omnia, quæ superius enumerata sunt festa. & sic duo in Græco posita eorundem nomina putare licet, ita vt posterius quandam eorum festorum proprietatem explicaret, gaudium & lætitiam scilicet publicam. quemadmodum Oseæ 2. ver. 11. Potest tamen dici, fuisse, præter illa, publicas interdum iucunditates, vel ob præteritorum quorumdam memoriam, vel præsentiam eorum, quæ tum fortè incidissent, bona publica. Illorum exemplum esse possit dies, qui ab Hebræis 23. die Tisri agitur, & vocatur *simchath thorah, Lætitia legis*. cuius Nehemiæ 9. v. 1. non obscura, vt ibi dictum est; apparent vestigia, cum à 15. Tisri vsque ad 22. scenopegiorũ hilaritate Israelitis perfungi oportuerit inibi cap. 8. ver. 10. & sequentib. deinde ad ieiunium congregati sint non statim secuto die, sed cap. 9. ver. 1. die mẽsis eiusdẽ 24. Cur ergo luctu & ieiunio nõ squaluit vicesimustertius? Nonne quia *legu lætitia* quæ & *habbecorah* benedictio dicitur, & annuarum festiuitatum omnium clausula?

Quærendum *postremò; Tria ista posteriora tempora, cur omiserit Latinus Interpres?* Et dici potest, id eum fecisse, vel quia sabbatha & neomenias suis cum præparationibus intellexit, & cum hilaritatibus omnibus festa: vel quia, hoc vno festorum nomine, omnia illa complexus est.

QVAESTIVNCVLA XIII.

An sabbatis, prosabbatis, festisq; diebus, Iudith exemplo, nobis non ieiunandum?

SABBATVM *duplex* est, *Iudaicum*, de quo hactenus, & *Christianum*, quod est dies Dominica. huiusque mutationis optimæ causæ sunt, quas explicant D. Augustinus de tempore serm. 251. Bellarminus libro 2. de bonis operibus cap. 23. Reuerendiss. Baronius Annalium Tomo 1. anno Domini 58. Vnde in suo etiam Calendario Æthiopes notant & *sanbath Iudæ*, & *sanbath Zachristos*. sabbatum Iudæorum & CHRISTI. Sciendum vero de sabbatho magnam olim fuisse quæstionem, quam D. Ambrosio proposuit adhuc Catechumenus D. Augustinus, vt ipsemet epist. 87. sub finem refert: ipsi D. Augustino iam Episcopo Casulanus Presbyter, vti aperit eadem ad ipsum epistolâ: D. Hieronymo Lucinus ille Beticus antè laudatus, prout ipsius D. Hieronymi ad istum epistola indicat; *Essetne eo die Christianis ieiunandum?* Orientales, Mediolanenses, & aliquot olim Occidentis Ecclesiæ non ieiunabant: è contrario, Romana, Hispanienses, Carthaginienses, & Occidentales complures. Et sancti quidem Patres, concordiæ quam partium amantiores, suaserunt, vt eius, in qua esset quilibet; Ecclesiæ morem sequeretur: vicit tamen sancti Romani Pontificis Innocentij primi auctoritas in epistola 1. vt pænè totus ieiunare cœperit eo die Occidẽs. Et videri potest hac de re insignis admodum D. Augustini epistola citata, Bellarmni lib. cit. caput. 18. Baronij eodẽ Tomo annus 57. Quomodo vero prosabbati, vt loquitur S. Epiphanius in Compendiaria doctrina, siue feriæ sextæ ieiunium primis statim Ecclesiæ sæculis obseruatũ sit, docet idem Bellarminus ibidem cap. 17. Denique quomodo propter hæreticos Montanistas, Manichæos & alios, propterq; Dominicæ resurrectionis gaudium, ne Dominicis diebus Christiani ieiunant, cautum sit, docẽt iisdem locis D. Augustinus & Bellarminus cap. 23. Hisce igitur omnibus hinc amandatis quæstionibus, illud iam tantùm breuiter dicendum, an Iudith exemplum suadeat, vt sabbatis nostris, Dominicis inquam diebus, & festis ieiunare non oporteat. & *respondeo quatuor*.

Primum. *Suadet Iudith exemplum, ne immoderata cuiusquam ieiunia sint*. Ipsa siquidem Iudith ieiunia sua, quorhebdomadibus, die vno, interrupit. quia vti dictum est, & suarum ipsius virium rationem habuit, & earum etiam, quas in omni sanctimonia & religione condocefaciebat. *Tantum tibi*, ait ad Nepotianum D. Hieronymus, *modum ieiuniorum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa ieiunia*. Et de ipso Nepotiano vita iam functo, ad Heliodorum ait: *Ieiunia in aurigæ modum, pro lassitudine & viribus corporis attemperabat*, Ad Rusticum verò; *Ieiunia moderata sint, ne nimia debilitent stomachum, & maiorẽ refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. Modicus ac temperatus cibus & carni & animæ vtilis est*. Ad Lætam; *Displicent*, ait, *in teneris maximè ætatibus longa & immoderata ieiunia, in quibus iunguntur hebdomades, oleum in cibo ac poma vetantur. Experimẽto didici, asellum in via cum lassus fuerit, diuerticula quærere. Hoc in perpetuo ieiunio fit præceptum, vt longo itineri vires perpetes superent, ne in prima mansione curre-tei, in medio corruamus*. Denique ad Demetriadem; *Neque immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormẽ ciborum abstinentiã, quibus statim corpora delicata frangũtur, & ante ægrotare incipiunt, quam sanctæ conuersationis iacere fundamenta*.

damenta, sic debes ieiunare, vt non palpites & respirare vix possis, & comitum tuarum vel porteris vel trahaeris manibus: sed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias. Ieiunium non perfecta virtus, sed ceterarum virtutum fundamentum est.

Alterum. *Non suadet Iudith exemplum, vt feriis sexta & sabbatis non ieiunemus.* Murata iam veteris illius synagogæ cæremonia est. Feria sexta nobis crucifixi pro nobis Domini tristitiam, sabbatū vero mortis & sepulturæ luctum iam renouat. Illa, quæ vsitata erant tristitiæ, ieiuniique apud Iudæos tempora, seruabat. Ideoque idem nobis iam faciendum. *Gaudete*, ait Apostolus Rom. 12. ver. 15. *cum gaudentibus: flete cum flentibus.* Cum Catholicis die Dominico, Paschatis & Natiuitatis gaudent libenter hæretici. imo æquo bonoque plus, Martinalia, & Hilaria, celebrant. sed cum iisdem in quadragesima, feria sexta, & sabbato, flere nolunt. Scribit D. Augustinus libro contra epistolam fundamenti cap. 8. se à Manichæis aliquando quæsiisse, *quæ causa esset, quod Pascha Domini plerumque nulla, interdum à paucis, tepidissima celebritate frequētaretur, nullis vigiliis, nullo prolixiore ieiunio, nullo denique, festiuiore apparatu.* Nos à nostris nouatoribus idem si percunctemur, nō quidem quod Manichæi re*sponderunt, pro mortuis oblationem non oportere: nec statuta solenniter celebranda esse ieiunia. sed cū quisq; voluerit* (adderent nostri, *& quomodo voluerit*) *ieunandum, ne videatur esse sub lege.* Malunt scilicet, cū Turvel facili quapiam à carnibus abstinentia, flere.

Tertium. *Suadet Iudith exemplum, ne Dominicis, aliisq; vsitatis Ecclesiæ Catholicæ gaudiis ieiunemus.* Gauisa est illa cum gaudente illius temporis synagoga: & nos cum Ecclesia gaudente gaudeamus. Sius libro de viduis. *A diebus*, ait, *viri sui, quibus ille defunctus est, vestem iocunditatis deposuit, mororis affectioni indulgens, sed* RELIGIONI *deferens. Hoc est enim, siue manducabitis, siue bibitis, in nomine Domini* IESV CHRISTI *agenda esse omnia.* (1. Corinth. 10.) *vt ipsa etiam refectio corporalis, sacro* RELIGIONIS *cultui deferatur.* Per similitudiné verò & analogiam, *Sabbatum & Dominicam* ipsi Iudith tribuit sanctus Pater. quia *Dominica* ieiunari nō solet. neq; Catholicæ *audia* voco, Paschale tempus, sacerrimū Domini ortum, & similia. non quę & re & nomine Gentilia sunt, Bacchanalia. indigna, quorum vel sola mentione, Christianorum dies omnino vllus polluatur.

Quartum. *Non suadet Iudith exemplum, vt si ob graues carnis titillationes, vel aliam quampiā causam, priuatam aut publicam, necessarium alicui ieiunium, vel toto quopiam continuandū esset, modo absit scandalū* Quo minus se Ecclesiæ suæ hilaritatibus accommodaret Iudith, causam nullam habebat. ideo neque tum ieiunabat. Si quis vero iustam aliquā habeat, ieiunare potest. Vide libro citato cap. 23. Bel*iunare scandalum est magnum, maxime posteaquā innotuit detestabile, multumq; fidei Catholicæ scripturisq; tuerunt legitimum diem, per quod factum est, vt ieiunium dies Dominici horribilius haberetur. Nisi forte alidierum quantum potuerit appropinquet, sicut aliquos feciſſe cognouimus. Nam & ad ipsum quadragenarium numerum peruenisse quēdam, a fratribus fide dignissimis nobis asseueratum est. Quemadmodum enim veterū Patrum temporibus, Moyses & Helias nihil contra prandia sabbatorum fecerunt, cum diebus quadraginta ieiunauerunt: ita qui potuerit septem dies ieiunando transire, non sibi ad ieiunandum elegit Dominicum diē, sed vtrum ieiunandū sit, & de Eucharistia an accipienda quotidie, q. Romana Ecclesia & Hispania obseruare perdere. Sed ego illud te breuiter admonendū puto, traditiones Ecclesiasticas (præsertim quæ fidei non officiant) ita obseruandas, vt à maioribus traditæ sunt. Nec aliorum consuetudini aliorum contraria more subuerti. Atq; vilum Paulum, & cum eo credentes feciſſe legimus. Nec tamen Manichæa hæresis accusandi sunt, cum carnalit ci-*

QVÆSTIVNCVLA XIV.

Quæ sanctæ Iudith forma, & opes, curq; memorentur?

ERAT, ait textus, *eleganti aspectu nimis.* sæpè in scriptura *nimis* valet Hebraicū *meod* id est, *valdè.* vt cū dicit Ps. 47. & 95. *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* & 96. *Nimis exaltatus es super omnes Deos.* Sicq; Danielis 13. Susāna dicit *pulchra nimis*, Hesther c. 2. *pulchra nimis & decora.* Ideoque hic Græcè Iudith καλὴ τῷ εἴδει, καὶ ὡραία τῇ ὄψει σφόδρα, *pulchra specie, & aspectu valdè venusta & elegās.* De opib⁹ satis ante. Memorantur verò interdum à scriptura et formæ opumque in sanctis laudes, vt quæ aliis

mila-

mirabilia malorum sunt, ea istis, sanctis DEI dona, virtutumque instrumenta esse sciamus. Deinde. Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. & præclarum cum dicitur

In qua par facies nobilitate sua.
Par animo quoque forma suo respondet in illa
Et genus & facies, ingeniumque simul.

Tertiò, vt tanto mirabilior & imitatione dignior nobis Iudith nostra sit. Tot ei voluptatum, deliciarumque, si voluisset: illecebræ suppeditabant, & tamen non nuptias & thalamos, sed viduam vitam maluit: eius omnis cura & studium fuit non in opibus, sed precibus: fœmineus mundus omnis & cultus, non in monilibus & byſſo, sed in veste vidua & cilicio: voluptas deniq; & amœnitas omnis, non in epulis exquisitisque mensis, sed in assiduis, quotidianisque ieiuniis. *Quartò*, vt non existiment etiam bonorum istorum amatores, vel ea DEI seruis numquam dari, vel si adsint, ipso DEI cultu confestim euanescere. *Forma* quidem *bonum fragile est, quantumque accedit ad annos, fit minor*; non tamen ea ieiunio statim carpitur & defloreſcit. Danielis & sociorum adolescentum, *post* abstinentiæ *dies decem apparuerunt vultus meliores, & corpulentiores, præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio* Daniel. 1. vers. 15.

QVÆSTIVNCVLA XV.

Quæ Iudith eiusdem fama, & famæ causa: curque memoratæ?

ERAT *hæc in omnibus famosissima*, vers. 8. id est, fama celeberrima. Sciendum verò duobus modis *famæ* nomen vsurpari. Nam in malam partem est *infamia*, vti notat Nonius. quemadmodum apud Poëtam Æneid. 4. —— *Neque enim specie famaue mouetur.* Terentium Adelph. *Maledicta, famam, meum amorem, & peccatum in se transtulit.* Apud Turpilium. *Quæso omitte ac desere hanc meretricem, quæ te semel nacta semper studuit perdere, deterere, spoliare, opplere q; adeò fama ac flagitio.* In bonam partem, quid sit, notum. A priore illa notione dum *famosus* ducitur (fæpissimè autem ducitur) valet *infamem* & sic *famosus homo* apud Lucilium Satyr. l. 11. *famosi libri* apud Suetonium August. c. 55. *Mulieres* apud Ciceronem 2. de Orat. *me ad famosas vetuit mater accedere.* A posteriore, est apud Tacitum lib. 21. *vrbs famosa*, apud Iustinianum in Authentica, è qua Tobiæ 3. quæst 3. laudati nonnulla *famosissimi Præfecti*, & hic Iudith nostra *famosissima.* Ideoq; additur, *nec erat, qui loqueretur, de illa verbum malum.* vti neq; de Susanna Daniel. 13. v. 27.

Tam bonæ verò, tamque illustris famæ *causa*, vt diligenter obseruaretur; signatissimè appressa est, *quoniam timebat Dominum valdè.* Hic veræ solidæque gloriæ fons. hoc bonæ honestæque famæ principium. vti gloriæ ipsius, quæ lib. 2. de Inuentione legitur, & à D. Augustino tract. 100. in Iohannem explicatur; deinitio aperit. *Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Vir fidelis*, ait Salomon Prouerb. 28. vers. 20 *multum laudabitur* & cap 31. v. 30. *Fallax gratia & vana est pulchritudo. Mulier autem timens Dominum ipsa laudabitur.* Qui ad laudem & famam alia quacumque via grassantur, ij vel nihil, vel certè non nisi priore illo, qui expositus est; modo, famosi euadunt.

Huius porro *famæ cur etiam meminisse textus voluit?* Opinor sanè, ob easdem ferè causas, ob quas formæ opumque meminisse voluit, prout superior dixit quæstiuncula. Et verò etiam, vt Ecclesiastici nobis monitum cap. 41. vers. 15. commendaretur. *Curam habe de bono nomine. Hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.* Laudat Thucydides eas mulieres, quarum fama minime foris nota. Quod sapienter ab illo dictum non dubito. Huic tamen eius sententiæ illam Gorgiæ anteponit, initio libri de mulierum virtutibus, Plutarchus, *harum formam domi clausam, famam verò foris notam esse debere. Tenera res*, inquit ad Saluinam D. Hieronymus, *in fœminis fama pudicitiæ est, & quasi flos pulcherrimus citò ad leuem marcescit auram, teneque flata corrumpitur. maximè vbi ætas consentit ad vitium, & maritalis deest auctoritas, cuius vmbra tutamen vxoris est.* Aptissimè verò & sapientissimè libro de bono viduitatis cap. 22. D. Augustinus. *In omnibus sanè*, inquit, *spirit alibus deliciis, quibus fruuntur innuptæ, sancta earum conuersatio cauta etiam debet esse, ne forte cum mala vita non sit per lasciuiam, mala sit fama per negligentiam. Nec audiendi sunt, siue viri sancti, siue fœminæ quando reprehensa in aliquo negligentia sua, per quam sit, vt in malam veniant suspicionem, vnde suam vitam longè abesse sciunt, dicant, sibi coram* DEO *sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solus, verumetiam erudeliter contemnentes: cum occidant animas aliorum, siue blasphemantium viam* DEI *quibus secundum suam suspicionem, quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum: siue etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit: quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra: alis fama nostra: & vtrq; etiam quod alius ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat vtilitatem. Vnde non frustra Apostolus, Prouidemus, inquit, bona non solum coram* DEO, *verumetiam coram hominibus. Item dicit: Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. In quadam etiam exhortatione dicit. De cætero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque sancta, quæcunque iusta, quæcunque casta, quæcunque charissima*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæcunq; bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus: hæc cogitate, quæ didicistis & accepistis, & audistis, & vidistis in me. Cernis, quemadmodum inter multa, quæ exhortando commonuit, non neglexit ponere, quæcunque bonæ famæ, duobus verbis cuncta concluserit, vbi ait, si qua virtus, si qua laus.

Prima Judith, ad Bethulienſem liberationem, aggreſſio.

CAVSA liberationis huius efficiens, hactenus iſto in capite deſcripta eſt, ſequitur iam huius eiuſdem cauſæ effectio, quæ quidem hic à duabus ipſius Iudith ad Bethulienſes principes orationibus inchoatur. quibus & illorum ſingulæ reſponſiones annectuntur. Sed ante priorem orationem duæ qnæſtiunculæ.

PRIOR QVÆSTIVNCVLA, quæ in hoc cap. eſt XVI.

Cur Bethuliæ principes ad ſe vocauit Iudith? & quot, & quomodo?

ET si cap. 7. ver. 18. maximus fuit omnis generis hominum ad principes iſtos concurſus, & flagitatio, vt dederetur vrbs, abfuit tamen Iudith. quia, quæ domi alias conſidere, precibusque ieiuniis aſſiduam dare operam ſolebat, iam cum tam difficili obſidione premeretur vrbs, tantumque Hieroſolymitani templi, omniumque religionum & Iſraëlitarum diſcrimen eſſet, omnia illa multo magis, multoque acriùs intendebat. Ideoque quæ à populo geſta & petita tunc eſſent, quæ item à principibus reſponſa, non niſi auditione abſens accepit. cumque diuino motu inſtincta, illorum conſilia & promiſſa infringere, omninoque tollere vellet, vel ad ipſos adire, vel ad ſe illos vocare debuit. Putauit verò poſterius hoc ſatius, *primò*, ne abſque neceſſitate à ſuſcepto vitæ inſtituto vel tantillum diſcederet. *Deinde* reprehendere principes ipſos volebat. Et licet palam id publiceque facere potuiſſet, vti S. Petrum S. Paulus Galat. 1. ver. 11. & 14. quia tamen priuata reprehenſione poterat commodiſſimè tota res corrigi, & quia fœmina erat, quam minus deceret principes populi publicè coram omnibus arguere (*turpe. Si enim mulieri loqui in Eccleſia*, 1. Corinth. 14. verſ. 35.) demum, quia principes iſti, etſi boni & modeſti admodum viri erant, vt infrà patet v. 30. & 31. nihilominus tamen tantæ perfectionis non erant, quantæ S. Petrus, vt quemadmodum ille, animo æquiſſimo, reprehendentem D. Paulum pertulit, *documentum*, ſcilicet *nobis*, inquit D. Cyprianus epiſt. 71. ad Quint. *& concordiæ & patientiæ tribuens:* ita & ipſi fœminam in populi frequentia reprehendentem concoquerent. Iam *tertiò*, etiamſi ad ipſos ire, priuatimq; ipſos in ipſis eorum ædibus reprehendere potuiſſet, ſummus tamen ipſius pudor, grauitas, & honeſtas vidualis, eam publicum horrere, plateasq; defugere faciebat. ita vt hic cernatur *non defectus humilitatis, ſed Zelus caſtitatis, & honeſtatis*, inquit Lyranus.

Quot verò vocarit, exprimit Græcus, tres videlicet, antea nominatos, Oziam, Chabrin & Charmin. Latinus tamen noſter verſ. 9. duos tantùm poſteriores vocatos fuiſſe, videtur ſignificare, & ver. 10. quia quaſi de abſente Ozia dicitur; *Quod eſt hoc verbum, in quo conſenſit Ozias?* Nihilominus tamen dicendum & fuiſſe Oziam vocatum, & adfuiſſe. Nam vbi peroraſſet Iudith, ſubditur verſ. 28. *Et dixerunt illi OZias & Presbyteri.* Ideoque vel principio ſtatim non adfuit Ozias. (cum enim omnium princeps eſſet, variis admodum, tali præſertim tempore, occupationibus diſtrahebatur) & paulò pòſt tamen aduenit: vel potius, vnà cum cæteris, ilicò quidem adfuit Ozias, ſed, per verecundam diſſimulationem, & auctoritatis eius reuerentiam, de eo quaſi abſente, in tertia perſona loqui Iudith voluit. Propter quam etiam cauſam extenuando culpam, non ſtatim dicit, *promiſit, iuraauit*, ſed quaſi vim paſſus ille aliquam fuiſſet, tantummodo, *conſenſit*. In Græco vniuersè ad principes omnes ſermo eſt, ſiue iam adeſſet Ozias, ſiue non.

Quo item *modo* iſtos vocarit Iudith, narrat idem textus Græcus; ἀπος ειλασα τὴν ἰδιαν παιδισκην αὐτης, *mittens ancillam ſuam, quæ omnibus ipſius facultatibus præpoſita erat.* Seruos ad interiora huiuſcemodi miniſteria vix admittebat caſtiſſima vidua. quod valde ad Saluinam probat S. Hieronymus, qui viduæ cuilibet ait. *Habeto tecum viduarum, & virginum choros; habeto tui ſexus ſolatia.* Neque tamen ancillarum quamcumque miſit, ſed, vt honoris & obſeruantiæ plus principibus illis deferret; omnium honoratiſſimam, de qua infrà.

POSTE-

POSTERIOR QVAESTIVNCVLA. quæ XVII.

Quomodo ad eam vocati principes venerunt?

IDætatis & dignitatis viros, ad vnam vnius ancillæ ſignificationem, ad fœminam vnam, quæ & vidua ſit & magiſtratum nullum gerat; vocatos aduenire, non mirum? Quam multi dixiſſent; Quid cum fœmina nobis negocij? Plus iam occupationum, quam vt muliebri loquacitati vacare liceat. Ei ſi quid negocij eſt, ipſa nos accedat. Nos ciuitatis principes, nos ſeniores, nos occupatiſſimi, nos denique viri ſumus. Qui minor eſt, maiorem vt accedat, magis decet. At horum iſti nihil. Vocati adſunt ocyſſimè. & eius rei *cauſa* mihi *triplex* videtur. *Prima* ipſorũ virtus & modeſtia. Hæc enim fecit vt boni viri facilè cogitarent, ſe non fruſtrà vocari. Fortaſſe aliquid, quod ad communem ſalutem, de qua ipſi vel maximè angebantur; ipſis patefactum iri. Communi bono ſuæ ipſorum & æ- tatis & auctoritatis rationem omnem poſthabendam. *Altera*, magna ipſius Iudith proſapia, opes, & dignitas. Patiunt enim apud multos omnia hæc auctoritatis non parum. *Tertia* & potiſſima cauſa eſt, eiuſdem ſanctitas & religio. Hæc enim, vt ſuprà dictum eſt; in celeberrima honeſtiſſimaque ipſam fama conſtituerat, vt ſummi & infimi, ciues & exteri eam maximè obſeruarent. Fortaſſis etiam veluti prophetidem aliquam ſuſpiciebant, vt fieret, quod 4. Reg. 22. verſ. 14. factum, vbi ad Holdam, de Joſiæ Regis voluntate, *ierunt Helcias ſacerdos, & Ahicam, & Achobor, & Saphan, & Aſaia.* Et quanto promptiùs velociusque, ſi ab ea, vt hi noſtri, vocati fuiſſent? Nos verò quando ad eos interdum accimur, apud quos ſapientiæ, doctrinæ, conſiliiue alicuius melioris ſpes eſt, vbi exemplo- rum, & vtilium ſermonum aliqua copia, occaſionem haud negligamus. ſed omnium maximè quando ad Dominum ac Saluatorem noſtrum. De quibuſdam queritur ipſemet Prouerb. 1. verſ. 24. *Vocaui & renuiſtis: extendi manum meam & non fuit, qui aſpiceret.* At quid ſequitur? *Inuocabunt me, & non exaudiam.* & Lucæ 14. verſ. 24. *Dico vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

Prior ipſius Iudith ad principes oratio.

PRIOR Iudith oratio continet principum reprehenſionem, & adhortationem. *Reprehenſio* eſt ob factam deditionis, poſt diem quintum, promiſſionem, niſi veniret auxilium, ſuprà cap. 7. verſ. 25. & quadruplex affertur ab ea ratio. *Prima* verſ. 10. quòd huiuſcemodi verbum ſit quædam DEI tentatio v. 11. & comminatio verſ. 15. & quædam aduerſus eum vindicta v. 26. *Altera*, quod minimè homunculos deceat, huiuſmodi conditiones DEO ferre, ipſumque ſic tentare verſ. 11. *Tertia*, quòd incommoda magna pariat eiuſcemodi conditionum poſitio verſ. 12. *Quarta* verſ. 13. quòd perabſurdum ſit, homines ſibi tantùm ſumere, vt velint tempus, quo miſereri, opemq; ferre debeat DEVS; præfinire, ſeq; ipſos quaſi arbitros & iudices conſtituere, quoto die populum è malis tantis eripere ipſum oporteat. Græcus partim has attingit, partim alias adiungit rationes. *Et nunc*, ait, *quæ eſtis vos, qui hodierno die* DEVM *tentaſtis? & ſtatuis pro* DEO, ſiue *quaſi* DEVS *eſſetis, in medio filiorum hominum? Et nunc Dominum omnipotentem examinatis, & nihil cognoſcetis in æternum. quia profundum cordis hominis non inuenietis, & cogitationes mentis eius non capietis & quomodo* DEVM, *qui fecit omnia hæc inueſtigabitis, & mentem eius pernoſcetis, & cogitationem eius comprehendetis? Nequaquam fratres.*

Adhortatio duplex. Vna, ad ea, quę facere ipſi debeant. *altera* ad ea, quę aliis dicere. Illorum *primum* eſt, pœnitentiam delicti huius, aliorumque omnium agere verſu 14. Nam illud, *in hoc ipſo*, vel ſignificat, *in hoc ipſo peccato* ſiue ob hoc ipſum: vel *in hoc ipſo tempore, & momento.* quod aliàs dici ſolet, ἐν τῷ νυῦν. *in*, vel *ex hoc nunc*. pœnitentiæque modus additur. & cauſa. *Modus* eſt poſtulatio & lachrymæ, & humiliatio ver. 16. *Cauſa* duplex: *prima*, quia patiens Dominus eſt: *ſecunda*, non eſt hominum ſimilis, neque in eo, vt, eorum inſtar, minis terreatur: neque vt ad iracundiam inflammetur. In Græco; *Non eſt tamquam homo* DEVS, *vt minis terreri*, vel *à propoſito deduci: neque tamquam filius hominis, vt inducatur aut cogi poſſit.* Simili Numer. 23. v. 19. ſententia legitur; *Non eſt vt homo* DEVS, *qui diſcerpatur, neque vt filius hominis, qui minis terreatur.* vbi Hebraicè dicitur; *Non eſt vir* DEVS, *& mentietur: & filius hominis, & pœnitere ſeipſum faciet.* ſiue, vt rectiſſimè noſter Interpres ait; *Non eſt* DEVS *quaſi homo vt* peccati magnitudinem oſtendit, cum non poſſit quaſi homo quiſpiam, hominum minationibus, immutari ſicuti neque iniurijs ad iram inflammari. *Vel* cauſam oſtendit, cur DEVS cum pœnitentia & lachrymis orandus ſit, quia neq;, hominum inſtar, minas ſpargere inanes, neq; iracundia tamen efferueſcere cõſueuit. In Latino prior ſenſus accipit, *comminabitur*, paſſiuè. Nã & Græcum ἀπειλεῖσθαι ille; ἐγὼ δὲ οὐκ ἀπειλῶ ἀλλ' ἤδη ἀπειλῶ ὑμῖν. *non ego amplius minis terreor, ſed tam minis aliis terreo.* Deinde videri poſſet noſter legiſſe διαπειλεῖσθαι. pro eo, quod hodie in Græco eſt hic διατιθέμαι. in Numerorũ citato illo verſu διατιθέμαι. Vnde & poſſet ita Græcus hoc loco verti; *Nõ eſt* DEVS *velut homo, ad minitandum, neq; veluti filius hominis ad gubernandum vel iudicandũ.* vel vt τὸ διατιθέμαι pro *conciliari,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

conciliari, componique valeat, *Non est* DEVS, *qui minus commoueatur, aut verorsum placetur & concilietur prout hominibus accidit.* Videri possit in Commentariis Budæus. *Alterum*, ad quod faciendum hortatur Iudith.ver.16.est animarum humiliatio, de qua suprà c.4. *Tertium* est correctio modi agendi cum DEO, vt iam ei non præstituatur conditio, sed huc omnium lachrymæ precesq; tendãt, *vt secundum voluntatem suam, sic faciat nobiscum citò misericordiam suam.* quemadmodum & CHRISTVS Dominus orabat Matth.26.v.39. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Luc.22.v.42. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me. verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Idemq; Dominus nos orare docebat; *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Sed additur, *vt sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum*, videlicet Assyriorum, ob eorum tumidas superbasq; minas & conatus; *ita etiam de nostra* (coram DEO nostro) *humiliatione*, seu humiliatione tandem aliquando gloriari possumus. Huiusq; rei spem magnam facit v.18. quia paternorum scelerum: de quibus c.5.v.22. imitatio iam non esset. partim, quia in auita priscaq; religione constantes fuerant Bethulienses. partim, quia per Manassę pœnitentiam, cohortationem, & studium, prostratus reflouerat DEI cultus, vt suprà cap.4.q.2. & cap.5.fol.272. *Quartum* est cohortatio ad spem istam v.20. Nam *exquiret* DEVS *sanguinem de afflictionibus inimicorum nostrorum*, id est, ex afflictionibus quibus nos affligunt, vel per afflictiones, quibus eos DEVS affliget. Possunt verò & huc spectare, quæ suprà in Eliachimo dicta sunt cap.4.fol.262. & seq.

Quæ verò principes istos aliis dicere hortatur Iudith v.21. sunt, vt eloquio iam suo iacentes populi animos erigant, & præclaris maiorum exemplis confirment. quemadmodum & facit 1.Machab.2. Mathathias, D.Paulus ad Hebræos 11. Demum etiam contraria & formidabilia eorum, qui murmurantes & quiritantes *ab exterminatore & à serpentibus perierunt*. Numer.21.ver.6. Psalm. 105.ver.14 1.Corinth.10.v.9.& 10. vbi sicuti & hoc loco, *exterminator* est Angelus, qui eos vel per seipsum, vel per immissos serpentes perdidit. & vocari solet Hebraicè *hammaschith*, Exodi 12.v.23. Græcè: ὀλοθρεύων. & à D.Paulo, citato iam loco, ὀλοθρευτής, Apocalyp.9.ver 11. ὁ ἀποκτείνων. Per serpsum quidem, quia, vt olim Genes. 3. serpentinam ascíscere figuram potuit. sicque miserrimos illos quiritatores conficere. Quamquam & in quiritationibus aliis accidere hoc potuit, vt Num.11. ver.33. cap.14.v.37. *Postremum & faciendum & dicendum* est vers. 26. quædam veluti dictorum omnium consummatio. vt scilicet non velimus nos ipsos, vrbemque istam, dedere, quasi de DEO nobis auxilium non ferente vlciscamur, prodendo religionem, & ad eius templi euersionem hostibus iter pandendo: sed reputemus horum omnium, quæ iam patimur; causam esse peccata nostra, esse DEI flagella, multo tamen delictis nostris minora & mitiora. eaq; nobis tamquam seruis non ad perditionem, sed ad emendationem & vtilitatem nostram à mitissimo & benignissimo Domino infligi. Orationis huius approbatio est ver.28.

Posterior Iudith ipsius ad eosdem oratio.

POSTERIOR verò eiusdem Iudith oratio vers.30. tria complectitur. *Primum*, est petitio, vt quemadmodum orationem illam approbarunt, sic & approbent quæ facere ipsa cogitet. Nam illud, *probate si ex* DEO *est*, non accipitur, vt 1.Ioan.4.v.1. *Probate spiritus si ex* DEO *sint*. sed *probate* pro *approbate* hic dicitur. Nam propriè probare & examinare quomodo potuissent, cum quidnam illud esset, nescirent, imo ne scrutari quidem deberent v.33. *Alterum*, est precum petitio & ipsorum, semel ac iterum v.31.32. & totius populi v.33. *Tertium*, præscriptio eorum, quæ ad bonum eius quod facere cogitabat, initium facere ipsos oporteret versu 32 vbi *abia* quænam sit, posteà dicetur. Approbatio subditur ver.34.

QVAESTIVNCVLA XVIII.

An rectè principes istos reprehenderit Iudith.

VIDEATVR alicui non rectè reprehendisse, non quia vel fœmina fuerit, vel bonum eos ad se vocãdi modum non adhibuerit. (hæc enim suprà iam explicata) sed *primo*, quia id, cui tota maximè reprehensio innititur, vel falsum videtur, vel certè ita exiguum, vt culpę aut nihil, aut perparũ appareat. Accusantur enim quasi DEVM tentarint. At D.Thoma explanatore 2.2.quæst.97.art.1. DEVM is tentat, qui quod in se est non facit, sed absque ratione, vllius̃que vtilitatis consideratione, ea facit, quibus experiatur id, quod de DEO dubitari nullo modo potest, verbi causa, sitne ad hoc vel illud agendum satis DEVS potens; hocne aut illud norit; sitne in iis, quæ dicit, verax & constans. At principes isti nihil eiusmodi, quod de DEO certum est; explorare volunt, sed tantummodo quod obscurum, anceps & incertum. videlicet, velitne temporalem hanc ærumnam depellere, siti & obsidione vrbem liberare, hostes profligare. Sæpè siquidem ista eum nolle dictum suprà est, & patet ex 3.Reg.12.v.24. Ieremiæ 28.29.& seq. *Deinde* quod in seipsis erat, fecerant; humanis diuinisq; sese hactenus præsidiis communierant, egregiè obsidionem sustinuerant. Nunc verò ita fitis inualuit, vt plurimi, quemadmodum suprà dictum est, emoriantur: neque modus succurrẽdi vllus

vllus iam appareat. Quid igitur fieri aliud poterat? *Tertiò* tamen, boni isti principes adhuc tantisper populum expectare persuadent, neque vnum tantummodo alterumve diem, seu quinos totos. Quod quantum & quàm pænè intolerandum fuerit, nemo qui quandoque sitierit, ignorat. *Quartò*, nonne magna iis spectabatur vtilitas, cum sic iratum populum lenire, mœstum consolari, languescentem corroborare, ad aliquot saltem dies voluerint? *Accedit*, quòd diuino quodam instinctu quinque istos dies præfinitisse videantur. Nam intra eos omnino venit auxilium. adeò vt ipsa Iudith hoc à DEO profectum intellexisse videatur, non solum cum operam dedit, vt intra dies quinque salutem ipsa pareret, sed etiam cum ver.32. dixit; *Orate, vt sicut dixistis; in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israël.*

Possunt quidem hæc & similia in procerum istorum vel defensionem, vel excusationem dici. Plus tamen de reprehensionis veritate ipsi Iudith, quam deinnocentiæ apologia, nostris cogitationibus credendum. & potius timendum, ne multa id genus peccata nostra sint, quæ minim in modum extenuemus, & tamen coram DEI oculis, non admodum tenuia sint. *Omnis via viri recta sibi videtur; appendit autem corda Dominus* Prouerb 21.v.2. *Peccarunt* verò Bethulienses *principes, multifariam. Primò* enim, ideò certum præstituerunt dierum numerum, vt DEVM veluti cogerent, vt siquidem religionem, templum, & sacra sua sarta tecta veller, interibi opem ferret. Vnde & fuit quędam contra DEVM ira, murmuratio, & vindicta, vt in Iudith oratione innuitur, v.24.26. quasi dicerent; *Si præfinito tempore iuuare nos noluerit; nos ipsius templum & sacra omnia hosti dedemus.* Fuit *etiam* quædam DEI tentatio v.11. quia experiri voluerunt, non quidem simpliciter, an liberare posset, aut vellet, sed an posset ac vellet intra id, quod suo ipsi arbitratu definissent, spacium. *Tertio*, fuit etiam DEI tentatio, quia non petierunt eo & modo & tempore iuuari, quo DEI sapientiæ & bonitati videretur, sed quasi DEO ipso sapientiores & meliores essent, certum ei temporis, intra quod auxilietur; orbem circumsctibunt: & explorare volunt, quæ hic DEI, sapientia sit & bonitas, v.17. *Quartò* nondum, quod in se esset, totum fecerunt. *Difficillimè*, inquit Vegetius lib.4.c.10. *vincit sitis eos, qui, quamuis exigua aqua ad potum tamen in obsidione sunt vsi*, prout videri potest in Iosepho lib.3. de bello, c.8. Plin.lib 6.c.30 De fontibus cum hoste manus nondum conseruerunt. Centenarios, quos, per singulos fontes in gyrum constituerat Holophernes, propellere nunquam conati sunt. Miraculum etiam volebant, diuinos videlicet è cœlo imbres, vti Græcus v.29. aperit. & quod grauius est: non rationibus & exemplis, aut maiorum aut malorum populum consolari, excitare & cõfirmare conati sunt, quemadmodum v.21.& seq. ostendit Iudith: sed, etsi paruper distulerunt: ei nimia siti conturbato & iniqua flagitanti cesserunt, deditionemq; spoponderunt. Quid enim talí rerum articulo non tentandum, dicendum, ferendumq; fuit? Nam de templo, religione, gente̊que propemodum vniuersa iam agebatur, vti suprà dictũ, & explicatur hic à Græco rextu. *Quintò* summa, qua pollebant auctoritate satis vsi non sunt, prout ex iam dictis perspicuum. Vnde & iis dixit Iudith v.21. *Vos estis presbyteri in populo* DEI, *& ex vobis pendet anima illorum. Sexto* non quoquo modo promiserat Ozias deditionem, sed iureiurando etiam interposito, vt in Græco est; ὡμοσεν πρὸς αὐτοὺς δοῦναι τὴν πόλιν εἰς ἡμέρας πέντε. *iurauit se ipsis* Assyriis *vrbem dedeturum post dies quinq;*. At quid si sexto tantum die vel septimo auxiliari vellet DEVS, idq; etiam significaret, quid faceret bonus iste vir? Peieraret an non? Si Eliachim, vel etiam Manasses Rex, Saulis instar, 1.Reg.11. se bene mane, die sexto, magnis cum copiis, affuturum scriberet, iusiurandum violaret an non? Temerarium fuit iusiurandum, & Saulis tantùm excusatiuncula, dum Samuelem diu satis nõ expectauit, 1.Reg.13.v.12. esse possit. Verum ea fuit ridicula fuitq; fuit. Dicebat ille: *Nunc descendent Philistiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum.* Hi verò principes in Græco v.28. ὁ λαὸς ἐδίψησε φοβερῶς, καὶ ἀνάγκασεν ποιῆσαι ἡμᾶς καθὼς λαλοῦμεν αὐτοῖς, καὶ ἀπαράβατον ὅρκον ὀμόσαμεν ἡμεῖς, ὃν οὐ παραβησόμεθα. *Populus vehementer sitiit, & coegerunt nos facere ea, quæ ipsis loquuti sumus, nosq; iureiurando, quod non violabimus, obstringere.* At Sauli quid Samuel? *Stulte egisti.* Atque hæc sunt, quæ tota oratione sua reprehendit, sed pudenter prudenterq; Iudith. Ideoq; ita hunc in locum Rabanus: *Inuitum iudicauit* Iudith, *Dominus miserationis suæ tempus constituere. cum ille solus pra omnibus norit, & tempus & modum miserationis suæ. ac propterea non licet cuipiam aliter* (sic legendum pro, *cui perulanter*) *pro aliqua re Dominum postulare: sed magis ad arbitrium eundem referre. Sic legitur quidam Patrum in oratione tantum dixisse:* FILI DEI, SICVT VIS ET SICVT SCIS, MISERERE MEI. *Vnde in libro Danielis pueri dicunt: Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim* DEVS *noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis. Quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, cap.3. vers.17.* Citantur & ferè eadem in Glossa. Sed iterum de hoc in quæstiuncula sequente.

QVAESTIVNCVLA XIX.

Quid è priore Iudith oratione disci possit?

PLVRIMA profectò & vtilissima disci possunt. sed pleraque vel rectùm legenti obuia, vel certè iam proposita sunt. Si quid reliquiarum; colligamus. & occurrit primum, quod v.22. dicitur: *Abraham probatus*, DEI *amicus effectus est.* Factum id quidem Genes.12.v.2.cap.15.v.5.cap.22.vers.16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Per memetipsum iurauí, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris. possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. En quomodo tentatus, & probatus, & amicus DEI effectus. idq; totum dilucidè admodum tractatur Ecclesiastic. 44. v. 20. & sequentibus. Sanctus verò Iacobus epistolæ suæ cap. 2. v. 23. *Suppleta est, ait, scriptura dicens: Credidit Abraham* DEO, *& reputatum est illi ad iustitiam, & amicus* DEI *appellatus est.* Cuius sententiæ pars prior legitur Genes. c. 15. v. 6. posterior 2. Paralip. 20. v. 7. Isaiæ 41. v. 8. Daniel. 3. in Latino textu ver. 35. & hoc loco. Vnde Prolegomeno 4. fol. 209. suprà colligebam, hunc ab Apostolo Iacobo librum citari. Cur enim hunc ad locum, quam ad alios illos minus respexisse putetur? Fateor tamen multo in argumento virium plus futurum, si solo isto loco *amicus* DEI Ahraham vocaretur. idq; subiunctis ibidem argumentis aliis potius quam isto, contra contumaciores antagonistas confligendum. Similiter tamen & capitis huius versum vicesimumquintum fuisse animo calamoq; conuerso videtur S. Paulus, cum 1. Corinth. 10. v. 10. scripsit; *Neq; murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Nusquam enim Israëlitas, de quibus ibi sermo, *ab exterminatore* periisse disertim, nisi hoc loco, scriptum noui. Nam Exod. 12. quos interficit percussor v. 23. Ægyptij erant: Israëlitas dum murmurant & delinquunt, iis quos indicaui locis; punitos exterminatosq; fuisse scriptum est, sed *exterminator* nullus nominatur. Ideoq; videtur hic in veteri testamento locus vnus exterminatorem istum indicasse, & ex eo S. Paulum protulisse. Si enim habere Chaldæum textum, eumq; Latio donare, suo adhuc æuo, potuit S. Hieronymus, cur non & sanctissimi Apostoli Paulus & Iacobus? Quod ideo etiam obseruandum, ne quis faciat ista minoris, quia in Græco textu non explanata.

QVÆSTIVNCVLA XX.

Quæ ex eadem priore oratione, ad mores, disci possint?

DICITVR *primò*. posse interdum Magistratus & Superiores à subditis argui, sed modestè admodum, cautè ac demissè, prout à Iudith factum exposui. Et de isto reprehensionis modo videri potest S. Gregorius 3. parte Pastoralis, maximè cap. 5.

Discitur *secundo*, quemadmodum nullas DEO leges, conditiones, modos, & tempora præscribere debeamus, siue dum orainus, siue dum è molestiis quibusdam liberationem optamus, de iisque deliberamus. Qui enim sumus nos, qui tentemus Dominum? *Potest*, ait S. Chrysostomus ad pop. homil. 4. DEVS *omnia grauia hac ipsa die soluere: sed donec nos purgatos videat, donec videat factam conuersionem, & pœnitentiam firmam & inconcussam, non dissoluit tribulationem. Etenim aurifex, donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: sic &* DEVS *non abduxit hanc* (tribulationis alicuius) *nubem, donec nos penitus emendauerit. Qui enim tentationem permisit, ipse nouit & tentationis soluendæ tempus. Et sicut citharœdus neq; neruum intendit, vt non abrumpat: neq; remittit vltra modum, ne harmoniæ concentum ladat: sic &* DEVS *agit, neq; in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam vtrumq; faciens. Non sinit enim nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus. Non autem rursum sinit in continua esse tribulatione, ne concidamus, neue desperemus. Ipsi (Domino) aduersitatis finiendæ tempus relinquamus, nos verò tantum in sanctitate viuamus. Opus enim nostrum ad virtutem mutari,* DEI *verò opus malis vrgentibus finem imponere. Etenim ipse magis quam tu qui tentaris, hoc incendium extinguere vult sed salutem tuam expectat. Sicut igitur ex remissione tribulatio facta est: sic & ex tribulatione remissionem expectare conuenit.* Quamobrem bene in *Pirkę auoth* c. 2. Rabbi Schimon. *Cum* ait, *ora, ne orationem tuam figens facias.* (modum scilicet ac tempus DEO præfigens) *sed ora in misericordijs & humilibus supplicationibus, quæ ad misericordiam & gratiam impetrandam, sunt idoneæ, coram* DEO, *secundum quod dictum est Ioelis: Quia* DEVS *clemens, & misericors est longanimis & multæ pietatis.*

Discitur *tertio* in rerum ad æternam salutem non necessariarum, minimeq; cœlestium precatu, optimum esse DEO semper dicere, *vt secundum suam voluntatem sic faciat nobiscum.* Id exemplo monstrauí. Nunc adiicio celebrem illam Mendici cuiusdam vel historiam vel parabolam, qui summæ tranquillitatis & felicitatis viam doctissimo cuidam viro dicebat, hoc in votis vnum semper habere, vt DEI voluntas fiat ideoq; sibi, etiamsi ostiatim stipem quæreret, in pluuiis & frigoribus interdum pernoctaret, sæpè fameret, stipisq; nihil acciperet, aduersi tamen & molesti nihil esse, quia semper animo illud agitaret: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Quid verò in Alcibiade secundo Plato? Non omnis huc eius tendit oratio, cum docet, à DEO id tantùm petendum, quod reuera bonum est. Hoc autem quidnam sit, in rebus quidem, vt dixi, fluxis & caducis: à nobis, qui imprudẽtes ignariq; admodum sumus, nequaquam esse definiendum ideoq; & Poëtarum illum laudat, cuius in Anthologiæ primum translati sunt versiculi, quos clarissimum Anglorum decus Thomas Morus ita quondam vertebat;

Da bona, siue rogere DEVS, *seu nulla rogere,*
Et mala, siue petare, nega. seu nulla petare.

Discitur

Discitur *quartò*, si quæ in maioribus vitia hæserint, ea posteris valdè cauenda. exemplo istorum, quos commendat Iudith ver. 18. Quod si vitia cauenda, religio vtique & virtus imitanda. Prius illud, qui in Turcicæ tandem tyrannidis barathrum coniecti sunt, non seruarunt Græci, vt eorum diligenter obseruauit & monuit Patriarcha Gennadius scholarius lib. de summi Pontificis primatu, sect. 15. In posteriore non parum vbique claudicatur. Eheu, in Catholicæ auitæque pietatis, deuotionis, modestiæque studio,

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Discitur *quinto*, quid qui aliquo in populo auctoritate pollent, agere debeant. Si petat, imo & flagitet ille iniqua, religioni aduersa, DEI honori contraria, nunquam annuendum est. In rerum verò asperitatibus, bonis accommodatisque rationibus & orationibus alleuandus, & corroborandus. Sed sanè licet isti sacerdotes vt dixi; non fuerint, optimè tamen Sacerdotibus, Episcopis, & Pastoribus omnibus ista modo iterarit sancta Iudith; *Et nunc fratres, quoniam vos estis Presbyteri in populo* DEI, *& ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum. corda eorum erigite.* Vide S. Chrysostomum homiliis ad populum 2. 3. 4. 5. 6. 11. 12. & sequent. D. Ambrosium serm. 83. 84. & sequentibus.

Sextò, quanti referat exempla sanctorum Martyrum, historiasque Sanctorum è sacris literis, aliisque bonis auctoribus in promptu habere. *Longum*, ait Seneca epistola 6. *iter est per præcepta, breue & efficax per exempla.* & 83. *Instruenda est vita exemplis illustribus* iterumque 85. *Proponamus laudandi: inuenietur imitator.* Et apud Tacitum Thraseas: *Oportet*, ait, *iuuenes firmare animum, constantibus exemplis.* Sed plura 1. Machab. cap. 2. Quin & impietas ac vitiorum exempla interdum commemoranda, vt dum quibus à DEO pœnis plectantur, audiunt alij, exhorrescant & fugiant. Laudat ille lib. 1. saty. 4. parentem, quòd isto docendi genere vitiorum fugam docere solitus sit:

------ Insuetit pater optimus hoc me,
Vt fugerem exemplis vitiorum quæque notando.
Cum me hortaretur, parcè, frugaliter, atque
Viuerem vti contentus eo, quod mi ipse parasset.

Septimò, quomodo diuinitus immisse calamitates ferendæ; ipsas peccatis videlicet nostris ascribere: maiores nos promeritos agnoscere: ad nostram summam vtilitatem à DEO referri, statuere. ne quæ dextra manu nobis pater Optimus Max. dat. ea nos lęua, vt aiebat quidam; accipiamus. Sed in Tobia de hoc, bene multa, cap. 2. fol. 21. & sequen. cap. 12. fol. 164.

Octauo & illud discitur, castigandos quidem esse seruos, non tamen ad perditionem, sed ad emendationem tantùm & quidem, vti lib. 6. de Legibus præscribit Plato; *absque contumelia.* Quod si seruos, quanto magis filios? *Quemadmodum* ait ille, *seruos diximus castigare sine contumelia oportere, ne in iracundiam efferantur: castigare tamen omnino ne nimium delicioši reddantur: ita & liberos volumus: Vos*, vt ait S. Paulus Ephes. 6. ver. 4. *patres nolite ad iracundiam prouocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* Et paulo post ver. 9. *Vos domini eadem facite seruis, remittentes minas, scientes quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis.*

QVÆSTIVNCVLA XXI.

Quid, è Principum ad Iudith accessu, & orationis approbatione, documentorum?

IVDITH ipsius vocatu ad eam principes hos venisse, magnæ modestiæ virtutisque opus fuisse, dixi antea. Tantum addo, ne seruorum aut ancillarum, per quas nos DEVS vocat, vilitatem & indignitatem contemnamus. Hi enim non ad se, sed ad Dominum nos suum vocant. *Sapientia*, Prouerb. 8. ver. 3. *misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.*

Discamus porro à tantis viris, etiamsi quod humanæ infirmitatis est; aliquando labamur. non ægrè, dum à minoribus etiam reprehendimur, idipsum ferre. multo minus, dum à maioribus. In Græco videntur seipsos quidem aliquantulum excusare, dum valdè populum sitisse, ideoque & se ab illo, vt iurarent, coactos dicunt: est tamen ingenua potius culpæ, ipsiusque occasionis confessio, quæ in Chaldæo & Latino præterita.

Discamus verò amplius, culpam vbi agnouerimus, eius à DEO veniam petere. idque per nos & per alios. *Nunc ergo*, aiunt, *ora pro nobis.* Fuit hic olim mos adeo veteribus vsitatus, vt etiam, qui seriò culpam non agnoscerent, neque ipsam, vti par erat, detestarentur, vsitatum tamen hoc demissionis, pœnitentiæque symbolum, labris saltem primoribus, ederent. Nam in veteri testamento Saul. 1. Reg. 15. à Samuele reprehensus; *Peccaui*, ait, *quia prætaricatus sum sermonem Domini & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. Sed nunc porta quæso peccatum meum & reuertere mecum,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt adorem Dominum. In nouo, Simon Magus Actor. 8. ver. 24. *Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum quæ dixistis.* Nos hypocriticas istas confessiones fugiamus. veras & syceras quæ & veniam impetrent, in proceribus istis imitemur.

Sed & *causa*, cur ipsam Iudith orare orent, consideranda. *Quoniam*, inquiunt, *mulier sancta es, & times* DEVM. Ego me ad Te, ô beatissima DEI mater & Virgo, conuerto, & supplex aio pariter, *Ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & times* DEVM. Et: *Sancte Petre ora pro nobis, quoniam vir sanctus es & times* DEVM. *Sancte Paule ora pro nobis, quoniam vir sanctus es, & times* DEVM. itemque in cœlitibus aliis omnibus. Quid frendes hæretice? An in istos, beatos iam, cum CHRISTO IESV, in cœlis æuo fruentes: hæc ipsa orandi causa non conuenit? Non sancti sunt? non DEVM timent? At non sunt in hac ipsa vita, vt Iudith. Quid tum? An ita huic vitæ annexum appactumque orare, vt nemo nisi vitam hanc viuat, orer? At sic nulla in cœlis esset oratio, nulla DEI laudatio, nulla gratiarum actio. Nam & precationis hæc particula quædam est 1. Timoth. 2. versu. 1. An verò potest etiam extra vitam hanc aliquis orare, sed non pro alio? At CHRISTVS Dominus ex hac pridem vita discessit, & tamen non quâ DEVS, sed quâ homo, interpellat pro nobis, Hebr. 7. ver. 25. 1. Ioan. 2. ver. 1. Imo etiam epulo ille dives poterat adhuc pro fratribus orare. licet ratione, non mortis quam obierat, sed mortis quam in æternum miser obibit; ratione inquam damnationis æternæ, nihil impetraret. Huic scilicet dici non debuit, *ora pro nobis*, quia nec alterum illud subdi potuit, *quoniam vir sanctus es, & times* DEVM. Verum non indigent hæretici nostri Sanctorum precibus, quia vel peccatum numquam suum, nisi cum Saule & Simone Mago, hypocriticè confitentur, vel illos reuera Sanctos, DEVMque timentes, aut certè nullam omninò vitam viuentes putant. quasi falsum foret illud CHRISTI Domini Matth. 22. ver. 32. *Non est* DEVS *mortuorum, sed viuentium.* Cæterum in posteriore ipsorum approbatione, pulchra est illa precariuncula; *Dominus sit tecum.* quam crebro Ecclesia vsurpat, cum ait; *Dominus vobiscum.* Sed de ea in Ruth cap. 2. ver. 4.

QVÆSTIVNCVLA XXII.

Quid, è posteriore Iudith oratione, documentorum?

RARA quidem, sed præclara in muliere virtus, silentium. Hoc tamen à Iudith non mulieres tantum, sed & virorum quidam discere possunt. qui arcanum nullum continere, omnia vbique profundere, denique pleni rimarum hac atque illac perfluere assolent. Iudith neque quid faceret ver. 32. *ego exeam cum abra mea.* Monendum vero ista futura *exeam, peream, transeam*, & similia, commendat Marcellus, *audibo, aperibo, dicebo, parebit, peruenibunt, obedibo*, & alia non pauca. In Græco, *Audue*, ait, *me, & opus faciam, quod ad generis nostri filios in generationes generationum perueniet.*

Omnium vero maximè imitatu dignissima est sanctæ Iudith demissio & religio. Eam magno encomio, & plenis pœnè fistulis laudant Principes, à veritate. *Omnia quæ locuta es, vera sunt*, à prudentia. *non est in sermonibus tuis vlla reprehensio.* à sanctitate. *mulier sancta es*, à DEI timore; *Times* DEVM. in Græco etiam perspicuè, nulliusque verborum ambagibus, ab excellente, omnibusque quam cognitissima sapientia. οὐκ ἐν τῇ σήμερον ἡ σοφία σου προέβλεψεν· ἀλλ' ἀρχῆς ἡμερῶν ἐν ἔγνω πᾶς ὁ λαὸς τὴν σύνεσιν σου, καὶ δόξαν ἀγαθὴν ἔγνω τὸ πλάσμα τῆς καρδίας σου. *Non hodie prudentia tua manifesta est sapientiam: sed ram pridem à dierum tuorum principio, siue à prima tua ætate, nouit populus vniuersus tuam sapientiam ideoque & bonum esse quod corde iam tuo efformasti.* siue *cogitasti.* Denique sanctè ipsam fecerant, vt eius precibus culpam, quam ipsi agnoscebant, & quidem tantam, quantam illa dixerat; autut, sed seipsam multo magis deiecit. & quemadmodum ab Angelo & Elizaberha cum laudaretur Virgo, se DEI humilem ancillam profitebatur: ita & Iudith se pauperculam, quæque aliorum indigeat precibus profitetur. neque eorum tantùm, quibus dicere possit; *Orate pro me, quoniam vir sanctus es, & timet* DEVM: sed eorum etiam, quos in DEVM grauiter committisse dixerat, quos arguerat DEI tentatores, minitatores, vltores. *Orate*, ait ver. 33. *pro me ad Dominum* DEVM *nostrum.* Neque hoc semel tantum petit, sed in tam paucis verbis, iterum & iterum ver. 32. & 33. Neque horum tantum, qui primarij erant, & viri licet iam prolapsi, virtute alioqui præstantes, iamque ab illo suo delicto resipiscebant, preces petit: sed aliorum etiam omnium, qui in vrbe tùm erant, licet sua ipsi murmuratione, impatientia & querela, quasi suos huc principes impulerant, non parum etiam deliquissent. Quis magnę hoc humilitatis inficietur? Quis & imitatione dignissimum non censeat? Sunt, qui cœlo recepti iam sunt, partim Angeli, partim homines beati merito à nobis rogandi: sunt & in hac vita etiam ij, quos egregiè sanctos, DEique meritos iudicamus: at non ij tantum, sed & alij, qui in Ecclesia adhuc Catholica permanent, etiamsi aliquid aliquando deliquerint, vel etiam-

num adhuc delinquant. Sæpè, qui cecidit, resurgit. & quidem nostra interdum opinione velocius. Nemo contemnendus. Pharisaico supercilio respuendus nemo. In Ecclesia Catholica, *multi vnum corpus sumus, in* CHRISTO, *singuli autem alter alterius membra.* Roman. 12. vers. 2. *Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarij.* 1. Corinth. 12. vers. 21. Ideoque & S. Iacobus cap. 5. vers. 16. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* & ipsum electionis vas D. Paulus Rom. 15. v. 30. *Obsecro* ait, *vos fratres, per Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *& per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad* DEVM. 2. Cor. 1. v. 10. DEVS *de tanto periculo nos eripuit & eruit, in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis.* 1. Thessal. 5. ver. 2. *Fratres orate pro nobis.* & 2. cap. 3. ver. 1. *De cætero fratres, orate pro nobis.* Quemadmodum verò petit sancta Iudith ver. 33. *Nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominũ* DEVM *nostrum:* ita Actor. 12. vers. 5. *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad* DEVM *pro* S. Petro, qui *in Herodis carcere seruabatur.* Et nos quidem semper aliorum precatu indigemus, sed tùm in primis, cum magnũ & arduum quodpiã molimur, cui nostra facilè succumbere potest infirmitas, siue id publicũ sit, siue priuatum verbi causa, cũ ad peccatorũ, hæreticorum, Gentiumq; infidelium conuersionẽ aggredi, religiosum vitæ statũ inire, paupertatis, castitatis & obedientiæ DEO vota nuncupare volumus, dicamus; *Orate, vt firmum faciat* DEVS *consilium meum.* Nam *nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno* DEI. Luc. 9. ver. vltimo. Cæterum, quia penes Optimates istos, portarum vrbis claues erant, &, nisi eorum emissu nutuque, poterat nemo egredi, vel ingredi, noctu præsertim; ideo: *Stabitis*, ait, *vos ad portam, nocte ista.* Et cap. 10. v. 9. in Græco; *Portam*, ait, *vrbis mihi iubete aperiri.* Discamus & nos, nusquam egredi, nisi stantibus ad portam, & concedentibus, quibus claues dedit DEVS. sed in iis potissimum rebus, quæ ad Euangelij CHRISTI Domini prædicationem, diuinorum sacramentorum administrationem spectant, vt videlicet *no sumat sibi quisquam honorem, sed qui vocatur à* DEO *tamquam Aaron.* Heb. 5. ver. 4.

CAPVT IX.

1 VIRVS absedentibus, Iudith ingressa est oratorium suum: & inducers se cilicio, posuit cinerem super caput suum: & prostrauens se Domino, clamabat ad Dominum dicens:

Gene. 34. 29.

2 *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt incoinquinationc tua, & denudauerunt femur virginis in confusionem.*

3 *Et dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem: & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum: subueni quæso te Domine Deus meus mihi vidue.*

4 *Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est quod ipse voluisti.*

5 *Omnes enim viæ tuæ parate sunt, & tua iudicia in tua prouidentia posuisti.*

Exodi 6 14. 9.

6 *Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post fernor tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum.*

7 *Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos.*

8 *Tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos.*

9 *Sic fiant & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in conto, & in scutu, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur,*

10 *Et nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, & Dominus nomen est tibi.*

11 *Erige brachium tuum sicut ab initio, & allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in tractandia tua, qui promittunt se violare sanctia tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & deicere gladio fuo cornu altaris tui.*

12 *Fac Domine, vt gladio proprio eius superbia amputetur.*

13 *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percutiens eum ex labys charitatis mea.*

14 *Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum: & virtutem, vt euertam illum.*

15 *Erit enim hoc memoriale nominis tui, Iudic. 4 22. & 5. 26.* Iudic. cum manus fœminæ deiecerit eum.

16 *Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

17 *Deus cœlorum, creator aquarum, & Domine totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem.*

18 *Memento Domine testamenti tui, & da verbum in ore meo, & in corde meo consilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione eius permaneat:*

19 *Et omnes gentes agnoscant quia tu es Deus, & non est alius præter te.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

COMMENTARIVS.

ALTERAM nunc ad liberandum populum aggressionem Iudith adhibet, cum DEO scilicet agendo, eiusque opem & auxilium implorando. Ideoque hoc ipso capite illius ad DEVM oratio proponitur. & eiusdem modus, partim huius eiusdem capitis initio statim, partim etiam sequentis. Nam *primo, ingressa est oratorium suum.* de quo suprà. *deinde, se cilicio induit. tertio, posuit cinerem super caput suum. quarto prostrauit se ante Dominum. quinto* clamare precabunda occœpit. Quæ aliorum toties, tamque humiliter, vt audimus; preces petierat, quid cum ancillis, domesticisque suis fecisse tam credimus? In Græco quæ notanda sint, duo hic adiiciuntur. *Vnum*, ἐγύμνωσεν τὸν σάκκον. *Nudauit id, quod induebatur, cilicium.* id est, cum id antea opertum esset, vestibusque aliis obtectum, iam apertè, vestibus illis abiectis, cilicio induta est. Sicque Latinus textus explicandus de indutione cilicij, non qualibet, sed aperta, minimeque velata, prout in sacrificantibus facer dotibus dictum suprà cap. 4. vers. 9. & 16. *Alterum* est cœptę huius orationis tempus, καὶ ἦν ἀφεὶς τὰς θυσίας τοῦ ἑσπερινοῦ θυμιάματος ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ θεοῦ ἐν Ἰερουσαλὴμ ἐκείνης. *Et erat iam, cum offerri solet, Hierosolymis, in domo* DEI, *incensum vespertinum.* Oratio verò petit hostium profligationem, Israëlitarum liberationem, & quidem ita, vt vtrumque istud, & ipse hæc agendi modus ad vnam ipsius DEI gloriam totus referatur vers. 15. & 19. Contexitur autem tota petitio ex comparatione quadam cum veteribus exemplis duobus. Deinde ex crebris de DEO sententiis, & tertiò, ex ipsius, quem dixi, DEVS, in vlciscenda violatæ virginis pudicitia iuuisti: ita me viduam ex illo prognatam, in Bethuliæ, adeoque patriæ totius, & religionum tuarum liberatione procurandâ nunc adiuua. *Alterum* ex penitus occidisti, ô DEVS: ita & nunc, immensas Holophernæ huius, omniumque Assyriorum copias extermina.

QVÆSTIVNCVLA I.

Quomodo, in defensionem alienigenarum, dedit Simeoni Patriarchæ gladium Dominus?

EST aliqua hic & de verbo, contra versionis nostræ Momos, velitatiuncula, & de re ipsa ob difficultatem, pugna. *De verbo* quidem, quia Simeon alienigenas non defendisse sed oppugnasse λοχῶν appellat. Sic enim defendendi defensionisque vocabula priscis auctoribus vsurpata notat non incuriosus Latini sermonis custos Nonius. *Defendere*, ait, *vindicare, depellere. Virgilius Bucol.* — *solstitium pecori defendite. Ennius Achill. Seruate ciues, defende hostes cum potes defendere.* Et sic quodammodo iam suprà c. 1. vers. 12. *Iurauit, quod defenderet se de omnibus regionibus his.* Ad Rom. 12. vers. 19. *Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum irę.* Similiter lib. 1. contra Marcionem cap. 26. de falso Marcionis Deo: *Cur prohibet admitti, quod non defendat admissum? cum multo rectius non prohibuisset, quod defensurus non esset, quam vt non defenderet, quod prohibuisset. imo & permisisse directò debuit. sine causa prohibiturus, non & defensurus. Nam & nunc tacite permissum est, quod sine vltione prohibetur.*

De re ipsa porro difficultas est, quomodo quam intulit Simeon alienigenis, cædes hic laudetur, cum in Genesi vituperetur? Illic enim cap. 34. vers. 30. Iacob dixit ad Simeon & Leui; *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæo & Pherezæo habitatoribus terræ huius. Nos pauci sumus. illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* Multoque grauius cap. 49. vers. 5. *Simeon & Leui fratres. vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea. quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura. Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israel.* Tres adhibentur ei difficultati *responsiones. Prima* est eorum, qui cœdem vel omnino, vel fere, locum hunc illi repugnathusianus, de quo suprà proleg. 4. in hæreticorum argumentis fol. 213. *Altera* historiæ Scholasticæ, Dinæ stuprum, violata erat maiestas, & hominum naturæ insita lex: neque vera illum pœnitudine placarant stuprator Sichem, & eius pater Hemor, cæterique sceleris eius vel adiutores, vel approbatores Sichemitæ ciues. & sic iustissima ij cæde piectebantur. Deinde, quoad Simeonis ipsius & Leui animum, qui vehementi quadam furoris insania, non iustitiæ zelo, sed iræ vindictæque impetu arma corripuerunt, illos occiderût. sicque iniusta cædes fuit. Priore modo laudari cædem hic, non posteriore, inquit illa historia. & explicat, aliquoque modo approbat Carthusianus exemplo Iudæorum, quorũ excidium & captiuitas, quoad DEVM ratenus, iusta, quoad Nabuchodonosoris ambitionem & superbiam, iniusta extitit. *Tertia* Lyrani hoc loco & Pererij nostri, libro de benedictione Patriarcharum. duo nimirum in cæde illa fuisse. *vnum*, ipsam flagitij detestationem, eiusque puniendi zelum. *alterum*, ipsum punitionis huius exequendæ modum. & prius quidem illud laude dignum esse, non posterius. non quasi puniendi potestatem non haberent, (cum enim esset Hemor loci eius princeps, ad nullum vocari tribunal poterat, sed armis tantùmodo puniri) sed quia modus is contra sancitum iamiam fœdus & fraudulentus, nimiumque vehemens & furiosus fuit.

Ex vtraque ista expositione plenior ea forsan erit, quæ dixerit, *primo* quidem *hic maximè spectari & laudari, quod in clade ista diuinum fuit.* Nam & orationis hoc scopus, quem suprà vidimus, indicati & loquendi modus, *dedisti illi gladium in defensionẽ alienigenarum, dedisti mulieres illorũ in prædam.* & in Græco; *dedisti principes eorum in cædem, & cubile ipsorum in sanguinem, & percussisti seruos cum dynastis, & dynastas ipsos in thronis suis.* statimq; magnitudo sceleris, quod gladio vindicari voluit DEVS, adiicitur. *Ad hoc*, in sequenti exemplo de Ægyptiorum mersione nihil humani, sed tantummodo, quod diuinum erat; prædicatur. quia id solum commemoratu oportunum iam erat, DEVM eos, qui malo quopiam Israëlitas affecissent, olim puniisse. ideoque rogari eum, vt itidem modò faciat. *Deinde* verò *videtur factum istud, quatenus à Simeone & Leui extitit; aliquo modo laudari.* quia Simeon & Leui dicuntur *serui* DEI, neque simpliciter, sed qui *zelauerint zelum* DEI. Nam *zelum* DEI *zelare* in laude ponitur, 1. Machab. 2. 54. & 58. Et Græcè additur, *Sanguinis sui propugnatorem abominati sunt: & te in adiutorem inuocarunt.* Atque sic, non interim negatur eos peccasse, importunè, callidè nimiumque furenter & rabidè in fœderatos irruisse. In vno eodemque opere, quod alioqui malum est, maloque modo agitur, potest interdum tamen laude quidpiam dignum aspici. Teste ille, qui furacem fraudulentumque *villicum iniquitatis* laudauit, *quia prudenter fecisset.* Lucæ 16. vers. 8.

Obiicit tamen Carthusianus, armis eos pœnam inferre non debuisse, quia etiamsi Rex Hemor esset, maiori tamen Regi parebat, coram quo de iniuria potuit accusari. Nam Iosuæ 11. *Asor antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat.* Verum potuit Asor principatum tenere, siue inter omnia eminere, vt regna ei tamen alia non subessent. Et, vt subessent, quomodo aduenæ & peregrini homines, in re, quæ magnum apud Barbaros istos flagitium non videbatur, iustas exigere pœnas potuissent?

Obiiciet fortè alius, totum, etiam quoad Simeonis animum. & modum; factum hoc videri hoc loco laudari. quia dicitur DEVS illi *gladium dedisse.* At quæ cædes iusta hoc, quis cædendi animus & modus æquior, quam vbi gladium porrigit, penes quem summa omnium vitæ ac necis potestas? Quomodo delinquant, qui DEI aliqua in re serui sunt, in eaque zelum ipsius zelant? Iam dixi, & Quomodo delinquant, qui DEI aliqua in re serui sunt, in eaque zelum ipsius zelant? Iam dixi, & vsu receptum, vt vno quopiam respectu sit aliquid æquum, alio iniquum: accipiat quis à DEO potestatem aliquam, neque ea tamen, quemadmodum par esset, bene vtatur. Nonne Nabuchodonosorem, qui Hierosolymam cepit, templum euertit, populum abduxit, vocat DEVS *seruum suum?* Ierem. 25. ver. 9. Nonne ad Ezechielem ait Dominus cap. 29. ver. 18. *Fili hominis, Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum. Omne caput decaluatum: & omnis humerus depilatus est: & merces non est reddita ei, neque exercitui eius de Tyro, pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam.* Iudith ergo potissimum quæ DEI sunt in Simeonia irruptione celebrat; quæ Simeonis verò sunt, non nisi modicè & quadantenus.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quæ labia charitatis ver. 13. & qui illustriores huius capitis vel sententiæ: vel documenta?

LABIA *charitatis* vocantur, è quibus verborum χάριτες quædam, siue iucunda orationis gratia existit. Vnde & qui auribus aliquid dant, aiuntque grata proferunt, ij apud Athenæum γλωττοδόκοι, ab aliis quibusdam *aeralogi* vocãtur. Quia verò eiusce modi orationis mella grauiter sæpe auditorem fallunt, sicuti & Holophernem fefellerunt, idcirco in Græco dicuntur χείλη δόλου, *labia fraudu*, siue vt in Psalmo 11. 16. 30. *labia dolosa.* Quomodo huiusce modi à DEO petat Iudith, alio capite, cum aliis quibusdam, disquiretur commodius.

Inter sententias verò *prima* est, qua DEI potentiam extollit v. 4. dum & pœnam, quæ falacibus illis Sichemitis illata erat, cum arbitratu suo fecisse ait, & alia omnia tam, quæ vnquam ante facta sunt, vel deinceps vnquam fient. Hæc enim sententiæ huius vis paulò in Græcis apertior est; ἐπῆλθες τὰ πρόσωπα ἐκείνων, καὶ ἔκλινας, καὶ τὰ ἀπροσδόκητα ἐπῆλθες, καὶ τὰ ἐπερχόμενα διεγνώσθησαν, ἐβουλεύσω, καὶ παρέστησαν. Πάσαι γὰρ αἱ ὁδοί σου ἕτοιμοι, καὶ ἡ κρίσις σου ἐν προγνώσει. *Fecisti ea quæ illis priora sunt, & quæ deinceps, & quæ nunc, & quæ ventura intellexisti. & facta sunt quæ cogitasti & præsentia fuerunt, quæ deliberasti, & dixerunt; Ecce adsumus. Omnes enim viæ tuæ paratæ: & iudicium tuum in prænotione.* id est, promtum & præmeditatum erit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Altera sententia est ver. 10. DEVS *noster conterit bella ab initio, & Dominus nomen est ei.* Pro isto *Dominus*, Hebraicum esse solet יהוה: estque totum hoc explicatum Exodi cap. 3. ver. 14. cap. 6. ver. 3. sicuti & quod iam subditur ver. 15. *Erit hoc memoriale nominis tui.* Explicatur tamen hic ipse locus à Petro Fabro lib. 10 decameni, cap. 5. Alia DEI nomina sunt vers. 17. vbi & *præsto mere* in bonam partem sumitur, vti suprà expositum cap. 6. ver. 15. In Græco etiam suauissima hæc. ταπεινῶν θεὸς, ἐλαττόνων βοηθὸς, ἀντιλήπτωρ τῶν ἐκλειπόντων, ἀπεργασάμενος τὰ σκέπασμα, ἀπλημονούντων σωτὴρ. *humilium* DEVS, *inferiorum adiutor, curator infirmorum, deploratorum protector, desperatorum saluator.*

Tertia ver. 16. cui simillimæ in scripturis complures. sed pulcherrima illa Hierosolymitani Regis Asæ, dum contra Æthiopum Regem Zaram, qui decies centena hominum millia, trecentosque falcatos currus ductabat; pergeret, 2. Paralip. 14. vers. 11. *Domine*, ait, *non est apud te vlla distantia, vtrum in paucis auxilieris, an in multis. Adiuua nos Domine* DEVS *noster. In te enim & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem.* Hanc porro Iudith nostræ vocem Regino comiti, cui militiæ regulas præscribebat, laudat Carthaginiensis diaconus Ferrandus S. Fulgentij discipulus. *Si*, ait in prima regula, *paruus exercitus contra hostium multitudines innumerabiles educendus sit, orante Iudith quæ virtus tua in potentatibus. sed humilium est* DEVS. Atque id etiam agnoscit Gentilis apud Herodotum lib. 7. Artabanus; ὅταν θεὸς πολλὸς ὑπὸ ὀλίγου διαφθείρηται κατὰ τοιόνδε. ἐπὰν σφι ὁ θεὸς φθονήσας φέσσῃ ἐμβαλὼν ἢ ἐρωνίην. *fingens exercitus ab exiguo profligatur, quoties* DEVS *inuidet, quibus*, siue potius *quos deterrere statuit, aut metum aut tonitruum incutit.*

Documentorum verò istæ non parum suppeditant sententiæ, possunt tamen adiungi & aliæ. *Primum*, quæ sese ad magna quædam opera comparandi ratio sit, videlicet ad DEVM semper aduolaquis. *Alterum*, vnius ob noxam, quanta sæpè in Rebus publicis mala? & ea neque fortuita, neque à dem Helena: suam tamen habet & ipsa Iliadem, vt in Genesi & hoc loco vides. *Tertium*, cum extretum velatæ, in adolescentum sese conspectum dabant, & φανερόμηδες vocabantur; sentiendum? toros non committamus? *Quintum*, in armis, hominumque operibus, spes numquam nostras colocemus. Quid Assyrius ista profuerũt, qui *in scuto, gæso, sagitta & funda* confidebant, vt habet textus Græcus; itemque in alius, vt Latinus vers. 9. Omnium clausula sit, vt quæ agimus, cogitamus, precamur, ad DEI vnius gloriam tandem aliquando colliment. Vult Iudith decipi Holophernem, vult Assyrios deleri, vult obsidione vrbem liberari, vult se corroborari. Sed omnia tamen huc tendunt, vt DEI domus sanctificatio permaneat, religio vigeat, Catholica Ecclesia non opprimatur, DEVS *præter eum*, siue vt alt Græcus, non est *præter ipsum progenere Israel* ὑπερμαχίζων. alius inquam Ecclesiæ Catholicæ conseruator, protector, & Seruator non est. cui gloria nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen

CAPVT X.

1 FACTVM *est autem, cum cessasset clamare ad Dominũ, surrexit de loco, in quo iacuerat prostrata ad Dominũ.*

2 *Vocauitque abram suam, & descendens in domum suam, abstulit a se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ.*

3 *Et lauit corpus suum, & vnxit se myro optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextralabola. & lilia, & maures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se.*

4 *Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabilis decore omnium oculis appareret.*

5 *Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caseum, & prosecta est:*

6 *Cumque venissent ad portam ciuitatis, inuenerunt expectantem Oziam & presbyteros ciuitatis.*

7 *Qui cum vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinem eius.*

8 *Nihil tamen interrogantes eam, dimiserũt transire. dicentes: Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, & omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, vt glorietur super te Ierusalem, & sit nomen tuum in numero sanctorum & iustorum.*

9 *Et dixerunt hi qui illic erant, omnes vna voce: Fiat, fiat.*

10 *Iudith vero orans Dominum transiuit per portas ipsa & abra eius.*

11 *Factum est autem, cum descenderet montem circa ortum dici, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, & tenuerunt eam, dicentes: Vnde venis? aut quo vadis?*

12 *Quæ*

12 *Quæ respondit: Filia sum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui, quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos noluerunt vltro tradere seipsos, vt inuenirent misericordiam in conspectu vestro.*

13 *Hæc de causa cogitaui mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi secreta illorum, & ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius.*

14 *Et cum audissent viri illi verba eius, cõsiderabant faciem eius, & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis.*

15 *Et dixerunt ad eam: Conseruasti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, vt descenderes ad dominum nostrum.*

16 *Hoc autem scias, quoniam cum steteris in conspectu eius, bene tibi faciet, & eris gratissima in corde eius: Duxeruntque illã ad tabernaculum Holofernis annunciantes eã.*

17 *Cumque intrasset ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes.*

18 *Dixeruntque ad eum satellites eius: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt nõ pro his merito pugnare contra eos debeamus?*

19 *Videns itaque Iudith Holofernem sedentem in conopæo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum:*

20 *Et cum in faciem eius intendisset, adorauit eum, prosternens se super terram, & eleuarunt eam serui Holofernis, iubente Domino suo.*

COMMENTARIVS.

EXTREMVM, quod ante liberationem, apud Israëlitas agit Iudith, proponitur capite hoc: itẽq; principium eorum quæ apud Assyrios. In extremo illo est finis longæ, demissæ, ardentissimæque hactenus institutæ precis: deinde præparatio ad iter, tandemq; ipse ex vrbe abitus. *Præparatio*, quia cum hoste corporeo, & in corporeis hisce rebus toto defixo negocium futurum est, corporea item est, eaque duplex: Nam & vario cultu *corpus exornat*, ver. 2. 3. 4. & *cibos* quibus apud Gentiles vesci velit, *accipit*. In ipso ex vrbe abitu, est ipsius admiratio, & triplex precatio, ipsorum scilicet principum, aliorum circumstantium, & ipsius Iudith. Additur Græcè portarum apertio, iussu illorum facta.

QVÆSTIVNCVLA I.

Quæ abra, toties isto libro commemorata?

SVPRA cap. 8. ver. 32. *Ego exeam cũ abra mea.* Hic ver. 2. *vocauit abram suam.* ver. 5. *imposuit abræ suæ.* & deinceps sæpius. Putant plerique nomen esse proprium vnius è Iudith gynecæo ancillæ. Cõmune tamen nomen est, quod ancillam significat: non tamen quamcumque, sed vt apud Eustathium air Pausanias; quæ ad manum heræ præsto est, quæque ad obsequia honestiora solet adhiberi. Suidas exponit ἀνθ' ἧς γυναῖκες ἔχουσι, καὶ ἡ πρόσφατος ἐπὶ σφᾶς ἥκουσα, ἔτι μέ. *Quæ diu admodum domi versata est, vxori puella, & honorata, siue domi nata sit, siue non.* & affert ex Menandri Pseuderacle, & Sicyonia, quam & Stobæus serm. 51. citat; itemque ex Iamblicho testimonia. Sed è nostris alia libris afferri possunt. Genes. 24. ver. 61. αἱ δὲ ἀναστᾶσαι Ῥεβέκκα, καὶ αἱ ἄβραι αὐτῆς ἐπέβησαν ἐπὶ τὰς καμήλους. *Surgens Rebecca, & ancillæ ipsius ascenderunt camelos*, vbi ab Aquila παιδίσκαι, à Symmacho ὑποζύγια ponuntur. Exodi 2. ver. 5 *Descendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine,* καὶ αἱ ἄβραι αὐτῆς ἐπορεύοντο παρὰ τὸν ποταμόν, *& ancillæ ipsius gradiebantur iuxta fluuium.* Et ibidem ἀπέστειλε δὴ ἄβραν, ἀντὶ παιδίσκης, *cum misisset ancillam, abstulit.* Idemque nobis posteà occurret in Esther cap. 2. 4. & 5. Apud Eusebium lib. 9. præter Euangel. Ezechielus poëta Moysen illa quæ in Exodi principio sunt, narrantem inducẽs, ait; Συγγόνῳ βασιλέως ἄβραις ἅμα καθῆλθε. *Nata Regis cum suis pedissequis descendit.* Idemque versus apud Clementem Stromate primo legitur, sed pro ἄβραις ibi parum recte substituit doctus Interpres ἄπαις, & vertit, *Nata Regis, quæ carebat liberis venit.* licet, vt in Exodo tradidit, verum sit, vecerum quosdam hunc liberos negasse. Erat verò *habra* ista, vti nobis Græcus ca. 5. ver. 9. aiebat; ἔστησε τὴν ἄβραν τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ, *præfecta omnibus ipsius Iudith facultatibus.* ideoque, vt ait Suidas; famula prorsus honorata. Quia vero miratur interdum nonnulli, cur in Latinis Romanis *abra* sit, in aliis quibusdam *habra*, sciendum aspiratè lenitérque id nomen, apud Græcos, scribi; & in Græcis quidem Romanis aspiratè semper, sicuti contra de Olopherne dictum est ca. 2. quæst. 1. quod nomen sicuti spiritu varium est, ita & declinatione, prout è superioribus notari iam potuit, & tamen quod moneret, dignum putauit Suidas. Addo, quia in Græcis quibusdam, expositionis causa, scriptum erat ἄβρα ἄβρα, factum à quibusdam è duobus nominibus vnum quoddam nominis monstrum *Abraduli*. Vbi verò nobis instá cap. 10. ver. 10. *abra*, Græcis est παιδίσκη *famula.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA II.

Quæ hic, in cultu & victu, Romana rectè correxit editio, & quid tam ea quam alia similia sint?

LEGEBATVR anteà vers. 3. *vnxit se myrto optimo.* & in Rabani manuscripto, *myrro.* Corrigit Romana editio, *myro optimo.* Est autem myrum μύρον vnguentum. Et ea vox in Græco est ἐχρίσατο μύρῳ πολυτελεῖ. *vnxit vnguento pingui vel crasso.* Et quia id apud Plinium lib. 13. cap. 1. 2. & 3. admodum delectabat, valdeque prestans habebatur, idcirco ait noster *optimum*, nisi *optimum* quis vellet. Myrteum tamen succum & oleum ad vnguenta fuisse adhibitum docet ibidem Plinius. Legebatur ver. 5. *ascopa.* In eadem Romana correctione iam editur *ascopera.* quæ saccum vtriculatem, & coriaceum significat. In Græco est ἀσκωμάτιον, quæ à Polluce inter vinaria vasa recensetur. Fuit etiam apud Suetonium in Nerone cap. 45. *ascopa*: sed Turnebus lib. 25. cap. 11. *ascoman* in genere fœminino reposuit. quemadmodum & apud Vitruuium lib. 9. cap. 3. *sacoman* legimus. Habebant etiam libri antea vers. 5. *lapatet.* dicuntque Rabanus & glossa fuisse cibum ex oleribus confectum. Sed syllabarum esse transpositionem ostendit Romanus liber, legendasque *palathas.* Nam Græcè est πήγνυσιν ἐπλήρωσεν ἀλφίτων καὶ παλάθης. *Peram impleuit polenta, & palatha.* Est verò *palatha* ficorum, pinguiumque caricarum massa, quarum magnus illis in partibus vsus. *Syria* enim *habet*, inquit Plinius lib. 13. c. 5. *in ficorum genere caricas, & minores eius generis, quæ cottana vocantur.* Abigail Dauidi ferebat, 1. Reg. 25. ver. 18. *ducentas massas caricarum.* Ægyptio inuento dederunt Dauidis comites, 1. Reg 30. ver. 12. *fragmen massæ caricarum.* Dauidi ferebat Siba, 2. Regum. 16. ver. 1. *centum massas palatharum* & ver. 2. *vt sint palathæ ad vescendum.* Dauidi afferebant Hebronem, 1. Paralip. 12. ver. 40. *farinam, palathas, vuam passam.*

Mitram porro interpretatur ver. 3. Lyranus *cucuphan.* At *cucupha* est apud Horapollinem lib. 1. ca. 55. auis mitræ in parentes pietatis, quam aliqui esse putant ciconiam, cum tamen idem Horapollo lib. 2. cap. 38 distinguere videatur. Verùm vocauit Lyranus barbarè, muliebre capitis operculum, quod Gallicè dicitur *vne coiffe*. Italicè *cuffia & scuffia da donna.* & fortè scripserat ille *culphan* vel *cuffan.* Barbaro tamen omisso nomine, melior Interpres D. Hieronymus est in Isai. 3. esse capitis ornamentum.

Dextraliola, ibidem sunt armillæ; *lilia* verò quæuis manuum aut colli ornamenta. Nam Græcè sunt δακτυλίους καὶ τὰ ψέλια, vel vt Romanus habet ψέλια, pro quo putat in nostro textu non nemo esse *lilia* quasi *pselia.* cum tamen etiam certum sit, in vestibus flores quandoque intertextos fuisse, vt ostendit lib. 7. cap. 13. Pollux.

Sandalia ibidem, erant calceamenta non qualiacumque, sed pulchra & elaborata, diuitumque mulierum propria, vti probat lib. 14. Var. lect. cap. 15. Victorius testimonio Cephisodori Comici, qui in Trophonio sua induxit mulierem olim diuitem, iam pauperem ita fortunas suas conquerentem. σανδάλια τῶν λεπτοχειδῶν, ἐφ' οἷς τὰ χρυσᾶ ταῦτ' ἐπέσειν ὥδεμα. νῦν δ' ὥσπερ ἡ Θεοφάνους ἐγὼ πεδίλοις βαδίζω. Quę namque antea sumptuoso genere calceamenti vsa fuerat, postea se tamquam annam protuli; *iurare fecit.* & ex Clemente lib. 2. Pædag. cap. 11. hæc; *In calceamentis quoque superbæ arrogantesque fœminæ magnam ostendunt mollitiem. Verè ergo turpia sunt illa sandalia, in quibus fluxi sunt antea veluti donaria.* sicque hoc loco, sandaliorum vox sumenda. Non tamen alibi semper, vt patet Marci 6. ver. 9. vbi Dominus vult Apostolos *sandaliis calceatos.* Actor. 12. vers. 8. dum S. Petro ait Angelus; ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. Noster pro sandaliis, *calcea te caligas tuas.* Nam vel ea inferiores tantum plantas ab itinerū offensionibus defendebant, vt ex Diuo Augustino libro 2. de consensu Euangelist. cap. 29. & 30. recitabam libello de Apostolis, num. 13. vel communes certè calcei, erant quæ & ὑποδήματα dicuntur. Ita enim & *sandalia* à Chaldaico Thargum appellantur Genes. 14. Isaiæ 11. Cantic. 7. ver. 1. & alibi, prout in suo Thisbi monet Elias, vbi & monet exinde vocatū Rabbinum quendam *Hassandelar*, id est, calceolarium. Cur verò, etiamsi Græca id genus nomina in Interprete nostro legantur, carpendus non sit, attingam lib. 2. Machab. 14.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quos secum cibos tulerit? cur, & quomodo?

QVÆ ad potionem, vel aliquam ciborum conditionem valerent, fuerunt *vinum & oleum.* Cibi verò in Latino quadruplices ponuntur. Primus, est *polenta.* in Græco ἄλφιτα. *Polentam,* inquit Ruellius lib. 2. c. 16. *Graci alphita nominant, torrefacti hordei farinam, quæ nunc tota Gallia sicca crithe vel*

crithe vel grio siccum, quasi torrida & resiccata crithe vel cri vocatur. Vsualis ea circumfertur spissandis carnium iuribus. quamquam & ex auena retorrida cœpit fieri, & eadem nomine ambagi proferri. Ideoque minus conuenienter vertit hoc loco Baduellus farinam simpliciter. Quorsum enim & panes secum tulisset? Omninoq; monet lib. 2. de Republ. Plato; ἐκ μὲν τῶν κριθῶν ἄλφιτα, ἐκ δὲ τῶν πυρῶν ἄλευρα, *ex hordeo proprie fieri alphita, ex frumento aleura.* Significant autem hæc farinam, sed illa hordeaceam, hæc triticeam. Alioqui Hebraicum *Kulai*, & Græcum πεφρυγμένον vertit etiam noster *polentam*, Leuit. 23. ver. 14. Iosuæ. 5. ver. 11. alibi. Aliter, *palathæ*, de quibus superiore quæstiuncula. Tertius, *panes.* Quartus, *caseus.* At hic in Græco nullus. & fortassis erit, qui eum textum magis laudet, quia & parum salubris caseus dicitur, & eo CHRISTVS Dominus non vsus à S. Bernardo traditur sermon. 2. in aduentu, de verbis, Pete tibi signum. *Duo*, ait, *sunt in lacte ouis, butyrum & caseus. Butyrum pingue & humidum: caseus è contra, aridus & durus. Bene paruulus noster eligere nouit, qui butyrum comederit, caseum vtique non comedit.* Bonis tamen palatis nequaquam Larini textus desipit *caseus.* quin verò cum è Græco surreptum non temere suspicantur. Nam quid in Græco pro caseo est? ἄρτοι καθαροὶ *panes puri.* Sed quinam isti? An propositionis panes? At, in templo Hierosolymitano, ij coram DEO proponi erant, neque iis, nisi solis sacerdotibus vesci licebat, Matth. 12. ver. 4. An recentes, minimeque mucidi? At pari ratione dixisset vinum accepisse defecatum, oleum absque amurca, polentam & caricas minimè carioſas. Neque enim volebat Iudith longum nescio quod iter simulare, vti Gabaonitæ Iosuæ 9. ver. 5. Puros panes dixerit quispiam esse azymos, quod à fermento puri essent. Et sanè posse ita vocari dixi cap. 8. quæst. 9. propter illa Diui Pauli verba, 1. Corinth. 5. ver. 7. *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi.* At cum ista faceret Iudith, non azymorum iampridem dies præterierant? Et cur vsitatos quotidianosque Iudæis omnibus panes non accepisset? Si circumspiciamus omnia diligenter, fuisse in Græco inuenientur pro ἄρτοι καθαροὶ, ἄρτοι καὶ τυροὶ, *panes & cases*, ita vt sit illi textui hæc restituenda lectio. πήγνυσιν ἐπλήρωσεν ἀλφίτων, καὶ παλάθης, καὶ ἄρτων καὶ τυρῶν. *Peram impleuit polenta, & palatha, & panibus & caseis.* Quam verò sint salubres & quomodo, magis inter omnes pænè gentes, quæ caseo vtuntur, quam inter Medicos conuenit, vti & in epistola quadam Medicus agnoscit Langius. CHRISTVM verò Dominum caseo non vsum tàm tummodo allegoricè illic asserit D. Bernardus. Sequitur enim de oue perdita, quam Dominus quęrit; *in hac oue duo reperies, naturam dulcem, naturam bonam, & bonam valde, tanquam butyrum, & peccati corruptionem vt caseum. Vide ergo quam optime puer noster elegit, qui naturam nostram sine vlla peccati corruptione susceperit. Nam de peccatoribus legis, Coagulatum est sicut lac cor eorum. in quibus vtique lac iustitiæ corruperat fermentum malitiæ coagulum iniquitatis.* Alioquin & Dauid 1. Reg. 17. vers. 17. fratrum suorum Tribuno munus à parente fert decem caseolos.

Cur verò istos secum cibos detulerit Iudith, explicat ipsamet cap. 12. ver. 2. sibi videlicet per legem suam, Gentilium cibos esse, non licere. sicuti Danielis 1. versu. 8. *proposuit Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis neque de vino potus eius.* Solebant enim potulenta & esculenta pleraque, Deorum imprecationibus quibusdam contaminari, etiam in macello, vt innuit S. Paulus 1. Corinth. ver. 25. & sequent. Ideoque non suillæ tantum carnes, & quæ alia Iudæis vetita erant, ab his apud Gentiles cauebantur; sed alia etiam edulia suspecta erant. idque Theodoretus etiam narrat lib. 3. hist. ca. 14.

Modus, quo annonam hanc suam tulit, erat ver. 5. vt abræ suæ imponeret omnia. Ipsa enim Iudith domina erat, & vt apud Assyrios talis iam habebatur, curandum erat. In Græco dicitur; περιεδίπλωσε πάντα τὰ σκεύη αὐτῆς, καὶ ἐπέθηκεν ἐπ' αὐτῆς. Versio Complutensis habet; *duplicauit omnia vasa sua, & imposuit in ea.* Sed quid, *duplicauit?* Num bina vini, olei, omniumque iam enumeratorum vasa esse voluit? Num pro duabus, se nimirum & habra, illa impleuit? Hoc quidem posterius fecit vtique. sed hoc proprie non est vasa duplicare: & etiamsi esset, quid exprimere attinuisset? Obseruandum non esse hic simpliciter διπλοῦν, sed περιδιπλοῦν, quod aliquando est *conuoluere, circumplicare*, ita vt vascula & sacculos bene compositos & conuolutos habræ imposuerit. sicque ad vrbis portam contendit.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Quid, exisso Iudith apparatu, ad nos fructus?

PRINCIPIO, vt ad Assyrios debellandos Iudith accedat, eam ad pristinum ornatum redire vides, vt intelligas, ad animæ tuæ diuinæque religionis & gloriæ hostes demincendos siue iugulandos, quædam interdum quæ iampridem dimiseras, repetenda, & inuito etiam toleranda. Veles ocium, quietem, meramque tranquillitatem consectari? At cum iis diu multumq; magnâ cum molestia congrediendum, loquendum, differendum. Velles in aliquam rē solitudinem abdere, Tibi, DEOq; soli vacare. At, nisi hæreticis obsistas, eorum consilia dissipes, eorum tabernacula & cœtus ineas, Bethuliæ salus agitur. Velles solos diuinarum literarum libros, Sanctosq; Patres, & Christus ineas, Bethuliæ salus agitur. Velles solos diuinarum literarum libros, Sanctosq; Patres, & Christianæ pietatis Magistros legere, prophanos omnes etiam è memoria procul abiicere, nihil cum iis

omni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnino commercij habere. At ætas ista literas, doctrinasque istas externas postulat: incultam orationem aspernatur: salutaria, nisi & palato ipsorum grata, omnes exspuunt. Quid agas? Quæ propter DEVM quondam posthabueras non mala, ea propter DEVM iam resumenda: & cum res ipsa postulat, omni vel dignitatis vel ætatis deposita grauitate, ob tuam, aliorumque salutem refingi, recoqui, penitusque repueraſcere oportet. Vide D. Hieronymum ad Lætam, D. Gregorium lib. 1. epist. 5. *Iam* Iudith *ornatus* fuit duplex, *adhærens & inhærens*. Ille corporis lotionem & vnctionem, variique generis à capite ad calcem vestes continet: iste pulchritudinem ac venustatem, eamque duplicem natiuam, & diuinitus iamiam appositam. Nos quoque, quicumque Assyriorum copias delere, tartareum Holophernem iugulare optamus, animos ipsi nostros exomologesi & lachrymis eluamus; suauissimis religionis & sanctimoniæ vnguentis oblinamus: nuptialibus charitatis vestibus exornemus: omnes omnino actiones & gestus, interiores & exteriores, à vertice ad plantam vsque decoro omni componamus, & concinnemus. Adsit, quidquid adesse potest naturalis venustatis & elegantiæ, quam à morum litterarumque Magistris didicimus; ex Poëtarum, Rhetorum, Philosophorumque olim studiis collegimus. sed omnium maximè, vt sactæ nos Theologiæ, diumæq; gratiæ demissus è cœlo splendor venustet. à DEO maximopere precandum. *quoniam omnis ista compositio non ex habitudine, sed ex virtute pendet.* De quibus verbis alio in capite posteà.

Tertio loco, Iudith ipsius *cibos* intuere, *quales & quantos*. Nullas secum carnes, & mensarum cupedias ferre sed cibos omnino, iis in locis, plebeios & vulgares. imo &, præter solas caricas; apud nos etiam vulgatissimos. Quis adeo tenuis rusticus, qui è farina quapiam pultis aliquid, panem & caseum non habeat: non venienti etiam ad se, quamlibet hora, hospiti proponat? Vini verò & olei aliquid sumpserat, vt dominæ nomen tuerentur: & sobriè corpus reficerent. Cibi porro ipsi quam *pauci* sunt? quam non numerosa fercula? Præter polentam & panem, quæ in ferculis iam haud numerantur, caseoli & caricarum modicum quid fuit. Et nonne vel egentissimis agricolis, pro caricis, pyra, pomaque, nuces & similia complura sunt? Neque verò etsi numero pauci, mole tamen ipsa multi manu ancilla vna potuit. & vetula fortassis erat, Eurycleæ Homericæ instar. Discès hinc ergo temperantiam & frugalitatem.

Quarto, quando in Assyriorum castra, vt ipsos, vel ipsorum potius impietatem & vitia deleagrediamur. Sunt autem cibi isti sacrosancta Eucharistia, quotidiana diuinarum rerum meditatio, crebra conscientiæ discussio, virtutum variarum, charitatis præsertim & humilitatis; exercitacari, debere vitos spirituales, spiritalibus occupationibus distractos aliorum minus occupatosque curas. minusque spiritualium & doctorum opera vti ad munia magis corporalia, vitæque huius

Quinto, à primoribus istis reuerentiam erga sanctos homines discamus. Cum enim tantis ornamentis, tantaque pulchritudine, præter morem, tam subito, tam mirabili metamorphosi fulgentem Iudith conspicerent, stupuerunt ipsi quidem, & valdè mirati sunt ver. 7. nihil tamen omnino 27. *Mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit, Quid quæris aut quid loqueris cum ea?* 1. quidam virum grauem dum *conspexere, silent.*

Postremo, pietas omnium, & religio bene hic spectanda. Primores orant vers. 8. circumstans populus orat etiam, & respondet Amen, Amen, ver. 9. ipsa denique Iudith orat, ver. 10. Pietatis omnia crucis Domini, Sanctorumque effigies. vt qui egrediuntur aut ingrediuntur, memores semper sint eat D. Augustinus epist. 121. cap. 10. Tales enim & istæ principum excubantium iuuenum, (vocat estomus homilia de Anna, Cassianus collat. 9. cap. 36. In Græco primorum ita oratio exprimitur; DEVS DEVS *patrum nostrorum det te in gratiam*, (id est, vt iis, ad quos abis, grata sis, siue gratiam *Hierusalem* Iudith vero ἐξομολογήσατο τῷ Θεῷ, DEVM *adorauit*. Complutensis de omnibus simul ait; *portas ipsa & abra eius. Ecce*, inquit in D. Augustini sermonibus ducentesimus & duodetricesimus, *tos populos redditura securos sua sapientia consolatur. quæ promittens victoriam, quam omnis natio mirare hostium securis gressibus, properauit in castra.* E quibus verbis, quasi aliud agens & illud nota, si D. Augustini sermo iste non esset, boni tamen & antiqui auctoris esse, vti monebam proleg. 4. fol. 211. Nam non D. Hieronymi hoc in libro versionem, sed Græcorum sequitur, è capite scilicet 8. ver. 30. & exilio, vers. 9. vbi ἐν ἀγαθῇ ἀνοίξαι μου τὴν πύλην. *Iubete mihi aperiri portam.*

Qua

Qua apud Assyrios gesſit Iudith.

INCIPIVNT ea hicà versu 11. & omnium *primum* est, simulatum transfugium v. 12. ipsius captio, pulchritudinis admiratio vers. 14. 16. 17. ad Holophernem deductio ver. 16. huiusque adoratio ver. 20. Sunt porro è Græcis notanda hæc. Cum Iudith ad Holophernem veniret, noctem adhuc fuisse. ideoque & capite sequenti dicitur bis ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ, *hac ipsa nocte*: iacuisse illum adhuc in lecto: significatum illi fuisse de Hebrææ fœminæ aduentu; interim, ipsius pulchritudinis famâ, totis è castris ad eam videndam concurrisse quamplurimos, eosque miratos non ipsam tantum, sed, ipsius etiam causâ, omnes Israëlitas, quos nondum tamen viderant. tuneque proximo suo quemlibet dixisse, id quod ver. 18. scribitur, vbi tamen non inter se tantum, sed ipsi etiam Holoferni hoc eius stipatores locutos apparet. In Græco tamen additur; *Non est bonum, vel virum vnum ex Hebræis residuum fieri. quia si qui dimittantur, poterunt vniuersam terram* καλοπροσωπεῖν *decipere*, siue, tam illecebrosa fœminarum suarum formâ in fraudem ac perniciem totum terrarum orbem pellicere. Antequam verò è lecto & interiori cubiculo proditet Holophernes, exierunt οἱ παρακαθεύδοντες αὐτῷ, καὶ πάντες οἱ θεραπεύοντες αὐτῷ, *ij qui apud ipsum dormiebant & omnes famuli eius*. Tandem & ipse εἰς τὸ προσκήνιον *in proscenium*, siue *tentorij vestibulum venit*, ᾧ λαμπάδες ἀεγύμεναι προῆγον αὐτῷ, *& ardentes lampades ipsum præcedebant*. Quanta magnificentia? *Et conopeum erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum*. Incidit conopei huius iterum mentio cap. 13. ver. 10. & 19. eratque propriè velum, ad volitantes culices arcendos, licet ad splendorem tantummodo sæpè adhiberetur. De Iudith adoratione, infrà capite alio.

CAPVT XI.

11 *VNC Holofernes dixit ei: Æquo animo esto, & noli pauere in corde tuo: quoniam ego nunquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor regi.*

12 *Et sancta Domini Dei sui quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino, & oleo, hæc cogitauerunt impendere, & volunt consumere quæ nec manibus diuerent contingere: Ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur.*

2 *Populus autem tuus, si non contempsisset me, non leuassem lanceam meam super eum.*

13 *Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, & misit me dominus hæc ipsa nunciarem tibi.*

3 *Nunc autem die mihi, quæ ex causa recessisti ab illis, & placuit tibi vt venires ad nos?*

14 *Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum.*

4 *Et dixit illi Iudith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fuero, verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.*

15 *Et dicet mihi quando eis reddit peccatum suum, & veniens nunciabo tibi, ita vt ego adducam te per medium Ierusalem, & habebis omnem populum Israel, sicut oues, quibus non est pastor, & non latrabit vel vnus canis contra te:*

5 *Viuit enim Nabuchodonosor rex terræ, & viuit virtus eius, quæ est in te ad corruptionem omnium animarum errantium: quoniam non solum homines seruiunt illi per te, sed & bestiæ agri obtemperant illi.*

16 *Quoniam hæc mihi dicta sunt per prouidentiam Dei.*

6 *Nunciatur enim animi tui industria vniuersis gentibus, & indicatum est omni seculo, quoniam tu solus bonus, & potens es in omni regno eius, & disciplina tua omnibus prouinciis prædicatur.*

17 *Et quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nunciare tibi.*

7 *Nec hoc latet, quod locutus est Achior, nec illi ignoratur, quod ei insseris euentire.*

18 *Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, & coram pueris eius, & mirabantur sapientiam eius, & dicebant alter ad alterum.*

8 *Conflat enim. Deum nostrum sic peccatis offensum, vt minauerit per prophetas suos ad populū quod tradat eū pro peccatis suis.*

19 *Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum.*

9 *Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filij Israel, tremor tuus super ipsos est.*

20 *Et dixit ad illam Holofernes: Benefecit Deus, qui misit te ante populum, vt des illum tu in manibus nostris:*

10 *Sin super etiam fames inuasit eos, & ab ariditate aquæ iam inter mortuos cōputantur.*

21 *Et quoniam bona est promissio tua, si feceris mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus, & tu in domo Nabuchodonosor magnus eris, & nomen tuum nominabitur in vniuersa terra.*

11 *Denique hoc ordinant, vt interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum.*

COM-

Universidad de Deusto
Biblioteca

COMMENTARIVS.

AB Holopherne iubetur Iudith animo esse bono, ver.1.2. interrogatur de aduentus causa, ver.3. respondet copiosè, ver. 4. & sequentibus, laudatur à sapientia, & pulchritudine, ver.18.& 19. variis denique promissis ornatur, ver. 21. In ipsa verò eius responsione, quæstionis non parum est, Quin verè ac rectè ipsa responderit. Sed omnium istorum, quæ peccasse Iudith videtur, coacernata postmodum erit disquisitio. ideoque responsionis tantùm summa hîc præcerpenda. Promittit ipsius Holophernis persona, quia est ipse à potentissimo Rege, cum potentissimo exercitu, missus, ita vt per eum non homines tantum, sed & agrestes feræ domandæ, illiusque imperio subigendæ sint, ver.5. est præterea summa ipsius eiusdem industria, prudentia, bonitas, robur, sapientia, reique militaris peritia & disciplina. iamque hæc apud vniuersas gentes, in prouinciis omnibus, illustri fama celebrantur, & deprædicantur, ver. 6. Bellorum verò pleraque sola etiam fama confici & stare non malè dixit apud Curtium lib. 3. quispiam. *Deinde*, ab iis quæ disseruerat, cap.5. Achior, ver.7. Quando in DEVM peccarunt Hebræi, vincuntur. At iam peccarunt, ver. 8. *Tertio*, ab ipsorum Hebræorum pauore. quia suorum sibi peccatorum conscij sunt, ver.9. *Quarto*, ab extrema, qua iam laborant, fame ac siti, v.10. *Quinto*, ab impio ipsorum consilio, quo diuinam in se iram magis concitabunt. Duo enim instituerunt, iumentorum scilicet sanguinem ebibere, ver. 11. quod diuina ipsis lege vehementer vetitum, Leuitici 17. ver. 10. & sequentibus, Deuteron. 12. ver. 15. cap. 15. ver. 23. & ea ipsa, quæ DEO consecrata sunt; deuorare, ver.12. primitias frugum, & decimas. quarum rerum tanta sanctitas est, vt eas Laici ne manibus quidem contingere deberent, multo minus edendo consumere. in loco istiusmodi prophano, Deuteron. 12. ver. 6. 7. 17. 18. *Sexto* denique, à seipsa, quæ diuino hæc afflatu prænouit omnia, & vt ea ipsi Holopherni prænunciet, à DEO missa est, vers. 15. & deinceps ab eodem de futuris prædocebitur, quæ & præsignificet omnia, ver. 14. 15. 16. In responsionis huius principio, v. 4. adnicit Græcus *καὶ λαλησάτω ἡ παιδίσκη σου κατὰ πρόσωπόν σου, καὶ οὐκ ἀναγγελῶ ψεῦδος τῷ κυρίῳ μου ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ.* & loquatur puella tua in conspectu tuo, & non annunciabo mendacium Domino meo hac ipsa nocte. Ibidem pro *perfectam rem faciet Dominus tecum*, est *πάντως πρᾶγμα ποιήσει*, perficiet rem siue omnino negocium tecum efficiet Dominus. *καὶ οὐκ ἀποστραφήσεται ὁ κύριός μου τῶν ἐπιλημμάτων αὐτοῦ* Neque exsidet Dominus meus ab vllis quæ cogitauit & instituit. Iurabat antea cap. 1. ver. 12. Nabuchodonosor per thronum suum; nunc iurat Iudith ver. 5. per Nabuchodonosorem, & ipsius Holophernis potentiam. Vetus enim hæc iurandi formula, cuius sensus est; Tam verè quam viuit Nabuchodonosor, tuaque viget vis & potentia, tam vera quæ iam loquor. Et sic 1. Reg. 1. ver. 26. dixit Eli Annæ; *Obsecro mi Domine, viuit anima tua, ego sum illa mulier.* cap. 17. ver. 55 Sauli Abner; *Viuit anima tua, Rex, si noui.* cap. 25. ver. 26 Dauidi Abigail; *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia prohibuit te, ne venires in sanguinem.* & 2. Reg. 15. ver. 21. 4. Reg. 2. Eliæ Elisæus v. 2. *Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te.* iterumque ver. 4. & 6. & hic infrà cap. 12. ver. 4. Tribuit verò ipsi *σοφίαν, ἐπιστήμην*, sapientiam, callida consilia mouendi & exequendi facilitatem, scientiam, & similia, quæ antè dicta. Explicantur & in Græco de Achiore plura ver. 7. *Δέσποτα κύριε, μὴ παρέλθῃ τὸν λόγον αὐτοῦ ἀπὸ καρδίας σου, ὅτι ἀληθής ἐστιν.* Dominator Domine, ne praterueas illius orationem, sed eam in cor tuum demitte, quia vera est. *ἐὰν γὰρ ἐκδικᾶται τὸ γένος ἡμῶν, καὶ παραδώσει ἐπ' αὐτοὺς, ἐὰν μὴ ἁμάρτωσιν εἰς τὸν θεὸν αὐτῶν.* Non enim punitur genus nostrum, neque praualet contra ipsos gladius, nisi in DEVM suum peccarint. In versu 11. significat etiam Græcè Iudith, eos non Quin verò scelerum istorum Hierosolymitanos etiam esse participes asserit. *ἀπεσταλκασιν εἰς Ἱερουσαλὴμ ὅτι καὶ ἐκεῖ καὶ οἱ κατοικοῦντες ἐποίησαν ταῦτα, τοῦ μηνῦσαι αὐτοῖς τοῦ ἀφθῆναι ἀπὸ τῆς γερουσίας.* Missi sunt Bethulienses Hierosolymam, quia & qui ibi habitant eadem aliquando fecerunt, certos homines qui huius rei facienda licentiam a Senatu afferrent. Eadem enim sententia est, siue *μεθοικίσαντας* cum libris aliis, quos idem exemplar citat. vbi tamen fortè reannunciatum ijs fuerat, quid scilicet Hierosolymitanus Senatus concedat, & *tam facient*. In Complutensi *ἀφθῆναι. Quia illa habitant, fecerunt eadem cum ijs, qui illam licentiam afferebant.* Hic verò inter alia ab vrbium aliarum senatibus & principibus consuleretur, de dubiis interrogaretur, ab eo si quę negotia, 4. cap. vlt. apud Iosephum Moyses. De se plura etiam narrat ver. 13. *ἀπέστειλέ με ὁ θεὸς ποιῆσαι μετ' αὐτῶν πρᾶγμα, ἐφ' οἷς ἐκστήσεται, πᾶσιν ὅσοι ἐὰν ἀκούσωσιν αὐτά.* Misit me Dominus tecum eas res facere, super quibus obstupescet omnis terra, quotquot eas audierint. Religiosa enim est ancilla tua, & diebus atque noctibus colens DEVM cœli. Et nunc manebo apud te Domine mi, & exibit ancilla tua nocte in vallem, & precabor DEVM. & dicet mihi, quando fecerint peccata sua. pro quo Noster pœnam illis coniunctam, eodem sensu, dicit; *quando ea reddat peccatum suum*. Ad significandam magnam res tantas gerendi facultatem absque vllo penitus detrimento aut periculo prouerbium adhibet, vers. 15. *Non latrabit vel vnus canis contra te.* *οὐ γρύξει κύων τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ ἀπέναντί σου*, ne lingua quidem sua hisce audebit coram te. Quę etiam modo Moyses Exodi 11. ver. 7. *Apud omnes filios Israel non mutiet canis ab homine, vsq; ad pecus.* Quod prouidentiam Dei ver. 16. ait noster, id Græcus *σοφίαν* ipsius Iudith ait. At vtriusq; est ista *prouidentia*, seu prouidendi & prænoscendi facultas, Dei tamquam donantis, Iudith tamquam accipientis & habentis. Omnia bona dotesque nostræ, similiter Dei sunt.

CAPVT XII.

1 IVssit eam introire vbi reposita erant thesauri eius, & iussit illic manere eam, & constituit, quid daretur illi de conuiuio suo.

2 Cui respondit Iudith & dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio: ex his autem, quæ mihi dedisti, manducabo.

3 Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi ista quæ tecum detulisti, quid faciemus tibi?

4 Et dixit Iudith: Viuit autem anima tua domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua, donec faciet Deus in manu mea hæc, quæ cogitaui. Et induxerunt illam serui eius in tabernaculum, quod præceperat.

5 Et petiit dum introiret, vt daretur ei copia nocte & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum.

6 Et præcepit cubicularijs suis vt sicut placeret illi, exiret & introiret ad adorandum Deum suum per triduum:

7 Et exibat noctibus in vallem Bethulia, & baptizabat se in fonte aquæ.

8 Et ascendebat, orabat Dominum Deum Israel; vt dirigeret viam eius ad liberationem populi sui.

9 Et introiens munda manebat in tabernaculo vsq; dum acciperet escam suam in vespere.

10 Et factum est, in quarto die Holofernes fecit cœnam seruis suis, & dixit ad Vagao eunuchum suum: Vade, & suade Hebram illam, vt sponte consentiat habitare mecum.

11 Fœdum est enim apud Assyrios, si fœmina irrideat virum agendo vt immunis ab eo transeat.

12 Tunc introiuit Vagao ad Iudith, & dixit: Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.

13 Cui Iudith respondit: Quæ ego sum, vt contradicam domino meo?

14 Omne quod erit ante oculos eius bonum & optimum faciam: Quicquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ.

15 Et surrexit, & ornauit se vestimento suo, & ingressa stetit ante faciem eius.

16 Cor autem Holofernis concussum est: Erat enim ardens in concupiscentia eius.

17 Et dixit ad eam Holofernes: Bibe nunc, & accumbe in iucunditate, quoniam inuenisti gratiam coram me.

18 Et dixit Iudith: Bibe domine, quoniam magnificata est anima hodie præ omnibus diebus meis.

19 Et accepit, & manducauit, & bibit coram ipso ea, quæ parauerat illi ancilla eius.

20 Et iucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita sua.

COMMENTARIVS.

QVOMODO in Assyriorum castris totos dies quatuor commorata sit Iudith, & quid ibidem tunc egerit, narratur hoc capite. Et *primo* quis ei diuersandi locus constitutus fuerit, ea scilicet Holophernianorum tentoriorum pars, vbi repositi erant thesauri eius. Græcè *ἀργυρώματα* vasa & supellex argentea. Deinde victus quis. Iussit Holophernes *daretur illi de conuiuio suo*. Græcè *κατακεῖσθαι αὐτῇ ἐπὶ τῶν ὀθονίων αὐτοῦ, καὶ φαγεῖν αὐτὴν ἀπὸ τῶν σιτίων αὐτοῦ*. sternere ipsi scilicet mensam, de epulis siue lautitijs & delitijs suis, & de eodem vino bibere. Magnus hic honos, & magna eius forma & cura, quemadmodum Danielis 1. Nabuchodonosor Babylonius pueris, quos decoros forma & eruditos omni sapientia deligi iusserat, *constituit* ver. 5. *annonam per singulos dies de cibis suis & de vino vnde bibebat ipse*. Quis parum prudentum, temperantumque hominum de tam beata sibi sorte nõ gauderet? Quæ sibi fœmina lautioris delicatiorisque vitæ auidior, non medullitus gratularetur? At non, qui Dei serui, ventris Domini vt Daniel, Ananias, Misael & Azarias. Daniel. 1. ver. 8. & 12. non senex Eleazarus, Machabæi pueri, 2. Machab. 6. & 7. non religiosissima Iudith nostra. *Non potero*, ait, *manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio*, siue, vt in Græco est, *scandalum*, ne scilicet offendiculum siue peccatum ex eo eius aliquod suscipiam, & supra cap.

Universidad de Deusto Biblioteca

5.fol.266. *Tertiò*, certa futuri euentus, iurauit verſ.4. antequam ſe allatus cibus deficeret; euentura quæ inſtituiſſet. *Quartò, petiit* verſ. 5. *dum introiret, vt daretur ei copia nocte, & ante lucem egrediendi foras ad orationem.* Græcus dicit eam vſque ad mediam noctem dormiſſe, ſub matutinam vigiliam ſurrexiſſe, tuncque ad Holophernem miſiſſe, qui exeundi facultatem peterent, ita vt videatur in tentorium introeunti Iudith, eamque facultatem petenti annuiſſe eum ea conditione, vt ad ſe prima illa nocte mitteret, qui ſignificarent, quando exire vellet. ſimulque iis, quos à cubiculo habebat, & ſtipatoribus ſuis præcepiſſe, vt cum eos illa miſiſſet; nihil cunctarentur; tuncque ſe, ſi videretur; generalem exitus facultatem daturum. & tandem dedit. ſicque particulari hac circumſtantia, & petitionis iteratione omiſſa, dicit Latinus verſ.6. *Et præcepit cubicularius ſuis,* (*σωματοφύλαξας* vocat Græcus, corporis cuſtodes) *vt ſicut placeret illi, exiret. Quintò,* igitur eadem ipſa nocte, cuius prima parte venerat; exire cœpit. Sed tunc, non niſi ſemel, ſub vigiliam matutinam, vt disertè antea poſuit Græcus textus, *ἀνέστη πρὸς τὴν ἑωθινὴν φυλακήν*, ſurrexit ad matutinam cuſtodiam. cuius mentio etiam eſt Exodi 14. verſ.24. 1. Reg. 11. verſ 11. & Pſalm. 129. *ἀπὸ φυλακῆς πρωΐας μέχρι νυκτός. A cuſtodia matutina vſque ad noctem ſperet Iſraël in Domino.* Sed cum in cuſtodias, ſeu vigilias quatuor non ſecus diuiderentur dies quam noctes, vt oſtendit lib. de die Natali cap. 10. Cenſorinus, *vigilia matutina num ea dicebatur, quæ in nocturnis vltima? an quæ in diurnis prima?* Nocturnarum vltimam fuiſſe monſtrat Latinus, dum verſ. 5. ait, *ante lucem.* Aliis verò ſecutis noctibus egreſſa videtur crebriùs, bis aut ter. quia volebat caſtrorum nocturnos cuſtodes aſſuefacere, vt quacumque noctis hora exiret, ſuſpecti nihil haberent, ſed conſueto ipſam more ad preces ire crederent. & Latinus verſ.5. idcirco duo coniungit, *Petiit vt daretur ei copia nocte, & ante lucem egrediendi.* Noctem ſcilicet vocat alias noctis horas præter antelucanas. quæ ad matutinam cuſtodiam ſpectabant. Incipiebat verò hæc ab hora noctis nona. Tota enim nox, vt oſtendit in verbo *περιφυλακή* Suidas in quatuor vigilias diuidebatur, eiuſque, quemadmodum & diei Iohan. 11. verſ.9. duodecim horæ fuerunt. Sed *quid egrediens agebat? Sextò* igitur, *baptizabat ſe in fonte aquæ.* ver. 7. illo ſcilicet, qui in valle Bethulienſi erat, cuius manationem eripuerat Bethulienſibus Holophernes ſuprà cap. 7. verſ. 6. *Baptizare Iudaicum* diſtinguunt nonnulli à *lauare* item *Iudaico.* quod illud per corporis totius in aquas immerſionem fieret, hoc tantum per manuum aut pedum elutionem. Ita enim Dominus Marci. 7. verſ.3 & 4 diſtinguere videtur. Non eſt quidem iſta diſtinctio valdè certa, vtroque tamen modo ſeſe baptizare Iudith potuit, cum eſſet vterque vſitatus. & *poſteriorem* ſuadere magis videtur periculum, ne, à circumfuſo exercitu, militum fortè aliqui interuenirent, ipſamq; vel ſolo aſpectu caſtiſſimum Iudith pudorem moleſtiâ quapiam afficerent. Multo enim quam Candaulæ apud Herodotum lib. 1. vxor, id magis horrebat Iudith. Ad *priorem* verò baptiſmi rationem inuitat quę à quibuſdam traditur cauſa, cur, vt ait S. Marcus loco citato; Iudęi omnes à foro baptizarentur, quòd, cum in eum locum varij homines, etiam Gentiles, conuenirent, eorum contactu ne contaminati eſſent, verebantur. Iudith verò in Gentilium iam tentorio morabatur, ideoque ſeſe totam, ſi quid inde forſan labis contraheret; eluere volebat. Potuit tamen & dicis duntaxat causâ, ſeſe abluere, vt aliquid ſcilicet, quod è Iudaico ritu eſſet; agere videretur. Quia tamen eiuſmodi baptiſmata, quæ à CHRISTO Domino iam ſublata; tunc temporis religionem & DEI venerationem aliquam continebant, facilè mihi perſuadeo, eo etiam animo à religioſiſſima fœmina fuiſſe ſuſcepta, licet eorum neceſſitatem illam haud putaret, quam hæretici Hemerobaptiſtæ apud S. Epiphanium libro 1. poſtea vſerunt. Quemadmodum verò Gentiles Iudæorum baptiſmata imitati ſunt, vti Stromate 4. cap 6. probat ex Homero Clemens Alexandrinus, ita etiam & illud, vt viuis libenter aquis lauarent, & mane vel ante lucem. Quædam enim apud Ouidium Faſtorum 3.——*Lauaturas mane petebat aquas.*

Et apud Statium Thebaidos 9.

Ante diem gelidas ibat Ladonis ad vndas
Purgatura malum fluuio viuente ſoporem.

Septimò, videtur etiam foris oraſſe, verſ. 5. niſi cui fortè videatur ad orationem egreſſa, non quam foris faceret, ſed quam vbi lota & purgata fuiſſet; poſtea domi factura erat, verſ. 8. Sequitur enim *octauò. v. aſcendebat, orabat Dominum* DEVM *Iſraël,* ſicque pura & caſta in tabernaculi diuerſorio ſuo permanebat, in ſolis precibus occupata. Hoc enim ſignificat illud, *munda manebat in tabernaculo,* verſ.9. Sed & ibidem aliud, quod ordine nonum eſſe poteſt, dicitur, eam totos ieiunio pro laudato more ſuo, cap. 8. verſ. 6. dies tranſegiſſe. *Manebat in tabernaculo,* ait, *vſque dum acciperet eſcam ſuam in veſpere.*

Atque hæc ſanctæ Iudith in Aſſyriorum caſtris ſtudia: hæ actiones fuerunt, vſque ad quarti, poſt eius aduentum; diei veſperam, & cœnam, quæ quia memorabilis eſt, paulò iam vberius deſcribitur, à verſ.10. & quidem trifariam. Nam *primò* præparatur. Holophernes fecit cœnam. Grec. *πότον* vti c.6. v.19. Et quibus? *Seruis ſuis,* & quidem vt Gręcè additur, *μόνοις, καὶ οὐκ ἐκάλεσεν εἰς τὴν χρῆσιν οὐδένα τῶν πρὸς ταῖς χρείαις, ſolis. & ad cœnæ huius vſum, vocauit eorum neminem, qui negotiis præerant.* Complutenſis non χρῆσιν, ſed κλῆσιν *vocationem* legit, fortè an *κλίσιν diſcubitum?* Ingenuos nullos vocat,

vocat, qui Bacho & Veneri mancipare ſeſe iam totum volebat, præter vnam illam, quam eandem in ſeruitutem illicere, ſed fruſtrà; conatus eſt. Perductoris & lenonis partes Eunucho, qui, vt ait Græcus, *omnibus eius* vel rebus vel ſeruis *prępoſitus erat*; demandat ver.10. 11. eaſque obit ille nauiter, verſ. 12. Se verò ad cœnam libenter venturam ait Iudith, verſ. 13. 14. & mundum idcirco ſuum aſſumit, verſ.15. De Eunuchis, quia in Regum libris dixi, nunc ad Lucianum dial. de iis relego. Sed quià Latino textu dicitur *Vagao*, in Græco eſt *Βαγώας*. Sæpè verò *u* & *b* tranſmutari, quem fugit? Etſi verò proprium id nomen videatur, ferè tamen apud Perſas denotat ſpadones omnes, vt ait Plinius lib.13. cap.4. maximè tamen præ cæteris eum, qui in aula dominabatur, cui ſoli erat hortus ille, in quo creſcebant palmæ regiæ, vt ibidem ab eodem ſubditur. Sic & apud Curtium lib. 10. fuit Alexandro Magno nequiſſimus Bagoas, Herodi etiam apud Ioſephum lib.17. cap.3.

Hinc porrò in cœnationem venitur. vbi ſtatim atque ipſam Iudith vidit Holophernes, arſit. Gręcus tamen plura interſerit. Cum ad cœnam veniret Iudith, *acceſſit eius ancilla, & ante Holophernem humi pelles ſtrauit, quas ad quotidianũ vitæ vſum ab Eunucho illo Bagoa acceperat, vt in iis recumbens cibum caperet, καὶ εἰσελθοῦσα ἀνέπεσεν Ἰουδίθ & ingreſſa diſcubuit Iudith. & obſtupuit Holophernis cor propter eam, & commota eſt anima eius, & ſummopere appetens erat congreſſus cum ipſa, & ſeruabat opportunitatem decipiendi ab eo tempore quo ipſam vidit. Poſtremo,* quæ cœnæ huius tempore dicta & facta; ſunt hæc. Ad genialem vitam hortatur Holophernes, verſ.17. & reſpondet Iudith, vbi notabis verſ.18. *animam,* Græcè *τὸ ζῆν* appellari. Comedunt & bibunt omnes, ſed alio longè alioque modo. Iudith impranſa prorſus & adhuc ieiuna, illi ſaturè pranſi, paſtique. Iudith ea quæ parauerat illi ancilla eius, paucula & minime delicata, vt ſupra vidimus; hi quæ mille coqui, plurima & exquiſitiſſima. Illa temperanter & ſobriè: iſti intemperantiſſimè & vinoſiſſimè. Holophernes *bibit vinum multum nimis.* Neque hoc ſatis, ſed additur, *quantum numquam biberat in vita ſua. & ſerui eius erant omnes fatigati a vino.* cap. 13. v. 2. At quis omnium finis. iam impendet fatalis nox, feralis hora. *O ſtulte hac nocte animam tuam repetunt à te,* & qui tantum potaſti, quid eris? Illud vero ver. 20. *iucundus factus eſt Holophernes ad eam,* dicitur pro, *ob eam.* Nam Græce eſt *ηὐφράνθη ἀπ' αὐτῆς.*

QVÆSTIVNCVLA.

Quæ in capite iſto imitanda, quæ cauenda?

IN IVDITH quæ imitemur plura ſunt & *primò* ipſa eius à vetitorum ciborum eſu abſtinentia, ſed de ea iam ſuperius. Nunc illud tantum imitemur. Si quis nos caſus, aut neceſſitas ad eorum menſam, qui in Quadrageſima, feria ſexta, aliiſue temporibus Bacchanalia viuunt; admoueat, Chriſtianæ nobis diſciplinæ memoriam eſſe, moremque illi gerere oportet. In Holophernis enim menſa quis Iudith cibus? quæ potio? Non alia erant quam quæ attulerat, iamque pararat eius ancilla. Et licet blandiſſimè amiciſſimèque inuitare nos alii videantur, ſemper præ oculis Iudith ſit, quæ dicenti Holopherni; *Bibe nunc & accumbe,* temperantiæ tamen fines nihil omnino migrauit, ſed tantum, quantum requirebat neceſſitas, cibi potuſque ſumpſit. *Orationis* vero ſtudium etiam apud hoſtes intermitti nunquam debet. Pias etiam alias, ſi quas habemus, conſuetudines, cur cum ieiunii morem ſuum retinente Iudith, non retineamus; Bonum etiam quandoque eſt, initio ſtatim Catholicos nos, aut ſacerdotes & religioſos profiteri ſimulque orandi & edendi prout inſtituimus; poteſtatem obſecrare. De *vigiliis* vero dictum ante: adiicio perutile eſſe, interrupto nonnihil ſomno, certis noctu horis, ad preces expergiſci, vt Deo noſtro propheticum illud Iſaiæ 26. dicere poſſimus; *Anima mea deſiderauit te in nocte. Sæpe noctu,* ait Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagog. cap. 9. *è lecto ſurgendum eſt, Deusq; laudandus. Beati enim qui ad ipſum vigilarunt, ſeipſos aſſimilantes Angelis, quos ἐγρηγορότας, hoc eſt, vigilantes vocamus.* Et poſtea. *Ne cibi ergo nos grauent, ſed alleuent, vt quam fieri maximè poterit, ſomno minime lædamur, vt grauantur natantes, quibus appenduntur onera. Rurſus autem velut ex abyſſo, nos inferne alleuabit ſobrietas ad vigiliæ exercitium.* D. Hieronymus ad Euſtochium; *Ad orationem,* ait *tibi nocte ſurgenti, non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas.* Ad Demetriadem vero; *Ad veſperam,* inquit, *media nocte & mane ſemper eſt exercendum.* Hinc, quæ in Breuiario ſunt, *nocturna officia.* hinc Actorum 16. circiter mediam noctem Paulus & Silas laudabant Deum. Hinc Pſalm. 11. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Hinc apud D. Hieronymum ad Lætam; *Aſſueſcat virgo tenella, exemplo ad orationes & Pſalmos nocte conſurgere, mane hymnos canere, tertia, ſexta, nona hora ſtare in acie, quaſi bellatricem Chriſti, accenſaque lucerna, reddere ſacrificium veſpertinum. Sic dies tranſeat: ſic nox inueniat laborantem. Orationi lectio: lectioni ſuccedat oratio. Baptiſma* porro nobis non iam Iudaicum ſed Chriſtianum adhibendum, & eo, quod omnium primum, maximeque neceſſarium eſt; iam omiſſo; eſt baptiſma pœnitentiæ & patientiæ hoc ob imiſſa, illud ob admiſſa mala, & amiſſa, vel dimiſſa bona. *Eſto,* ait ad Euſtochiũ D. Hieronymus *cicada noctium: laua per ſingulas noctes lectũ tuum: lacrymis tuis ſtratum tuum riga.* Fons in valle Bethulię, quis niſi CHRISTI IESV humanitas & vita? In huius humilitate, gratia, & ſacramentis elui nos oportet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

oportet. Noctu frigidus est, vt ignea omnia inimici tela possit extinguere: & purus viuusque, omnes vt omnino sordes abluat.

Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Cauendum porro in Vagao turpe ministerium. Quicumque vero vllis ad peccatum blanditiis alios traducunt, eum nonne imitantur? Qui ad conuiuia parum sobria, colloquia parum casta, familiaritatem hominum parum piorum inuitant, non cum isto lenocinantur? Audi Bagoarum istorum propositionem; *Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum.* Anima Christiani, puella bona est. ea quia Deum veretur, ad Holophernem introire veretur. Bagoas Dei timorem exonores? quæ voluptates? Omnes huius mundi sunt: *Vt honorificetur*, inquit, *ante faciem eius.* At ante Dei Angelorumque ipsius faciem honorificari satius. *Gloria*, inquit Apostolus Rom. 2. ver. 10. *& honor, & pax omni operanti bonum.* Pergit Bagoas, *vt manducet cum eo.* At. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*, Lu. 14. ver. 15. *Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes, Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis* cap. 12. ver. 37. Quid amplius? *bibat vinum in iucunditate.* Vinum hoc venenũ est, expecto illud potius, quod bibet nobiscum, *nouum in regno patris* sui æternus Dei filius Matth. 26. vers. 29. Bagoas est amorum ille Magister, & Tomitanus merito incola. Bagoas est omnis ad ebrietatem, lasciuiam & libidinem hortator & inuitator. Bagoas est omnis Lutherus, Calumus & Beza, qui Sacerdotibus, Monachis, Monialibus, deuotoque cuilibet dicunt, ne vereatur, votis legibusque omnibus proculcatis, ad Holophernianas accedere nuptias. Addit Græcus, καὶ γενηθῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ ὡς γυνάτης μία τῶν θυγατέρων αὐτοῦ καὶ παρεφίλκυσεν ἐν οἴκῳ Ναβυχοδονόσορ. Suadent inquã blandissimis; è scripturarum suarum votorum, pudoris, pudicitiæque omnis immemores, *in Nabuchodonosoris domo*, id est, sacrilego libidinum ingenio *versantur.*

In Holoferne cauenda seruorum scurrarumque cœna, vbi ferè, quidquid libeat, liceat, cauendum, è Græco, puellam fallendi studium, & captata occasio, cauenda proiectissima illa impudentia, qua ver. 11. apud Assyrios fœdum ait *si a viro transeat immunis fœmina.* En, quo cœcitatis & lapsum ster alius cultior, nobilior, honoratior. Ducit iracundus fœdum, si ante iniuriolæ sibi quidpiam intulisse credit, immunis transeat. Quid scurræ omnes, momi, luxuriosi? Quid noui, nostro isto sæculo, Iouiniani, apostatæ, votifragi; Fœdum nonne ducunt, si quis vllo bus resideat; E contrario, quod fœdum est, honestum ducitur, quod turpe non turpe. vt dum lanua speculum sustinuisse manu. *Quod Phœbum decuit, quem non decet? Nec pudor ancillas, vt quæq; erit quod faciet quilibet ille facit. Aptius est*, dicet atque magis potare puellis. *Cum Venerit puero non malè Bacche facis.*

Hoc porro loco monstratur vna etiam, cur Assyriorum ruerit imperium, causa. Nam præter Regum ipsorum superbiam, de qua cap. 1. & 2. inualuerat apud eos maximopere libido, & mulierodecoras mulieres habent, *vt non pro his merito pugnare contra eos debeamus? Impudici oculi*, ait ad Eustorchium D. Hieronymus, *non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum.* Pro solis corposanguinem fundere. Et quam impurum prima eorum regina scortum à Diodoro libro 2. describivocat; eorundem Rex Sardanapalus; Gratias tibi Christe Iesu merito semper agamus Christiani tui. Nam hæc ferè cœcis Gentibus omnibus, à quarum nos erroribus liberasti; cæcitas & insania fuit, vt quæ & dicere turpe est, ea & facere, & literis versibusque palam decantare in honesto reponerent. In Græco non est quidem istud, *apud Assyrios*, sed tantum, *Ecce persona nostra turpe fuerit talem mulierem ita præterniserimus, vt cum ea consuetudinem nullam habeamus.* Nihilominus tamen sententia eadem est. Cur enim Holophernis personæ id turpe, nisi quia fœda hæc apud Assyrios erat opinio? Posset etiam fortassis αἰσχύνη τῷ πρεσώπῳμου conuerti, *turpe est faciei nostra, in oculis nostris, coram nobis* quod valet, *apud nos Assyrios.* Quia vero suos oculos non custodiit Holophernes visa Iudith, concussum est cor eius, quemadmodum & de se ille, propter quem, tot apud Poetas bella, testatur.

Vt vidi, obstupui, præcordiaq; intima sensi
Attonitus curis intonuisse nouis.

Extremum, quod omni cura studioque omnibus cauendum, est Holoherniana ebrietas, de qua

de qua plusculum postea. Tantum hic ad cautionem modus notandus, quo Iudith pudicitiam expugnare conabatur Holophernes per conuiuium scilicet, & vinum:

Sæpe illic positis, teneris adducta lacertis
Purpureus Bacchi cornua pressit amor.
Vinaq; cum bibulas sparsere cupidinis alas,
Permanet, & capto stat grauis ille loco.
Illic sæpe animos iuuenum rapuere puellæ,
Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

Grauiter, vti sane res ipsa requirit eas ad Eustochium perstringit D. Hieronymus, quæ dicunt; *Cur me abstineam cibis, quos creauit Deus ad vtendum? Et si quando festiue & lepide volunt videri, vbi se in merogurgitauerint, ebrietati sacrilegium copulante, aiunt: Absit vt ego me a Christi sanguine abstinam. & quam viderint pallentem atque tristem, miseram & Manichæam vocant, & consequenter. Tali enim proposito ieiunium, hæresis est.*

Si tamen paululum in tanta vitiorum colluuie attendamus, humanæ adhuc mentis reliquiarum aliquid inueniemus. Duces multi sunt, qui tot diebus, tam excellenti apud se, suaque in potestate positæ formæ numquam peperciſſent. Quin & è gregariis forte militibus non deesset, qui ad preces & baptismata noctu exeuntem insidiosè caperet, aut vi etiam caperet ac violaret. Horum totis quatuor diebus & noctibus, nihil ab neque Holoperne, neque ab manipulari vllo admissum. *Verumtamen dico vobis* Holoperni & Assyriis *remissius erit in die iudicii*, quam talibus. Matthæi 11. ver. 22. 24.

CAPVT XIII.

1 VT autem sero factum est, festinauerunt serui illius, ad hospitia sua & coniunxit Vagao ostia cubiculi, & abiit.
2 Erant autem omnes fatigati à vino.
3 Eratq; Iudith sola in cubiculo.
4 Porro Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus.
5 Dixitq; Iudith puellæ, vt staret foris ante cubiculum, & obseruaret.
6 Stetitq; Iudith ante lectum orans cum lacrymis, & labiorum motu in silentio.
7 Dicens: Confirma me Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuũ mearum, vt sicut promisisti, Ierusalem ciuitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam.
8 Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionẽ eius, qui in ea ligatus pendebat, exoluit.
9 Cumq; euaginasset illum, apprehendit comam capitis eius, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora.
10 Et percussit bis in cernicem eius, & abscidit caput eius, & abstulit conopæum eius à columnis, & euoluit corpus eius truncum.
11 Et post paululum exiuit, & tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, & tussit vt mitteret illud in peram suam.
12 Et exierunt duæ, secundum consuetudinem suam, quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem, & venerunt ad portam ciuitatis.
13 Et dixit Iudith à longe custodibus muro. rum: Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel.
14 Et factum est, cum audiissent viri vocem eius, vocauerunt presbyteros ciuitatis.
15 Et concurrerunt ad eam omnes a minimo vsq; ad maximum: quoniam sperabant eam iam non esse venturam.
16 Et accendentes luminaria congregatiũ circa eam vniuersi: illa autem ascendens in eminentiorem locum iussit fieri silentium. Cumq; omnes tacuissent.
17 Dixit Iudith: Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se:
18 Et in me ancilla sua adimpleuit misericordiam suam, quam promisit domui Israel: & interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.
19 Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, & ecce conopæum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, vbi per manum fœminæ percussit illum Dominus Deus noster.
20 Viuit autem ipse Dominus, quoniam custodiuit me Angelus eius & hinc euntem & ibi commorantem, & inde hoc reuertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra.
21 Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius. Psa. 105 & 106
22 Vniuersi adorantes Dominum, dixerunt

Universidad de Deusto Biblioteca

ad eam: Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

23 *Porro Ozias princeps populi Israel, dixit ad eam: Benedicta es tu filia à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram:*

24 *Benedictus Dominus, qui creauit cælum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum.*

25 *Quia hodie nomen tuum ita magnificauit, vt non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternũ, pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter angustias & tribulationem generis tui, sed subuenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.*

26 *Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.*

27 *Porro Achior vocatus venit, & dixit ei Iudith: Deus Israel, cui tu testimonium dedisti, quod vlciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea.*

28 *Et vt probes, quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israel contempsit, & tibi interitum minabatur, dicens: Cum captus fuerit populus Israel, gladio perforari præcipiam latera tua.*

29 *Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pauore, cecidit in faciem suam super terram & æstuauit anima eius.*

30 *Postea vero quàm resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes eius, & adorauit eam, & dixit.*

31 *Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.*

COMMENTARIVS.

ISraelitarum hostem quomodo tandem è medio sustulerit, Bethuliamque ad suos redierit Iudith, explicatur. In priore traditur & illius tollendi opportunitas, & modus. *Oportunitas* fuit eiusmodi. Sola in Holophernis cubiculo à Bagoa inclusa Iudith est, iste vino nimio mersus obrutusque penitus instituti iam flagitii & immemor & impos, cum neque mente, neque pedibus consisteret, in lectum non iit, sed *cecidit*, vt ait Græcus textus, & altum ilico stertere incepit. Duo vero iam accurarat Iudith. *Vnum*, vt habra sua staret ante cubiculum illud suum, *& obseruaret*, non ne quis ingrederetur, (satis enim id & vsu, & Bagoæ cura cautum & prouisum erat) sed quando ipsa egrederetur, se siquidem dixit, prout quotidie hactenus fecerat, ad orationem exituram. Hoc enim ita Græcus: *τηρεῖν τὴν ἔξοδον αὐτῆς, καθάπερ καθ' ἡμέραν. ἐξελεύσεσθαι γὰρ ἔφη ἐπὶ τὴν προσευχὴν αὐτῆς. obseruare suum egressum sicut quotidie. Dixit enim egressuram se ad suam precationem. Alterum καὶ τῷ Βαγώᾳ ἐλάλησε κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα.* Eadem etiam Bagoæ dixerat ipsumque de retinendo egressionis suæ vsu, etiam hac ipsa nocte, præmonuit. Lumen vero affuisse satis è recepto more liquet, vt in talium ducum cubiculis lucerna noctu semper luceat, prout ostendit libro de Socratis dæmonio, & in Cimone Plutarchus.

Modus vero hic erat. vt solam se cum solo Holopherne sensit illa, huncque vino somnoque sepultum vidit, à Deo & precibus nobilissimum opus auspicatur, versu. 6. Preces vero illæ fetiæ admodum, & *cum lacrymis* conceptæ fuerunt: sed non elata voce, verum *ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς in corde ipsius*, & cum solo vt noster ait, *labiorum motu in silentio*; videlicet prout beata illa Samuelis mater, 1. Reg. 1. ver. 13. *Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Precum in Latino & Græco eadem fere formula, nisi quod Græcus neque Deum *promisisse*, neque Iudith *credidisse* refert, sed tantum petit, *opera manuum suarum Deum respicere ad exaltationem Hierosolyma, ὅτι νῦν καιρὸς ἀντιλαβέσθαι τῆς κληρονομίας σου, καὶ ποιῆσαι τὸ ἐπιτήδευμά μου εἰς θραῦσμα ἐχθρῶν, οἳ ἐπανέστησαν ἡμῖν*, quia nunc *tempus curandi & adiuuandi hæreditatem tuam, & faciendi cogitatum meum in sauciationem hostium, qui contra nos insurrexerunt.* Post istas preces, ad optatum opus aggreditur. *accessit* ver. 8. *ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius.* Græci omnes legunt *προσελθοῦσα τῷ κανόνι τῆς κλίνης, cum accessisset ad lecti canonem.* Quid verò canon is? Cum tam clare dicat Latinus *columnam*, & apud Græcos è vel ἡ κίων *columna* sit, non difficiliter annuamus legendum τῷ κίονι. Videtur tamen Græcis columnam etiam & rei alicuius sustentaculum, siue baculus, siue lignum quodpiam sit, *canon* significare. Nam antequam loris scuta sustentare scirent Græci, & inuenissent ea, quæ ὄχανα postmodum dixerunt, sustentabant illa baculis & lignis, quæ κανόνια dicebantur, vt in Iliad. ϑ explicat Eustathius, Hesychius, Magnum Etymol. & Budæus. Ligna item ea, quibus cataphractarum nauium tabulæ incumbunt, vocantur κανόνια καὶ σκαλμίδες, inquit, Pollux lib. 1. cap. 9 Holophernianum ergo lectum sustentabant in tentorio ligna quædam, quorum ad pedes aliqua, & ad caput alia, quæ κανόνες vel columnæ è Chaldæo rectè vocantur. Ad earum, quæ ad caput erant, vnam accessit Iudith. Fieri tamen potest, vt duæ tantum fuerint, vna quæ inferiori lecti parti ad pedes, altera quæ superiori ad caput statuta esset. rursumque, vt non è ligno quamuis precioso, sed ex ære vel argento, & lapide precioso essent. Tota enim Assyriorum tam Regum quam Satraparum, vt etiam postea Persarum, suppellex, non vrbana modo & domestica, sed & castrensis, opulentia luxuque omnigeno affluebat, vt ex Teribaziano tabernaculo apud

pud Xenophontem lib. 4. Anabaseos, Mardoniano apud Herodotum li. 9. Alcibiadico apud Athenæum libr. 12. Andocidem oratione in Alcibiadem, cognoscitur. Hinc vero *pugionem* Holophernis, *qui in columna* illa *ligatus pendebat, exoluit.* Pugio ille non, sicuti hodie apud nos vocatur, fuit, sed gladius Persicus. Nam in Græco est καθεῖλε τὸν ἀκινάκην, *abstulit acinacem.* Ait vero Herodotus lib. 7. Περσικὸν ξίφος τὸν ἀκινάκην καλέουσι, *Persicum ensem vocant acinacem. Pugionem* verò ideo dicit Chaldæus, & ex eo noster, quia breuiores erant istiusmodi Persarum gladii, cum & sæpe ἐγχειρίδια, παραμηρίδια, ξιφίδια nuncupentur, vti docet in Artaxerxe Plutarchus, in ecloga Moscopulus, lib. vlt. Antiq cap. 7. Iosephus, vbi sicariorum, ξιφίδια *gladiolos* longitudine similes ait fuisse Persarum acinacibus, curuitate Romanorum sicis. Quin & ipse Darius apud Curtium lib. 3. Diodorum lib. 17. cum se, priori prælio, ab Alexandro victum putaret, quod breuioribus sui gladiis vterentur, longiores fieri curauit. Hunc igitur acinacem è vagina, quam & ipsam preciosissimam fuisse constat, fortassis è gemma quapiam, vt illa Darii apud Curtium lib. 3. eduxit, & læua manu capitis eius comam, quam fere promissam Orientales gerere & in luctu detondere solent, apprehendit. rursumque ipso in opere, in tanti momenti articulo, à Deo breuicula & vt ex D. Augustino ante dixi, *iaculata* oratiuncula, sese roborari & confirmari precatur. *Confirma me Domine Deus in hac hora.* κραταίωσόν με ὁ θεὸς Ἰσραὴλ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ. Quid si ὦ θεός. *Corrobora me ô Deus Israel in hac die ipsa.* Licet vero *per diem* generatim tempus intelligatur, & non illud tantum quod solari luce constat, sed totum νυχθήμερον; est tamen emphaticώτερον illud, *in hac hora*, quod etiam posuit antea ver. 7. non Latinus tantum, sed & ipse Græcus. O miser Holophernes, ô infelix quid iaces? quid tam alte dormis, tam profunde stertis? Ecce iam securis ad radicem arboris posita est! ecce iam lethalis ictus, vt in æternum excisus ignem deuolare, impendet! O somnum æternum! O crapulam numquam edormiendam! *Et percussit* Iudith *bis in ceruicem eius*, & quidem vt res ipsa, etiamsi non addatur, docet, additur tamen in Græco *totis viribus* ἐν τῇ ἰσχύι αὐτῆς. *in robore suo*, ictus inflixit quam potuit vehementissimos, *& abscidit caput eius.* Vale anima ebria, vale adultera, vale detestabilis, impia, terque quaterque infelix. Te flamma expectabat æterna. Te rapidæ Tartari iam fauces accipiunt. Te inferarum fornacum claustra in æternum iam coercent, vltulant, excruciant. Sed ad superos redeamus. Nam Dei iustitiam paululum tantummodo hic laudare libuit. Erant circa lectum, paululum ab eo distantes columellæ aliæ, quæ *conopeum*. sustentabant. & hoc secundum Latinum textum, aliud ab eo, quod supra cap. 10. ver. 19. positum est. Nã in proscenio illud fuisse videtur, vel certe in tabernaculi eo loco, vbi Holophernis solium erat, vt pro magnificentia sedens, quospiam audiret. Hoc vero cubiculare & circa lectum fuit secundum Græcum tamen. vnum & idem erat, quia cap. illo 10. eius tantum mentio fit, quatenus circa sedentis Holophernæ lectum erat. Conopeum illud preciosissimum de columellis reuulsit Iudith & complicuit. *truncum* vero illius *corpus*, è strato ipso, in cubiculi pauimentum *euoluit* ἀπεκύλισε. *Et post pusillum exiuit* non statim isto cæso, sed paululum respirauit, si quid adhærescebat cruoris, detersit, & quod non ambigo, sese omnium primo in preces iterum dedit, magno lætoq; animo ingentes ipsi Deo, cuius gratia & vi, tantum iam opus perfecisset, gratias egit: quodque vnum restabat, vt secure illinc exiret, obsecrauit. Expectabat primæ, vt opinor vel secundæ vigiliæ nocturnæ finem, quod iis alias exire temporibus consueuisset. Tradidit expectanti habræ suæ funestum quidem, sed gratum iam caput, & ista dominæ iussu, *misit in peram*, qua vt ca. 10. ver. 5. dixit Græcus & hic repetit, cibos attulerat, ἐνέβαλεν εἰς τὴν πήραν τῶν βρωμάτων αὐτῆς. Nouus enim & inauditus iste Assyrii capitis cibus, mirum Israelitis epulum futurus erat, atque sic, solito velut more orbata iam capite castra exierunt, Bethuliamque reuerterunt. Qui tamen in valle ipsa fons est, nequaquam iam prætereundus. Sed si quid è castris illis vel pulueris, vel inquinamentorum aliorum adhæsisset, excutiendum hic & eluendum.

QVAESTIVNCVLA I.

De iis quæ apud Assyrios peccasse Iudith videatur, & primo, An ab ea transfugii simulatio probe facta?

QVæ apud Assyrios videri queat Iudith peccasse, duplicia sunt. Vel enim ea in factis quibusdam posita sunt, vel in verbis. In factis sunt potissimum quinque, horumque primum est, quod transfugam simularit, cap. 10. vers. 12. & sequentibus. An decuit, quod non esset, quod non ageret, simulare; Respondent Rabanus, Glossa, & Hugo transfugio isto significatum Christianorum, ex Hierosolymitana vrbe, antequam à Romanis obsideretur & caperetur, in vrbem Pellam discessum, cuius semel atque iterum meminit lib. 1. S. Epiphanius. Quia tamen actione non bona potest interdum bona significari, quæstioni nondum satisfactum, ideoque dicendum non omnẽ simulationẽ cum vitio esse coniunctã, vti docuit magnus Magister, qui quasi peregrin*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum discipulis duobus Emaüntem iuit, *& finxit se longius ire.* Luc. 24. ver. 28. Et Labeo *l. hoc edicto. ff. de dolo malo.* Potest, ait, *sine dolo malo aliud agi, aliud simulari, sicuti faciunt, qui per eiusmodi dissimulationem deseruiunt & tuentur vel sua vel aliena.* Neque in bellis, alioqui iustis, insidias reprehendendas ostendit, qui Iosuæ cap. 8. v. 2. dicit: *Pone insidias vrbi Hai post eam. Cum iustum*, ait D. Augustinus quæstio. 10. super Iosuæ, *bellum*, homo iustus *susceperit, vtrum aperta pugna, vtrum insidiis vincat, nihil ad iustitiam interest. Iusta autem bella desiniri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est vel reddere, quod per iniquitatem ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione iustum est, quod Deus imperat, apud quem nulla, quam minister iudicandus est*: Vide S. Thomam 2. 2. quæst. 40. art. 3. q. 11. art. 1. Ad hoc vero 5. *Cum exierint contra nos, sicut antè fecimus, fugiemus, & terga vertemus, donec persequentes ab vrbe longiùs auferantur. Putabunt enim nos fugere sicut prius. Nobis ergo fugientibus, & illis persequentibus, consurgetis de insidiis, & vastabitis ciuitatem.* Si fugam licet interdum simulare, cur & transfugii simulatio non concessa? præsertim cum transfugere istud non necessario falsæ rei significationem habeat adiunctam, sed actus per se sit adiaphorus, & huiusmodi, qui ad hostium consilia, vires, & custodias explorandas, citrà culpæ vllius periculum suscipi possit.

QVÆSTIVNCVLA. II.

An ornando se peccarit Iudith?

QVod in Iudith factis omni carere culpa non videatur, alterum est, quod se tantopere ornarit cap. 10. vet. 2. & 3. cap. 12. ver. 15. Quam enim multæ & graues muliebrium istiusmodi ornamentorum reprehensiones? in scripturis Isaiæ 3. Oseæ 2. 1. Timoth. 2. 1. Pet. 5. & apud Patres D. Hieronymum præsertim in epistolis, Cyprianum libro de habitu Virginum, Basilium homil. 7. ad eos, qui tenentur studio dicescendi, Nazianzenum in Carmine aduersus mulieres se ornantes, Chrysostomum homil. 28. in Hebr. cap. 12. Tertullianum libro de ornatu mul. Clementem libr. 2. pædag. cap. 12. lib. 3. cap. 2. & 11. imo & apud Gentiles, Liuium initio lib 34. alios quos affert Iodith, & fuisse bonam quidem in ea liberandæ patriæ affectionem, malam tamen effectionem. Istam loco isto minime laudari, sed illam tantum, prout de obstetricum mendacio, Exod. 1. à quibusdam quam asseritur. *Altera*, non peccasse, quia omni hac ornamentorum illecebra, non id spectant, vt peccaret Holofernes: sed vt occideretur. Occisio vero hæc iusta erat, cum qua illius peccari nō appetitio, sed præuisio tantum fuerit. *Tertia*, eodem ornatus lenocinio id vnum quæsisse, vt ab Holoferne amaretur, non amore flagitioso, sed honesto, vt ab eo vxor duceretur, ab eaque ita custodias explorandas, citrà culpæ vllius periculum suscipi possit.

Notandum *primo* finem ipsi Iudith fuisse diuinam religionem, eiusque sanctissimum templum & cultorem populum tueri atque tanto è periculo eripere. *Deinde* varijs modis, vt finem hunc Iudith assequeretur, fieri potuisse. Sed erat omnium optimus & promptissimus, si vt à bello ille desisteret, ipsa perficeret. Perficere autem potuit, si eo eum adduceret, vt vel sponte, vel coactè hinc abiret. Sponte quidem, si re quapiam flexus & emollitus, vel in Assyriam reduret, vel alias ad Gentes totam belli huius molem transferret. Coactè, si è medio ipse tolleretur. Nam vt vi depelleretur, fieri iam non posse constabat. Ad spontaneum vero vel coactum istiusmodi abitum peruenire potuit, si familiaris ad eum aditus, & intimo cum eo consuetudo haberi posset. Tum enim per familiaritatis & consuetudinis huius occasionem, captato tempore, vel ab armis discessio ei suaderi, vel mors inferri potuit. Discessio ab armis, cum Israelitis tam infestus. Nabuchodonosori deo suo tam deuotus esset, suaderi vt posset, vehementissimo efficacissimoq; argumenti genere opus erat. Quod vero vehementius & efficacius, quam si vt Hebræam ille vxorem duceret, verumq; Dei cultum susciperet, commoueretur; Vtrumque vero vel alterutrum certe, quomodo, prout rerum status iam erat, efficeretur? Affici vero quomodo poterat, nisi vna illa inueniretur, eaque ad eum proficisceretur, quæ iis omnibus & corporis & animi dotibus quibus tali tempore, talis dux capi posset, esset quam præstantissima? Sunt vero dotes istæ pulcherrima facies, renidentissimi oculi, eximia corporis totius forma, loquendi venustas, agendi dexteritas, morum elegantia, ingenij vigor, animi sapientia. Etti adhæc vnguentorum fragantia, ornamentorumque splendor & dignitas accederet, si quædam è diuino quopiam munere, verbi causa è diuina familiaritate, rerumque occultissimarum cœlitus delapsa cognitione, admiratio existeret, quam esset facilis ad illius beneuolentiam aditus! quam ad familiaritatem intimamque consuetudinem porta patens!

Nunc igitur ita statuo, *primo, in hoc Iudith cultu & ornatu peccati nihil fuisse.* Is enim ex se ipso vitiosus

tiosus esse non solet, nisi aut finem aliquem habeat vitiosum, aut certe modum, quem cuiusque status & conditio, Reipublicę lex aut mos præscribit; violet, vti explicat D. Thomas 2. 2. quæst. 169. art. 2. & subtilissimus harum rerum interpres, eum in locum Caietanus. Naturalis enim pulchritudo culpam nullam habet, quomodo, si quæ dixi vitia detrahantur, habeat artificiosa; Quā cuique natura dat, corporis sanitas, quia peccato nullo inquinatur, facit, vt arte ipsam quoque conciliare, conseruare, & augere liceat. *Naturam* siquidem *ars imitatur.* Quomodo igitur, cum pulchritudo à natura insita delicti omnis vacua sit, pulchritudinem, cultus, vestiumque artificio, quærere, tueri, & amplificare in crimen vocetur; Iudith vero se ornanti finis erat, vt audiimus, minime vitiosus, eius status & conditio mundum insignem ferre poterant. Nam quod vidua erat, nō efficiebat, quin, posteaquam virum eluxisset, viduas vestes mutare, nouumque quærere maritum posset. Neque quia, sponte quadam sua, solo viduitatis vestitu contenta erat, ideo vitiosum fuit, si vel festis diebus, vel aliàs, cum res vsusque postularet, cultius ornatiusque processisset. Opes vero eius erant, vt cap. 8. vidimus, amplissimæ, quę sumptuosissima etiam insignia tolerarent. Diuina lex, & ciuitatis patriæque mos præter has, quas dixi, aut finis aut modi vitiositates, aliud nihil resecabat, etsi, quia fœminarum genus φιλόκοσμον supra modum est, sæpeque in munditiarum; mundique studio nimio delinquunt, scriptura interdum & Patres, id etiam, quod per se alioqui liceret, insectentur. At inquies, ad lasciuiam cultus iste proritat. Non nego, sed & ipsa naturalis corporum species. An idcirco in culpa; Rursum tamen vrgebis istam proritationem voluisse Iudith, ad eamque in Holopherne concitandum, ita se ipsam lauisse, vnxisse, calamistrasse. Asserit enim hoc textus Græcus: ἐκαλλωπίσατο εἰς ἀπάτην ὀφθαλμῶν αὐτῶν, ὅσοι ἂν ἴδοιεν αὐτήν. *Venustè se composuerat ad deceptionem virorum, quicumque eam aspexissent.* Neque hoc inficior: sed illud, nullam id genus proritationem culpa vacare. Sui enim amorem excitare volebat, vt Holophernis familiaritatem colligeret, vt ab eo vxor deposceretur, vt eum vel vero Dei cultu imbueret vel è Iudæa & vita eiiceret. Quorum ecquid accusandum? Sed etiamsi ratio nobis nulla suppeteret, à vitio tamen ornatum hunc omnem longè positum fateri oporteret, quia cap. 10: vers. 4. textus huic ipsi accusationi dire ètissime obuiam it, & ait; *Omnis ista compositio, non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* Præterea vero, eundem ad finem, qui ipsi Iudith propositus erat, fecit ad prisinam eius, quæ tamen excellens admodum fuit: speciem, non parum accessionis Dominus. Sequitur enim eodem illo cap. 10. & ver. 4. *Et ideo dominus hanc in illa pulchritudinem ampliauit, vtincomparabilis dicere omnibus appareret.*

Deinde vero *non modo non fuit ornatus iste cum vitio, sed virtutis etiam laudisque plenus fuit.* Cum enim quidpiam ex se malum non est, & bonum ad finem, bonoque modo fit, id iam bonum est, & tanto melius, quanto finis ille melior & vtilior. At Iudithæ finis quam excellenti bonitate præstabat? Quot virtutis in se numeros complectebatur; Iustitiæ, fortitudinis pietatis ac religionis fuit, patrium veri Numinis cultum propugnare, ciuibusque suis omnibus salutem afferre. Ideoque capite 10. textus noster quæsitam istam extrinsecus venustatem non à peccato solum excusat, & à libidine profectam negat sed laudat etiam, & à virtute pependisse affirmat. Vnde libro 2. de Virginibus Sanctus Ambrosius, *Iudith se vt adultero placeret, ornauit, quæ tamen quia hoc religione; non amore faciebat, nemo eam adulteram iudicauit.* Vnus hic tantum Alexandrinus Clemens obloqui videtur. cum libro 3. Pædagog. capite secundo ait, *Solam Hester iuste inuenimus ornatam: mystice ornabatur mulier regi suo, sed eius pulchritudo inuenitur pretium, quo liberatus fuit populus, qui interficiebatur.* Si sola Hester iustè ornata fuit, ergo iniuste Iudith, aut certe in sanctis mulieribus, de quibus initio agit, non habitam à Clemente Iudith confitendum. At de iis mulieribus loquitur, quæ quotidiano huiscemodi cultu assiduè vrebantur. Sanctæ vero Iudithæ quotidiana erat, vti cap. 8. expositum est, vestis vidua & lugubris, pilosumque circa lumbos cilicium. Et vero quam præclarum inter sanctas mulieres locum idem Clemens dederit, manifestum inde fiet ex Stromate 4. cap. 6. vbi eam inter illas *consummatam* vocat.

QVÆSTIVNCVLA III.

Holophernem an recte adorarit Iudith?

AManem adorare nullo vnquam pacto voluit Mardochæus, etiamsi extremum sibi & populo vniuerso periculum crearet. Et nonne scriptum est Deuteron. 6. Matth. 4. ver. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies?* Cum Catholicorum quispiam flexis genibus, aut aliqua corporis inflexione sacri quidpiam veneratur, verbi causa, Christi Iesu Domini nostri crucem, Sanctorum reliquias & imagines, ipsum Pontificem Maximum, illico hæc in hæreticorum manibus tela, quæ tamen non tam exurrentur, quam sponte sua decident, si aduertamus *adorationem* esse *duplicem, politicam & religiosam. Prior* est veneratio, qua eos, qui magistratum gerunt, aut aliqua huiuscemodi re cæteris antecellunt, prosequi solemus. *Posterior* sacra est, & propter

Universidad de Deusto
Biblioteca

pter diuinum quidpiam tribuitur. Illam Holopherni adhibuit Iudith, eo scilicet modo, quo Ephronem adorauit Abraham Genes. 23. ipsum Esau Iacob, huiusque coniuges, & filii, Genes. 33. Iosephum Iudas, cæterique fratres ibidem cap. 42. 43. 44. & alios alii, ipsamque adeo Iudith postea bonus Achior cap 13. vers. 30. *Sacra* vero vel *summa* est. quæ vsitatè λατρεία dicitur, & soli Deo debetur, eique soli à Catholicis omnibus defertur. *Infra summam* altera est, quæ Cœlitibus, reliquis, Pontifici, aliisque creaturis, propter diuinum quidpiam à Deo ipsis donatum, tribuitur. Cæterum de Mardocheo, & de tota ista adorandi ratione non paulo plus in Esther. *Quod vero Iudith Holofernem adorat*, inquit Rabanus, *non est perturbatio timoris, sed conseruatio ordinis, quia videlicet maxima in dignitate ac principatu constitutus is erat. Reddite*, ait Apostolus ad Roman. 13. ver. 7. *omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorē: cui honorem, honorem.*

QVAESTIVNCVLA IV.

An vitæ castitatisque periculum rectè adierit?

QVI *amat periculum, peribit in eo*, Ecclesiastici 3. ver. 27. In Assyriorum castra vadit sola, inermis, mulier. Quid si prima eam custodia sagittis è monte descendentem confixissent? Quid si iratus Holophernes, vt exploratricem & proditricem occidisset? Quid si, cum lethalem huic plagam inflixit, aliquo vel clamore, vel strepitu in flagranti deprehensa facinore fuisset? Quid si, cum exiret, habræ ipsius peram excussissent custodes? De castitatis tamen periculo impeditior quæstio est. In tot iuuenum, tam libidinosorum, adeo mulieribus omnibus adhinnientium oculos, fœminam tam excellenti forma, tamque incomitatam venire, quis certissimum pudicitiæ naufragium non sentiat? Si quis, in talium tabernaculo, eam manere vel iuberet vel hortaretur, non audiret.

Accipitri timidas credit furiose columbas,
Plenum montano credis ouile lupo?

Terrere nonne debuit Dinæ ipsius constupratio? cum non in virorum sese cœtus dedisset, sed regionis illius mulieres tantum videre voluisset Genes. 34. vers. 1. Et supra id circo, qui domesticam tantum & cubicularem viduis, puellisque latebram suaderent, Patres audiuimus, ne in castimoniæ dedecus aliquod illæ impingerent: adeo quidem, vt etiam rarius à iuuenculis adiri templa, *his*, ait, *sit tuus frie matre progressus, quæ sit anxia tui custos pudoris. Ipsa quoque ad Ecclesiam progressio rarior sit adolescentulis.* D. Hieronymus ad Eustochium: *Rarus sit*, ait, *egressus in publicum. Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo.*

De vitæ periculo facilis & expedita responsio est, plurimas esse causas, ob quas illud recte possit adire quispiam. Inter eas vero excellit illa maximè, quando pro Dei gloria, religionum sacrarum defensione, patriæ incolumitate mors oppetitur, vel in mortis certe discrimen incurritur.

In Castitatis vero periculum sese dare neque vllus, neque vlla debet, nisi vel casto modo castitas minuenda esset, vt graues iustæque rationes ostenderent periculum. illud vitari posse: & licet quâ prodeundum foret, vel denique nisi castitate non animi, sed corporis, maius aliquid amittendum esset, verbi causa, Christi fides & religio. Casto autem modo minueretur castitas, si ad legitimum Holopherne vxor duceretur, quemadmodum supra dictum est. Quamuis vero sit connubio vique melius, si ob commune bonum, ob Dei & religionis honorem fieret. Ideoque, magna cum Potuit etiam bonis iustisque rationibus animum inducere, vt crederet, posse se, Dei cum gratia & auxilio, quod tot iam precibus, lacrymis, ieiuniis & saccis imploratura erat, peruincere, ne pudicitiæ iacturam vllam faceret. Cũ testate Holophernem totum teneret: ab militum omnium iniuria, ipsius actibus præceptis, de- & blanditiis ad noctem inuitaret: sed antequam nocte vlla inquinaretur, anteuerteret omnia, & illius complexum quoquo tandem modo effugeret, omnium tamen maximè, illum occidendo, idque vel in ipso primo cubiculi aditu, lethalem in eius viscera cultrum aliquem adigendo, vel in cubili, manibus eum ambabus strangulando & offocando, vel denique eo ipso modo. quo negocium tandem perfectum est, somni merique plenum propriis armis obruendo. Quod si horum, contra quam certissimè speraret, nihil omnino posset, obnoxiam se quidem corporis iniuriæ futuram, animo tamen castissimo semper mansuram confidebat. *Et posteriorem istum totum*, præ illo de nup-

de nuptiis, *modum in Iudith spectasse & probasse, videri potest S. Ambrosius*, dum lib. 2. de Virginibus, Antiochenam formosissimam virginem, quam aut dis sacrificare, aut lupanari prostitui iusserant Gentiles: ita secum ipsam dissertantem describit. *Quid agimus? Hodie aut martyr, aut virgo: altera nobis inuidetur corona, sed nec virginis nomen agnoscitur, vbi virginitatis author negatur. Nam quemadmodum virgo, si meretricem colas? quemadmodum virgo, si adulteros diligas? quemadmodum virgo, si amorem petas? Tolerabilius est enim mentem virginem, quam carnem habere. Vtrumque bonum si liceat: si non liceat, saltem non hominis castæ sed Deo simus. Et Raab meretrix fuit: sed postquam Deo credidit, salutem inuenit. Et Iudith se, vt adultero placeret, ornauit: quæ tamen, quia hoc religione, non amore faciebat, nemo eam adulteram iudicauit. Bene successit exemplum. Nam si illa, quæ se commisit religioni, & pudorem seruauit & patriam: fortasis & nos seruando religionem, seruabimus etiam castitatem. Quod si Iudith pudicitiam religioni præferre voluisset, perdita patria, etiam pudicitiam perdidisset.* Et addit ipse S. Ambrosius: *Itaque talibus informata exemplis, simul animo tenens verba Domini, quibus ait: Quicumq; perdiderit animam suam propter me, inuenietit eam, flevit, tacuit, ne eam vel loquentem adulter audiret: nec pudoris elegit iniuriam, sed Christi recusauit.* Quin & eundem modum textus noster cap. 12. ver. 7. duobus verbis subaperit, dum Deum *promisisse* ait Iudith, fore, vt Ierusalem ciuitatem erigeret, se vero idipsum *credidisse*: quasi diceret, sibi reuelationem quandam diuinitus factam, qua promitteretur Hierosolymitani templi & vrbis, adeoque sacrorum omnium per manum suam liberatio: huicque reuelationi & promissioni fidem se adhibuisse, sicque tam arduum & periculosum opus aggressam esse: in eoque, ad illud vsque temporis punctum, feliciter hactenus progressam. *Confirma me*, ait, *Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, & sicut promisisti, Ierusalem ciuitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitaui, perficiam.*

Si dicas; certam igitur eam fuisse fore, vt neque vitæ, neque castitatis detrimentum vllum perpeteretur, sicque de fortitudinis eius & magnanimitatis laude non parum deteri; Respondeo huius tantum certam videri fuisse, futurum, vt sua opera Israelitæ tempestatem hanc euaderent: modum tamen & rationem perspectam non omnino habuisse, quemadmodum etiam Prophetæ Isaias, Ieremias, alii certissima quædam habebant, aliorum, quæ ad ipsos spectabant; ignari erant. Et S. Paulus Actorum 20. ver. 22. *Ecce alligatus ego spiritu, vado in Hierusalem quæ in ea ventura sunt mihi ignorans, nisi quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates, mihi protestatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Hierosolymis me manent.* Certa igitur periculi à gente sua depellendi erat, sed incerta eorũ, quæ sibi euentura essent, magnopere tamen confidebat, se ab hominibus etiam calamitatibus eruendam, præsertim vero ab omni pudoris iactura & grauiori vllo peccato. Quomodo enim tam piam suique cultus obseruantem fœminam, tot, & tam inflammatis diurnarum, nocturnarumque precum postulationibus, tot inediis, & vigiliis, & saccophoriis vnum hoc impetrare sineret Deus Opt. Max. vt salutem aliis, sibi ipsi æternam (*Peccati* enim *stipendium mors*, Rom. 6. ver. 23.) animi perniciem afferret? Maxima igitur, vt dixi fiducia erat, se vel ab omni penitus, vel à grauiore saltem prolapsione omni defendendam & conseruandam. Sed vt in adeundo periculo, fortis magnique animi laus ei præmiumque magnum esset, incommodorum, quibus afficienda esset; nihil norat, etsi bene de iis quoque speraret. Vnde colligendum, omnibus esse in Iudith excelli, virilis, heroicique animi, ad omnes, pro religionis & patriæ dignitate difficultates excipiendas, propositum exemplar: nulli tamen omnino virgini, viduæ, mulieri, vt in illum sese pudoris discrimen sponte coniciat, ansam præbeat. Si tamen quæ vix vnquam aut rarissimè iam accidit; necessitas aliqua incideret, posse ipsas, cum sanctissima illa D. Ambrosii virgine Antiochena, hoc eodem Iudith exemplo sese confirmare ac erigere. Sane insignem & plane admirabilem fortitudinem luculentis admodum verbis efferunt S. Patres & D. Ambrosius 3. offic. c. 13. & 14. libro de viduis, Clemens l. 4. Strom. cap. 7. Origenes homil. 9. in Iudices. Eorum tamen & aliorum verba commodius alibi reddentur, cum quibus Oziæ pulcherrimum illud encomium infra ver. 24. & 25. copulandum; & breuiculum hoc è tertii de officiis libri D. Ambrosii cap. 14. *Liquet id quod decorum est, semper esse vtile. Nam & Iudith sancta decoro contemptu propriæ salutis soluit obsidionis periculum, & publicam honestate propria acquisiuit vtilitatem.*

QVÆSTIVNCVLA V.

An Holophernem ebrium interficiendo, ab eadem Iudith peccatum aliquid?

EBrius erat vino admodum Holophernes, sed libidine, propter quam vini tantum hauserat multo magis, ideoque tali eum momento interficere, quid aliud erat, quam ad sempiternos, eum ignes amandare? corpus & animam simul occidere? Hoc vero graue nimium, & vix absque peccato fieri posse, videatur forte alicui. Sed falli se intelliget, si aduertat, *primo* peccatores istiusmodi

Universidad de Deusto
Biblioteca

modi omnes posse omni momento iustissime à Deo sempiternis addici suppliciis. Horum enim isti rei sunt, & ille summus omnium iudex & Dominus. *Deinde*, cum iustum bellum, diuinisque legibus consentaneum est, licere hostem, vbi & quando sese offert occasio, necare, tumque quisquis necat, diuinæ iustitiæ ministrum esse, quemadmodum ex disputationibus de bello apud D. Thomam 2.2 q. 40. Bellarminum lib. 3. de Laicis cap. 14. & 15. perspicuum. Ideoque breuiter ita D. Augustinus lib. 1. de Ciuit. 21. *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quod dictum est: Non occides. Qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum eius leges, hoc est, iustissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Tertio* demum, quod hostis ille, vel ebrietate, ipsius, non ad eius, qui, eum dum interfecit, iure suo vtitur, culpam pertinere. Quem alioqui Turcam, & infidelem in acie ferire, quem impium, & præfractum latronem extremo afficere supplicio liceret? Quin vero ex repentinis huiusce modi funeribus intelligi datur, quanto studio ab omni semper scelere abstinendum, quantaque cura prouidendum sit, ne vino madidos, libidine flagrantes, crimine alio quocumque contaminatos, repentinus quispiam casus occupet. Hoc enim est, quod Marci 13. vers. 33. & seq. tam serio monuit Dominus. *Videte, vigilate, & orate. Nescitis enim quando tempus sit. Vigilate. Nescitis enim quando Dominus domus veniat, serò an media nocte, an gallicantu, an mane. ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilate.* Et Luc. 21. ver. 34. *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Tamquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ.* At Holophernes non vigilauit, in crapula & ebrietate obstertuit, supernenit vltimæ horæ laqueus, eumque constrictum in gehennæ chaos præcipitem egit, cuius culpa?

QVÆSTIVNCVLA VI.

An, cum Deo loquendo, deliquerit Iudith quidpiam?

IVDITH hactenus *facta* eluimus. sunt & in eundem fontem *quæ locuta* est, mergenda. Quædam enim ex iis, quæ cum Deo, partim cum Assyriis locuta est, quasi minus recta existimari possunt. Quid enim illud quod cap. 9. ver. 12. à Deo petit? *Capiatur laqueo oculorum seorum in me, percutiet illum ex labiis charitatis meæ.* quod valet. *Da mihi labia charitatis*, siue vt in Græco illic haberi mouia istiusmodi, sunt hominum impiorum, eaque odit Dominus, Psalm. 30. ver. 19. Psal. 108. ver. 1. & Psal. 119. ver. 2. Prouerb. 13. ver. 13. Sophon. 3. ver. 13. Et Dauid Psal. 11. cum sanctos defecisse veritatesque à filiis hominum diminutas dixisset, subiungit, *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde locuti sunt. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa.* Psalmo 5. ver. 7. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Itemque oratione pietas, petere à Deo quod detestatur Deus, quod peccatum est? Sed bona verba; *Nullum à Deo peccatum, nihil quod inuisum illi & ingratum sit, obsecrat.* Duo enim in iis, quæ obiiciuntur, verbis petit, vultus nimirum pulchritudinem & orationis venustatem ac suauitatem. Vtrumque quidem, vt ea ille capi & oblectari possit non ad peccandum, sed ad ea bene vtendum, si velit. Quando enim pulchra quædam oculis species obiicitur, in potestate nostra est, vt ea vel ad honestum, vel flagitiosum amorem vtamur. Quando similiter venustum suauemque alicuius sermonem audimus, ad eius amorem inuitamur: sed vt hic amor aut bonus aut malus sit, per nos ipsos stat. Quemadmodum vero tam formæ, quam orationis elegantia & pulchritudo à Deo donatur. ita & eam ab eo precari fas est. Nam, prout supra de ornatu dicebam naturam imitari potest ars, potest etiam Deum donantem humilis petitor. *Labia* vero *dolosa* bifariam vocantur. Vel enim sunt, quæ naturali quadam & insita vi eiusmodi sunt, vt decipere possint facile, vel quæ studio, dataque opera huc reipsa iam referuntur, vt decipiant. In priore genere omnis facundè, gratè, suauiterque loquendi facultas, quam vel ab ortu vel postea indidit naturæ parens Deus, continetur. Est enim hæc illex admodum, & quædam veluti *suada*, qua in hominum animos facillime, qui eam accepere à prioris generis labiis, siue ab aliis ea dimanet. Rursum vero *dolus duplex* est, bonus & malus. De quo D. Paulus 2. Corinth. 12. ver. 16. *Cum essem astutus, dolo vos cepi.* De isto D. Thomas 2. 2. q. 55. art. 4. de vtroque Iurisconsulti cum alibi, tum maxime in D. 4. tit. 3. de dolo malo, post doli malum definitionem, subditur. *Non fuit contentus Prætor dolum dicere, sed adiecit malum, quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebat, maximè si aduersus hostem latronemue, quis machinetur.* Dolosa ergo labia, quæ sibi à Deo precabatur Iudith, erant

erant prioris illius generis, & cum ad vsum ea bonum conferret, erant dolo tantum bono dolosa. Et isto etiam modo Augustinianus sermo. 227. vocat Iudithæ *vultum insidiosum*, & ipsammet, *Holophernus fraudem.*

QVÆSTIVNCVLA VII.

An, per Nabuchodonosorem, & Holophernis animam, iurare potuerit?

INTER ea, quæ cum hominibus cautè prudenterque minus locuta videtur, est hoc iusiurandum cap. 11. vers. 3. *Viuit Nabuchodonosor Rex terræ.* & cap. 12. vers. 4. *Viuit anima tua Domine. Primò* enim non nisi per DEVM concipi debet iusiurandum, Isaiæ 19. vers. 18. cap. 65. vers. 16. Ierem. 12. vers. 16. & quidem non nisi per DEVM verum, ab homine præsertim eius cognitione ac fide imbuto, Exodi 23. Deuteronom. 6. Multo igitur minus, per hominem mortalem, DEique hostem & impium. Domini hæc apud Ieremiam cap. 5. ver. 7. querela est. *Filij tui dereliquerunt me, & iurant in his, qui non sunt dij. Iurare aliquem*, ait sub finem libri de Athenienſium gloria Plutarchus, *est eum DEVM facere.* Vnde, & apud Strabonem libro 17. Æthiopes ideò *per mortuos* iurasse, quia Deos ipsos putarent. Volebat verò DEVS haberi Nabuchodonosor, vt suprà vidimus. Quomodo ergo per eum iurat Iudith? quomodo per Holophernæ animam? Sed esto. liceat per homines. etiam sceleratos, iurare, num falsò licet? At quo ie cap. 11. Iudith obstringebat, falsum sacramentum fuisset.

Responsio hic *triplex* est. *Prima* Lyrani, hisce verbis: *Non est hoc iuramentum, vt dicunt aliqui. quia non excusaretur Iudith à iuramento falso, quod est peccatum mortale. sed est simplex assertio falsi ad fallendum fallacem. Altera* Lorichij Hadamarij ita scribentis: *Iudith cautè iusiurandum simulauit. Simile habemus apud Epigrammatarium lib. 5.*

Quid sentis, inquis, de nostro, Marce, libello,
Hoc me sollicitus, Pontice, sæpè rogas.
Admiror, stupeo, nihil est perfectius illo,
Ipse tuo cedet Regulus ingenio.
Hoc sentis, inquis? faciat bene sic tibi Cæsar,
Sic Capitolinus Iuppiter imò tibi.

Hæc ille. *Tertiò* Carthusiani, iurasse, & ex animo. Atque *huic ego subscribo. Primò*, quia hæc asserendi ratio: *Viuit* hic, *viuat* ille, sacramenti formulam continet, vt eo loco è scripturis pluribus monstraui. Sicuti enim qui ait, *Viuit Dominus*: iurat, 1. Reg. 14. v. 39. & 45 c. 19. v. 6. c. 20. v. 3. & sæpissimè aliàs, nominatim verò infra c. 13. v. 20. ita & qui affirmatione hac vtitur, *Viuit Nabuchodonosor, viuit anima tua.* adeo quidem vt vtraque interdum formula simul iungatur, 1. Reg. 25. v. 26. & 4. Reg. 2. sæpius. *Viuit Dominus, & viuit anima tua. Deinde*, quia potest diuina veritas duobus modis in testimonium adhiberi. *directè* scilicet, quando per seipsam ipsa inuocatur, & *indirecte*, quando eius attestatio eatenus petitur, quatenus in creaturis ipsis implicatur & effulget, prout edisserit D. Thom 2. 2. quæst. 89. art. 6. *Tertio*, quia sacramenta istiusmodi extant in scripturis non Pauca, & quidem à viris bonis & prudentibus adhibita, Iosepho Genes. 42. v. 15. & 16. *Per salutem Pharaonis non egredieminisi huc, donec veniat frater vester minimus. Alioqui per salutem Pharaonis exploratores vos estis*: Elisæus 4. Reg. 2. *Viuit Dominus & anima tua* prout suprà iam citauit. *Quarto*, quia hunc per creaturas iurandi morem iam olim viguisse ostendit Dominus: neq; eum tollit, sed eadem tantum cautione, qua alterum illud *per* DEVM iusiurandum obsepit, ne *in vanum* videlicet omnino etiam suscipiatur. Hoc enim inculcant illa, Matth. 5. ver. 34. 35. *Ego dico vobis non iurare omnino, neque per cælum, quia thronus* DEI *est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Hierosolyma, quia est ciuitas magni Regis: neq; per caput tuum iurauerris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Quinto*, quia primis Ecclesiæ Christianæ sæculis per Imperatorum genios iurare Christianis haud licuit: bene tamen per eorundem salutem, quia mendacissimos dæmones in veritatis testimonium vocare, turpe, non verò Imperatorum salutem, quia, etiamsi Gentiles & impij sint: hęc tamen eorum salus, & quorumcumq; hominum anima, à DEO est, in eaq; DEI etiam veritas splendescit. Tertulliani enim Apologeticus c. 32. ait: *Sed & iuramus si ut non per genios Cæsarum, sta per salutem eorum, quæ est augustior omnibus genio. Nescitis genios dæmonia dici, & inde diminutiua voce damonia? Nos iudicium* DEI *suscipimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit. id in eis scimus esse, quod* DEVS *voluit. ideoq; & saluum volumus esse quod* DEVS *voluit, & pro magno id iuramento habemus. Cæterum damonas, id est genios adiurare consuemus, vt illos de hominibus exigamus, non deierare, vt illis honorem diuinitatis conferamus.* Hoc igitur est, quod in scripturis vetamur, per vllos aut falsos deos, qui dæmones erãt, aut per creaturas, tanquam deos, iurare, vti Gentilium quidam fecerunt. non autem per creaturas, quatenus ipse DEVS, sed ipsius DEI sunt. Quo detestabilior Caluini lib. 2 Instit. c. 8. §. 26 calumnia, dum hoc ipsum fatetur, & tamen *per Sanctos*, & *per Angelos* iuramentum fieri posse inficiatur. Quid? An hi minus ipsius DEI sunt, quam creaturæ aliæ? An in iis DEI veritas opertior, & latentior? sed vide & no-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rata cap.3. Tobiæ quæst.3. Cæterum Lyrano rectè respondet Carthusianus, in Iudith iureiurando falsi nihil fuisse. Certum enim, Holophernis opera, mortalium quam plurimos Nabuchodonosori obediisse, itemque bestias, eo modo, quo de Nabuchodonosore altero dicit pet Ieremiam cap.27. ver.6. Dominus, *Ego dedi omnes terras istas in manu & Nabuchodonosor Regis Babylonis serui mei. insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi.* Cum verò & sic iurare licuerit, & verè potuerit, cur, ab Hadamario, iurationis tantum titulatio, non iuratio vera hic fuisse dicatur.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

An se Iudith, quidquid Holoferni placuisset, facturam rectè spoponderit cap.12. ver.14.?

QVOMODO rectè potuit, quidquid homini flagitioso & falaci placuisset; spondere? An dici queat, spem ipsi fuisse, futurum vt ille nihil nisi pudicum & honestum peteret? At iam quæ tem *introeundi* vel *ingrediendi* verbo sæpè, phrasi Hebraica significatur, procreationis actio, vt Genes.38.vers.2.8.9.16.ibid.cap.16.ver.2.cap.39.ver.14. Ruth 4.ver.7.2.Reg.3.v.7.8. in titulo Psal.50. & crebrò alibi. Accedit, quod, in Græco, illiciat eam Bagoas, vt fiat Assyriarum puellarum instar, quæ in Nabuchodonosoris domo versabantur. Hæ verò ad illius libitum, eius libidini seruiebant, erantque iis similes, quæ hodie in Turcici Sultani gynæceo stabulantur. Respondet verò Iudith, non tantum se, quidquid illi collibuisset facturam, sed etiam properanter ac perlibenter.

Responsum ad ista esse potest *duplex. Vnum*, falsò hæc à Iudith esse dicta omnia. Sed cum veritas inesse possit, mentitam cur dicamus? nisi quia delictum, ita mentiri, quam libidini verè quidem locutam Iudith: sed *vt rectè* simul etiam *locuta sit, explicare tripliciter. Primò*, vt non ad Holophernæ vel Bagoæ mentem respondent, sed ad eam, quam animo verè informarat; cogitationem. Dominum enim suum intelligit DEVM suum, de eoque respondet; *Quæ ego sum, vt contemptui, ad quod se paratam dicebat; intelligenda.* & videtur idem velle Lyranus, dum ait dixisse ipsam; *Hoc erit mihi optimum, quia videbat appropinquare tempus oportunum ad interficiendum ipsum.* Iterumque postea vers.18. *Magnificata est anima mea, quia videbatur appropinquare hora liberationis populi sui.* Deinde nonne vsu & in Scripturis, & in familiari omnium sermone receptum, vt huiusce modi generales propositiones dicantur, sed semper certis cum clausulis intelligantur? verbi causa, *modo* DEO & *honestati aduersum nisi sit* amicitia tantum *ad aras vsque* valeat, *nisi aliter* DEVS *constituat*, & si quando nihil subaudiendum? Cum scribit amico amicus; *Tuus ex asse, Tuus* χρῆσθαι καλῶς. *Quatibi* apponenda: *Libertas est*, ait ille, *agendi quod eum & velis.* modo tamen intelligatur, vt legibus illud congruo moderationis lympha dum Iudith verbis aspergitur, quid in iis non purum, castum, & candidum? *Tertio* tamen dici potest, in Bagoæ verbis duplicem quandam sententiam inclusam fuisse. Nam familiaritatem & hilaritatem imitabat: hæc ad ea, quę hisce omnibus erant posteriora; & à Bagoa quidem ac Holoferne spectabantur, non nisi tamen secundariò, & quasi velatè proponebantur. Nãm. adeò vt id exemplis probare pudendum sit, & Tobiæ cap.7. quæst. 4. iam tetigi. Apertè verò pudicitio, dum dicitur v.12. *Introiuit Vagoas ad Iudith*; sed id quod, quasi subsequens, huic introitui adiungitur, *manducare & bibere cum illo.* & multò adhuc apertius in Græco, vbi ne ipse quidem Holophernes Eunucho suo ver.10. præscribit, vt *habitandi* verbo, quod vt 2.Machab. 1.v.14. dicetur, aliquid interdum turpitudinis importat; vtatur, sed ait; ἵνα ἔλθῃ πρὸς ἡμᾶς ἡ γυνὴ μόνη πρὸς ἡμᾶς. *venire ad nos, & edere ac bibere nobiscum.* Quæ verò in Nabuchodonosoris palatio erant, ipsiusque thalamum ineabant quandoque mensibus & annis, præparabantur, prout in Esther hic Orientis mos explicabitur. Omnes verò istæ apud istos Reges gratia plurimum pollebant. Quod ergo Bagoæ, & Holophernæ *ipsius gratiam colligere, ipsi placere* sed eo modo & fine, quem superioribus quæstionibus expositi. Si tamen huic eius annuit, & cautiones antea positæ, & illa etiam interior de vero Domino cogitatio, ipsumque de opportuni temporis appropinquatione gaudium & lætitia, quæ instantem iam liberationem præsentiebat; adiungantur, vt adiungi iure possunt, quid in sponsione ipsius tota erit non purgatissimum?

QVÆ-

QVAESTIVNCVLA IX.

An, in omnibus istis, mendacium ei aliquod impingi possit?

NON vnum, sed plura quæ impingi meritò possint, occurrunt. Nam *primò* cap.10. ver.12. *Ideo*, ait, *fugi à facie eorum quoniam futurum agnous quod dentur vobis in depradationem.* & similia c.11.v. 13. Idemque in Græco; *Non excidet Dominus ab iis quæ cogitauit*, siue, *non frustrabitur spe sua.* Atqui neque fugiebat. neque futurum erat, vt prædæ hosti darentur. idque vt suprà dictum: ipsa prænorat, & ne darentur, ideo veniebat. *Secundò*, ibid. vers.13. *Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi secreta illorum, & ostendam illi, quo aditu possit obtinere eos. Tertiò*, cap.11. vers.4. *Si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum. Quartò*, ver.16. *Tu solus bonus & potens es in omni regno eius. Quintò*, vers.8. DEVM Israëlitis valdè iratum ait, ipsosq; grauissimè contra illum deliquisse, & Hierosolymitanos. At cap.8.ver.18. *Non sumus*, ait, *secuti peccata patrum nostrorum. Sextò*, ad veterum peccatorum cumulum noua Israëlitas adhuc moliri. per sanguinis potionem, sacrorumque & vetitorum eduliorum prophanationem narrat vers.11.& 12. *Septimo*, famem in vrbe dicit vers. 10. inualuisse, cum sitis eos tantum vexaret. *Octauò*, se ideo à Domino missam ait, vers. 13. & 15. vt hæc ei nunciaret. *Nonò*, se promittit vers. 15. quæ diuinitùs cognouisset; ipsi patefacturam, ipsumque per mediam Hierusalem deducturam.

Duo de hisce tam multis extant opinionum capita. *Vnum* est, vt eam fateamur mentitam, mendaciis tamen leuibus, minimeque perniciosis, sed officiosis, valdeque vtilibus. Ita hoc loco Lyranus, Abulensis in 1.Exodi quæst.6. D.Thomas 2.2.quæst.110. artic.3.ad 3. *Quidam*, ait, *commendantur in scriptura, non propter perfectam virtutem, sed propter quandam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis laudabilis aliquis effectus, ex quo mouebantur ad quædam indebita facienda. Et hoc modo Iudith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro quo periculis se exposuit. Alterum*, non esse mentitam. & *tri fariam* istorum omnium datur expositio. *Prima* à Carthusiano; intelligenda esse per ironiam dicta, quemadmodum 2. Reg.22.v.15. à Michæa ipsi Achabo responsum; *Ascende, & vade prospere, & tradet Dominus in manus regis. Altera* à Rabano, Glossa & Hugone, mysticam & quasi propheticam totam istam Iudith, & actionem, de qua suprà, & orationem fuisse. Hac enim prædixisse grauissimas illas miseriarum procellas, quas Israëlitico populo, Vespasianus & Titus inuexerunt. idq; ob grauissima, quibus DEVM irritarant, facinora. Et hanc isti expositionem vitus inuexerunt. idq; ob grauissima, quibus DEVM irritarant, facinora. Et hanc isti expositionem videntur è D.Augustino luxisse, cuius lib. de mendacio c.5. hæc regula est; *Credendum est illos homines, qui prophetici temporibus digni authoritate fuisse comm. morantur, omnia, quæ scripta sunt de illis, prophetice gesisse atq; dixisse.* Quin & Alensis Alexander parte 3.quæst.37.membro 6. cum de mendacio ageret; *Ad vltimum*, ait, *quod obijcitur de Iudith, responsio est in gl. super Iudith cap.11. vbi dicitur, apud Holofernem quicquid de aduentu suo & Iudæorum futuro iudicio loquitur; non dicit adulatorie mentiendo, sed futura propheticè prædicendo.* D.Thomas, loco indicato, subiungit; *Quamuis etiam dici possit, quòd verba eius veritatem habent, secundum aliquem mysticum intellectum. Tertia* est, tacitam in hisce omnibus subintelligendam conditionem, verbi causa, *nisi* DEVS *prouiderit. si* DEO *ita visum fuerit. si absque culpa fieri hoc potuerit.* vt suprà iam dictum q.8. Verè liquidem eum in locum Iudæorum res adductas tum fuisse, vt humano de iis modo loquendo, perditæ iam essent, victor Iudæa tota volitaret Holophernes, Iudæis ad sanguinis haustum, ciboisque sacros deueniendum esset. Malim verò aliorum sententias enumerare, ad easque semper accedere, quam ab iis vel tantillum fieri si posset, discedere. Sed quoquo modo vestiganda veritas.

Prius caput, vt mentitam Iudith putem, non libenter concedo. Etsi enim bonis etiam operibus aliquis aliquando vitioli alicuius & peccatuli nævus adesse possit, neque tamen vt illa bona esse desinant, efficiat, minus tamen perfecta & coram DEO præstantia, minusque coram ipsis etiam hominibus laudata efficit. Nunc verò quam præclarum, quam omni laude cumulatum Iudith factum istud à libello isto & à Patribus deprædicatur? *Deinde*, in fui cum Holopherne sermonis principio, ipsa quid pollicetur? ἀπαγγελῶ ἐγὼ τῷ κυρίῳ μου. *Non enunciabo Domino meo falsi quidquam.* ad perpetuam è mendaciis orationem contexere, & se mendacium nullum allaturum profiteri, non mendacium æquo mendacius? *Tertio*, aliud est vnum aliquod alicui quandoq; mendaciolum vel imprudenti & incogitanti, vel periculo aliquid subtimenti excidere, aliud ita meditatè, tam varia, toties, de suo etiam populo tam illaudata mentiri. *Quarto*, cum, vt iuptà ostendam; tam fixam à DEO de futura liberatione spem conceperit, imo & cœleste ipsi oraculum fuisse sit, cur ad finem optimum non nisi via tam distorta prauaque tetendisset? cur pia & religiosa fœmina, tot assiduè DEVM precibus consulens, tanta, tot, tamque insignium mendaciorum colluuie, præclarissimum DEI miraculum contaminasset? *Quinto*, DEVM, eiusque Angelum infrà vers 20. laudari, quod eorum ope, ad suos, *sine peccati pollutione* reuerterit. Et quamuis luxuriam potissimùm innuat, est tamen quædam etiam peccati pollutio mendacium: & DEI Angelique laus maior, si ab huius etiam peccati macula puram immaculatamq; custodierint. *Sexto*, postulat ratio, vt in magnorum, sanctorumque

Universidad de Deusto
Biblioteca

rumque hominum verbis veritas inueniri vlla si potest, neque ij vllius à scriptura mendacij accusantur, à nobis etiam nullo modo accusentur. sed D. Augustini antè posita regula, eiusque explicandi modus, vel certè non dissimilis alius teneatur. At in Iudith verbis potest veritas inueniri, vti patet per allatas alias expositiones. & ipsa magna, sanctaque mulier est: neque à scriptura mendacij vllius accusatur, quin vbique potius laudatur. Ergo.

In posteriotis tamen capitis expositionibus, nulla per se sola omnibus, quæ obiecta sunt; satis commode satisfacit. & *primo* quidem *ironia* in historica veluti narratione locum habere nullum fuisset, cuiusmodi tamen est Iudith de sua fuga, deque vrbis & populi sui statu narratio: sed vel in dictis & quasi iocosis narrationibus, vel certè in eorum, qui veritatis indagandæ, vt hominis alicuius reprehendendi causâ, disputant, altercationibus versatur. Eiusmodi enim aliquæ sunt apud Platonem Socratis disputationes, quem, inquit Offic. 1. Tullius, *in omni ratione simulatorem*, siue, vt nominauerunt Græci, εἴρωνα *fuisse accepimus. Deinde* ironia si non ab vno, ab alio ferè statim notatur, &, vt ait octauo libro Quintilianus; *aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei natura. Nam si quæ earũ verbis dissentit, apparet diuersam esse orationi voluntatem.* Vnde & Michææ ironixῶς loquenti cõtestim dixit Achab Rex; *Iterum atque iterum adiuro te, vt non loquaris mihi, nisi quod verũ est. Demum* in Iudith nonnullis de se & populo suo verbis ironia illa videretur, quam 2. 2. quæst. 113. mendacij speciem cõmo, secundo, tertio & quarto suprà enumeratis, quænam est? An Vespasianus & Titus Assyrij fuerunt, vel ad eos Christiani, antequam excideretur Hierosolyma, transfugerunt? Quomodo vel Iudith vel Ecclesia ostendit Holopherni populi DEI arcana, & quo eum aditu obtineret? *Conditiones* porro, quas explicatio *tertia* suggerebat, promissionibus quidem, & narrationibus pluribus adhiberi possunt, sed quemadmodum possint omnibus, nondum perspicio. Nam verbi causa, primum illud *fugit à facie eorum*, qua subaudita conditione verum?

QVÆSTIVNCVLA X.

Quomodo quæ loquuta Iudith, absque mendacio intelligenda?

IN eam venio sententiam, vt allatarum expositionum trium singulas, per se vt dixi; solas non omnem eximere scrupulum existimem. omnes tamen simul, cum nonnullis adhuc aliis vel expositionibus vel declarationibus, ipsam à mendacio Iudith satis vendicare. In *prima* siquidem expositione, *ironia* sumi potest pro quacumq; amphibologica oratione, quę sententiam aliquam simulat, cum alias is qui loquitur, animo tenear. In *secunda* verò *prophetia* posset accipi pro futurarum rerum valdè adhuc occultarum prædictione, siue iamiam futuræ sint, siue multis pòst sæculis. *Tertia* expositio potest similiter ad modos illos omnes dilatari, quibus posse interdum bene, absque mendacio vllo, veritatem occultari, docent è Scholasticis nonnulli. quorum sententia copiosè apud Michaëlem Salonium libro de iustitia in 2. 2. D. Thomæ q. 62. artic. 2. controuersia 15. & quæst. 69. artic. 1. & probatur; breuiter verò ita forsan astringi queat; *Veritas rectè interdum, absque mendacio, tegi potest dupliciter, tacendo nimirum & loquendo.* Tegitur *loquendo* rursum dupliciter, vel enim *plena* & integra oratio, quam cogitamus; voce ipsa effertur, vel eius tantum *pars*, vt pars altera in animo recondita contineatur. Quando plena & integra oratio effertur, iterum bifariam occulti potest veritas. Nam ea oratio vel *sensus plures* habet *ex communi* & vsitato sermonis *instituto*, vel *partim* ex hoc, *partim* ex proprio, quo qui loquitur, propriam quandam, arbitratu suo, significationem illis subiicit. Vtroque siquidem modo, è pluribus istis sensibus vnum arripiet, qui audit: alterum, eumque verum mente sua repostum tenebit, qui loquitur. Quando verò *pars tantum* pronunciabitur, veram eius sententiam accipiet auditor: sed pars altera itidem vera in animo inclusa latebit, licet hucusque ipsi, quæ exterius funditur, particulæ, posset etiam superior plenæ orationis caligo duplex offundi. *Demum*, circa sermonis veritatem & apertam simplicitatem *duo* potissimùm *præcepta* versantur. ne gans *vtum. Non mentiere*: affirmans *alterum. Simpliciter, & candidè loqueris.*

Concludo igitur *primo*, *Iudith in hisce omnibus mentitam non esse.* quia contra mentem numquam locuta est. Nam semper in animo veram sententiam, cui verba, modorum expositorum aliquo rum; *fugit à facie eorum*, id est, celeriter discessit, vel fugiendis instar, sese habuit atque Bethulia exiit, quoniam agnoscebat *in depredationem* dandos, nisi suo ipsa consilio miseriam tantam occuparet, DEVSq; opem ferret. Non frustrabitur Holophernes spe sua, non quidem, quoad Bethulię occupationem, sed quoad alia nonnulla. verbi causa. quoad ea, quæ hodie vel cras cogitat. vel non frustrabitur Dominus meus. DEVS inquam meus. *Secundo. Vado, vt indicem illi secreta illorum*, vt instar indicis indicẽ, prout indicauit de siti. Licet enimeò veniendi finis primarius hic nõ esset; erat tamen secundarius. *Tertio. Si secutus fuerit verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet* Dominus *tecum*. Amphibologia erat & eam

& eam arripuit sententiam Holophernes, fore vt bellum breui conficeret. Sed vera in Iudith mente sententia erat, futurum, vt cum Holopherne omnia breui expediret DEVS, cum vita priuando. *Quartum*, totum simpliciter verum esse potuit. quia de bonitate agitur eximia corporis, militiæ & similium. *Quintò*, etiam simpliciter verum, DEVM Israëlitis iratum esse. quia idcirco magna in captiuitatem pars abducta iam erat, vt c. 1. quæst. 2. patuit. & ratione reliquorum adhuc Iudæorum non quidem omnium, aliquorum tamen, aliqua DEI ira saltem quoad pœnas quasdam infligendas semper extitit, 4. Reg. 17 v. 18. 19. cap. 21. v. 13. *Sextò*, potuerunt etiam Bethulienses deliberationem instituisse & secum, & cum Hierosolymitanis de sanguine & cibis aliàs vetitis, tali necessitate, sumendis, potuitque fieri, vt hocà Hierosolymitanis factum aliquando antea fuisset, in Sennacherib maximè obsidione. aut verò Iudæorum quidam tacitè, & quasi apud se murmurãdo ista fecerunt. aut si facta non sunt; rerum cursus eò, vt fierent, fiebat, nisi opem tulisset excelsus. *Septimò* vtrumque malum fuit: sed magis torquebat sitis. & ferè ista iunguntur. Etsi enim ciborum adsit copia, edere tamen ij non possunt, quibus aridæ siti fauces. Vnde & quandoque pro siti, fames etiam nominatur, vt apud Iosephum lib. 3 Captiuit. Lucanum lib. 4. & de eadem infrà citabitur D. Ambrosius libro de viduis, Augustinianus sermo 228. *Octauum*, vt secundum, intelligendum. *Nonum*, quod in promissione versatur, aliter quidem ab Holopherne intellectum, re tamen ipsa nonne perfectum? Nonne, ictu ipso lethali, ei quæ nuntiasset Dominus, indicauit? nonne ipsum in curru per Hierusalem medium deduxit, quando de ipso Hierosolymæ, & in Iudæa tota triumphatum, ipsiusq; forte caput circumuectum? Nonne quia δίφρῳ etiam *solium* significat; Holophernis, in Hierosolymitana vrbe, solium collocatum, quando & manubiis eò allatum? Nonne factum, vt ei nemo vnus resisteret, cum omnibus desiit esse molestus? Nonne tanquam oues, quibus Pastor non esset; Iudæos egit, cum ad fugientes, balantesque Assyrios huc illuc isti discurrerent, ex eorumque castris prædam efferrent? Hi autem expositionum modi sunt eo, quo dixi modo, ironici, amphibologici, prophetici. licet ad Hierosolymitanum excidium non malè quædam referri possint: non tamen, vt verborum constet veritas, referri eò debent necessariò. Eos verò similesq; modos innuit tamen, vt verborum constet veritas, referri eò debent necessariò. Eos verò similesq; modos innuit Augustinus sermon. 229. cum ait: *Non decuit pudicam mentiri. non intelligentibus dixit, perfecit actibus, quod promisit. Regi, alio sermone, imaginariis verbis blandita est.* Et Græcus interdũ textus clarè ad eos vocat. præcipuè dum ait: ἀπίστειλέ μοι ὁ θεὸς, ποιῆσαι μετ' αὐτοῦ πρᾶγμα, ἐφ' οἷς ἐκστήσεται πᾶσα ἡ γῆ ὅσοι ἐὰν ἀκούσωσι. *Misit me* DEVS *facere tecum eam rem, ob quam obstupescant in orbe terrarum vniuerso.* non ij tantùm, qui præsentes aderunt, oculisq; suis videbunt, sed, qui procul etiam positi, eas vsquam *auditurі sunt.* Quid alioquin tam magnum, inuisum, inauditumq;, ob quod stupere mundus totus deberet; fuisset, si mulieris vnius vel indicio, vel proditione, vnam tunc vrbem, tametsi munita, regionisq; veluti clausstrum esset; non amplissimã tamen, & siti iam vehementissima totam elanguidam, quotidianis suorum funeribus attonitam, omni pænè humani auxilij spe destitutam tantæ, tam instructæ, tam innumerabiles copiæ cepissent? Sed vnam mulierem omnes istas copias, tali rerum articulo, delesse, ipsorum ducem suis ipsam manibus, in satellitum castrorumq; suorum medio iugulasse, id verò planè est mundi totius & eorum, qui præsentes fuerunt, & qui vmquam, vel tunc vel postea, siue audiendo siue legendo, cognouerunt; admiratio & stupor maximus. quemadmodum & infrà dicitur ver. 25. & ad versum 31. Græcè.

Concludo *secundò*, *Iudith non quidem simpliciter & apertè cum Holoperne, ipsiusq; Assyriis semper locutam: ius tamen celandæ ipsos veritatis habuisse. ideoq;, contra præceptum illud aiens, nihil commisisse.* Prima pars ex iis quæ hactenus dicta; liquet abunde. *Secunda* probatur. quia Holophernes hostis erat immanissimus: neque ei modum, quo ipsius immanitatem vellet depellere, aperire tenebatur Iudith, quin potius, vt factorum insidias operire licebat, quemadmodum suprà dictum est; ita etiam & verborum. An enim vt vitam, vel famam reus quispiam tueatur, si à iudice non legitimo, vel ipso quidem legitimo, sed non legitimè interrogetur, veritatem illum celare, verborumque ambagibus, è quibus aliam ille sententiam hauriat, vti licebit: & coram hoste iniquissimo, à quo ius & fas impetrari non potest; communis boni causâ, nullum, veris alioquin, animorum nostrorum sententiis velum obtendere liceat? *Tertia* pars è præceptorum aientium natura fluit. Ea enim neque semper, neque vbique obligare solent. & illud de simplici apertoque sermone adhibendo tùm non obligat, cum ius habet quispiam reticendæ velandæque veritatis. Ideoque neque Iudith mendacium vllum admisit: neque à simplici orationis vlu, absque iusta grauique causa, recessit. Elata igitur syncero iam fonte omnia, non quæ aderant, sed quæ adesse videri potuissent, sordida & commaculata.

Quomodo, ad suos, Bethuliam, Assyriorum victrix, Israëlitarum saluatrix redierit?

VALLEM cum habra sua circuiuit, & eminus acclamare cœpit Iudith, vt citò portas aperirent, ver. 13. Idem ergo principes, qui vrbis clauium custodes erant, vocati sunt, statimq;, ea ipsa nodestis hora, ad eam omnes vndique, lectorum, somnique obliti, confluxerunt. non *magni* tantum & seniores,

Universidad de Deusto
Biblioteca

seniores, sed iuniores etiam & *minimi. quoniam sperabant eam tam non esse venturam.* Sperare de bonis ferè lætisque rebus dicitur, interdum tamen etiam de malis & tristibus, valetque *timere*: vt apud Virgil. Æneid. 4. —— *tantum sperare dolorem.* apud Herodianum lib. 8. ἀνέλπιστος ἥξειν ἤλπιζον, *hostes venturos sperabant.* apud Sophoclem ἐλπίζει φέρειν, *sperat ferre.* pro *timet.* Nam & ἔλπις etiam sine adiectione, quandoque metum significat apud Thucydidem, & alios. Vnde illud etiam iactatum, ἀπελπὶς καὶ πρόφασις ἐλπὶς ἡ προσηγαγε τῷ δικαίῳ τὸν ἄνθρωπον. *Mine & supplicij spes hominem ad id quod iustum est, non admouit.* Isto igitur loco, *sperabant*, est, *timebant.* In Græco παρεδόξον ἦν αὐτοῖς τὸ ἐλθεῖν *inopinatum ipsis erat, eam venire. Accenderunt luminaria*, Græcè *ignem*, sed exprimitur finis, quam cap. 7. fol. 288. dicebam εἰς φάωσιν *ad illuminationem.* Eam verò circumcirca omnes circumdederunt, vers. 16. & silentium cum imperasset, orationem ad eos habuit. *Silentium fieri* solebat ab eo qui dicturus erat; manus elatione & agitatione quadam Actor. 21. vers. 4. & apud Niceph. lib. 11. cap. 1. interdum ab aliis, Nehem. 8. vers. 7. *Oratio* tota læta, & ad laudes gratesque DEO agendas excitatoria est. Hinc enim incipit vers. 17. hic desinit vers. 21. vtens Psalmis illis 104. 105. quorum maximus apud Israëlitas vsus fuit. 1. Paralip. 16. vers. 8. 2. Paral. 20. vers. 21. Vt autem excitentur magis, non auditu tantùm, sed ipso etiam vilu, Holophernianum è pera caput promit, omnibusque spectandum cum conopeo dat vers. 19. Laudat Galatæ Ortiagontis vxorem Chiomaram Plutarchus libro de virtut. mul. cap. 21. quod Romani, à quo vitiata erat; Tribuni ad maritum caput attulerit. Sed quantò Iudith laudabilior? Nam & illius illa libidini obsequuta erat: & datam illi à maquæ vt maior DEO laus & gloria sit, de se ipsa cum iureiurando ver. 20. commemorat, quomodo ab ipsius DEI Angelo ad Assyriorum castra iens, inibi commorans, indidem rediens custodita sit quoad corpus & animam, absque vllo vtriusque incommodo, iniuria, & peccato.

QVÆSTIVNCVLA.

Quis Angelus, qui ad Assyrios euntem Iudith, apud eos commorantem, ab iis reduntem, custodiuit?

FORTE Angelus, proprius eius custos fuit, quemadmodum & ille, de quo Iacob Genes. 48. v. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* Cum enim custodiendę Iudith cura proprio illi commissa esset, alium cum textus non exprimat; cur putemus? Quia tamen magni hoc loco momenti res agebatur, è superioribus Angelis aliquem opinari liceat & quidem eum ipsum, qui fidus itinerum dux & comes Tobiæ fuit S. Raphaël, de quo illic plura. maximè cap. 5. & 12. Vel certè quia res ista non magna tantùm, sed & publica erat, in qua DEI sacra, religiones & templum, totusq; adeò Israelitarum populus vertebatur, S. Gabrielem, vti Danielis 9. vel S. Michaëlem existimare quid prohibeat? Hic enim priscæ illius Ecclesiæ dux & conseruator non à Rabbinis tantùm traditur apud Franciscũ Gregorium Tomo 1. sect. 5. probl. 343. Tomo 6. probl. 366. sed à nostris etiam, Diuo Hieronymo in Danielis 10. Theodoreto ibidem auctore imperf. homil. 48. *Hinc* verò & Angelica hominum cutes amor & beneficentia. De eo tamen potissimum Iudith prædicat, quòd, per eum, ab omni coinquinatione, quam tamen conuiuio, blanditiis, & vino, studiosissimè Holophernes moliebatur, DEI iussu, defensa & conseruata sit. Valeriano coniugi adhuc Ethnico dicebat, vt eum ad CHRISTI Domini fidem, sanctamque castitatem traduceret S. Cæcilia, *Mecum habeo custodem corporis mei Angelum Domini: & nimio zelo custodit corpus meum.* Neque vanè id ab ea dictum, suis ille, ipsiusq; fraterTiburtius oculis probarunt & crediderunt. Idem quoque litteris proditum de S. Iuliano duodeuiginti annorum adolescente. qui angelico insigni fauore, non virginalem tantum puritatem custodiuit, sed & ad eandem, S. Basilissam, quæ ipsi coniunx futura erat; aliosque deinceps innumerabiles, permouit. Inspice, si videtur; etiam Cæsarium lib. 8. cap. 42.

Adiunguntur iucundissimi lætantium omnium plausus, gratulationes & DEI laudationes, tam in seipso quam in sancta Iudith. & *primò* de vniuerso populo narratur ver. 22. & 26. *tùm* de Oziarantur, omnia in Græcis ad sequens caput transferuntur. Quos imitabor, vt quæ de illo restant, colligantur simul omnia.

CAPVT XIV.

1 EXIT autem Iudith ad omnem populum: *Audite me fratres, Suspendite caput hoc super muros nostros:*
2 *Et erit, cum exierit sol, accipiat vnusquisq; arma sua, & exite cum impetu, non vt descendatis deorsum, sed quasi impetum facientes.*
3 *Tunc exploratores necesse erit vt fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam.*
4 *Cumque duces eorum concurrerint ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint eum truncum, in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor.*
5 *Cumq; cognoueritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris.*
6 *Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israel relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnẽ præputij sui, & appositus est ad populũ Israel, & omnis successio generis eius vsque in hodiernum diem.*
7 *Mox autem vt ortus est dies suspenderunt super muros caput Holofernis, accepitque vnusquisque vir arma sua, & egressi sunt cum grandi strepitu & vlulatu.*
8 *Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt.*
9 *Porrò hi, qui in tabernaculo erant, venientes, & ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, vt non ab excitantibus, sed à sonantibus Holofernes euigilaret.*
10 *Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrãdo aperire.*
11 *Sed cum venissent eius duces ac tribuni, & vniuersi maiores exercitus regis Assyriorum, dixerunt cubicularijs:*
12 *Intrate & excitate illum, quoniam egressi mures de cauernis suis, ausi sunt prouocare nos ad prælium.*
13 *Tunc ingressus Vagao cubiculũ eius, stetit ante cortinam, & plausum fecit manibus suis: suspicabatur enim illum cum Iudith dormire.*
14 *Sed cum nullũ modum iacẽtis sensu auriũ caperet, accessit proximãs ad cortinam & elenans eam, videnq; cadauer absq; capite Holofernis in suo sãguine tabefactũ iacere super terrã, exclamauit voce magna cum fletu, & scidit vestimenta sua.*
15 *Et ingressus tabernaculum Iudith, non inuenit eam, & exiluit foras ad populum,*
16 *Et dixit: Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor: Ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput eius non est in illo.*
17 *Quod cum audissent principes virtutis Assyriorũ, scidерunt omnes vestimẽta sua, & intolerabilis timor & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum valdè.*
18 *Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.*

COMMENTARIVS.

PRIMÒ consilium dat Iudith suspendendi è muro capitis Holophernis, & in hostes erumpendi. Eruptionis verò præscribit etiam diligenter tempus, modum, & causam vsque ad v. 6. Pro *exite cum impetu*, Græci legunt δράμετε ἐφέρχεσθε εἰς αὐτούς. quod Complutenses vertunt, dabitis principem super eos. id est, priores irrueris. principem impetum dabitis, facietis vt vestrum quilibet primus, & quasi dux sit. *Exploratores* vocat noster τοὺς προφύλακας, quæ etiam suprà cap. 10. v. 11. similiter vertebatur. cuiusmodi hodie ante castra & satis interdum procul solent excubare nonnulli, qui minimos hostium motus ilicò significent.

Deinde, quemadmodum ad veram Dei religionem accesserit Achior, explicatur v. 6. Græci, vt suprà dixi, hoc loco interserũt, quæ in Latino erant à v. 27. in superiore capite, non q velint nunc primo vocatum Achiore, sed quod totam de eo narrationẽ simul edere voluerint. ἐκάλεσεν τὸν Ἀχιὼρ ἐκ τοῦ οἴκου Ὀζία, *vocat ergũ Achiorẽ ex Ozię domo.* Ibi enim, vt dixi c. 6. cõmorabatur. Videtur verò Iudith ipsius iussu, quæ ipsius conuersionẽ, animiq; salutem percupiebat; vocatus. vnde, & ad eum finem, ipsa eum prior suauissimè alloquitur v. 27. c. superiori. eiq; caput ostendit, q vt Græcè additur; erat ἐν χερσὶ ἀνδρείοις ἐκεῖς ἐν τῇ συναντήσει ἀξ λαοῦ, *in manu veri vnius cuiusdã in populi ecclesia.* de qua c. 6. fol. 284. Achior verò ista vt vidit, *quinq;* fecit, *primò* incredibili stupore corruit præneq; tum exanimatus est. Quis enim fieri hoc vmquam posse credidisset? ἐξέστησαν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. *Exsolutus est spiritus eius.* Deinde vbi eum q aderant, erexerunt & refocillarũt, seq; ipse collegit, ad Iudith sese pedes abiecit, eamq; *adorauit*, ea politica sc. adoratione, de qua c. 13. quæst. 3. *Tertiò*, maximis eã dem effert laudibus, v. 31. in quibus paululũ quid habent dissonantiæ Latinus & Græcus; sententia tamen ambo consonant Etsi enim Græcus nõ habet, *quoniam* neq; , *magnificabitur Deus*, neutrum tamẽ ab eo negatur, & innuitur: potuitq; pro εἰ γὰρ olim ὅτι fuisse. εὐλογημένη σὺ ἐν πάσῃ σκηνώμασι Ἰούδα καὶ ἐν πάσῃ ἔθνει, οἵτινες ἀκούσαντες τὸ ὄνομά σου τομφοβήσονται. *Benedicta tu in omni tabernaculo Iuda, & in omni gente, quicumque audierint nomen tuũ conturbabũtur.* admiratione sc. ac stupore. Sed *quartò* in Græcis adiunguntur, quemadmodũ à Iudith petierit, enarrari, quidnã illis aliquot diebus apud Assyrios egisset. Καὶ ἀνήγγειλεν αὐτοῖς Ἰουδὶθ ἐν μέσῳ ξ λαοῦ πάντα, ὅσα ἦν πεποιηκυῖα, ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐξῆλθεν ἕως ξ λαλεῖν αὐτοῖς. *Et enarrauit ipsi Iudith in medio populi omnia q fecisset ab eo die, quo exierat vsq; ad hoc tempus, quo ipsis loquebatur.* Tum verò ἠλάλαξεν ὁ λαὸς φωνῇ μεγάλῃ, καὶ ἔδωκαν φωνὴν εὐφροσύνου ἐν τῇ πόλει αὐτῶν, *iubilauit voce magna populus, & in vrbe sua letum clamorẽ dedit.* De *alalagmo*, cuius hoc loco meminit Græcus, multa Lipsius de militia lib 4. dial. 11. *Quintò*, sese ad veram Dei religionẽ conuertit. & Latinus hoc loco v. 6. breuiter *quinq;* illa indicat, quæ dum Christi Iesu Domini & Saluatoris nostri fidem homines adulti suscipiunt; notare solent Theologi. *Primum est* quid extrinsecus tales ad fidem moueat. Achior *vides virtutem quam fecit* DEVS *Israel*. *alterum* est, terminus à quo ad fidem veniunt. Varia siquidem impietatis genera sunt, sed duo tũ maximè, gentilissimus siue idololatria &

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæresi. Achior itaque *relicto gentilitatis ritu* venit. *Tertium*, terminus ad quem. *Credidit* Deo. & quia sunt quidam fidei gradus, cum magna, & modica in scripturis quandoque legatur, Matthæi 15. vers. 28. cap. 16. v. 8. Marci 9. versicul. 24. ideò, in Græco, huius fidei actus ab intensione commendatur, ὅτις & ὅτι τῷ Θεῷ ἐπίστευσεν. *Credidit* DEO *valdè*. *Quartum* est initiatio. vt certis videlicet cæremoniis & sacramentis initietur. Hodie baptismus est: tum circumcisio. Achior ergo *circumcidit carnem præputij sui*. *Quintum* est communio sanctorum, siue vsus & fructus bonorum; quæ in tali DEI ecclesia & societate sunt. Ideoque ipse *appositus est ad populum Israël, & omnis successio generis eius, vsq; in hodiernum diem*. vbi duæ quæstiunculæ.

Prior quæst. An ad Iudaicum populum aggregari potuerit Achior?

AMMONITA erat cap. 5. v. 5. Scriptum verò est Deuter. 23. vers. 3. *Ammonites & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum*. Abulensis, eum in locum, tripliciter accipi *Ecclesiæ* nomen ait. *primò*, pro ipsa populi multitudine & cœtu, prout apud Aristotelem 2. Politicorum accipitur. *Deinde* pro loco sancto. *Tertiò*, pro multitudine, vt ordinem ad rectores habet. *Sicq; dicitur*, ait; *aliquis intrare Ecclesiam, cum in multitudine datur ei aliquod officium vel principatus*. Et postremo isto modo non poterant Ammonitæ ac Moabitæ ad Ecclesiam aggregari, licet circumcisione initiati, tabernaculi atrium subire, in eo victimas offerre ac edere, Israelitarum instar, possent. Potuit igitur ad Iudaicum populum Achior aggregari, licet magistratum in eo gerere nullum posset. D. Thomas 1.2 quæst. 105. art. 3. nullam ait gentem à DEI cultu, & iis quæ ad animæ salutem spectant, excludam: sed eos, ne primo quidem modo in ecclesiam, qui ex Ammonitarum & Moabitarum gentibus essent, ita videlicet, vt ciues forent, ciuiumque commodis, & beneficiis vterentur; ordinaria lege admitti potuisse censet, verum extraordinaria tantum & priuilegio aliquo: Sicque Achiorem admissum. Ita enim ad primum; *in temporalibus, quantum ad ea, quæ pertinebant ad communitatem populi, non statim quilibet admittebatur, sed quidam in tertia generatione, scilicet Ægyptij & Idumæi. Alij vero perpetuo excludebantur in detestationem culpæ præteritæ: sicut Moabitæ & Ammonitæ, & Amalecitæ. Sicut enim punitur vnus homo propter peccatum quod cõmisit, vt alij videntes timeant, & peccare desistant: ita etiam propter aliquod peccatum gens vel ciuitas potest puniri, vt alij a simili peccato abstineant. Poterat tamen dispensatiuè aliquis in collegium populi admitti, propter aliquem virtutis actum: sicut Iudith 14. dicitur, quod Achior dux filiorum Ammon appositus est ad populum Israël, & omnis successio generis eius. Et similiter Ruth Moabitis, quæ mulier virtutis erat, licet posset dici, quod illa prohibitio extendebatur ad viros, non ad mulieres, quibus non competit simpliciter esse ciues*. Et sanè hoc priuilegium non eò tantum porrigendum, vt è vulgarium ciuium numero esset, verumetiam vt omnes populi honores gerere posset. Qui enim Ammonitarum dux tam potens, honoratus, & magnus, vti dictum cap. 5. fol. 269. fuisset, qui de Iudæis, in Holophernæ, omniumque ipsius principum cõspectu, tam honorificè, ampleque dixisset, ipsorum Deo illustre adeo splendidumque testimonium dedisset cap. 13. vers. 27. quomodo à Iudæis tam despiceretur, vt omnis ei ad omnem dignitatem aditus præcluderetur? Si priua ei lex, quoad hoc, vt ciuis fieret, dari potuit, cur nõ etiam, vt ciuis honoratus? Ideoq; siue Abulensem, siue Aquinatem sequamur, priuilegio conuenientissimè semper locus est. Caluinus in Exodum commentans, in præcepti primi explicatione, neutrum illum sequi voluit: sed ita vt, more suo, nihil afferret melius. Per *ecclesiam* enim, vult intelligi *sacros populi conuentus*, ita vt in tabernaculum, templum, & synagogas, tum quidem populus conuenisset; neque sacrificiorum, neque precum faciendarum, neque demum legis audiendæ causâ, introire possent. At quid viris bonis sacri fuisset? Quid quam Gentilis plus pænè, in templo vel synagoga, loci habuissent? Et tamen, etiamsi res ita fuisset, ne præcipua quadam conditione foret Achior, priuilegioque ornaretur, nihil obstabat.

Posterior quæst: An apud Iudæos manserit Achior? & quid nos doceat?

FIERI potuisset, vt Iudaico cultu & circumcisione initiaretur: posteaquam tamen debellatum esset, non in Gentilitatem sed in Ammonitidem reuerteretur, ibidemque viri boni officio fungeretur. Textus tamen apud Iudæos mansisse satis docet, quando non id tãtum ait, quod Græcus asserit, *appositum eum ad populum Israël*: sed *omnem* etiam *generis successionem*. Indicatur enim vel priorem ad se vxorem vocasse, vel apud Iudæos aliam duxisse, ex eaque liberos, qui sacra eadem sequuti sint; procreasse. idq; nõ vno vel altero anno, sed pluribus. Nam vel ipse libelli huius auctor, vel alius postea quispiam, vt prolegom. altero monitum; eam ob causam adiecit, *vsq; in hodiernum diem*. Atque hic vides, quam verè Achioris nomen, quod, vt c. 5. dixi; est *lucu frater*, acceperit. Vera enim

enim lux etiam oborta, depulsis omnibus Gentilismi tenebris. Iudæus ex Abraham progenitus erat: Ammonita ex Loth. Ille in luce, imo & lux quædam erat. iste in tenebris, & quædam tenebræ. Ad illum se iste contulit, huicsq; veram fraternitatem adiit. figuram gerens eorum, qui ad Ecclesiã Christianam accedunt, Gentilium. Sumus enim omnes homines fratres, quo ad *carnem*, sed non quoad *lucem*. Ad verum è falso cultum qui transeunt, Achiores fiunt, lucis fratres. imo & summæ lucis, quæ DEVS est, filij, eandem cum aliis omnibus hæreditatem adituri. Sunt verò in eodem Achiore *duo* notanda. *Vnum*, tanta eius & tam incensa fides, vt vnum hoc vbi miraculum vidit, illicò superstitiones pristinas omnes abiecerit. Neque eum remorata est pristinarum opum & dignitatis cupiditas: inferior, quam veluti alienigena, in alio populo, subibat conditio. Etti enim ciuitatis & capessendorum Magistratuum priuilegium ei concessum, eius tamen dum, nocte hac, veram profiteri fidem cœpit; incertus erat. *Alterum*, quod in suscepto fide constans deinceps fuerit: in ea proles ipse suas educarit & instituerit, & quidem ita, vt & ipsę deinceps eandem semper, quod quidem constet fidem retinuerint. *Adijciam* & illud; miram esse hic DEI considerandam benignitatem, qui paruas, inchoatas, & adumbratas quasdam hominum virtutes, sua ipse gratia magnas, perfectas & veras tandem efficit. qui, quæ homines veluti mala summa nobis vel inferebant, vel minabantur, ea in æternam animorum nostrorum salutem conuertit. Quãtum Achioris capiti periculum erat, dum ex Assyriorum castris Bethuliam, in funestissimum veluti carcerem, vbi ad necem tantispet custodiretur, eiectus & contrusus est! Sed hoc totum sempiternam ipsius animo lucem, immortalis regni hæreditatem, verissimam felicitatem attulit. Hæc peccatoribus non paucis, hæreticis, & idololatris ad pœnitudinem, resipiscentiam, Christique Domini doctrinam compendiaria sæpè via extitit. Legatur de Burgundionibus ad CHRISTVM venientibus Socrates lib. 7. cap. 30. de Clodoueo Francorum Rege Gregorius Turon. lib. 2. cap. 30. & 31. apud Bedam S. Vedasti historia, de Adado Æthiophum Rege, Paulus diaconus lib. 16. de Heduino Northanimbrorum Rege V. Beda lib. 2. histor. cap. 9. & sequent. de Cedualda Geuisorum Rege idem Beda lib. 5. cap. 7. de Olha Bogoris Bulgarorum Regis sorore Zonaras & Cedrenus. Nam & ea, cum Constantinopoli capta teneretur, fonte sacro lustrata est, tandemque domum reuersa, plurimis, & quidem suo ipsius fratri, religionis eiusdem amplectendæ auctor fuit. Quid & duodecim illi adolescẽtes, qui nobilissimorum Saxonum filij, cum obsides Caroto Magno dati essent, per eam occasionem cœlestium bonorum à S. Burchardo Herbipolensi Episcopo, pignore donati sunt? vt quidem etiam, Catholicis valdè iniquus, scribit Centuria 13. cap 57. Balæus.

Tertium est executio eius, quod Iudith dederat; consilij. Suspensum nefarium illud caput est. &, cur armis, foras eo tempore & modo eruptum, quo illa præscripserat. Ideoque & effectus ex animi planè sententia consecutus. Nam *primò*, quid facto contra erumpentes Iudæos opus esset, Holophernem interrogaturi ad eius tentorium Assyriorum duces venerunt. & quidem suæ ipsorum calamitatis ignari, per irrisionem & contemptum maximum; *Egressi*, aiebant, *mures de cauernis suis* prorsus vt illi olim Philisthæi, 1. Reg. 14. ver. 11. *En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus absconditi fuerant*. At isti mures vobis, ô Assyrij, non ita multo post, leones erunt. Vos magni vastique Nabuchodonosoriana superbia elephanti, mures istos haud feretis. Græcus aliud etiam extremæ despicientię vocabulum posuit, ἐτόλμησαν οἱ δοῦλοι καταβαίνειν ἐφ' ἡμᾶς, ausi sunt servi ad nos descendere. & quidem εἰς πόλεμον, ἵνα ἐξολοθρεύθωσιν εἰς πέλαγος, *ad bellum, vt auerruncentur* videlicet *penitus*. Cur vero in Holophernis, extemplo, cubiculum non intrarint, causa redditur vers. 10. quod eum in locum, vbi *virtus Assyriorum*, id est, Rex, vel ab eo summus Dux cubaret, ingredi nemo auderet. In Sardanapalo pulchrè id exponit lib. 2. Diodorus. idemque suis posteà moribus probarunt Medi, vt in Deioce ait lib. 1. Herodotus, & Persæ apud eundem lib. 3. Posteà, qui à cubiculo ipsi Holoperni erat, summusque rerum ipsius omnium præfectus, Bagoas *stetit ante cortinam & plausum fecit manibus suis, vt illum excitaret*. Complutenses legunt ἔκρουσε τὴν αὐλαίαν τῆς σκηνῆς, & vertunt, *pulsauit aulæam tabernaculi*; alius, *pulsauit atrium tabernaculi*. Romanus Codex τὴν αὐλαίαν habet, vt peristromata videlicet, varioſque tapetes, quibus circumquaque sepium & exornatum cubiculum erat, concusserit, & ante lecti cortinas stetterit, manibusque comploserit. Nam in Exodi Græco textu, sæpius tabernaculi αὐλαῖαι legere est. Tandem suo in sanguine iacens truncum cadauer vidit, horrendumque contra Iudith vociferari, & Holophernem suum lamentari cœpit, vers. 14. 15. subitoque fuit vestium scissio, de quo in Esther, & immanis

——— vbiq;
Luctus, vbique pauor & plurima mortis imago.

CAPVT XV.

CVmq; omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 *Ita vt nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, euadere festinabãt Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum & semitas collium.*

3 *Videntes itaque filij Israel fugientes, secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, & vlulantes post ipsos.*

4 *Et quoniam Assyrij non adunati, in fugam ibant præcipites: filij autẽ Israel vno agmine persequentes, debilitabant omnes, quos inuenire potuissent.*

5 *Misit itaque Ozias nuncios per omnes ciuitates & regiones Israel.*

6 *Omnis itaque regio, omnisq; vrbs electam iuuentutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladij, quousque peruenirent ad extremitatem finiũ suorũ.*

7 *Reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrij reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valdè.*

8 *Hi vero, qui victores reuersi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum, ita vt non esset numerus in pecoribus, & iumentis, & vniuersis mobilibus eorum, vt à minimo vsque ad maximum omnes diuites fierent de prædationibus eorum.*

9 *Ioachim autem summus pontifex de Ierusalem venit in Bethuliam cum vniuersis presbyteris suis vt videret Iudith.*

10 *Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri:*

11 *Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amauerit, & post virum tuũ, alterum nescieris: ideò & manus Domini confortauit te, & ideò erit benedicta in æternum.*

12 *Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.*

13 *Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum à populo Israel.*

14 *Porro autem vniuersa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili, & tradita sunt omnia illi à populo.*

15 *Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus, in organis, & citharis.*

COMMENTARIVS.

ISRAELITARVM liberationis extrema hic perfectio traditur vsque ad vers.9. deinde, quæ hanc secuta sunt, orditur libri pars tertia & vltima. In fugam sese coniiciunt Assyrii rei nouitate attoniti, metu exanimati, tacentes, capita demittentes, castra, gazas, impedimentaque omnia relinquentes. Eorum tergis instant, eosque passim sternunt, mactantque omni iam periculo & metu liberati Iudæi, tam ij, qui Bethulia exierant, quam alij ab Ozia vocati, ver.5 & 6. Et adiicit Græcus nonnulla, quæ luculentiorem narrationem efficiant. Ait enim; *Misit Ozias in Batomasthaim, & Chobai, & Chola, & in omnem terminum Israel, qui de omnibus quæ gesta essent, enunciarent, & vt omnes ad hostiũ suorum in eneciõẽ effunderentur. Vt vero audierunt filij Israel, vno animo irruerũt omnes in ipsos, & eos Chobæ vsq; cæciderunt. Similiter & qui Hierosolymitani erant, adfuerunt, & ex montana regione tota. Ipsis enim nũciarant, quæ hostium castru euenerant. & qui in Galaad, & qui in Galilæa, ipsos plaga magna, quibusdam velut cornibus impetendo, affecerunt, quoadusq; Damascum & in eius fines peruenerunt.* Secuta castrorum direptio tam per eos, qui Bethuliæ remanserant, quam per alios ex hostium cæde reuersos, ver.7. & 8. De hac tamen posteà.

QVAESTIVNCVLA I.

Quid abscissum Holophernis caput & tum effecit, & iam efficiat.

PERCVTIT Assyrios ingenti pauore caput hoc abscissum. eumque pauorem excitauit auditio cap.14.ver.16. cap.15 versicul 1. & visio. Factum enim non raro, vt eorum, quos maximi faciebant hostes; visa vel in muris, vel in pilis, alioue modo, capita trepidationis plurimum gignerent. Apud Liuium libro 23. extremo est, quemadmodum Romanorum Consul victor, victi Asdrubalis, ante ipsius fratris Hannibalis stationes proici iusserit, tumque Hannibal in Brutios fugerit, tantoque simul publico, familiarique ictus luctu, agnoscere se Carthaginis fortunam dixerit. Apud Poëtam libro 9.

Turnus in arma viros, armis circumdatus ipse
Suscitat, æratasque acies in prælia cogit.
Quisque suos, patriusque canunt rumoribus iram.

Quin

Quin ipsa arrecti, visu miserabile, in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur
Fortuna & Nisi. Quam ob rem Æneadæ duri
Sunt mœsti: simul ora virum præfixa videbant
Nota nimis miseris atroq; fluentia tabo.

Annis ferè ab hinc duodetriginta, in nobilissima illa Christianæ classis, ad Naupactum, victoria, quantum numerosissimis Turcarum nauibus terroris incussit Halis Bassę defectum, maloque præfixum caput? Et, hoc fine, voluerat Iudith è muro caput istud suspendi. De ipso tamen viso, nihil in textu. quia neque ad illud Assyrij, priusquam cædem audiissent, attenderunt, neque viderunt omnes, sed tantummodo qui, vrbem propius, stationes habebant. E pauore isto eorum fuga & strages, de qua dictum, secuta. Sed, apud nos, iam quid efficiat? Etiamne pauorem adhuc & fugam? Sanè verò, si sapimus: sed pauorem & fugam eorum, quæ Holopherni mentem, vitam, & caput abstulerunt; vitiorum. Ea duo potissimum fuerunt, libido & ebrietas. propter quæ meritò, cum proprio prauæ suæ voluntatis & nequitiæ gladio ferretur? duobus à Iudith ictibus feriri debuit cap. 13.v.10. licet in Augustiniano sermone 217. per memoriæ aut scripturę mendum, ictus quoque *tertius* legatur. Ictus vnus, ob vitium, quod primariò tamquam scopum, spectabat; infligitur alter verò, ob illud, quo tamquam medio, prioris illius compos fieri satagebat. Nam & ideò, hac in cœna, tanto, *quantum numquam biberat in vita sua.* ca.12.vers.20. sese iam vino ingurgitauit. quia quam sobriam adhuc videbat, vino dissolui, liberalius hilarari, paulò secum licentius confabulari & lasciuire optabat. Hinc enim ad pocula verbis inuitabat cap.12. ver.17. *Bibe nunc, & accumbe in iucunditate.* Sed quia magis mouent facta quam verba, exemplo ipse vltro præibat ei, aliisque crebrius propinabat. suos itidem setuos, conuiuatores, & compotores idem facitare iubebat, donec in sobriæ Iudith conspectu, seipsos vino mergerent ac sepelirent omnes. Vnde factum, vt neque, quam volebat; libidinem explerit, &, vnà cùm vita, caput amiserit. *Ecce*, ait Bagoas cap.14.ver.16. *Holophernes iacet in terra, & caput eius non est in illo.* Venite libidinosi, venite ebrioli, & videte, quò ducem tantum traxerit libido & ebrietas. *Mox vt ortus est dies, suspenderunt Israelitæ super muros caput Holophernis*, eodem cap. ver.7. Hoc, nisi caligant adhuc oculi mero; aspicite. & quod illi heri, ne hodie vobis accidat, prouidete. Exanime quidem & mutum est hoc caput, suo tamen adhuc stillante mero & tabo, suo insigni & immortali dedecore & infamia clamat, monet, hortatur, vt oculos cautè custodiamus, Veneris illecebras studiosè caueamus, à temulentia vehementer abhorreamus. Et Ephes.5.v.17. Apostolus; *Propterea*, inquit, *nolite fieri imprudentes: sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. & nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

QVÆSTIVNCVLA II.

Quæ ab Holophernianæ nos ebritate merito abducant?

HOLOPHERNES, vti supra expositum; ad lectum non iit, sed in lectum corruit. Est igitur ebrietas *primo* contra hominis dignitatem. adeò vt diceret Anacharsis, qui indecoros ebriorum mores aspiceret, fore vt ineptos homineque indignos iudicaret. Vnde & Lacones, vt liberos ab ebrietate auocarent, hoc vnum agebant, vt seruorum vilissimis, quos *Helotas* vocabant, viri quantum liberet; potandum darent: sicque tam ebrios in filiorum aspectum adducerent. quo ineptiis eorum perspectis, à vitio tanto abhorrerent. Nos ad imaginem suam, rationis compotes, corpore celsos & erectos creauit DEVS. sed illam eripit ebrietas, corporis membra omnia in terram abiicit. Qui ebriorum oculi? quæ voces? qui pedes? Non homines, sed pecudes ebrios quis dicat? aut si homines, certè insanos & phreneticos, vt ostendit in Psal.33. & 103. D. Augustinus. *Quid*, ait libro de victu Musonius, quem etiam profert serm.17. Stobæus, *fœdius, quam vt homo bruti animalis imago sit?*

Deinde, honestas hominis functiones, quas nobis aut voluntas aut Respublica, Deusue imposuit, vehementissimè impedit ebrietas. Dux exercitus erat Holophernes. num totam eum in poculis & somno noctem traducere decebat? Num tam profundo demergi sopore, vt circitorum, excubiarumque rationem nullam duceret? Quid si, eo vespere, sub cœnam, in eius castra irruissent Israelitæ? quid si prima vel secunda vigilia? Certè, vt in vinis maximè fuisset; officio ipse suo fungi haudquaquam potuisset. Quid igitur Principes, Iudices, aliique Magistratus? Sed omnium maximè sacerdotum muniis officit vinum immoderatius. Quomodo ad ægrum aliquem sacramentis iuuandum, infantulum baptismo lustrandum, statas pro populo preces fundendas, vino madidus accedat sacerdos? Columella lib.12. cap.1. patremfamilias *somni & vini abstinentissimum* esse iubet. Apud Laertium lib.1. Solon, principem, qui temulentus deprehenderetur,

morte

Universidad de Deusto
Biblioteca

morte mulctãdum, lege sanxit. Quanto magis DEI sacerdotes decet sobrietas? Fuit olim Leotychidas interrogatus, cur vino modicè adeo vterentur Lacedæmonij, & respondit, *ne pro nobis consulerent alij, sed pro aliis nos.* Non & sacerdotes multo magis dicere oportet, sibi pro aliis consultandum, DEI verbum legendum, in ipsius lege meditandum, ipsum assiduè precandum? Et cæteris quidem vino altius contopitis, vibem obibat Epaminondas dicens, sibi, vt pro aliis vigilare posset, sobriè vsurpandam, vt libro de doctrina Principum refert Plutarchus. Quam hoc in sacerdotes aptè conuenit? *Dixit*, Leuitici 10. *Dominus ad Aaron, Vinum & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.* Etsi verò sacerdotibus nostris vini vsum concedit, qui Timotheo Episcopo concessit, 1. Timoth. 5. ver. 23. id modicum tamen esse vult, etiam in diaconis eadem epist. cap. 3. v. 8. Semper enim Domini tabernaculum, non vt thymiama tantum adoleant, lucernas accendant, propositionis panes collocent eos ingregi oportet, sed vt nobilissimum immaculatissimi Agni terq; quaterque venerandum sacrificium offerant. Apud Romanos, Plutarcho narratore problem. 112. non poterat flamen Dialis eâ iter facere, vbi arbustiuæ desuper vites prominerent, vt significaretur, *sacerdoti, ebrium fieri, nefas esse.* Neque vero illo tantum intemperatioris haustus die vel nocte, sed crebrò etiam postridiano & perendino demãdata nobis munera, capitis stomachique doloribus, plurimum impedit ebrietas. Si eugilasset Holophernes, nescio an postero die, quæ ducis sunt, exequi potuisset. *Postera die*, inquit libro 14. cap. 22. Plinius, *ex ore halitus fœtidi, ac ferè rerum omnium oblivio, morsque memoriæ.*

Tertiò, attulit Holopherni mortem ebrietas. & quam multis affert quotidie? Quot cruditates, dysstomachias, cephalalgias, chiragras, podagras, epilepsias, aliaque morborum plurium genera procreat? Quot & quam tristes è gradibus, vel in aquas casus? Quot & quam terribiles repentinas mortes? Testis Iudæorum Holophernes hic. Testis Christianorum Holophernes alius, ille inquam qui se DEI flagellum dicebat, Attila. Est vero in repentina ebriorum morte, vnum quidpiam, quod vix in alio vllo peccati genere inuenitur, tristissimum, maximeque formidabile. vt extremo illo tempore sese ad DEVM rectè per vnum aliquem contritionis pœnitentiæque actum conuertere nequeant. Etsi enim ad hoc ipsum vel perexigua temporis portiuncula, imò & momentum quandoque vnicum satis esse possit, vt quæst. 15. in Leuitici cap. 10. differit Abulensis, & passim Scholastici, quia tamen suapte isti sponte rationis sibi vsum ademerunt, humanum, piumque actum edere nullum possunt. ideoque neque veram præteritarum culpatum detestationem instituere, neque quo par esset, modo veniam DEVM rogare. *Vix pro talibus, in ebrietatibus peremptis, Ecclesia permittit orare*, inquit capitulum *Audiuimus, de reliq. & vener. sanctorum.* Quam miserum igitur & detestabile hoc peccati genus?

Quartò, non corpori tantum, sed & animo exitium infert sempiternum. Holophernes, propter idololatriam, æternis quidem addicendus erat suppliciis, etiamsi tamen non fuisset, ob tantum istud vinolentiæ tam plenæ peccatum, in ea deiectus compactusque fuisset. nunc verò ea ipsi maximum & intolerandum pœnarum cumulum adiũgit. Quis, si vel rationis minimum habeat; eam non exhorrescat? Quis in leuibus delictis recenseat, affluentius potare, vinoque sete deponere ac inebriari? Vnum tantum vel alterum, cui obsisti non possit; testem citabo. D. Paulus 1. Corinth. 6. ver. 9. *Nolite*, ait, *errare. Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque* EBRIOSI, *neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Ecce cum qualium criminum turba, ebrietatem copulat Apostolus, & quale ipsi effectum tribuit, à DEI scilicet regno excludere. idemque iteratò inculcat Galat. 5. ver. 21. D. Augustinus serm. 251. *Quicunque*, ait, *ebrietatem pœnitentiam de ipsa non egerit, sed vsque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profectò peribit: quia non mentitur Spiritus sanctus per Apostolum dicens: Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Et iterum: *Ebrietas quasi inferni puteus, quoscunque sorbuerit, nisi digna subuenerit pœnitentia, & emendatio fuerit subsecuta, sta fortiter sibi vendicat, vt eosdem ipsos de infecti tenebroso puteo ad hæreditatis vel sobrietatis lucem redire sine pœnitentia non permittat.* Et; *Tolerabilius erat in carne mori, quam in anima per ebrietatem interfici.* Sequente verò rursum sermone; *Qui credit ebrietatem esse paruum peccatum, si se non emendauerit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis* ÆTERNA, SINE REMEDIO, *illum* POENA *cruciabit,*

Quintò, non seipsum modo, sed & tantas equitum peditumque copias vino perdidit Holophernes. Quoties verò idem ipsum factum legimus, audiumus? Non opus vetera illa de Nini, Sardanapali, Scytharumque maximis exercitibus ex Diodoro lib. 2. Herod. lib. 1. referre, non illos item excire, qui apud Poëtam lib. 2. *Inuadunt vrbem, somno, vinoque sepultam.* ipsi nostra memoria non dissimilia vidimus. Superioribus hisce annis, captos è milite nostro non paucos dicitur Sultano suo Sinan Bassa, per ludibrium & ebrietatis opprobrationem, Constantinopoli, cum vitris, aleis, & chartis, obtulisse. Sub secundi sanè libri de Legibus extremum; *Multo*, ait Plato, *magis quam Cretensium Lacedæmoniorumque vsum, Carthaginiensium legum probarem, vt nũquam in castris quisquam gustare*

gustare vinum audeat, sed toto illo tempore aqua bibatur, & in ciuitate nunquam vini vsum seruo vel seruæ concederem: sed nec magistratibus toto eo tempore quo magistratu funguntur. Gubernatores etiam atque iudices munus suum subituros à vino penitus prohiberem. Deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis. Ac nulli penitus interdiu vinum concederem, nisi exercitationis corporeæ, morborumque causa, hoc potus opus fuerit: neque etiam nocte viro vel mulieri, quando liberis operam dare volunt. Libet verò tam egregiorum militum pugnas, victorias, & trophæa D. Ambrosij penicillo depicta intueri. *Spectaculum*, ait lib. de Elia cap. 13. *triste Christianorum oculis, & miserabilis species. Cernas iuuenes terribiles visu hostibus, de conuiuio portari foras, & inde ad conuiuium reportari: repleri vt exhauriant: & exhauriri vt bibant. Si quis verecundior fuerit, vt erubescat surgere, cum iam immoderatos potus tenere nõ possit, anhelare vehementius, sudare, gemere, signis prodere, quod pudet confiteri. Ibi vnusquisque pugnas enarrat suas, ibi fortia facta prædicat, narrat trophæa. Vino madidi & somnolenti, nesciunt mente, quid lingua proferat. Vnusquisq; sternit & potat, dormit & dimicat: & si quando consurrectum fuerit, viri prælatores stare non possunt, egressu vacillant. Rident seruuli dominorum opprobria, manibus suis portant militem bellatorem, imponunt equo. Itaq; huc atq; illuc, tanquam naugia sine gubernatore fluctuant, & tanquam vulnerati, in terram defluunt nisi excipiantur à seruulis. Alij referuntur in scutis, sit pompa ludibrij. Quos manè insignes armis spectaueras, vultu minaces, eosdem vesperi cernas etiam à puerulis rideri: sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso iuuentutis flore arentes.*

Sextò, ad aliud quod concupierat, indipiscendum, abuti vino voluit Holophernes: neque illud tamen indeptus est. Quam vero sæpe fit, vt ex abundantiore potu, à quibusdam sanitas, hilaritas, amicitia quæratur, & eorum ne hilum quidem obtineatur, sed ægritudo, tristitia, lites, odia, & inimicitiæ? Hominum ille sapientissimus Prouerb. 23. ver. 29. *Cui*, ait, *væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui, sine causa, vulnera? cuis suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Quin & liberorum eam procreationi obesse, docet initio libri de liberorum educatione Plutarchus, Hippocrates libro de sterilibus, & iam ex Platone audiimus, repetitque idipsum Galenus lib. *Quod animi mores.* Et ferè, qui tum procreantur, multis & magnis corporum animorumque vitiis vexantur & deformantur. Vnde amentiori cuidam adolescenti dicebat apud eundem, eodem loco, Plutarchum, philosophorum quidam; *Te prosemînauit Pater ebrius.*

Septimò, quantam dedecoris & infamiæ sempiternæ Holopherni notam eadem inussit ebrietas? Vbi tantam cladem, cladisque causam Rex Nabuchodonosor, vbi Assyria tota percepit, quàm eum execrati omnes? & quanta quantòue stomacho in mortuum, in familiam, cognationemque totam conuicia iecerunt? Vrebat enim amissorum parẽtum, maritorum, & carorum dolor omnes. ipsa etiam imperij sui tanta calamitas, tamque insigne dedecus. Et hodie, quid Holophernis nomine detestabilius? Ignominia vtique maxima est, coram DEI Angelis & hominibus inlitam DEI in seipso effigiem turpificare, voluntaria insania furere, ad officij sui partes obeundas ineptum sete vltro efficere, corporis valetudinem vitamque ipsam abrumpere, in æterna sese picis & sulphuris stagna demergere, publicis commodis officere, per vitium vel ad vitia, vel ad ea etiam, quæ per se mala non sunt; tendere. Et multa quidem contra vitij huius fœditatem scripsere olim & philosophi & sancti Patres, vt Augustinus locis citatis, D. Chrysostomus hom. 1. ad pop. D. Ambrosius de Elia cap. 5. 12. & sequentibus, alij. sed plurimarum rerum vnam veluti summulam epistola 84. lib. 12. illigauit Seneca. è quo paucula hæc; *Certe erunt omne vitium ebrietas, & incendit, & detegit, obstant autem malis conatibus verecundiam remouet. Plures enim pudore peccandi, quam bona voluntate prohibiti absistunt. Vbi possedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, sed protrahit: tunc libidinosus ne cubiculum quidem expectat, sed cuiuis in atrio sterni, quantum petierint, sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur, ac publicat. tunc petulans non linguam, non manum continet. Crescit insolenti superbia, crudelitas sæuo, malignitas liuido. omne vitium detegitur & prodit. Adiice illam ignorationem sui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum: stomachi tormenta, cum efferuescit merum, ac viscera ipsa distendit. Tunc tamen vtcunque tolerabile est, dum ipsi vis sua est. Quid cum somno vicinatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta est? Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicosasq; hostibus tradidit, hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit, hæc contumacissimos & iugum recusantes in alienum egit arbitrium, hæc inuictas acies mero domuit.*

QVÆSTIVNCVLA III.

Quæ, in conuiuiis, nos cum sancta Iudith sobrios teneant?

FORET quidem optimum, sympolia omnia & eas, in quibus à largiore potu periculum est, mensas, vti S. Chrysostomus, aliique sancti plures fecerunt, imo & apud Plutarchum, Aristi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

des, cui *Iustus* cognomen: defugere. Quando tamen recta quæpiam ratio ad eas nos impellit, vti sanctam hanc Iudith, religionis, populique totius amor, CHRISTVM Dominum nuptiarum honestas Iohannis 2. alæque aliàs causæ, possunt, vt intra modum bibamus, è plurimis aliis, adimenta dari vigintiquatuor.

Primum, ipse sobrietatis habitus, & exercitatio: propositum saltem, & præmeditatio. Iudith nostræ temperantiam suprà vidimus. Sed nihil ambigendum, quin Holophernæ initura conuiuium, diligenter, quemadmodum moderato suo cibo & potu contenta esse vellet, illius meracum & delicias non admittere, præmeditata sit. Differebant olim apud Stobæum serm. 42. Persarum Reges, ante prælium de fortitudine, ante potum de temperantia. quidni nobiscum idem agamus? *Alterum*. Precatio eandem ad rem quin à Iudith adhibita fuerit, nihil etiam dubito. Et ad hoc valeat cum vsitatas mensæ benedictionum & gratiarum actionum formulas: & videbis temperantiam quædam interdum vota, non plus scilicet bibere velle, quam quod tibi præfinieris. Præfinies auiuuitant, crebrius propinant, æquales haustus exigunt. Numquid, quoties Holophernes dicebat; *Bue nunc*, bibebat Iudith? vel si bibebat, non potissando potius quam hauriendo? Dicebat quidem, *Bibam Domine*. Scilicet, quantum & quando rectum commodumque fuerit. sicque *comedit & bibit coram ipso*.

Quintum; petere antequam prandium vlli, cœnamue condicas; tibi fieri liberam, quod velis; edendi bibendique facultatem. Et quis vel te amicè inuitans, vel tibi amicus esse, aut videri cupiens, negabit? Petiit hoc ab Holoperne Iudith, vt suprà dictum: & magnus quidam superioribus carnium & vini quantum libuit, licebat, inuitatus fuisset. *Sextum*. vina diluere, ne te voluptas decipiat, & illorum vis prosternat. Ita hodiè temperantiæ studiosi, non singuli tantum, sed & integri populi. Quid Arragonum Rex Alphonsus apud Panormitanum lib. 2. Quid Fridericus III? Cyclopis philosophi & quidem summi præceptio, vt Nymphis temulētus DEVS temperetur. de quo in Anthologia Meleager. Sanè apud Loctenses Zaleuci lex erat, *ne meracum cuiquam, etiam ægroto, nisi præscribente Medico, concessum esset*, vt ait lib. 3. cap. 11. Athenæus. *Septimum*. abstinere à non necessariis, eduliis & iis præsertim, quæ sitim exacuunt. cuiusmodi ferè sunt aridiora & salsiora omnia. maximè cum, mensis iam remotis, bibendi tantum & comessandi causâ, proponuntur. Detestatur profectò ea fruis irritamenta lib. 14. cap. vlt. Plinius.

Octauum. sibi ipsi pœnam imponere, si moderatam, quam statutam habet; bibendi mensuram, quoquo modo, excesserit. Illa, esse potest pro delicti quantitate, maior aut minor. verbi causâ, bet, amphoras aliquot pauperioribus ciuibus, vel ægrotis donare, in hospitalem domum cum aliqua etiam pecuniaria vel cibaria stipe mittere, sistere ilicò sese sacro DEI tribunali, & de temulentia illi confiteri, pro eaque lachrymarum nunc scyphulum aliquem fundere. Vidi, qui non inutiliter vel ad menses, vel annos aliquot, imo & quoad viuerent, vouerent à vino abstinentiam. quod proptio verbo appellabant; deu wein per edeu. Atque huc spectat illud quod Tobiæ cap. 3. quæst. 9. ex D. Augustino citatum, *Si quis vino nimium est deditus, sobrietatem voueat*.

Nonum, cogitare omnia ebrietatis mala, quorum aliqua superius ostensa. & verè nocent corpori, animo, fortunis & famæ. Vnde & D. Augustinus serm. 232. ait, sacerdotes, in die iudicij, ratione reddituros, *si quanta mala de ebrietate nascantur assidue noluerint prædicare*. In quæ verò scelera ebrij quidam irruunt, quæ vehementissimè, sobrij, exhorruissent? *Vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes*. Ecclesiastici 19. v. 2. *Oculi tui*, ô vinose, *videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa*. Prou. 23. ver. 33.

Vino forma perit: vino corrumpitur ætas
Vino sæpe suum nescit amica virum.

Decimum, animo expendere, quam graui, molesta retortida siti apud inferos plectatur ebrietas. Ille sanè, qui *epulabatur quotidie splendidè* licet ebrius fuisse, potius coniiciatur quam legatur, adeò tamen arentibus visceribus, ardentique pulmone cruciabatur, vt miseranda horribilique voce, & frustrà tamen; clamaret, *Pater Abraham miserere mei: & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam*. Non petit, vt affuso puteo flammæ illæ retero frigidæ aquæ calice, vel etiam cochleari refocilletur. ah horum nihil petit. boni tantum in tanta illa miseria optare non audet: sed tantum, vt intingat in aquam Lazarus non manum totam, non duos tresue digitos, sed vnum tantum, neque hunc totum, vel dimidiatum, sed eius tantummodo extremum, vt vna vel altera super linguam, pumice aridiorem, candentique ferro similimam

limam guttula stillare possit. O sitim! ô incendium! & præ corporis partibus aliis, proponit miser linguam, quia multo hæc olim vino natare, per eam nobilium vinorum genera diiudicare, in mensa profusius loquitari nugarique solebat. *Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus*, Isaiæ. 65. v. 13. *Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis*.

Vndecimum. animo item expendere, potum quandoque apud inferos porrigendum, non qui sitim lenet, sed qui accendat & crucier. quemadmodum si quis admodum iam sitiens muriam bibere cogatur. *Hæc dicit Dominus exercituū Deus Israel*. Ierem. 25. v. 27. *Bibite & inebriamini & vomite, & cadite, neque surgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos. Cumque noluerint accipere calicem de manu tua vt bibant, dices ad eos. Hæc dicit Dominus exercituum, Bibentes bibetis*. similia Ezech 23. ver. 33. Refert sancti Thomæ condiscipulus Thomas Cantipratensis lib. 1. cap. 2. num. 5. Germaniæ Archiepiscopum quendam, cum ex hac luce abiret, sanctissimo cuidam viro visum esse: ipsique in gehennam ingredienti poculum à Cacodæmone statim oblatum, quod cum ebibere coactus esset, ilicò *per aures*, inquit, *& oculos, os & nares sulphurea flamma surrexit: & sic æternis incendiis est addictus*. De Ludouico illo Landgrauio, qui Caluinianam prædestinationem ex eodem, è quo postea Caluinus, cratere hauserat, multisque sese ideo flagitiis obstrinxerat, vti refert lib. 1. cap. 27. & 34. Cæsarius, quid tandem? *Anima eius*, inquit idem scriptor lib. 12. cap. 2. *cum educta fuisset de corpore, principi dæmoniorum præsentata est, sicuti cuidam manifestè reuelatum est: sedente eodem tartarico super puteum, & scyphū manu tenente, huiusmodi verbis Lantgrauium salutauit: Bene veniat dilectus amicus noster, ostendite illi tristitia nostra, apotheca nostras, sicque eum huc reducite. Deducto misero ad loca pœnarum, in quibus nihil aliud erat, nisi planctus, fletus, & stridor dentium, & reducto, sic princeps principem affatur: bibe amice de scypho meo. illo valdè reluctante, cum nihil proficeret, imò coactus biberet, flamma sulphurea de oculis naribusque eius erupit. Post hoc sic infit: modo considerabis puteum meum, cuius profunditas sine fundo est, amotoque operimento, eum in illum misit*. Iam vero, medicâmne vmquam potionem sumpsisti? Nunc in memoriam tibi, quæso, reuoca, quam ingrata ea fuerit. At quot partibus sulphuratæ illę inferorum potiones ingratiores? Imò & in hac vita, vt quod è conuiuiis in te redundat, exinaniatur, quot & quàm amaris, vel nimia certè dulcitudine molestis potionibus vtendum?

Duodecimum. apud se reputare quam se dedeceat ebrietas. primò quidem quia homo, vt suprà dictum. deinde, quia talis vel talis ordinis, ætatis, sexus. *Si princeps*, si in magistratu & publico aliquo munere sit, dictum antea. itemque *si sacerdos*. de quo queritur & Isaias cap. 28. vers. 7. Haud satis potest vitij huius in sacerdote fœditas explicari. Eodem enim ore, quo sacrosanctum Domini corpus & sanguinem conficis & accipis, tantum hauris, vt vinum redoleas, ructes, euomas? Quin & hoc in Christianis omnibus eodem cœlesti cibo & potu participantibus turpe adeo est, vt D. Paulum ad illa de indigne manducantibus & bibentibus, 1. Corinth. 11. scribenda compulerit. *Alius*, enim, inquit, *esurit; alius autem ebrius est*. Inspice libro de tumulentia Philonem. D. Hieronymum ad Nepotianum. Origenem in Leuit. hom. 7. Augustin. q. 33. Theodor. quæst. 10. *Si paterfamilias*; huic *ebrioso* inquit loco citato Columella, *cura officij cum memoria subtrahitur*. Si *natu minor*; quid de huiusce modi senserunt veteres? Persæ ne diebus quidem festis vinum pueros gustare concedebant, vt apud Xenophontem est lib. 1. Romani veteres nec ante annum tricesimum, alij non ante coniugium, vt etiam notauit 2. par. Relect. de matrim. num. 7. Couarruuias. *Si*, ait ad Nepotianum D. Hieronymus, *absque vino ardeo adolescentiâ, & inflammor calore sanguinis, & succulento validoque sum corpore libenter carebo poculo, in quo suspicio veneni est. Si fœmina; Non licebat olim vinum fœminis Romæ bibere*, inquit lib. 14. cap. 13. Plinius. adeò vt propinquos fœminis osculum dare iuberet, vt scirent an temetum olerent. *Mulier ebriosa*, inquit Ecclesiasticus 26. vers. 11. *ira magna: & contumelia & turpitudo illius non tegetur*. Vide S. Ambrosium cap. 18 libro de Elia; *Vino, præsertim cum veterum ferunt, plurimæ infestantur, dissoluuntur, si biberint, atque debilitantur*, inquit lib. 7. de histor. animal. cap. 5. Philosophus.

QVÆSTIVNCVLA. IV.

Quænam alia sobrietatis adminicula?

EX iis quatuor & viginti, quæ ad sobrietatem in conuiuiis tuendam adminiculari, vti dicebam, possunt; est hoc *decimumtertium*, amare honestas occupationes, quas impedire solet, vt dixi, ebrietas. Si enim, verbi gratia; politicas, quibus tuus te status addicit, functiones amas: ti Ecclesiasticis Ecclesiasticus, si Theologicas Theologus, litterarias omnes litterarum studiosus, cur à Baccho interturbari te permittas?

Decimumquartum. diuturnas in conuiuiis sessiones odisse. Vnde apud Plutarchum libro 1. quæst. conuiu. 6. putant Alexandrum Magnum quidam, ex eo potius ebrietate, quæ mortem ipsi attulit; quandoque occupatum fuisse, quod diutius accumberet, quam quod large biberet. Dum enim ita diu epulis accumbitur, semper aliquid editur & bibitur. Solent autem & diuturnæ irrorationes madefacere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Decimumquintum. suscipere aliquam CHRISTI IESV sitis cogitationem, dum in cruce clamabat; *Sitio.* Sitit Dominus meus: & ego vino me saburrem? Horsum etiam valebit cogitata sanctorum quorundam sitis. cum quibus si æternis aliquando præmiis aueo perfrui, cur ebriacos Nabales, Balthasares, & Holophernas, quam illos, si non sitiens, sobrius tamen, imitari malo? Gentium Magister 2. Corinth. 11. v. 27. est *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame &* SITI, *in ieiuniis multis*: & 1. Corinth. 4. ver. 11. *Vsque in hanc horam & esurimus, &* SITIMVS. Quid apud Socratem lib. 4. cap. 18. quidam S. Macarius dicebat? In recentibus Anglicanorum martyrum historiis, in carcere tãta quidam siti conflictatur, vt per fenestellæ clathra, pileo cauaque manu pluuiæ stillas captet, ego absq; siti vlla potem, vinoque me totum proluam? *Decimumsextum.* Tantum pro meis peccatis effundere debuit sanguinis vnigenitus Dei filius. &, ego in ventris mei cloacam, plenis crateribus, metacissimum vuæ sanguinem profundam?

Decimumsextum. Ecce, quidquid vltra modum iam bibo, si seponerem, & pauperibus elargirer, quanta mihi ab eo merces foret, qui Matthæi 10. ver. 42. dixit; *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, nõ perdet mercedem suam.* Et ego, si meam in gulam illud infudero, non modo mercedem nullam; sed & grauissimum supplicii ac*in pauperum refectionem proficiat.* Et serm. 232. *Melius quidquid nimio potu perditum erat gulæ, pauperibus daretur in eleemosynam, vt & caro rationabiliter bibendo reficeretur, & per misericordiam pauperum animæ redemptio præpararetur.* Videbitur fortè alicui, quod loquar, paradoxum: verissimum tamẽ est. præriuet. nunc vero & idem ipsum perit, & homini, quoad corpus & animã, nocet plurimum. O quot passim languent pauperes, qui si vel vnum eius, quod paulò post vomitaturus es; vini abs te scyphum haberent, & reualescerent ipsi, & ex æterna te ipsum siti eriperent!

Decimumoctauum. Iudith nostram isto etiam in conuiuio comitabatur Angelus, de quo suprà. Comitantur & nos Angeli tutelares nostri: dehortantur à temulentia; horrantur, *vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo.* ad Titum 2. vers. 12. Eorum & præsentiã & monita num contemnemus? Certè spectatorum istorum, & earum etiam, quas dum Christiano baptismo tingeremur, fecimus promissionum memoriã, sic nos ad sobrietatem inuitat D. Ambrosius libro de Elia cap. 21. *Tu dedisti nomen tuum ad agonem* CHRISTI, *subscripsisti ad competitionem coronæ, meditare, exercere, vngere oleo lætitiæ, vnguento exinanito. Cibus tuus cibus sobrietatis sit, nihil habeat intemperantiæ, nihil luxuriæ. Potus tuus parcior, ne quid ebrietatis obrepat: custodi corporis castimoniam, vt possis esse habilis ad coronam, ne existimatio tua ostendat spectatoris affectum, & illa angelorum decem millia militum. sub tantis spectatoribus erubescere, considera quam dedecorosum sit. Ingressus stadium, puluere vigorem animæ tuæ excita, lacertos excute. Decimumnonum.* cum ebriam alibus cogitationibus, ad sobrietatis amorem, te magis magisque accendere. Si ebrius heri fuisses, quid hoc tibi iam prodesset? imò quam obesset? Narrat ex Aristone philosopho Victorius lib. 18. variarum lectionum cap. 3. quemadmodum Polemo eos, qui ad conuiuia irent, monebat, *vt eaque sola mensas illas ἀφλεγμάντους, phlegmatum expertes* exstruit, quas in sanitatis præceptis laudat Plutarchus.

Vicesimum. in promptu habere nonnulla, quæ iis, qui ad redundantiores haustus prouocant, maiotibusque cululis vrgent, aptè vtiliterque respondeantur. Ea, pro personarum, temporum, & locorum varietate, varia sunt, quæ sancta potius prudentia, quam doctrina suggerat. exempli tamen causã denotabo paucula. *Primum* est, excusare se, ob vini præstantiam, valetudinis infirmitatem, occupationum necessariò adhuc perficiendarum importunitatem, & similia. *Alterum,* dicere, sibi satis perspectum esse, bono sibi animo propinari, beneuolentiæque magnæ gratiã. ideoque se & illud scire, propinantem ipsum nolle, vt animo, valetudini, suisque negociis ipsemet noceat. *Tertium,* si amicus est, rogare, ne se petat facere, quod nec ipsi, nec alij vtile, sibi verò valde pernicioſum sit. *Quartum;* vsine, ô amice, me sitire? & amabo te, cur non vis? Quia mihi sitis ingrata & molesta foret? At, præter voluntatem, bibere, æquè ingratum & molestum est. Vel breuius, meminisse te dixeris, Sophocleæ cuiusdam sententiolæ, ab Athenæo laudatæ. τὸ πρὸς βίαν πίνειν, ἴσον κακὸν πεῖν τῷ διψᾶν βίᾳ. *Vi bibere, vi sitire, malum aqua-*le. *Quintum;* Cæsarei te iuris, & Germanus cum sis vel quamuis Gallus, Belga, Italus, aliusue sis; Germanicarum tamen legum amantem esse. Eæ verò in Augustanis Comitiis anno 1548. rursumque anno 1551. & 1559. propinationes & æqualium id genus poculorum certamina prohibent. *Sextum;* metuere te Francicarum legum pœnam, è quibus vna hæc apud Rhenanum Beatum refertur lib. 2. rerum Germanicarum. *Nemo militiæ socium, aut quemlibet alium ad potandũ inuitato. Quod si quis ebrius repertus fuerit, eiectus, quoad culpam agnoscat, aquam bibito. Septimũ;* de Glareano, erudito sanè

sanè viro, audini, cum in conuiuio se ab vberiore potu hoc esse iam excusasset, inflarentque tamen alij, canem fortè facturum in triclinio iacentem aspexisse. &, *Num,* ait, *isto cane insipientiorem me vultis?* Hic paulò ante nobis omnibus, cibum petendo, hiando, latrando, in genua & ipsam pænè mẽsam insiliendo, molestus erat. Iam satur desistit. & ego satis iam cum biberim, non desistam? Est verò ita, ne verberibus quidem, vt plus aut comedant aut bibant cogi possint bestiæ, prout non Musonius tantum loco antea indicato, sed nostri etiam Patres admonent D. Basilius oratione contra ebrietatem D. Ambrosius de Elia c. 17. D. Augustinus serm. 231. D. Chrysostomus homil. 71. *Quanto,* ait, *ebriosis melior asinus & canis?* Vide cætera. *Octauum.* Lacò apud Plutarchum in Laconicis, cum quosdam alicubi ad bibendum cogi audiisset, *Num etiam,* aiebat, *ad edendum?* Et verò quendam noui, de quo mihi affirmatum; cum indictam epotandi vini pugnam, certamine sicci panis edendi oblato retudisse. *Nonum.* Homo adolescens, sed litteratus & honestus, cum à Principe quodam per honoris, qui illis in locis magnus; speciem, ad æquo plus epotandum vrgeretur, *Veniam,* aiebat, *Clementissime Princeps, peto. A bestia parum absum. vultne Clementia tua totum me bestiam fieri? Decimum.* Licetne mihi, ad poculum hoc ebibendum; CHRISTVM Dominum asciscere socium? Omnino licet, inquit Christianus. Bibat ergo, infert ille; qui ante tanuam mendicus est. *Vndecimum.* Gratissima sitienti Dauidi erat aqua Bethleemitica. Quod cum ea ille fecit, mihi ne cum hoc vino facere fas? At *ille noluit bibere. sed libauit eam Domino,* 2. Reg. 23. ver. 16. *Duodecimum.* Callisthenes, cum ab Alexandro ei Magno propinatum esset, iamq; Herculaneus ille scyphus porrigeretur; recusauit, quod se Æsculapium habere nolle diceret. Dixeris & tu igitur; Tibi, quam Medico des, pecuniam non esse: vel ea, in vsum alium, opus esse. Et hæc quidem hactenus vrbanè, suauiter, & hodiernis hominum moribus conuenienter, cum apud omnes, omnium excusationum, facetiarum & chriarum instar, vna & sola Dei lex meretissimò esse deberet.

Vicesimumprimum. Quia verborum quædam illecebræ, vt intemperantius bibatur, adhiberi solent, ad eas firmato esse animo conuenit. Nam modo hilaritas, modo amicitiæ renouatio, aut confirmatio, modo Principis alicuius sanitas & honor, interdum etiam sancti alicuius veneratio prætenditur: suntque hæc iam antiqua ebrietatis artificia, à Patribus notata & damnata. vt videre est apud S. Hieronymum in epist. ad Titum cap. 1. D. Augustinum epist 64. & serm. 231. 232. D. Ambrosium de Elia cap. 17. cuius verba hæc; *Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum: & qui non biberit, sit reus in deuotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro eius salute non biberit. O pia deuotionis obsequium. Bibamus pro salute exercituum, pro Comitum virtute, pro filiorum sanitate.* Plus à Deo sanitatis & honoris Imperatori & Principibus impetrabis, illum. per ebrietatem, non offendendo, quam vini dolia integra exsorbendo. Numquid, aiebat Iureconsultus quidam, vbi ægrotaro, me curabit, pro cuius iam sanitate bibendum? Alius verò; si pro Imperatore cadendum, est in Turcicis bellis cadere honestius, quam in mensis. quin verò, Imperatori gratius & vtilius, si in genua procidam, & precem precer dominicam. De sanctorum porro honoribus, ait loco citato D. Ambrosius. *O stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant: qui æstimant illos ebrietate placari, qui ieiunio passiones sustinere didicerunt.*

Vicesimumsecundum. Quidam tamen illecebrosis tantum verbis contenti, grauia etiam interdum & minacia proferunt. Contemni se aiunt, & inimicitias denunciant. O bone, non equidem te contemno: sed communem DEVM & Saluatorem contemnere vereor. Dixit enim, attẽderem, ne fortè cor meum *crapula & ebrietate* grauaretur, Lucæ 21. vers. 34. Si te contemptum ægre ferres, quanto ipse iustius? Minarum vero & inimicitiarum, apud honestos grauesque Dominos, nihil timẽdum. Etiam à Gentilibus apud Laertium in eum vindicatum, qui, super Empedoclis, pocula nimia respuentis, caput, vinum effuderat. & Neronis pater fuit, qui seruum, quod ebibere totum nollet, interfecit. Si tamen apud aliquos Gentilia hæc & impia fortè reuiuiscerent, (quid enim, hoc tempore, portentorum non renascitur?) cogitandum, quid laudatus à Plutarcho Creon cuidam dixerit. *Satius est, tuas me nunc inimicitias subire, quam valdè post ea gemere:* vel potius, quod monent S. Chrysostomus homilia 1. ad pop. D. Augustinus serm. 232. *martyrij genus* quoddam esse, pro tuẽda sobrietate, perpeti aliquid. *Ille,* ait Augustinus, *qui ebrietati resistit, si cum Dei adiutorio perseuerare voluerit, & pro ipsa aliquas pertulerit tribulationes, omnia ei Dominus* AD MARTYRII GLORIAM *reputabit.* Et paulò ante, *Si ad hoc veniretur, vt tibi diceretur, Aut bibas aut morieris: melius erat, vt caro tua* SOBRIA *occideretur, quam per ebrietatem anima occideretur.*

Vicesimumtertium. Iustum gerenti bellum licet, stratagematibus & insidiis, hostilem vim frangere. Quidni &, in conuiuiis, locum prudentia, doluſque bonus habeat? Solent ab aliquibus tamen ipsa etiam paterarum funda examinari: & mensarum ministri si vel tantillum resideat, illas nolunt recipere, vt vel asturissimæ sobrietati nulla euadendi rima sit. Possunt tamen subinde, famuli vt reticeant; adduci, & assidentes conuiuæ, vt connitentur. Potest in illud conuiuij tempus magna etiam sitis differri; quo circumpotatio quædam incipit. potest à cibo & potu citius aliquanto desisti, quã sit naturæ factum satis, vt, dum ad cibum & potum vrgebunt alij, ubi quod adhuc deerat, eorum id inuitationibus & gratiæ des.

Vicesimumquartum & vltimum. Occurrat forte sobrietatis amatori cuipiam cogitatio. Iste, mea

Universidad de Deusto
Biblioteca

causâ, potat largius. Eius etiam causâ, idem vt faciam, non æquum? Vult me vino deponere? Ei statim respondeam, bibet minus. Non ita sancta Iudith. Peccare quod potor iste velit, in ipsius arbitrio est. Num, ne seipsum ipse interimat, me ego interimam? An ad inferos quia ruere vult, ego cum eo velim corruere? Faciat quod libet Holophernes, potitet, roget, vrgeat: Iudith sobria permaneat.

QVÆSTIVNCVLA V.

Quid de iis, quæ apud Assyrios gessit Iudith, Græcorum, Latinorumque Patrum nonnulli?

PRIMVS esto ille apud Græcos & celeberrimus & vetustissimus Clemens Alexãdrinus Strom. 4. cap. 6. *Etsam Iudith, quæ consummata fuit in mulieribus, cum esset vrbs circumsessa, precata seniores, infide Dei: præmia autem fidei mox accepit, cum mulier in hostem fidei se præclarè gesserit, & potita sit capite Holophernis.* Magistrum sequitur discipulus, Origenes videlicet, homil. 9. in Iudices: *Quid ait, ego illam tanti fecisse, vt succurrere, seq; summumque caput immanissimi Holophernu neci sola subiicere, & processisse ad bellũ non filio simul & audacia hostem perimit: & quam viri perdiderant, fœmina reddidit libertatem patriæ.* Inter Latinos verò, luculentè D. Ambrosius lib. 3. de officiis cap. 13. *Ecce tibi Iudith se offert mirabilis, quæ gratia & vultus decore pereuntis, dein de sermonis circumscripsit elegãtia. Primus triumphus eius fuit, quod integritatis consilio suo. Horruerunt Persæ audaciam eius. Vtiq, (quod in illis Pythagoreis duobus mirantur) nõ expauit mortis periculum: sed nec pudoris, q; est grauius bonu fœminis: non vnius illum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidauit. Stetit inter cuneos bellatorum fœmina, inter victricia arma, secura mortis. Quãtum ad dum cã sequitur, vilitatem inuenit. Honestatis enim fuit prohibere, ne populus Dei se prophanis dederet, neue impuritati, ne obsidionẽ dedatione solueret. Honestatis fuit, se malle pro omnibus periclitari, vt omnes eximeret populi committeret: Quanta honestatis authoritas, vt Deũ aliutorem præsumeret? quãta gratia, vt inueniret? gis Assyriorum se tradere gestiebant: sed non bibebat fœmina Iudith, seiunans omnibus diebus viduitatis suæ, Sobrij vigore consilij abstulit Holofernis caput, seruauit pudicitiam, victoriam reportauit. Hæc enim, succincta mulieris verecundiam, innumeros strauit exercitus ebriorũ.* Augustiniani verò ante citati sermonis 229. verba sunt hæc; *Iudith bellator animus alienum pectus obsedit. Illa abiecta formidine fœminarum, victoriam in periculis quærens, nec mortem in periculis timuit, nec ambiguitatem formidauit. Cum igitur Bethuliæ mœnia Holofernes hostilis obsidione calcaret, & aduertens tractus aquarum, prima indiceret certamina ficcitatem, Iudith flens sui coniugis fœdera acerbo dissidio rupta lugubri lamentatione seruabat. Quæ vt reperit captiuandæ ciuitatis inducias postulatas, mox ei priuatum dolorem congeminauit ciuitatis communis dolor. Quæ exorata consurgens abluit aqua corpus suum, imponens sibi ornamentum pendulas aureas diuitias suspendit; & manibus lapillatos circulos splendentes induxit, fluente sinu purpurea vestis gemmato collegit pectore, casto cultu prius dimicatura, quam ferro. Monitum tuis pudori semper aduersa hostem ferire didicerũt. Gentis suæ vindex sumpsit ornamentorum arma, non de bello nuptias subitura, sed de ciuitate bellatrix procedit sponsa. Nec fuit ferocitas ornatus, qui ad homicidium tanti capitis aptabatur. Pergit diuino spiritu ducta, & singulari ancillæ solatio contenta. Species custodit, quæ blanditur, ne violenter pudicitia custodita lædatur, Holofernem alloquitur, vt desiderium tuum concipiatur: Ego, inquit, ancilla tua, misit me Dominus facere rem, in qua mirabitur omnis, qui audierit eam, quoniam ancilla tua Deum cœli obseruo, & nunc ibo per noctem, & orabo ad Dominum cœli: & nuntiabit mihi quando faciet hæc, & ducam te per mediam Iudeam, & ponam sedem tuam in media ciuitate, & canis non mutiet lingua sua contra te, quoniam mihi hæc ostensa sunt à Domino. Non decuit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit, perfecit actibus, quod promisit. Dum regi alto sermone imaginarijs verbis blanditur, bellator animus lasciua soluitur in amaro armorum torpent vires innumerabiles militum, luxu regifico nuptiarum pompa nullo nubente construitur, cunctis ebrietate solutis. Non delicata matrona pugnauit: sopor ubi, quem ferias præparauit. Constructo thalamo cõcitatur ad ducem pronũ amore, victum somno, elisum virum in strato bellatoris crines implicuit pulchritudine digitorum, post tenuitatem fusi, ebeni capulum quærit. Mucro matronam non terruit, sed armauit, quæ ita pugnauit. Coruscus ensis caput abstulit hosti, persoluitur, in patrijs mœnibus victoria suspenditur. Armis stupentibus cunei densantur, præpo-*

præpostero ordine triumphant. Sequitur bellum, vino fusi, soluti somno in certamen nec clamore prouocante consurgunt, teguntur armis coruscantibus montes. Quid alienigena frenis? Quid bella componis? quid aciem paras habens quem in cubiculo quærat? Omnem vanum furoris impetum retine, tantum vobis reliquimus ducem, agnoscendam partem habemus in porta pendentem. Tantam animus de DEO *susceptæ largitatem, quantum crudelitas tibi poterit vindicare.*

TERTIA LIBRI PARS.

De iis, quæ Israëliticam liberationem sequuta.

QVÆ Israëlitarum factam, per Iudith, liberationem, secuta sunt, statui possunt duplicia, quædam scilicet ante Iudith mortem, quædam post. Illa sunt potissimum octo. è quibus in hoc 15. cap. à vers. 9. sunt quatuor. Insunt autem in eorum singulis plura, quæ distinctius postea exponentur.

PRIMVM. Ioachim cum presbyteris suis, de victoria, DEO, & ipsi Iudith gratulatum venit. In Græco dicitur, cum ipso Ioachim *venisse Hierosolymitanus Senatus*. Cum in Hierosolymitano Senatu essent sacerdotes, vt ex 2. Paralip. 19 vers. 8. & ex dictis antea cap. 6. quæst. 3. patet, vt Senatores, presbyterosq; istos è sacerdotali ordine inficier, nulla sunt. prout in Bethulientibus presbyteris, eadem quæstione illa, erant; argumenta. Et cum Pontifice, tanto, tamque religioso; quos potius, quã sacerdotes profectos existimemus? Eorum verò *aduentus causa triplex* ponitur. *Prima*, vt bona, quę Dominus fecisset, viderent. *Altera*, vt ipsam Iudith intuerentur. *Tertia*, vt cum ea, *pacem loquerentur*, id est, eam salutarent. Quia enim Hebræorum salutatio ferè, per pacis precationem, fieri solet, hinc alicui *loqui pacem*, vel *ad pacem* est salutare. Vnde quod Genet. 37. v. 4. dicuntur non potuisse fratres loqui Iosepho *pacifice*, Hebraicè est, *loqui ad pacem*, vt nè bonum ei quidem diem, nostro more, optare possent, non salutem vllam dicere. Est autem magnus honos tantæ dignitatis viros, tanto numero, tam longè fœminam vnam salutatam venire. Ita porrò salutatio continuit etiam ipsius Iudith *laudationem*, & pro ea *precationem*.

Laudatio facta Græcè dicitur, cum ad ipsam Domini isti *introgressi* essent, sed Latinè, cum ad Ioachimum Pontificem ipsa *exisset*. Videlicet vtrumque factum est. ipsa Pontifici obuiam processit: ille, ipsiusq; cum eo presbyteri deinde introierunt, ipsamque tum verbis amplissimis efferre cœperunt, vers. 10. & quidem ὁμοψυχαδὸν *vno omnium consensu*. *Tu gloria Hierusalem*. Græcè, *Tu altitudo*, vel *exaltatio Israëlis*. *Tu lætitia Israel*. Græcè, *Tu exultatio*, aut *iubilatio magna Israëlu*. *Tu honorificentia populi nostri*. Græcè, *Tu gloriatio magna generis nostri*. Et causæ in Græco ponuntur istæ: *Quia omnia hæc in manu tua fecisti: fecisti bona cum Israël. & vt in ipsis bene placitum haberet* DEVS, seu, *ipsis bene vellet, ipsisq; bene faceret*. Hęc siquidem importat τὸ, εὐδοκῆσαι ἐπ' αὐτοῖς. & εὐδοκία est ipsi DEI *bona erga homines voluntas*, de quâ Luc. 2. v. 14. *Gloria in altissimis* DEO; *& in terra pax hominibus bona voluntatis*. quemadmodum eo loco monstrat Maldonatus noster. In Latino autem sunt, etsi verbis alius, causæ eædem: & earum causarum *causæ* aliæ *duplices*. *Vnæ*, sunt meriti cuiusdam instar, & quæ à DEO tantam animi magnitudinem conciliarint; castitas videlicet insignis, & iteratarum nuptiarum aspernatio v. 11. *eo* air, *quòd castitatem amauerit, & post virum tuum, alterum nescierit*. *Altera* causa, vi, & necessitate sua omnino princeps est; MANVS DOMINI *confortauit te*. Ordine tamen temporis & meriti, posteriot significatur, dum dicitur, *ideo &*. Tametsi enim gratiam primam nostrum nemo mereatur; eius tamen incrementum, & auxilia quædam diuina mereri licet.

Precatio porro est bipartita. *Vna* eorundem sacerdotum ver. 12. *Et ideò eris benedicta in æternum*. Est autem istud, *eris*, accipiendum pro *sis*, eo modo, quo apud Latinos dici solet, *valeas* pro *vale*. Nam in Græco est, *Benedicta sias*, seu *benedicta esto ab omnipotente Domino in æternum tempus*. Et quia εὐλογεῖσθαι est *benedici*, & *laudari*, simul in Græco monstratur, *vnde* vera benedictio, & laudatio expectanda sit à DEO scilicet; rursumq; *qualis*, non fluxa, inconstans, & brevis, sed solida, constans, in omnem permanens æternitatem. *Altera* precatio est ipsius populi totius, dicentis; *Fiat fiat*. quod iam suprà semel iteru nq; occurrit c. 10. v. 9. c. 13. v. 26. γένοιτο. quo Hebræum *Amen* declaratur. de quo Num. 5. cap. 22. Deuter. 27. 16. Psalm. 40. ver. vlt. 1. Corinth. 14 Dices malè videri ab Interprete Latino id versum, cum, in altercatione cum Pascentio epistola 178 dicat Augustinus; *Sciendum est, Amen, & Halleluia, quædam nec Latino, nec Barbaro licet in suam linguam transferre Hebræo cuncta genus vocabulo decantare*. Respondeo D. Augustinum tantùm asserere, in iis Ecclesiæ carminibus, & precibus, de quibus etiam D. Hieronymus præfat. libr. 2. in Epistolam Galaticam; quæ voces istas retinuerunt, fas priuato nulli esse, pro iis, Latinas aut vernaculas quascunque substituere. Illud potius notetur in Hebræorum libro, qui *Maschketh sucáh* inscribitur; tradi solitum apud Iudæos, quoties populo, *Amen*, respondendum esset, signum edere Archisynagogum sudario circumacto: rursumq; duplex esse, *Amen legitimum & illegitimum*. Atq; *hoc triplex pupillum, fuit reputatum* festile. quorum *primum* est, cum ea, quibus respondetur, *Amen*, non intellecta sunt. *Secundum*, cum antequam finiantur, præpostera festinatione, Amen pronunciatur, & illorum veluti finis surripitur, *tertium*, cum aliud mens agit, vt dissecta ipsa sit, &, media veluti ex parte tantum, quæ dicuntur, admittat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est alioquin etiam interdum *Amen* approbationis, vel affirmationis formula, quæ ab Aquila *ἀληθῶς*, *vere*, aut *verè*, vt ait in Isaiæ 65. D. Hieronymus, & epist. ad Sophronium, quæ incipit, *Scio*, & ad Marcellam, epistola *Nuper*.

ALTERVM, ex iis octo, quæ ante Iudith mortem, proposita sunt, est spoliorum collectio, quæ toto mense facta dicitur, partim quidem, quia hostium opulentissima castra erant, pluriumque vrbium & prouinciarum opibus onustissima: partim, quia varias per partes & longè, insecuti sunt Israëlitæ illos fugientes, Damascum vsque, vt antea dictum est. Dum igitur Assyriorum strages ea fit, eorum spolia vnum in locum, vt diuidantur, ex iisque optima quæque ipsi Iudith dentur; coditur, eorum spolia vnum in locum, vt diuidantur, ex iisque optima quæque ipsi Iudith dentur; coacernantur, mensis labitur. Multæ & insignes partim antea, partim postea victoriæ fuerunt, sed earum fere præda, non dierum quibus collecta est; numero, sed precio ipso, rerumque captarum numero indicatur, vt hic suprà ver. 8. & 1 Paral. 5. ver. 21. & lib. 2. cap. 14. v. 14. 15. & apud Herodotum lib. 6. Plinium lib. 33. cap. 3. Diodorum lib. 13 & 17. Iosephum lib. 17. cap. 13. Liuium decad. 3. lib. 2. & 3. Guilielmum Tyrium lib. 6. de bello sacro, cap. 22. In illa tamen contra Saracenos, celebertima victoria, quam anno Domini 1212. in Hispania Christiani obtinuerunt, tanta telorum hastarumq; multitudo extitit, vt lignis toto biduo, ad coquendos cibos, aliis nullis opus fuerit, vti refert lib. 11. cap. 24. Mariana. Mira verò, apud Ezechielem cap. 39. vers. 9. & 10. victoriæ contra Magog descriptio; *Egredientur habitatores de ciuitatibus Israël, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum & sagittas, & baculos, manus & contos, & succendent ea igni septem annis. Et non portabunt ligna de regionibus, neque succident de saltibus, quoniam arma succendent igne.* Licet enim ista, cum D. Hieronymo, de vincendis ab Ecclesia Catholica hæreticis, exponantur, quàm præclara tamen victoriæ hypotyposis!

TERTIVM, præmia ipsi Iudith dantur, omnia quæ Holophernis fuerant, v. 14. & enumerantur in Latino, *quoad materiam*, omnia scilicet aurea, argentea, & *quoad formam*, vestes, gemmæ, suppellex vniuersa. in qua Græcè *tabernaculum*, & *strata* etiam ponuntur, & cap. 16. ver. 23. nominatim recensetur memorabile illud *conopeum*, quod cap. 13. ver. 10. sustulerat. Gracchi caput afferenti dedit Opimius Consul auri tantum, quantum capitis illius pondus erat. & quo grauius id esset, extraxit Septimuleius percussor cerebrum, eiusque in locum plumbum suffudit, vti narrant Plutarchus, Appianus, Valerius, D. Augustinus lib. 3. Ciuit. 24. Munificentior in Holophernis caput afferentem Iuditham, populus. quia & ipsa multo præmiis omnibus dignior. & ea, quam peperarat; multo erat salus illustrior. Refert Strabo lib. 15. fuisse apud Indos moris, vt quæ mulier ebrium Regem interficere potuisset, præmij hoc haberet, vt successori nuberet. Quid ergo Iudith, quæ hostem, & hostem adeo truculentum ebrium iugulauit? Græcè subditur, *imposuisse ipsam omnia in mulam suam, iunxisse currus suos, coacernasse in iis omnia.* Sæpè verò in scripturis inuenies iumentorum singularem numerum pro plurali poni, vt hic per *mulam*, mulæ significentur. nisi fortè intelligamus mulam, qua veheretur, ipsi fuisse, & acceptorum donorum ei partem imposuisse: cætera omnia curribus mandasse, vti viderit coacernatio illa importare.

QVARTVM ex iis quæ octo proposita; & in hoc capite vltimum, est gaudium ingens omnium, qui aliis etiam ex locis confluxerunt, Israëlitarum vers. 15. & *mulierum & virginum, & iuuenum in organis, & cytharis.* Græcè vberius omnia, sic. *Et concurrit omnis fœmina Israëlis, vt ipsam videret, & benedixerunt ipsam.* modo scilicet simili, quò suprà, benedixerunt eam presbyteri. *& fecerunt ipsi Iuditha, seu, in eius honorem, chorum ex seipsis. & ipsa sumpsit in manibus thyrsos, dedit q; mulieribus, quæ secum erant. & coronauerunt se oleaginis coronis tam ipsa, quam cum ipsa illa. Ipse ante populum vniuersum prægrediebatur, in chorea fœminas omnes ducens, & sequebatur omnis vir Israëlis, armatus, cum coronis, & hymnis in ore ipsorum.* Intelligendum verò est, post collecta, diuisaque spolia, Ioachimo Pontifici, omnibusque visum esse, tanta pro victoria, singulares DEO optimo maximo gratias publicè agendas, idque in sacratissimo Israëlis loco, in templo scilicet Hierosolymitano, in vrbe metropoli. prout cap. 16. vers. 22. exprimitur. Itineri ergo sese læti omnes dederunt, eo apparatu, & modo, quem è textu Græco iam audiuimus. Vbi præclarum exemplum vides, gratulationum, quæ à nobis interdum ad DEI gloriam, & beneficiorum eius memoriam, suscipiuntur, aut peregrinationum, aut processionum, cum aliqua etiam vestium, florum, musicorum, palmarum, cereorum & armorum pompa. Debent enim Creatoris laudi creaturæ omnes, quoquo modo fieri potest; seruire. *Thyrsorum* verò mentio est lib. 2. Esdræ 8. vers. 14. lib. 2. Machab. 10. Et eos Gentilitas ipsius Bacchi honori consecrarat, vt ostendit in Periegesi Dionysius, & ecloga quinta Virgilius:

Instituit Daphnis thyrsos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Vulgari prouerbio tritum; *Thyrsigeri multi: Bacchi pauci.* Sed in DEI honorem rectè ista conuersa sunt omnia. *Lex*, inquit Iosephus, lib. 13. cap. 21. *apud Iudæos est, quemlibet, in Scenopegia, thyrsos ex palmis, & citriis habere.* De *oleaginis* verò *coronis* multa Petrus Faber lib. 2. Agonist. cap. 22.

CAPVT

CAPVT XVI. ET VLTIMVM.

1 VNC *cantauit canticum hoc Domino Iudith, dicens:*
2 *Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis. modulamini illi psalmum nouum, exaltate & inuocate nomen eius.*
3 *Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.*
4 *Qui posuit castra sua in medio populi sui, vt eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.*
5 *Venit Assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ: cuius multitudo obturauit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles.*
6 *Dixit se incensurum fines meos, & iuuenes meos occisurum gladio, & infantes meos dare in prædam, & virgines in captiuitatem.*
7 *Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminæ, & confodit eum.*
8 *Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percusserunt eum, nec excelsi Gigantes opposuerunt se illis sed Iudith filia Merari in specie faciei suæ dissoluit eum.*
9 *Exuit enim se vestimento viduitatis, & induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israël.*
10 *Vnxit faciem suam vnguento, & colligauit crinnos suos mitra, accepit stolam nouam ad decipiendum illum.*
11 *Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captiuam fecit animam eius, amputauit pugione ceruicem eius.*
12 *Horruerunt Persæ constantiam eius, & Medi audaciam eius.*
13 *Tunc vlulauerunt castra Assyriorum, quãdo apparuerunt humiles mei, arescentes in siti.*
14 *Filij puellarum compunxerunt eos, & sicut pueros fugientes occiderunt eos: perierũt in prælio a facie Domini Dei mei.*
15 *Hymnum cantemus Domino, hymnum nouum cantemus Deo nostro.*
16 *Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest.*
17 *Tibi seruiat omnis creatura tua: quia dixisti, & facta sunt: misisti Spiritum tuum,* Gen. 1. *& creata sunt, & non est qui resistat voci* Ps. 32. 9. *tuæ.*
18 *Montes à fundamentis mouebuntur cum aquis: petra, sicut cera liquescent ante faciem tuam.*
19 *Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.*
20 *Væ genti insurgenti super genus meum.* *Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos.*
21 *Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsq; in sempiternum.*
22 *Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Ierusalem adorare Dominum. & mox vt purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repromissiones suas.*
23 *Porrò Iudith vniuersa vasa bellica Holophernis, quæ dedit illi populus, & conopæũ, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema obliuionis.*
24 *Erat autem populus iucundus secundum faciem sanctorum, & per tres menses gaudium huius victoriæ celebratum est cum Iudith.*
25 *Post dies autem illos, vnusquisq; rediit in domum suam, & Iudith magna facta est in Bethulia, & præclarior erat vniuersa terra Israël.*
26 *Erat enim virtuti castitas adiuncta, ita vt non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius.*
27 *Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria.*
28 *Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, & dimisit ancillam suam liberam, & defuncta est ac sepulta cum viro suo in Bethulia.*
29 *Luxitq; illam omnis populus diebus septem.*
30 *In omni autem spatio vitæ eius non fuit qui perturbaret Israël, & post mortem eius annis multis.*
31 *Dies autem victoriæ huius festiuitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore vsque in præsentem diem.*

COMMENTARIVS.

QVÆ ante Iudith mortem acciderunt, ex *octo* propositis, iam redduntur residua quatuor: tùm quæ post eiusdem mortem contigerunt; attexuntur.

Ex illis igitur *octo*, quintum est quid in itinere vel processione ista egerit cap. 16. vers. 1. *Tunc cantauit canticum Domino Iudith.* In Græco, sub superioris capitis finem, plenius ostenditur, quomodo certis ipsa verbis canendis, præiuerit, præeuntem subsecuti sint omnes. *Et incepit Iudith exomologesin hanc*, id est, *confessionem, & laudationem diuinam in toto Israël: & succinebat vniuersus populus eandem laudatio-*

laudationem. In ea laudatione, siue, Cantico, est *proœmium* ad DEI laudes, gratesque iucundè inuitans, & excitans, ver. 2. *tùm* sequitur diuinæ maiestatis *depredicatio triplex*.

Prima generalis vers. 3. & 4. *tripliciter*. Nam primò vocatur *conterens bella deinde*, ipsius potestas ab ipso eius nomine demonstratur, vt cap. 9. quæst. 2. *Dominus enim nomen est illi Postremò*. ejusdem tuum in populum benignitas, commendatur, quòd sua idcirco castra in populi sui medio collocarit, vt eos ex hostium omnium manibus eriperet. *Castra* verò DEI sunt, vel tabernaculum, seu templũ, vel sanctorum Angelorum cohortes. Cum enim obuios Angelos habuisset Iacob Genes. 32. *Castra*, inquit, DEI *sunt hæc*. & Psal. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitum timentium eũ: & eripiet eos*. Sen, vt in Græco, & Hebraico, *Castra in circuitu* DEVM *timentium metatur Angelus*, vt militari eos acie cinctos vndique & munitos defendat, ac tueatur. Ecce quis nostri temporis bellorum tempestates dissipare, quis aduersus tot Ecclesiæ Catholicæ hostes cœlestium nos legionum præsidio sepire ac protegere possit? S. Ephrem tom. 2. sermone de secundo aduentu prophetam citat dicentẽ: *Dominus Sabaoth egredietur ad conterendum bella* At quis, qui hæc dicit, propheta? Similia quidem in Dauide sunt, psal. 45. ver. 10. Oseæ 2. v. 18. & alibi. Nusquam tamen, in nostro textu, tam clare quam hoc loco, & suprà c. 14. v. 5. Ideoque qui sanctum istum Ephrem Notis suis illustrauit, ad marginem, hunc è quo illa citarentur; locum notauit. Sed planè factum & hic est, quod, *in* simili, monebam Tobiæ cap. 3. ver. 2. Licet sententiæ in scripturis istis eædem sint, verba tamen, quę sanctus ille Pater profert, non hinc, sed ex Isaia sumpta sunt. Cum enim dixisset; *Interroga magnum prophetam Isaiam*, & vnam è cap. 40. sententiam protulisset, subiungit. *Et iterum; Dominus Sabaoth egredietur ad conterendum bella*. cumque ab hoc propheta esset ad alium progressurus, disertè idipsum monuit dicens: *Aliusq; Propheta ait*, Quomodo ergo, si è Iudith verba illa petiisset, aut *iterum* dixisset, aut non *alium* librum indicasset? Sunt verò illa ex Isaiæ cap. 42. ver. 13. Nam vbi textus noster Latinus habet; *Dominus sicut fortis egredietur*, in 70. legitur, κύριος ὡς ἀνὴρ δυνάμεων ἐξελεύσεται καὶ ὡς πολεμιστὴς ἐγερεῖ πόλεμον. Quod apud D. Hieronymum ibidem vertitur; *Dominus* DEVS *virtutem egredietur & conteret bellum*. tantùm in S. Ebræo textu, eo quidem apud Isaiam loco, nõ sit. Sed hunc ipsum Iudith locum clarè spectat D. Hieronymus in Michææ cap. 2. cum de contumacibus Israëlitis ait; *Recedente pace ex auxilio* DEI, *quia restiterunt Domino, de quo dicitur; Dominus conterens bella, Dominus nomen ei; aduersarius suis resistere non potuerunt, sed in omni certamine victi sunt: nec fuit, qui contereret aduersum eos bella nascentia, iuxta vtriusque personam hostium: vel hominum, qui eos duxêre captiuos, vel aduersariarum fortitudinum, quæ animas eorum quo idie iugulabant blasphemando*. Cæterum in Græco sic laudatio ista legitur. DEVS *conterens bella. Dominus, quia castra ipsius in medio populi, eripuit me ex manu persequentium me*.

Altera deprædicatio specialis est, eaque è *duplici* diuinorum factorum genere petita. *Vnum* est, hæc ipsa tam admirabilis victoria. cuius magnitudo, & admirabilitas perspicitur *primò* quidem exnis sanè quam horribilis, vers. 6. *Deinde* verò, ex *instrumento*, & *modo*, quo tam innumerabiles, tam barbaras, & formidabiles copias deleuit, penitusque obtriuit diuina potestas, v. 7. *Instrumentum* est, non copiæ copiis oppositæ, non iuuenum robur, & impetus, non vasti quipiam Titanes, excelsiq; gigantes vlli; sed fœmina. & fœmina vnica, filia Merari, v. 8. Hinc in sacrosancta fidei propagatione DEI potentiam celebrat S. Paulus 1. Corinth. 1. ver. 26. *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit* DEVS, *vt confundat fortia*: & *ignobilia mundi, & contemptibilia elegit* DEVS, *& ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius*. Modo primò. *Assur* ver. 5. dicti Assyriorum exercitum, qui ab Aquilone, & montibus, qui multi & magni iis in partibus sunt; aduenerat. Hæc in scripturis descriptio non rara, vt Isaiæ 14. Ierem. 1. Ezech. 38. vbi D. Hieronymus, Aquilonem hæreseos veluti sedem esse ait, è qua, contra Catholicam Ecclesiam, *Dominus nouit eum*, v. 7. id est, deleuit, in nihilum redegit, Cum Græcè sit ἠφάνισεν. Retinuit verò interpres, vti sæpè solèt; antiquam phrasin. Nam actu 5. Milite Plautus; *iura*, inquit, *te non nociturum esse hominem nunc de hac re neminem* & paulò post; *Iuro per Dianem, & Martem, me nociturum neminem*. Tertiò, illud quod in correctis tamen Bibliis est, & *confodit eum*; à Græco abest. *Quartò*, *filij Titanum*, bus Genes. 6. dixi; Titanum, & gigantum nomenclatio ad robustissimæ molis homines, de quietiam hodie vulgata. Distinguit inter illos, in Æneidos 6. Seruius, quòd *Titanes* ij sint, quos contra superos Deos terra primò effudit: *gigantes*, quos posteriùs. Sed, fabula omissa, iidem sunt, nisi quod, exaggerationis causâ; hic Titanum iis nomen tribuatur, qui ante diluuium fuerunt, commune gigantum vocabulum aliis, qui deinceps, aut contra. *Ibi*, ait Baruch cap 3. ver. 16. *fuerunt gigantes nominati, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum*. Videatur Deuter. 2. Iob 16. & 26 Psal 18. & 32. Sapien. 14. Isaiæ 14. & eo loco D. Hieronymus, Procopius, & Theodoretus 2. Reg. c. 6. Iam *quinto*, illud *imposuerunt scilli*: vers. 8. rectè in correctis Bibliis corrigitur, *opposuerunt scilli*: Nam Græcus ait;

ait: ἐπέθεντο αὐτῷ. *Sextò*, duo enumerat Iudith, quæ Holophernem maximè ceperunt, & subegerunt; faciei videlicet species, vers. 8. totiusque corporis pulchritudo, vers. 11. tùm cultus ipse, & ornatus, quem à vertice ad calcem perstringit, v. 9. & sequent. Incultæ *viduarum vestes* exuuntur: *splendidum*, quo lætitia, dum exultant Israelitæ, significari solet; vestimentum induitur: nobili facies, alioqui iam speciosissima, *vnguento* venustatur, & picturatur: *stola*, quæ & materiâ & artificio, & ipsa etiam nouitate, gratię plurimum afferat; susciputur; neq; sua etiam pedibus compta, & admodum habilia desunt *sandalia*. Quæ flagitij aliis, ea sanctissimæ huic fœminæ, virtutis instrumenta fuerunt. quem admodum à bonis fieri debet in litteratura sæculari, eloquentia, philosophia. Litteris vel Græcis, vel Hebræis, ad Catholicam fidem oppugnandã, abutuntur hæretici? Iisdem ad eandam explicandam & propugnandam vtatur Catholicus. Vncta illi, fucata & calamistrata oratione, ad errorem, vitiorumq; lasciuiam, incautos prolectant? Ad fidei veritatem, morumque sanctitatem persuadendam, omnem orationis grauitatem, & splendorem conferat Catholicus. Sophismatibus illi, & contortis quibusdam conclusiunculis, vt sacrosancta religionis mysteria, minimè credibilia videãtur; fatagunt? Eadem vt ab omnibus credantur, magnaque veneratione colantur, vera, solidaque ratiocinationum subtilitate perficiat Catholicus. prout egregie admonent S. Hieronymus, epistola ad magnum Oratorem, D. Augustinus toto pænè lib. 2. de doctrina Christiana, sed maximè cap. 40. vbi vt à Gentilibus doctoribus prophanæ ipsorum disciplinæ Israëlitarum exemplo, auferantur; incitat. Nam inter alia. *Quo*, ait, *peruersè atq; iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur illi, cum ab eorum societate sese animo separat, debet ab iis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi euangelij*. Cæterum v. 9. non habet Græcus; *& induit se vestimento lætitiæ*; sed tantùm, *exuit stolam viduitatis suæ*. verum satis constat in sententia nihil mutari. Neq; enim quæ se exuerat, nuda mansit, sed vestes, de quibus suprà; sumpsit. Iam *septimò*, pro illo in exultatione filiorum Israël legitur Græcè, εἰς τὸ ἐν Ισραηλ, id est, *in altitudinem laborantium*, seu *afflictorum in Israël*. vt videatur nostro in textu fuisse non *exultatio* sed *exaltatio*. cuiusmodi mendum in Psal. 149. hęserat, *Exultationes* DEI *in faucibus eorũ*, cum Græcus aiat, αἱ ὑψώσεις τοῦ θεοῦ ἐν λάρυγξι αὐτῶν: ideoq; in Romanis Bibliis correctum; *Exultationes* DEI *in faucibus eorum*. Sententia igitur est, vestimentũ à Iudith acceptum, quo, dum exultantur Israëlitę, lætitia indicatur; vel potius vestimentum lætum, & festum, vt laborantes, metu fractos, periculorum magnitudine deiectos, humique penitus iacentes erigeret, exaltaret. Sic enim optimus totius illius mundi muliebris scopus. & finis patefiet. *Octauò*, vnguentum quo faciem inunxit, ex iis forte generibus fuit, quæ, de medicamine faciei, Ouidiana nescio quæ elegia proponit, & ad eum finem, de quo & suprà, & iamiam dictum. Alioqui Diuus Hieronymus libello ad Lætam de institutione filiæ; *Caue*, inquit, *ne aures eius perfores: ne cerussâ & purpurisso, consecrata* CHRISTO *ora depingas: nec collum auro, & margaritis premas: nec caput gemmis oneres: nec capillum arruses, & ei aliquid de gehennæ ignibus aspiceris*. Vide & epistolam de ægrotatione Blæsillæ ad Marcellam. *Nonò*, quæ *stola noua* est vers. 10. Græcè vocatur λινῆ. Et erant quidem in honore ac pretio lineæ id genus apud Iudæos vestes, vti patet. Exod. 28. Leuit. 6. & 8. Ezech. 9. & 44. sicuti & apud *linigeros* Ægyptios, de quibus in Iside Plutarchus; videtur tamen ex κακῶς factum λινῆ. Cur enim alioqui non, more suo, *lineam* vertisset interpres? Sunt verò qui putent, *nouum* quandoque dici, quicquid præstans, & gratum est, ob eam quæ nouis in rebus esse solet; gratiam. quemadmodum cum dicitur; *Cantate Domino canticum nouum*, & *Charitatis mandatum nouum*. 1. Ioan. 2. vers. 8. & Ioan. 13. vers. 34. cap. 15. vers. 12. id est, excellens quoddam canticum, & mandatum. *Decimò*, inter Græcum, & Latinum discrepatiuncula videtur, vers. 13. Nam Græcè legitur; *Tunc vlulauerunt humiles mei, & exterriti sunt infirmi mei, & attoniti fuerunt; sustulerunt vocem suam, & in fugam conuersi sunt*. Latinæ verò; *Tunc vlulauerunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in sitis*. Conciliatio foret, si per *humiles*, & *infirmos* in Græco acciperentur ij, quos ipsa Iudith humiles iam fecisset, depressisset, infirmasset. Sed quod in Latino additur, *quando apparuerunt humiles mei*, valeret, *qui mecum humiles, & abiecti erant Israëlitæ*: esseteque causa & ratio, cur Assyrij, qui adeò antea erecti, & superbi erant, ita iam depressi, & debilitati essent. *Vndecimo*, *filij puellarum*. vers. 14. vocantur pueri adhuc teneriores, & impuberes adolescentuli. Cum enim eorum matres κοράσια, id est, *omnino puellæ* vocentur, non possent earum tunc filij esse, nisi admodum paruuli. Quod adiungitur, *sicut pueros fugientes occiderunt eos*, posset quis ex Græco ὡς παῖδας αὐτομολούντων vertere, *tanquam transfugarum filios*. Filij verò transfugarum, sunt ignaui, timidi, fugaces. Et hi omnes meritò subduntur, *impetu prælij Domini* periisse.

Tertiò DEI deprædicatio vers. 15. rursum habet quasi epanastrophum, & generale quoddam encomium. In illo tamen non legunt Græci *Cantemus* sed ὑμνήσω τῷ θεῷ μου ὕμνον καινὸν *Cantabo* DEO *meo canticum nouum*. In Encomio autem ducuntur DEI laudes. *primò* quidem ver. 16. ab eius magnitudine, sed cum *adonai* sit quasi *Domine mi*, geminum est in Latino *Domine*, in Græco simplex. *Deinde*, à gloria ipsius maxima. Nam præclarus Græcè dicitur, ἔνδοξος. & per eius potentiam, atq; fortitudinẽ, hæc eius gloria in Latino explicatur. In Græco tamen est veluti diuersa laudatio, dum interiicitur θαυμαστὸς. *Tertiò*, ab eius potentiæ præstantia & immensitate, cum eum nemo superare possit.

quam

Universidad de Deusto Biblioteca

quamquam non ad solam potentiam, sed ad omnia, quæ bonum, & excellens quiddam important, referri hoc potest. In omni siquidem genere, semper, DEVS ἀνυπέρϐλητ@- *insuperabilis*. *Quarto*, à dominatu immenso. Ipse siquidem est, cui creatura omnis seruire tanquam vero, proprioque domino debet, idque vers. 17. per optantis modum pulchrè sanctèque proponitur, & confirmatur ex admirabili rerum omnium creatione. Sed pro, *creata sunt*, in Græco est, ᾠκοδόμησε, id est ipsemet *spiritus*, quem misit DEVS, *mundum ædificauit*, seu *creauit*. Omnino prout Psal. 103. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur*, κτισθήσονται. Ideoque hoc, pro Spiritus sancti diuinitate, testimonium, ad ea, quæ doctè R. P. Bellarminus lib. de CHRISTO, cap. 3. classe 6. colligit; aggreges licet. *Quintò*, rursum à potentia, cum vel soli eius voci, & verbulo neque homo, neque angelus, neque totus simul congregatus mundus possit resistere, neque etiam vlla vllius rei, quæ cogitari possit; difficultas, idque duabus in rebus, quę fieri non posse videantur; planum fit. Quid enim factu difficilius videatur, quam vastissimos montes, pondere grauissimos, in terra penitus infixos, & impactos commoueri? & quidem ex ipsis eorum fundamentis euulsos, & vnà cum iis, quas continere solent; aquis, ita vt harum ne guttula quidem effluat, si aliò illi transferantur: vel si eodem loco resideant; hæ, quæ cæcis cauernis abditæ continebantur; foràs erumpant, sursumque veluti effluant? Et tamen DEO ita iubente, *montes, à fundamentis mouebuntur cum aquis*. Rursum verò, quid minus fieri posse videatur, quam vt saxa, & petræ, quarum summa, & prouerbiis celebrata durities colliquescant, & concalfactæ ceræ instar emollescant? Et tamen, si minimùm annuat Dominus; *petræ sicut cera liquescent*. Similia sunt in Psal. 68. 96. 103. Iob. 9. Ecclesi. 16. vt nihil appareat necesse, quod Lyranus, & alij quidam faciunt; ad solos ante iudicium dies vltimos ista referre. *Sextò*, ab eximia in bonos beneuolentia, & beneficentia versu 19. *Qui timent te, magni erunt apud te per omnia*. id est, omnibus in rebus, vel per omnia sæcula. Græcus in singulari, ὁ φοϐούμενος τὸν κύριον, μέγας διαπαντὸς, *Qui timet Dominum, magnus* est *omnino*, vel, *semper*. Sed quia tam in Græco, quam in Latino est aduersatiua particula δὲ *autem*, videtur subinnui superiore versiculo, *per montes, & petras*, significari superbos homines, præfractos, & duros vnà cum ipsorum aquis, id est, cum opibus omnibus, & numerosissimis seruitiorum, exercituumque millibus, qui funditus euellentur, delebuntur, tabefient, & exterminabuntur omnes. Græcè tamen, pluribus, DEI hæc in bonos benignitas exprimitur. Ante siquidem eum, quem iam citaui versiculum, hæc interseruntur. *Iis verò, qui timent te, tu Te propitium, facilemque præbes. quia omne sacrificium, quod in odorem suauitatis fit; est exiguum quid: & omnis adeps, qui in holocautoma tibi offertur; minimum quiddam est*. quasi diceret; Boni tibi homines gratissimi sunt, & acceptissimi, adeò vt, præ iis, nihil aut parum admodum tibi placeant sacrificia, & holocausta omnia. Eadem extiterit sententia, si vt aptius videtur; vertas, *Omne sacrificium, paruum quid est ad odorem suauitatis* (id est, vt tibi, quasi suauis quidam odor, gratum, & iucundum sit) *& omnis adeps minimum quid est, vt tibi holocautoma fiat*. Videlicet: *Non boue mactato cœlestia numina gaudent, Sed quæ præstanda est, & sine teste, fide. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum?* dicit apud Isaiam cap. 1. ver. 11. *Dominus. Lauamini mundi estote. quiescite agere peruersè, discite benefacere*, Sapienter, à Domino, respondisse iudicatus est, Marci 12. qui dixit; *Vt diligatur DEVS ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis*. Galenus lib. 3. de vsu partium cap. 10. id ait, *verum DEI cultum, qui* εὐσέϐεια *vocatur; esse, non si taurorum quam plurimas ipsi hecatombas mactemus, & vnguenta innumerabilia, casiasq; adoleamus; sed si ipse quidem primus cognoscam, deinde verò etiam aliis enunciem, quantus ille sapientiâ sit, qualis bonitate*. Eodemq; loco, & posteà libro vlt. c. vltimo huiusmodi sermonem vocat *sacrum, eiusq; qui nos architectatus est, hymnum & epodon*. cum quo faciunt quæ tradidit canone 29. Epictetus, & lib. 7. de curat. Græc. Theodoretus. *Septimo*, denique ver. 20. ab iustitia in improbos, & sontes, qui contra Israëlitarum genus insurgunt, vti Nabuchodonosor, Holofernes, Assyrij, Medi, & Persæ, de quibus ver. 12. 13. Ab his *in die iudicij visitabit illos*. Potest verò *iudicij dies* bifariam accipi. Nam *primò* est cuiuscunque vindictæ à DEO inflictę tempus. Omnis enim damnatio, & pœna iudicium quandoq; appellatur, quia iudicij quidam effectus est. Oseæ. 10. *Germinabit quasi amaritudo iudicium super sulcos agri*. 1. Corinth. 11. *Iudicium sibi manducat, & bibit*. *Deinde* est tempus, quo vel quemlibet singulatim, vel quo simul omnes iudicabit DEVS. Vtralibet verò notione iudicij dies accipiatur, inferendi *supplicij grauitatem* aperit scriptura *tripliciter*. *primò*, per particulam *væ*, quæ non nisi magnis in malis adhibetur. *secundò*, per partitionem vers. 21. *Dabit enim DEVS ignem & vermes in carnes eorum*, vt Ecclesi. 7. *Vindicta carnis impij, ignis, vermis*. Si priore modo iudicium sumatur, significabuntur metaphoricè *per ignem*, vulnera, & morbi, qui homines veluti adurunt, & inflammant, vt herpes, erysipelas, phlegmone, pauus, carbunculus, pestis, febris, quæ etiam ab igni, apud Græcos nomen inuenit πυρετός: *Per vermes*, vlcera purulenta, putredines, phthiriases, verminationes, adeoque mors ipsa intelligitur, qua fiunt homines cadauera, vermiumque esca Iob 17. & 21. Ecclesi. 10. *Cum mortuus fuerit homo, hæreditabit serpentes bestias, & vermes*. Potest tamen, per synecdochen, hisce duobus, totum morborum, exitiorumque genus significari. Si posterior verò iudicij notio teneatur, occurrunt subitò quæstiunculæ, de quibus paulò pòst. Intelligitur *tertiò* supplicij grauitas ab effectis duobus, quæ in Latino sunt, *vri & sentire*, vt igni videlicet

delicet vstio; vermibus ipsa sensio respondeat. & adiungitur quanto vtraq; tempore duratura sit *vsq; in sempiternum*. In Gręco sunt itidem effecta duo, sed paulò secus. καὶ κλαύσονται ἐν αἰσθήσει ἕως αἰῶνος, *& plorabunt in sensu eorum*, siue, *dum illa sentient, in æternum*. Sunt enim ambo tam igni, quam vermibus communia, luctus nimirum, seu eiulatus, & sensus. sed ex isto, ille oritur. Sensu percipiet infelicissima illa capita ignem, & vermes. & idcirco eiulabunt, & complorabunt: idque *in æternum*. Videtur tamen ista varietas; ex vnica litera, quam Græci addidere librarij, extitisse. His enim est καυσονται *ardebunt*, illis κλαύσονται *lugebunt*, prout eodē in verbo nō absimilis discrepantia occurrit, 1. Corinth. 13, *Si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Legit D. Hieronymus sub finem Commentarij ad Galat. 5. *Si tradidero corpus meum, vt glorier*. & subdit ipse causam; *Scio, ait, in Latinis codicibus in eo testimonio, quo supra posuimus*, ARDEAM *haberi, pro*, GLORIER. *sed ob similitudinem verbi, quæ apud Græcos ardeam, & glorier, id est*, καυθήσωμαι, *&* καυχήσωμαι, *vna literæ parte distinguitur, apud nostros error inoleuit*. Mirarer hanc à Luca Burgensi, suis in notationibus, tam illustrem variationem omissam, nisi alias complures, adeoque libros integros, in quibus & iste, ab eo prætermitos viderem.

QVÆSTIVNCVLA I.

Verusne sit ignis, qui, altero in sæculo, impiorum carnes depopuletur?

QVIA huic quæstioni alius, multo magis proprius locus, breuiter dico, verum, minimeque imaginarium, aut metaphoricum illum futurum, quemadmodum docent Theologi 4. Sentent. distinctione 50. nominatim vero Sotus quæstione vnica articulo primo.

QVÆSTIVNCVLA II.

Verine vermes eorundem impiorum carnes depasturi?

NEGANT plerique, & tam hic, quam Marci 9. Isaiæ 66. Ecclesiastici 7. vers. 19. tralatè vermium nomine ipsos consciētiæ angores & cruciatus, quibus dies, noctesque assiduò infelices excruciantur, & excarnificantur, intelligūt, vel certè, vt in Marci 9. Maldonatus, eandem ipsam pœnam, quam infert ignis. *Non video tamē, cur verborum proprietas retineri cur nequeat*. Ab ea enim nos quid abstrahat? Num quia *mixta*, post iudicium, corpora nulla erunt? At hoc incertissimum. & contrarium fortè probabilius. An quia vermes istos *immortales* confiteri oportet? *Primo* quidem non est absurdum, cum immortalia esse supplicia oporteat, immortalia quoque eorum instrumēta esse. Omnino quemadmodum ignis ille dicitur extingui non posse: sic & vermis non mori, Marci 9. *deinde*. quid si fœdissimis id genus res fœdissimè, apud inferos, interire oririque concedamus? Fierent hęc omnia, diuino nutu, vt hisce rebus, tanquam instrumentis iustitiæ suæ DEVS vteretur. An deniq; quia fieri non potest, vt, in ardentissimis illis flammis, *vermes maneant*, neq; consumantur? Sed qui hoc dicit, meminerit idem de damnatorum ipsorum corporibus dici posse. *Si, vt scripserunt, qui naturas animalium curiosius indagarunt*, inquit Augustinus lib. 21. Ciuit. 4. *salamandra in ignibus viuit: & quidam notissimi Siciliæ montes qui tanta diuturnitate temporis, atq; vetustate, vsq; nunc, & deinceps flammis æstuant, atq; integri perseuerant: satis idonei testes sunt, non omne quod ardet, consumi posse*, cap. 5. *Nō admittit; inquiunt, vlla ratio, vt caro ardeat, nec absumatur: doleat, neq; moriatur. Ratiocinatores videlicet ingni qui de omnibus rebus, quas esse mirabiles constat; possint reddere rationem*. Et verò cur in eodem verborum nexu ignis *propriè*, vermis non nisi *tropicè* sumatur? Cur significandi modo *disiungātur*, quæ sententia ipsa coniungit? Et nonne, vt igni, sic & vermibus *sensilis effectus*, vt supra visum; tribuitur? Iam verò, eius nullū sententiæ pœniteat, quæ beatis, non ad necessitatem, sed ad corporum, & sensuum honestam oblectationem, *pulcherrima* quædam è simplicibus *composita corpora* statuit, cum magni & sapientes *in ea ipsa* pridem *sententia* fuerint, S. Anselmus in Elucidario, Guilielmus Parisiensis. & apud eum, doctorum facilè principes, Carthusiano teste in 4. sentēt. Quod si, ad aliquam felicitatis accessionem, facit mixtorum quorundam pulchritudo, quidni & æternæ infelicium miseriæ quidam veluti cumulus, è vermibus, pice, sulphure, aliisque id genus turpissimis, teterrimisq; rebus, accedat? Et ne opinionis nouitatē suspectam quis habeat, D. Hieronymo in Iob 24. absurdi nihil videtur, vnà cum ignibus, esse in inferno niues frigidissimas, *eosq; qui illic torquentur, nunc quasi ignem ardentem sentire, nunc nimium algoris incendium*. Glossa in Ecclesiast. 7. *Caro iniquorum, quæ pruriens varia, diffluit, igne inferni, & vermibus cruciabitur*. Haymo in Isaiæ verba vltima, *Vermis, ait, & ignis in hoc loco potest intelligi conscientia peccatorum, quæ torquet omnes in suppliciis constitutos, quare in præsenti sæculo vitijs seruientes caruerint bono, pro quo remunerarentur. Vnde quodam loco dicitur sic. Tinea comedit vestimentum, & vermis corrodit lignum, & ignis deuorat ligna: sic mæror & tristitia excruciat cor viri. Iste ignis non extinguetur, & vermis non morietur, quia illi æternaliter in pœnis manebunt, & semper propria conscientia torquebuntur. Potest & ita intelligi, vt credatur in inferno ignis esse materialis, & vermis similiter, qui comedunt &*

Universidad de Deusto
Biblioteca

auns & cæterorum illorum corpora: licet quidam falsò dixerunt, corpus aereum esse, post generalem resurrectionem, & in tenues auras dissoluendum. Idcirco autem vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, quia esca illorum erunt omnes reprobi, & ex ipsis reprobis erit materies ignis & vermis, qui tã diu viuunt, quam diu habent materiam, qua pascantur: Ribera in Apocalypsis cap. 19. cum, essetnè verum & propriè dictum apud inferos sulphur, disputaret; *Respõdeo*, ait, *verum sulphur esse apud inferos, idque haud obscurè ex scriptura intelligi. Nam igne & sulphure pluit super Sodomam, & vicinas ciuitates: quam pœnam Iudas Apostolus æterni ignis pœnam esse scribit: sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates, simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, æterni ignis pœnam sustinentes. Et apertius Apocalyp. 14. Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni: Et cap. 20. Et Diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia, & Pseudopropheta cruciabuntur. Et cap. 21. Et pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure. Atque hæc est cõmunis fere sententia eorum, qui hos omnes Apocalypsis locos interpretantur, & Alphonsi Abulensis Episcopi in Matth. cap. 25 quæst. 580. quam ijsdem locis comprobat,* Licet in eo apud Isaiã cap. 30. ver. 33 metaphora sit, quod flatus Domini gehennam succendere dicatur. *Memini*, ait in Marci 9. Maldonatus. *Chrysostomum, & Theophylactum, verum esse in damnatis vermem, qui eorum arrodat corpora, alicubi sentire.* Soarezius verò in 3. par. tom. 2. disput. 56. sect. 3. *Multi*, ait, *affirmant futuros in inferno vermes, sulphur, & alia similia corpora mixta ad corpora damnanda cruciandaque.* Si *multi* hoc affirmant, neque hos alij aptè coninstit. cap. 15. §. 12. metam in hisce vermibus metaphoram collocat. Sed sanè meritò, sibique cohærenter. quia non Purgatorij modo, sed & omnem gehennæ ignem vetum sustulit. cum iste ignis et aliud nihil *ibidem* sit, quam DEI *ipsius indignatio.*

QVAESTIVNCVLA III.

An ad præsens, vel futurum sæculum potius, pœnæ hic enumeratæ pertineant:

PERTINERE ad futurum videntur potius. *Primò*, quia cum simpliciter iudicij dies nominatur, neque aliud, quod alium diem suadeat; adiungitur, vtique magnus ille, quo generale iudicium futurum est; dies significatur. *Deinde*, quia perspicuis verbis Græcè. Launeque asserit, hasce pœnas esse sempiternas. Licet enim quandoque sempiternum dicatur, quod longiori tempore permanet hoc in mundo, quæ tamen in vnius hominis vita sempiternitas: quid in eo, qui breuissimo viuit tempore, qui fœnum est hodie, & cras in clibanum mittitur; æternum: Multò verò minus iis verbis, qui cadauerum sanie pascuntur, æternitas, aut vitæ longitudo tribui potest. Sanè, *cum Holophernis cubiculo attulerat; in anathema obtulisse.* Istud *anathema*, non est detestatio, vel detestationis signum: sed illustre donum, quod DEO dicabatur, & in templo reponebatur. & ipsa etiam scriptione ab illo differt. Illud enim est ἀνάθεμα: hoc ἀνάθημα. ideoque ex Græco constare videtur, nostro in Latino redundare; *obliuionis.* Nam ad memoriam illud potius valebat, non ad execrationem, & nominis obliuionem, vt vel ex Numerorum citato capite ver. 54. perspicuum. Nam quod Victores illi grati obtulerunt, *susceperunt Moyses, & Eleazarus Pontifex, susceptumque intulerũt in tabernaculum testimonij, μνημόσυνον τῶν υἱῶν Ισραὴλ ἐναντίον κυρίου. in monimentum filiorum Israel coram Domino.* Quia tamen in correctis Biblijs *oblinio* ista retinetur, explicandum erit *anathema obliuionis*, id quod contra obliuionem faciat, ab eaque ipsam Iudith vindicet. Dicebat Lollio suo Lyricus: —— *Non ego te inclis Chartis mornatum fileri. Totue tuos patiar Labores impune Lolli carpere limidus Obliuiones.* Multo verò minus iisdem obliuionibus, Te, ô sanctissima vidua, obnoxiam, vllo quantumuis longissimo spacio, esse patietur ista tua tanta in DEI domum munificentia. Verè, quod ille addit: —— *est animus tibi Rerumque prudens & secundis Temporibus, dubiisque rectus: Vndex anare fraudis, & abstinens Ducentis ad sæcuncta pecuniæ.* Si enim pecuniam amares, si quæ ad se cuncta ducit, te duceret. si domum tuam, præ DEI templo, ditatam, ornatamque malles, non argentum, aurum, vestem, gemmas, & alia, quæ tantis è manubiis ad te meritissimò veneranq; ilicò consecrares, & quidem *vniuersa* nullam vt partem vel minimam retineres. Hoc exemplum imitatione dignissimum censuerunt nostri Constantini, Theodosij, Iustiniani, Henrici, & Caroli, qui tanta munificentia tot sacras ædes excitarunt, locupletarunt. Nos verò, quibus res angusta, imo & nulla domi; ad Ecclesiæ dignitatẽ, laborem, & ingenia conferamus. Discipulo cuidam suo ingeniosissimo, & politioribus reconditioribusque literis excultissimo (Licentius vocabatur) scribebat S. Augustinus epistola 39. *Si cahiem aureum inuenisses in terra, donares illum Ecclesiæ* DEI. *Accepisti à* DEO *ingenium spiritaliter aurum, & ministras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas tetipsum?*

SEPTIMVM, ex iisdem octo propositis, quid deinceps Hierosolymis populus, & Iudith fecerint, ver. 24. 25. *Erat populus iucundus, secundum faciem sanctorum*, id est, *lætabatur*, inquit Carthusianus, *spiritali lætitia, secundum apparatum hominum virtuosorum, & sicut in factibus sanctorum virorum, solet ex interiori syncritate, & iucunditate interna iucunditas, quædam forinsecus, & claritas relucere. Hoc est gaudium quod in Domino vocat S. Paulus Philipp. 3. Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Atq; hoc magnum quidem est, sed nunquam inane, immoderatum, profusum, cui adsint commessationes, ebrietates, libidines. Post deuictum Orientem describit extremo lib. 9. Curtius ingentem Alexandri, Macedonumque lætitiam. *Ille vicos per quos iret (historici verbis loquar) floribus coronisq; sterni iubet. Liminibus ædium craterasq; vino repletos, & alij eximiæ magnitudinis vasa disponi. Vehicula deinde constrata, vt plures capere milites possent, in tabernaculorum modum, ornari, alia candidis velis, alia veste pretiosa. Primi ibant amici, & cohors regia, vario redimita floribus coronisque. Alibi tubicinum cantus, alibi lyræ, omnibus audiebatur. Item in vehiculis, pro copia cuiusque, ad ornatum adornatis comessabundi exercitus arma, quæ maximè decorauerant, circumpendentibus, ipsum, comitumque currus videbat, craterisq; aureis, eiusdemque materiæ ingentibus poculis pragrauis. Hoc modo, per dies septem, bacchabundum agmen incessit.* Non est hoc gaudium *in Domino*, non iucunditas, & *lætitia secundum faciem sanctorum* quin & historico ipsi ea ipsa, *mollitiæ probrum* appellatur, additque; *Si quid victu saltem aduersus comessantes animi fuisset, mille Hercule viri, modo & sobrij, septem dierum crapula graues in suo triumpho capere potuerunt.* Est verò & expositio altera, vt *secundum faciem sanctorum esse iucundum*, sit in tẽpli conspectu, ante adyta & sancta ipsa, sacrificia DEO varia, holocausta, & pacifica in gratiarum actionem, offerre, simulque lætari, & epulari. Nam sacræ, post victimas, hostiasque immolatas, epulæ iam notæ satis. *In conspectu*

QVAESTIVNCVLA IV.

Sintne ignes, & vermes isti sola impiorum corpora cruciaturi:

DIXIT, ait nostra Iudith, *Dominus ignem, & vermes in carnes eorum.* Solas carnes memorat, non animos. & quomodo rem corporis expertem, corporea natura cruciet: Quæ corporis in metaphoras comminiscerentur. alij verò ignem soli cruciãdo corpori, improprios verò soli animo vermes affingerent. Sed quia disputatio copiosior alterius loci est; videatur loc. cit. arr. 2. Sotus D. Augustl. lib. 11. Ciu. cap. 4. & sequẽtibus, Abulẽsis loco citato, Otthoo Frisingensis lib. 8. cap. 25. *Carnis* verò nomẽ etsi non raro pro hominibus ipsis ponitur, vt Psal. 61. *Omnis caro ad te veniet.* Ioelis 3. Actor. 2. *Effundã de spiritu meo super omnem carnem:* quia tamen accuratè dicitur; *in eorũ carnes;* propriè has intellige, q̃ post magni Iudicij vltimi diem his etiã tormentis exurẽdæ, lacerandę diuexandęq; sunt. Qui porro textus de carnibus id affirmat, de animis tacet ille quidẽ, sed nõ inficiatur. Ideoque

& hi ab illis carnificinam quandam veram, & propriam perpensuri sunt: non quasi naturæ vi verũ possint animis dolorem extrinsecus inurere corporeæ vllæ res, sed ipsius DEI potestate, cum iustitiæ illic diuinæ instrumenta tantum sint.

SEXTVM eorũ, quæ ante Iudith mortem post victoriam facta sunt; est, quidquid vbi Hierosolymam attigissent; cõfestim egerunt & populus, & Iudith, v. 22. 23. De populo tria recensentur. *Primum*, in gratiarum actionem, DEVM adorarunt. Nam quod Latinus ait venisse populum *adorare Dominum*, paulò clariùs in Græco est; *vt Hierosolymam venerunt*, DEVM *adorarunt. Alterum. Purificatus est populus* ob cædes, videlicet bello, licet iusto illatas, cadauerumque ipsorum strages, & contactus. Ita enim præceperat Dominus Numerorum 31. vers. 24. *Lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis.* hæcque consuetudo seruabatur, vt ait secundus Machabæorum cap. 12. ver. 30. *Tertium. Obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repromissiones suas. Vota* Græcè vocantur τὰ εὐκτήρια, id est, *spontanea*. quæ sua scilicet sponte, non vllo legis præcepto quispiam offert, vt in votis fit, quæ non iubentur, sed in cuiusque arbitrio sunt. *Repromissiones* verò τὰ δωρεὰ, id est, *dona*, quæ spontaneis vel per exegesin adiungutur, vel à spontaneis ita distinguuntur, vt *spontaneorum nomine* sacrificia σωτήρια, & εὐχαριστικὰ contineantur, *dona* verò, quæ simplici oblationum nomine importantur, & DEO consecrantur, vti spoliorum primitiæ, aurum, argentum, vestes, & similia, cuiusmodi paulò post in Iudith enumerantur, & legimus Num. 31. Chiliarcharum, & Centurionum, ob admirabilem exercitus incolumitatem, donaria ver. 50. 52. De Iudith ergo subiungitur ver. 23. DEO *vniuersa*, quæ populus ipsi dederat, nominatim verò illud etiam conopeum, quod ex Holophernis cubiculo attulerat; *in anathema obtulisse.* Istud *anathema*, non est detestatio, vel detestationis signum: sed illustre donum, quod DEO dicabatur, & in templo reponebatur. & ipsa etiam scriptione ab illo differt. Illud enim est ἀνάθεμα: hoc ἀνάθημα. ideoque ex Græco constare videtur, nostro in Latino redundare; *obliuionis.* Nam ad memoriam illud potius valebat, non ad execrationem, & nominis obliuionem, vt vel ex Numerorum citato capite ver. 54. perspicuum. Nam quod Victores illi grati obtulerunt, *susceperunt Moyses, & Eleazarus Pontifex, susceptumque intulerũt in tabernaculum testimonij, μνημόσυνον τῶν υἱῶν Ισραὴλ ἐναντίον κυρίου. in monimentum filiorum Israel coram Domino.* Quia tamen in correctis Biblijs *oblinio* ista retinetur, explicandum erit *anathema obliuionis*, id quod contra obliuionem faciat, ab eaque ipsam Iudith vindicet. Dicebat Lollio suo Lyricus: —— *Non ego te inclis Chartis mornatum fileri. Totue tuos patiar Labores impune Lolli carpere limidus Obliuiones.* Multo verò minus iisdem obliuionibus, Te, ô sanctissima vidua, obnoxiam, vllo quantumuis longissimo spacio, esse patietur ista tua tanta in DEI domum munificentia. Verè, quod ille addit: —— *est animus tibi Rerumque prudens & secundis Temporibus, dubiisque rectus: Vndex anare fraudis, & abstinens Ducentis ad sæcuncta pecuniæ.* Si enim pecuniam amares, si quæ ad se cuncta ducit, te duceret. si domum tuam, præ DEI templo, ditatam, ornatamque malles, non argentum, aurum, vestem, gemmas, & alia, quæ tantis è manubiis ad te meritissimò veneranq; ilicò consecrares, & quidem *vniuersa* nullam vt partem vel minimam retineres. Hoc exemplum imitatione dignissimum censuerunt nostri Constantini, Theodosij, Iustiniani, Henrici, & Caroli, qui tanta munificentia tot sacras ædes excitarunt, locupletarunt. Nos verò, quibus res angusta, imo & nulla domi; ad Ecclesiæ dignitatẽ, laborem, & ingenia conferamus. Discipulo cuidam suo ingeniosissimo, & politioribus reconditioribusque literis excultissimo (Licentius vocabatur) scribebat S. Augustinus epistola 39. *Si cahiem aureum inuenisses in terra, donares illum Ecclesiæ* DEI. *Accepisti à* DEO *ingenium spiritaliter aurum, & ministras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas tetipsum?*

SEPTIMVM, ex iisdem octo propositis, quid deinceps Hierosolymis populus, & Iudith fecerint, ver. 24. 25. *Erat populus iucundus, secundum faciem sanctorum*, id est, *lætabatur*, inquit Carthusianus, *spiritali lætitia, secundum apparatum hominum virtuosorum, & sicut in factibus sanctorum virorum, solet ex interiori syncritate, & iucunditate interna iucunditas, quædam forinsecus, & claritas relucere. Hoc est gaudium quod in Domino vocat S. Paulus Philipp. 3. Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete.* Atq; hoc magnum quidem est, sed nunquam inane, immoderatum, profusum, cui adsint commessationes, ebrietates, libidines. Post deuictum Orientem describit extremo lib. 9. Curtius ingentem Alexandri, Macedonumque lætitiam. *Ille vicos per quos iret (historici verbis loquar) floribus coronisq; sterni iubet. Liminibus ædium craterasq; vino repletos, & alij eximiæ magnitudinis vasa disponi. Vehicula deinde constrata, vt plures capere milites possent, in tabernaculorum modum, ornari, alia candidis velis, alia veste pretiosa. Primi ibant amici, & cohors regia, vario redimita floribus coronisque. Alibi tubicinum cantus, alibi lyræ, omnibus audiebatur. Item in vehiculis, pro copia cuiusque, ad ornatum adornatis comessabundi exercitus arma, quæ maximè decorauerant, circumpendentibus, ipsum, comitumque currus videbat, craterisq; aureis, eiusdemque materiæ ingentibus poculis pragrauis. Hoc modo, per dies septem, bacchabundum agmen incessit.* Non est hoc gaudium *in Domino*, non iucunditas, & *lætitia secundum faciem sanctorum* quin & historico ipsi ea ipsa, *mollitiæ probrum* appellatur, additque; *Si quid victu saltem aduersus comessantes animi fuisset, mille Hercule viri, modo & sobrij, septem dierum crapula graues in suo triumpho capere potuerunt.* Est verò & expositio altera, vt *secundum faciem sanctorum esse iucundum*, sit in tẽpli conspectu, ante adyta & sancta ipsa, sacrificia DEO varia, holocausta, & pacifica in gratiarum actionem, offerre, simulque lætari, & epulari. Nam sacræ, post victimas, hostiasque immolatas, epulæ iam notæ satis. *In conspectu*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domini permanserant olim deprecantes, & ieiunantes cap. 4. vers. 15. fol. 264. ideoque nunc *in conspectu Domini*, coram sanctuario lætantur. Multò tamen hoc, quam Alexandreum illud, gaudium fuit, vt purius, & sanctius: ita etiam constantius, & productius. Nam *per tres menses huius victoriæ gaudium celebratum est cum Iudith*. quia & ipse Hierosolymis μετ' αὐτῶν καλήμενεν, *cum ipsis manebat*. Vtrolibet autem modo ista, secundum faciem sanctorum, iucunditas accipiatur, eius præclarum exemplum est in famosa illa, de qua in superiori capite, Christianorum, contra Saracenos, victoria, prout lib. 11. cap. 24. sub finem, explicat citatus Mariana, & cap. 25. ipsemet, qui belli caput erat; Alphonsus Castellæ Rex, in suis ad Innocentium Pontificem literis, vti vel pauca hæc eius verba indicant; *Nos insequentes eos vsq; ad vocem: plures tamen insequendo interfecimus, quam in bello: & sic bellum Domini à solo Domino, & per solum Dominum est feliciter consummatum.* DEO *autem honor & gloria, qui cruci suæ devera relatione didicimus, a quibusdam Regis Sarracenorum, quos captiuos cepimus) centum octoginta quinq; millia equitum. Peditum vero non erat numerus. Occubuerunt autem ex parte Regis Saracenorum cœtum millia armatorum, & amplius secundum æstimationem Sarracenorum, quam postea accepimus. De exercitu autē Domini, quod non sine grandi gratiarum actione recitandum est, quod incredibile est, nisi quia miraculum est, vix viginti quinque Christiani, aut triginta de toto exercitu occubuerunt. O quanta lætitia! O quot gratiarum actiones! nisi de hoc dolendum sit, quod tā pauci martyres de tanto exercitu, ad* CHRISTVM, *martyrio profecerit moram, ad omnia incendia quæ necessaria erant in coquendis cibis & pane, & alijs, non combusserunt alia ligna, nisi de sagittis & lanceis eorum, quæ remāserunt, & vix potuerunt comburere medietatem. Cum q; tantum inuenerunt tam ciborum, quam armorum, nec non etiam dextrariorum, & aliorum iumentorum copia, quam cœperunt.* Et in extrema literarum clausula; *Hæc sanctissime Pater, vobis scribenda decreuimus, pro auxilio totiꝰ Christianitati impenso, gratias, quas possumus, exhibentes: & humiliter supplicantes, vt ves, quem Dominus ad summi sacerdotij gaudiū elegit; ei, cum sacrificio laudis, pro salute populi immoletis.* Postò, Hierosolymis congregati tanto numero Israëlitæ, *post dies illos*, id est, post trimestre hoc tempus, abierunt, ver. 25. *quilibet in domum suam*, seu, vt Græcus habet, *in hæreditatem suam.* in quo & de Iudith hoc ipsum disertè notatur; Ιουδὶθ ἀπῆλθεν εἰς ἑστιὰν αὐτῆς, καὶ καλήμενεν ἐπὶ τῆ ὑπάρξεως αὐτῆς. *Iudith abiit Bethuliam, & in possessione sua permansit.*

OCTAVVM tandem & postremum eorum, quæ ante Iudith mortem dicenda fuerunt est, eorum, quę reliquo vitę tempore Iudith gesserit, vel olim iam gesserat; quędam veluti summa. in qua in Græco *de tota terra* est; Latinus modificet, ac interpretetur ἔνδοξος ἐν πάσῃ τῇ γῇ, scilicet *Israelitineque ante factum hoc, neque postea vnquam, nubere voluerit.* Et multa tamen, quæ ad nuptias *ria.* Quōnam verò procedebat? Ex appositione *dierum festorum*, colligere datur, processisse Hierosolymam. quemadmodum Anna Samuelis mater 1. Reg. 1. Beatissima virgo Lucæ 2. Sed *gloria*, quæ Comitatus aderat maximus: eius laudatio iterabatur: canticum repetebatur, omnisque ille coropla & synaxes vsitatum. quemadmodum apud Tertullianum lib. 2. ad vxorem, libro de præscript. nuit festorū dierum notatio, tantumq; remansit, ἓν προσθέωνται μεγάλη σφόδρα. *Erat procedēs magnatum*, ibidem, *dimisit abram suam liberam.* Ea libertatis toti Iudęorum populo restituendę famula coHolopherniana præda spoliis. Atque hic obseruandus gratus dominæ erga ancillam animus. quem etiam natura Gentiles ipsos docuit, vti libertarum libertorumque apud Romanos tam varia & nomina & iura ostendunt.

De ijs, quæ post Iudith mortem, tradit textus.

QVÆ post Iudith mortem contigerint, quatuor hic in textu subtexuntur, ver. 28. & sequentib. eius nimirum sepultura, populi luctus, Reipublicę tranquillitas, Ecclesiæ pietas ac religio.

QVAESTIVNCVLA I.

Quonam ætatis suæ anno, mortem Iudith obierit?

TRES sunt opiniones. *Prima.* è vita migrasse ipsam, anno ætatis suæ quinto supra centesimū. *Altera*, centesimo & vicesimoquinto. *Tertia*, centesimo & quinquagesimo. In Suida. n. ita legitur. ὑπὸ-

ψασα, ἐν τῷ οἴκῳ αὐτῆς ἀφ' ἡμῶν ἔχουσα ἐπὶ δύτης ρ' ἔτη βιώσασα. *Reuersa habens in domo sua virtutem & exercitationem, mortua est, cum vixisset annos 150.* Sed, *quæ ordine mihi prima fuit, eadē & veritate primas tenet.* Nam Latinus textus, etsi paulò est obscurior, è Græco tamen ei luminis aliquid affundi potest. Sic enim ille versu 28. *Mansit in domo viri sui annos centum quinq;.* Videtur tempus describi vel à viri eius morte, vel etiam à nuptiis cum eo initis, quādo in viri domum ducta est Græcus tamen ab ipsius Iudith natiuitate tempus hoc ordiendum ostendit. ἐγήρασεν ἐν τῷ οἴκῳ ἀνδρὸς αὐτῆς ἔτη ἑκατὸν πέντε. *Consenuit, in domo viri sui, annos centum quinque*, id est, consenuit vsque ad annum ætatis quintum & centesimum. non, viro suo mortuo, eius relinquens domum, sed in ea deinceps permanens. Sicque ipsius vitæ tempus definierunt Sulpitius in historia, D. Athanasius in synopsi; *Mortua est*, inquit, *postquam in viduitate honestè vixisset, ætatis anno centesimo quinto.* Rabanus in hunc locum, Zonaras Annaliū Tomo 1. ὑπέρσχε ψευεὶς τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ καλεγήρασεν ἐν σωφροσύνῃ, καὶ πάνυ ζήσασα ἔτη πέντε καὶ ἑκατόν. *Domum reuertit, & consenuit in castitate, & mortua est, postquam vixisset annos quinque & centum.* Quomodo igitur scribere audet loco citato Wittakerus; *In capite vltimò legimus Iuditham vixisse supra annos 105?* Nam istud *supra*, ipse textui adiicit. Mansit verò post viri obitum, & præclarum suum hoc factum quoad vitæ suæ partem residuam, in viri domo, cum vixisset annos centum quinque. In Suida verò fortè pro ρν, legendum ρε.

QVÆSTIVNCVLA II.

Qua ætate ad Holophernem ierit?

QVANDO, ait loco citato Wittakerus, *Holophernes in Iudæa fuit, Iudith non excesserat florem ætatis. Nam & pulchra admodum fuit. & Holoferni placuit, & puella vocatur, cap. 12. Si florem ætatis* certo annorum numero definiisset, commodiùs ei responderi posset. Nam in iis quibus vita breuior, est & ætatis flos breuior. Quæ diuturna sunt, eadem etiam corporis viribus & formâ vigere diutius & florere assolent. *Suæ* igitur *ætatis anno minimum quadragesimo videtur ad Holophernem isse Iudith.* Tùm enim videri adhuc potuit pulcherrima, partim ea, quę ipsi diuinitus indita est cap. 10. vers. 4. pulchritudine, partim ea, quæ ipsi naturalis fuit. Non enim olim tantum, cum ferè esset hominū vita productior, fœminarum nonnulla suam adhuc venustatem retinebant anno ætatis quadragesimo & quinquagesimo, sed etiamnum hodie. vti, si quidē minus videretur credibile, viuis adhuc & spirantibus exemplis comprobari posset. Atque idcirco illa ipsi tantopere placuit Holopherni. *Puellam* vocat cap. 12. Bagoas Eunuchus, *primò*, quia ob eximiam pulchritudinis venustatem, tenellam etiamnum puella videbatur. *Deinde* solent libenter, qui fœminis blandiri, easque ad facinus illicere procarique volunt, *puellarum* iis nomen dare. Sciebat marito adiugatam Helenam Phryx ille adulter, eam tamen affabatur.

Da mihi te facilem, nec dedignare maritum
Rure Therapnæo nata PVELLA *Phrygem.*

Tertio ipsamet Iudith cap. 11. ver. 4. sese, per demissionem, vocarat Holophernis παιδίσκην, & sępius eodem capite & 12. παῖδα, id est, *ancillam.* Alludit ergo ad ipsius Iudith verba Eunuchus, & mollius illud proponit, & quidem nouo cum blandientis lenocinio παιδίσκη ἡ καλή, *pulchra puella.* Hanc enim ex earum numero putabat, de quibus ille:

Delectant etiam castas præconia formæ.
Virginibus curæ est, grataque forma sua.
Blanditiasque molles, aureque tuentia verba
Asser, vt aduentu læta sit ipsa tuo.

Iuuenem verò eam, loco infrà citando, vocauit S. Fulgentius, *partim* ob egregiam formæ speciem, *partim* ob ipsam etiā ætatem. Nam libro de die Natali cap. 14. ait Censorinus, *a iuuando* Reipublicam dici *iuuenes*, horumque annos porrigi ad annum 45. Iudith verò etiam infra quadragesimum quintum fuisse dici potest, & non maximopere Reipublicam tùm iuuit?

QVAESTIVNCVLA III.

Quot annos vidua Iudith fuerit? & num ei hæc laudi viduitas?

SI suæ, vti dictum est, ætatis anno quadragesimo, vel præter propter, se ad Holophernem Iudith contulit, & ante annos tres & menses sex, eius vir in viuis esse desierat, cap. 8. vers. 4. colligitur, cum vidua esse inciperet, annorum fuisse 36. aut circiter. quibus si annos, qui ad totū eius vitæ spacium quod centum & quinque annis circumscripsit quæstiuncula prima, explendum residui sunt, adiicias, in viduitate permanserit annos 69. & quod excurrit.

An verò in viduitate istiusmodi permanere laudi dandum sit, respondendum aliter, si Iouinianum hæreticum, aduersus quem totis duobus libris pugnauit Diuus Hieronymus, & si nostri temporis

Universidad de Deusto
Biblioteca

poris Nouatores consulamus: aliter si Euangelistas, Apostolos, & sanctos Patres. Viduitatis illi statum vituperant, coniugio, & secundo & tertio, & si velis, quarto, quinto & quotum cuique lubebit; exequant: ab eaque sermonibus, libris, exemplis maximè auocant. Hi verò secus omnia. S. Lucas cap. 2. ver. 36. demonstraturus, quantæ sanctitatis, & auctoritatis Anna illa fuerit, quæ CHRISTO Domino tam illustre testimonium dedit, ab ipso eius viduatu commendationem etiam petit. *Hæc, ait, processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor.* D. Paulus 1. Corinth. 7. ver. 8. *Dico autem non nuptis & VIDVIS; Bonum est illis si sic permanent sicut & ego.* Et v. 27. *Solutus es ab vxore? Noli quærere vxorem.* vers. 32. *Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat* DEO vers. 34. *Mulier* INNVPTA *& virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta, & corpore & spiritu.* Tandem de ea fœmina, quæ in matrimonium aliquando venerit, sub capitis finem ver. 39. & 40. tria veluti effata proponit. *Primum* est, quid viuēte adhuc marito, eam facere oporteat. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit. Alterum*, quemadmodum, eo mortuo, bonum sit; possitque illa matrimonium iterare. *Quod si dormierit vir eius. Cui vult nubat: tantum in Domino. Tertium*, quemadmodum eodem mortuo, melius adeoque beatius sit, non iterare matrimonium, sed viduitatem retinere. *Beatior erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quod & ego spiritum* DEI *habeam.* S. Ignatius epist. 8. ad Philippenses; & epist. 10. ad Smyrnenses maximo in honore istiusmodi viduas habet. D. Ambrosius libro de viduis toto, viduitatis elogia canit quamplurima. & quidem post libros de virginibus, illum de viduis librum ita ferè orditur. *Non inhonoras debuimus præterire, & à virginum præconio separare, quas apostolica sententia cum virginibus copulauit. Iuxta quod scriptum est: Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ sunt Domini: vt sit sancta corpore & spiritu. Quodammodo enim magisterium virginitatis, & viduarum valescit exemplo. Quæ cum viro castum cubile custodiunt, documento virginibus sunt, integritatem* DEO *esse seruandam. Et propemodum non inferioris virtutis est, eo abstinere coniugio, quod aliquando delectauit, quam coniugij obiectamenta nescire. In viros, fortes: vt eas & coniugij non pœniteat, cui fidem seruent, & coniugalia oblectamenta non allegent,* ne viduentur, infirmæq; sibi *adesse nō possunt.* Duus vero Augustinus libro de bono viduali cap. 5. *Et bonum est pudicitia coniugalis, sed melius bonum est continentia vidualis. Hoc ergo melius illius boni suffragijs honoratur: non illud bonum melioris huius laude damnatur.* Rursumq; cap. 4. & 7. breuiter; *Beata est Ruth: sed Anna beatior.* Illa enim ad nuptias alteras trāsiit: hæc post primas vidua perstitit. Sumus D. Augustini non tam imitator quam imago S. Fulgētius epist. 2. cap. 6. *A muliere* ait, *nupta mutatur innupta & virgo, non parua gradus dignitate discernitur: quandoquidem nupta cogitationibus mundanis tenetur obstricta: Mulier autem innupta, & virgo carnalibus tribulationibus nō subijcitur: quia carnalis matrimonij vinculo non tenetur: Vbi certior est corporalis atq; spiritalis continentia libertas, quia nulla est ex cōiugali seruitute necessitas. Virum q; igitur denum* DEI *est, & coniugalis pudicitia, & continentia vidualis.* Et posteà: *Beata, quæ illicitum concubitum turpitudinis horrore non appetit: sed beatior, quæ licitum maiore priuatus amore contemnit. Beata, quæ alligata viro sic viuit, vt soli viro carnis suæ debitum reddat: sed beatior, quæ soluto sic permanet innupta ne debeat.* In eandem sententiam loquuti complura sunt D. Epiphanius in hæresi Apostolicorum, D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, epist. ad Principiam, Saluiam, Furiam, D. Chrysostomus homil. 69. in Iohannem, homil. 3. de pœnit. hom. 6. in 1. Thessal. homil. 10. & 13. in 1. Timoth. homil. 7. in 2. Timoth. alij. de quibus lib. 3. de Continentia Claudius Espencæus. Et sanè, si apud DEVM & homines in laude merito ponitur perpetuam virginitatem tueri, non etiam laudandum, quod huic proximū est tenere, alioſque thalamos declinare? Hoc igitur est quòd ita vt *non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius.*

QVAESTIVNCVLA IV.

Quæ laudatiorem Iudith viduitatem efficiant?

ETSI coniugio melior & laudatior viduitas est; in hac tamen ipsa possunt gradus quidam inesse, vt ostendit libro de bono viduitatis cap. 14. D. Augustinus. & lib. de viduis D. Ambrosius. Ad summum verò gradum Iudith viduitatem euectam pænè fuisse docent hæc. *Primum*, vniuira fuit tus indicat, dum ait; *vt non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir eius. Alterum*, ætas ad nuptias ei adhuc aderat valdè habilis. iuuentus nimirum, vel certè cōstans & robusta ætas, vti supra patuit. *Tertium*, forma insignis. *Quartum*, facultates amplissimę. *Quintum*, honor & gloria, post generosissimum præsertim facinus hoc; illustrissima. *Sextum*, confecuta Reipub. quies, magna rerum ipsius omnium prosperitas. *Septimum*, insitus quidam hominibus amor sui & generis & nominis propagandi. Quomodo enim non optaret, semper esse quam plurimos, qui Iudithæum stemma, Merari stirpem, Manassæ nomen tuerentur. & è tam nobili tamque fructuosa radice orti, tantæ victoriæ, tantique decoris apud posteritatem essent non testes modo, sed & hæredes perpetui? *Octauum*, magna eorum multitudo, qui ipsius ambirent, rogarentque coniugium. Et si enim

si enim id è tam multis quæ iam dicta, quæque amatores & coniuges attrahere solent; manifestum, signatè tamen addidit Græcus textus; Καὶ πολλοὶ ἐπεθύμησαν αὐτῆς. *& multi eam desiderarunt. Nonum*, qualitas eorum, qui eam coniugem prehensabant. Neque enim viles aliquos fuisse putandum, sed summos & in Israëlitarum Gente principes viros, opulentia fortè superiores, pietate ac religione, quam ab ipsa spectari maximè sciebant; præstantissimos. *Decimum.* Illo tempore, quemadmodum virginitatis perpetuę vix vllum ita custodiendæ ad viræ finem viduitatis rarum erat exemplū. Nam vt libro nominato cap. 7. ait S. Augustinus; *Alia prophetica temporibus sanctarum fœminarum dispensatio fuit, quas nubere obedientia, non concupiscentia compellebat, vt propagaretur populus* DEI *in quo præmonstrarentur Prophetæ* CHRISTI, *ex quo nasceretur etiam caro* CHRISTI: *cum & ipse populus per ea quæ in figura contingebant in illis, siue in illis, qui scirent, siue in ijs qui illa nescirent, nihil aliud esset quam Prophetæ* CHRISTI, *ex quo nasceretur etiam caro* CHRISTI. *Vt ergo ille populus propagaretur, maledictus habebatur per legis sententiam, qui non suscitaret semen in Israel. Vnde & sanctæ mulieres accendebantur non cupiditate concumbendi, sed pietate pariendi, vt rectissimè credantur coitum non fuisse quasi aream: si proles posset aliter prouenire. Vndecimum.* Diuturna fuit hæc eius viduitatis custodia, dum quotidianum & assiduum cum carnis cupiditatibus & voluptatibus omnibus totos pœnè vndeseptuaginta, vti suprà didicimus; annos bellum gessit. Ab hac enim vidui thori diuturnitate laudat S. Lucas Annam illam prophetidem cap. 2. ver. 37. *Hæc*, inquit, *vidua, vsq; ad annos octoginta quatuor.* Licet enim Græci quidam libri habeant, non vt noster legit Interpres, ἕως ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων sed ὡσ. id est, non *vsque ad annos 84.* sed *quasi annorum 84.* attamen ita legerunt & inde insignem laudis materiam duxerunt veteres, D. Ambrosius in eum locum, & libro de viduis, D. Augustinus epist. 121. cap. 16. Legit etiam isto modo Romana correctio, & verò quidam etiam Græci codices; prout alioqui Nouator non incuriosissimus, agnoscit eum in locum Beza. Et cur absurdum adeò videatur, si anus illa sanctissima vitam, ad annum vsque centesimum decimum, propagarit, cum & hodie tales non omnino nusquam sint? Si necdum tamen assenturi velis, istud tamen confitebere, longiore tunc viduali castimonia superatam à Iudith Annam illam. rursumque viduis etiam sexagenaria iunioribus exemplum, hoc loco, præbitum, quo ad continentiæ obseruationem inuitentur. quod Calumo lib. 4. Institut. cap. 13. §. 19. tantopere displicet: Diuis verò Augustino & Ambrosio, locis antea indicatis, etiam è D. Pauli mente; perplacet: *Duodecimum*, quòd viduitas in Iudith, absque virtutum, operumque bonorum comitatu, solitaria nequaquam fuerit, prout suprà cap. 8. & hactenus perspectum. Ideoque ait textus vers. 26. *Erat etiam virtuti castitas adiuncta.* Et Suidas eam habuisse dixit ἀσκητικὴν καὶ ἄσκησιν, *virtutem & exercitationem.* Quæ verò hæc ἄσκησις seu exercitatio? τὸ τῆς ἀσκήσεως καλὸν ὄνομα. id est, *honestum exercitationis nomen*, inquit cap. 30. Pollux, maximè tribui solet studijs & exercitationibus pietatis, castitatis, precationum, vigiliarum, ieiuniorum, aliarumque actionum similium. Hinc enim apud veteres monachi & religiosi vocantur *asceta*, monales, *ascetriæ*. quemadmodum docet in ascetricis D. Basilius, Canon Apostolicus 53. Synodus Gangrensis can. 12. 13. 15. 17. 18. Cyrillus Catech. 3. Iustinianus Nouel. 5. §. *Hinc autem*, Damasc. lib. 4. Orthod. cap. 16. & è recentioribus Catholicis Billius lib. 1. sacrarum obseruationum cap. 40. Petrus Faber libro 2. Agonisticon cap. 28. Quin & Suidæ ipsi ἀσκήσεις exponitur ἐγκράτειαι καὶ ἀγωνίαι, *continentiæ & certamen.* & apud Latinos ipsum *exercere*, vt dum ad Demetriadem ait D. Hieronymus suprà cap. 8. in quæst. fol. 350. citatus; *Manet semper est exercendum.* Ex hæreticis verò, sic etiam lib. Academ. Franciscus Iunius; *Asceterium ἀσκητήριον Græca origine in prisca Ecclesia gymnasium sacrum vocabatur, in quo asceta, aut ascetriæ, id est, viri aut fœminæ se in meditatione rerum sacrarum, & officiorum exercitatione occupabant. Sic appellant Leo & Anthemius Cæsares in Lemnia, 35. C. de Episcopis & Clericis* Iudith ergò, in suo isto viduatu, dum *ascesin*, seu *exercitationem* habuisse dicitur, multis magnisque sanctissimorum, quibus DEVS coleretur, ipsāq; plurimum exornaretur, operum studijs deditissima fuisse significatur. ita vt veteris testamenti *ascetria* quædam fuerit. Videtur verò Suidas hoc ipsum à vetustioribus nonnullis didicisse, in quibus etiam est Diuus Athanasius in synopsi, dum ait; *Ipsa Iudith Hierosolymā profecta, omnia obtulit Domino: indeq; domum reuersa, pietatis exercitium retinuit Decimumtertiū.* Omni studio ea, quibus vidualis ab omni prolapsione defendi queat puritas confectara est, in cibo, potu, vestitu, publici fuga, multo ferioque precatu, prout cap. 8. explanatum. *Decimumquartum.* Vnum est, quod piis sanctisque studijs ipsique adeò viduitati decus, gratiam, & meritum maximum conciliare solet; *votum* scilicet. Nam, vt ait libro de bono viduitatis D. Augustinus cap. 5. *Ab illicitis valde longe est, quæ* VOTI *libertate se obstrinxit: & sibi etiam licita ne liceret, non imperio legis, sed consilio charitatis effecit.* Quæri ergo potest, an & voto sese ad viduatus perpetuitatem deuinxerit Iudith vidua? Et quod affirmem nihil habeo, nisi non liquere. Quamuis enim virginitatis tunc votum non fuerit, vti à nobilibus, de quibus Tomo 2. disput. 6. de B. Virgine sect. 3. Soarez, auctoribus pronunciatum: de viduitate tamē voto plus esse queat controuersiæ. Sed concludo, tam illustrem sanctæ Iudith viduitatem esse, vt à patribus partim suprà citatis, partim infrà citandis, tamquam egregium, in quod incueri oporteat; exemplar celebratum sit. ideoque & paucis, loco indicato, D. Athanasius; *Ad mortem vsque in viduitate perdurauit Iudith. Nemo enim illi nuptias persuadere potuit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA V.

An viduæ Iudith monogamia digamiam damnet?

DAMNARE censuit Tertullianus, qui libro de Monogamia cap. 17. dum secundarum nuptiarum patrocinio carnis quidam imbecillitatem allegarent; *Hanc*, ait, *iudicabant iam non Isaac monogamus pater noster, nec Ioannes aliqui* CHRISTI *spado nec* IVDITH *filia Merari, nec tot alia exempla Sanctorum, solet Ethnicis iudices destinari. Exurget regina Carthaginis* Dido *& decernet in Christianas.* Videlicet in Montani errorē, qui secundas nuptias velut adulteria quædam damnabat; lapsus tandem est Tertullianus, eumque tunc librum scripsit. *Heretici*, ait S. Augustinus libro 2. contra aduersarium legis cap. 9. *docent aduersus Apostolum, quibus etiam Tertullianus astipulator assistit; post vxoris mortem, crimen esse ducere vxorem.* Et libro de hæresibus, hær. 86. *Ideò est Tertullianus factus hereticus, quia transiens ad Cataphryges, quos antè destruxerat, cœpit etiam secundas nuptias, contra Apostolicam doctrinam, damnare.* Non enim quia viduitas bona est, ideò malum est iteratum connubium, neque quia virginitas bona item est, ideò primum etiam connubium malum est. Sed illo illa, & isto ista melior est, quemadmodum pulcherrimè libro de viduis, sæpius iam citato, docet S. Augustinus. vbi *religiosa* DEI *famula*, vt initio eam ipse vocat; Iulianę, quę perpetuam sibi viduitatem indixerat, istas cap. 4. præceptiones dat. *Hoc primum oportet vt noueris, bono quod elegisti, non damnari nuptias secundas, sed inferius honorari: nam sicut bonum sanctæ virginitatis quod elegit filia tua, non damnat vnas nuptias tuas, sic nec viduitas tua cuiusquam secundas. Hinc enim maximè Cataphrygarum ac Nouatianorum hæreses tuerunt, quas buccis sonantibus, non sapientibus etiam Tertullianus inflauit, dum secundas nuptias tanquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apostolus sobria mente concedit. Ab hac sanitate doctrinæ nullum docti disputatione moueris: nec ita extollas bonum tuum, vt quod malum non est, tanquam malum quædam etiam bona superari.*

QVÆSTIVNCVLA VI.

Vbi, & quo luctu, sepulta Iudith?

DICITVR hic v. 28. *sepulta cum viro suo in Bethulia.* Sed cap. 8. quæst. 2. è textu Græco dictum est, illum *in agro, qui est inter Dothaim & Belamon.* humatum fuisse. Vnde per Bethuliam intelligendus hoc loco, *Bethuliensis ager*, siue *locus ipsi Bethuliæ vicinus.* Nam apud Iuris etiam consultos *Romæ appellatio continentibus ædificiis finitur*, l. 2. ff. de verbor. signific. *Itaque ædificia Romæ fieri ea videntur, quæ in continentibus ædificiis fiunt*, l. 139. ff. de verb. signif. *& qui in ea cōtinentibus ædificiis nati sunt, Romæ nati intelliguntur* l. 147. ff. eod. tit. *& penu. quæ Romæ sit legata, non ea tantum quæ intra murum, sed & quæ intra continentia sit deberi*, l. 4. §. si ita. ff. de penu. leg. Sepulta vero est *cū viro suo*, propter morem, de quo Tobiæ cap. 4. præcepto 1. fol. 73. Sic enim & vidua Beati Chrysostomi mater ab hoc filio suo petebat, vt sua cū mariti ossibus ossa conderet, vti refert ipsemet lib. 1. de sacerdotio. Additur porrò vers. 29. *Luxitque illum omnis populus diebus septem.* Tam gratum, post tot eius victoriæ annos, erat eius nomen, tamq; viridis adhuc summi illius beneficij memoria, vt *omnis* eam publico luctu *populus* prosequeretur. Ecclesiastici 22. vers. 13. *Luctus mortui septem dies.* Vnde D. Ambrosius oratione de fide resurrectionis. *Nunc die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est.* D. Augustinus lib. 1. quæst. super Genesim ad finem; *Septimus dies in scripturis auctoritatem habet. Vnde alio loco scriptū est: Luctus mortui septem dierum.* Et postea: *Septenarius numerus, propter sabbati sacramentum, præcipuæ quietis indicium est.* De aliis luctus, aut funebrium precationum diebus, vide Io. Steph. Durantum lib. 2. de ritibus Eccl. Cath. cap. 43.

QVÆSTIVNCVLA VII.

Quanta, post Iudith mortem, in Israelitarum Republica, tranquillitas?

POST *Iudith victoriam*, ait loco cit. Wittakerus, *annos circiter centum, pacem fuisse oportuit. Nam & dum viueret, & post mortem pax multos annos durasse dicitur.* At si nonaginta vel octoginta, post eam Manassę reditum obtigit nobilissima hæc victoria, vti cap. 1. quæst. 2. dictum est. Captus verò videtur ille circa ætatis annum decimum octauum, *vece sic cum intuens esset*, inquit Iosephus lib. 10. cap. 4. Duodecim verò annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ierusalem, 2. Paralip. 33. vers. 1. Manserit verò in captiuitate vnum vel alterum annū, (nam plurima, in eius historia, nos, vt cap. 4. quæst. 2. ostendi, fugiunt) supererunt post eius reditum anni adhuc 47. vel 48. His addę duos filij eius, Amonis annos 4. Reg. 21. ver. 19. & huius filij, Iosiæ annos 31. quibus Israëliticum populum perturbauit nemo; existent, post victoriam illam, tranquillitatis anni

anni 80. vel 81. At, post eandem victoriam, fuit sancta Iudith superstes annos circiter 65. vt è superioribus quæstiunculis planum est. Hoc iam ex 80. subducas, residui adhuc erunt anni 15. quibus, post Iudith mortem, pacem Israëlitica Respublica tenuerit. Hoc igitur textus vult, dum ver. 30. ait; *Io omni spacio vitæ eius, non fuit qui perturbaret Israel, & post mortem eius annis multis.* Difficulter sanè annorum tantum in illa simili phrasi Iudic. 2. ver. 7. excusari potest. *Seruierunt Domino cunctis diebus eius* (Iosuæ) *& senioribus, qui longo, post eum, vixerunt tempore.*

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Liberosne aliquos reliquerit Iudith?

AN filios nullos habuerit Euangelica illa vidua; quæ apud S. Lucam cap. 2. vt supra etiam dictū; CHRISTVM Dominum salutauit, de eoque vaticinabunda testimonium perhibuit, dubitat S. Augustinus libro de viduis cap. 7. *quia* id *scriptura retiendo reliquit incertum.* Idem ergo & de Iudith putarit quispiam respondendum: quia de eius etiam filiis neque asseruit quidquam, neque negauit scriptura. Vt eam tamen liberos superstites nullos reliquisse statuamus, bonum suggerit Græcus textus argumentum. διῆλε τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆς, καθὼς ἀπεθανεῖν αὐτὸν, τοῖς ἐγγίσασι Μανασσὴ ἀνδρὸς αὐτῆς, καὶ τοῖς ἐγγίσασι φύλης αὐτῆς. *Antequam moreretur, diuisit bona sua omnibus propinquis Manassę viri sui, & propinquis suipsius generis.* Quæ facultatum suarum portionem nullam filiis dat, aliquosne habuisse putanda? Neque enim ita malè se illos gessisse suspicandum, vt ab ea, ex asse penitus exhæreditati sint. Præclarum siquidem in degeneres liberos seueritatis exemplum non reticuisset scriptura, quæ sacerdotis Eli filiorum prauitatem, & illius in hos indulgentiam, grauemque idcirco illatam diuinitus pœnam commemorauit, 1. Reg. 2. 3. & 4. Quocirca magna quædam in Iudith virtus fuit, cum liberis careret, eo tamen sæculo, illisque moribus, iteratò nolle nubere.

QVÆSTIVNCVLA IX.

QVÆ, post Iudith mortem, Ecclesiæ pietas ac religio?

ECCLESIÆ temporis illius pietas ac religio, quoad alia quidem spectat, aliò, quoad Iudithæā verò victoriam; huc. Ad eius ergo memoriam, DEique à quo donata illa, & Iudith excitata, directa & gubernata fuerat; honorem & recordationē perpetuam, dies tunc ab Israëlitarum Pontifice, totoque sacro Senatu, magna populi voluntate, festus institutus est: & toto Iudith vitę tempore, quotannis, studiosè obseruatus, itemque post eius mortem, ad illud vsque tempus, quo vel huius libri auctor, vel alius, de quo Proleg. 2. ista scribebat; *Dies autem victoriæ huius festus est iis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur: & colitur à Iudæis ex illo tempore, vsque in præsentem diem.* Ea verò verba, ex iis, quæ inspicere licuit; Græcis hodie voluminibus exciderunt. Neque verò eius vllam in eo, quo iam Iudæi vtuntur, Calendario indicium. Meminit tamen D. Thomas lib. 1. Machab. cap. 10. Est enim intelligendum, Iudæorum festos dies posse constitui duplices. Alij siquidem perpetui sunt: alij ad tempus tantum aliquod fixi, & rati. Ad illos spectant, quos olim DEVS instituit, vt est Pascha. Pentecoste, alij, de quibus cap. 8. Hi verò sunt ex iis, quos synagoga postmodum sanxit, sicuti & sancire adhuc Iudæi voluerunt anno Domini 1239. ii suum ab ignibus Thalmud liberare potuissent apud Cantipratenum libro 1. cap. 3. num. 7. Qua enim authoritate synagoga olim iubere illos & sancire potuerat: eadem etiam eos relinquere, & antiquare potuit. quemadmodum & apud nos. Ecclesia dies festos indicit, qui olim non fuerunt; & è contrario quosdam, qui fuerunt, exauctorat. Nam, olim, paschalis hebdomas tota, feriata erat, adeò, vt ab ea cæterarum anni totius hebdomadum dies, *feriarum* nomen accepisse quibusdam videantur. Hodie verò paschalem festiuitatem claudit feria tertia, cum non ante annos multos quarta etiam festa esset. Quàm hoc tempore, *circumcisionis* Domini festum insigne: Ipsius tamen, apud veteres; ante S. Iuonem Carnotensem, & S. Bernardum, nulla mentio. E contrario, dominicæ *Transfigurationis* festum celebrant in Ecclesia Latina S. Leo, in Græca S. Cyrillus, & Andreas Cretensis. quod tamen hodie solus in templo Clerus, non in foro populus agitat.

Æthiopica, vt libelli huius initio tangebam; Ecclesia, suo in computo, *diem* IVDITH numerat, qui in Elul Nicæni, seu Dionysiani diem quartum decimum cadit. Respondet vero ille nostro ferè Augusto. Existimet ergo fortasse quispiam, vel Iudith mortis diem, vel certè ipsiusmet victoriæ, quarum Augusti fuisse: huncque ipsum, esse festum diem, de quo hic agitur. præsertim cum Iudaica plura retineant Æthiopes, & in festis quidem non Dominicum tantum, sed & sabbatum habeant, vti notat Bellarminus lib. 3. de cultu sanctorum cap. 10. & ego supra ca. 8. quæst. 13. Quia tamen, eodem in computo, *Montem oliueti* dici videmus ipsum quadragesimæ medium, quia tum de monte illo legitur in Ecclesia lectio, videtur etiam *dies Iudith* ab huius libri lectione nuncupari, prout etiam, qui Æthiopicum illum computum edidit, arbitratur. Sed fumos vendit Scholastica historia, dum festiuitatem hoc loco propositam, vocatam aut *Cambysam*, quasi Cambysæ temporibus histo-

historia hæc euenerit. Et ab hostibus; tyrannisque infestissimis, num vllos vmquam dies vel Ecclesia vel Synagoga indigitauit, an verò potius vel ab ipso DEI beneficio, vel ab ipsius martyribus? Num Phataonia, Antiochea, Herodiana, Neroniana, & Diocletiana vlla legimus? Placuit tamen Dionysio Richelio fabula. *A Cambyse*, inquit, *seu Nabuchodonosor Rege, ad* DEI *honorem, & impij regis confusionem, Cambysa vocata est* Cambyseam saltè, ne & in Grammaticam peccaretur, dixisse oportuit. At in istis errare præstat, quam eloquentissimè, cum hæreticis nostris, negare vllam festis diebus sanctitatem inesse. Videmus enim, hoc loco perspicuè *sanctos dies* nominari, sicuti & Germanici phrasi, *sanctum tempus* appellamus. Quo etiam modo D. Augustinus initio suorum in S. Ioannis epistolam tractatuum; de supra nominata paschali hebdomade cum ageret: *Nunc*, ait, *interpesita est solennitas sanctorum dierum.* Vide Bellarminum loco citato, propositione secunda. Est verò non improbabile, ad renouandam beneficij tanti memoriam prompta è templi thesauris tùm fuisse, quæ preciosissima olim è spoliis Iudith dederat, & illic asseruabantur.

QVÆSTIVNCVLA X.

Quæ, apud Græcorum veterumque Latinorum nonnullos de S. Iudith elogia?

SVNT hactenus fusè fusimque citata nonnulla. ideoque illa hic tantùm, vno veluti aspectu, legenda, quæ pulchra & vtilia valdè, nondum tamen recitata sunt; proponam. Ait ergo.

D. HIERONYMVS *epistola ad Furiam:*

LEGIMVS in Iudith (*si cui tamen placet volumen recipere*. Et cui, expensis, quę Proleg. 4. dicta sunt, non placeat? cum & Ecclesiæ, & ipsi etiam Hieronymo, vt ibidem ostensum placuerit) *Legimus*, inquam, *in Iudith, viduam confectam ieiunijs, & habitu lugubri sordidatam, quæ non lugebat mortuum virum, sed squalore corporis, sponsi quærebat aduentum. Video armatam gladio manum, cruentam dextram. Recognosco caput Holofernis de medijs hostibus reportatum. Vincit viros fœmina, & castitas truncat libidinem: habituque repente mutato, ad victrices sordes redit, omnibus sæculi cultibus mundiores.*

Et rursum epistola ad Eustochium, de custodia virginitatis; *Statim, vt filius* DEI *ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit, vt qui ab angelis adorabatur in cœlo, haberet angelos & in terris. Tunc Holophernis caput Iudith continens amputauit. Tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, suo combustus est igni.*

AVRELIVS PRVDENTIVS *in Psychomachia, pugna secunda.*

..... Assyrium thalamum ceruix Olopherni
Cæsa cupidineo madefactum sanguine lauit.
Gemmatumque thorum mœchi ducis ASPERA IVDITH.
Spreuit, & insistos compescuit ense furores.
Famosum mulier referens ex hoste triumphum
Non trepidante manu, vindex mea, cœlitus audix.

Suam vindicem vocat ipsa, quæ ibi loquitur Pudicitia, vel quia, ne â mœcho illo libidinoso contaminaretur, seipsam castam, & illibatam vindicauit, & conseruauit, vel quia pudicitię viribus, ex immanissimi hostis faucibus, totum DEI populum vindicauit, & liberauit.

S. FVLGENTIVS *epist. 2. cap. 14.*

HABES & in veteri, & in nouo testamento sanctarum viduarum, quibus ædificeris exempla. *In veteri testamento Iudith, Anna cõsideretur in nouo: quarum si Domino adiuuante imitatrix fueris, & delitias semper est viuus, sicut eodè resurgente vocis angelicæ attestatione firmatur, cũ mulieribus dicitur; Quid quæritis viuus est ergo ille, qui est verbum Patris, & ideo ipse est fidelium vita. Hunc sancta vidua cordis contritione, & corporis castigatione quæsierunt: quia cordis, & cõ poris pleno continentia deuotissimè seruierunt: De Iudith enim scriptum est: Et erat Iudith in domo sua vidua annis tribus, & mensibus quatuor, & fecit sibi tabernaculum super solarium domus suæ, & imposuit super lumbos suos cilicium, & erant super eam vestimenta viduitatis suæ, & ieiunabat Iudith omnibus diebus viduitatis suæ: Ac ne quis illã sanctam viduam non deuotione cordis, sed necessitate paupertatis existimet ieiunasse, audi quid de ea in sequentibus dicitur: Et erat Iudith bona aspectu, & formosa facie valdè, & prudẽs corde, & bona intellectu, & erat honesta valdè. Quia reliquerat ei Manasses vir eius, filius Achitob, filij Melchias, filij Heliab, filij Nathabel, filij Surisada, filij Simeon filij Israel, aurum, & argentum seruos, & ancillas, pecora, & prædia. Ecce vidua præclara natalibus, facultatibus diues, ætate iuuenis, specie*

specie mirabilis, diuitias contempsit, delitias respuit, carnis incentiua calcauit, & induta virtute ex alto non qualiuit secundo famulari connubio. Propterea testimonio tam præclari operis apparuit quantum DEO *delecta sit continentia vidualis. Denique cum Holofernes innumero Bethuliam obsedisset exercitu, & omnis Israelitarum virtus perturbata langueſceret: egreditur castitas, oppugnatura lasciuiam, & ad interitum sæpe a humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista ieiunijs. Ille ebrietate, ista oratione: igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, sancta vidua castitatis virtute perfecit. Obtruncauit vna mulier tanti agminis ducem & inspectatam* DEI *populo reddidit libertatem.*

Ibidem cap. 15. *Videamus & in nouo testamento, qualiter nobis sancta Anna conuersatio demonstretur. De quo sanctus Lucas sic refert; Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser; & hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte & die. Iste duæ viduæ, licet tẽpore fuerint diuerso, vnius tamen fidei seruauerunt ambæ mysteria: quia* CHRISTVM *quem Anna cognouit in carne natum, ipsum Iudith nouerat nascituram. Quam vero multum* DEVS *in vtraq; viduitate continentiã sibi placitã demonstrauit. Nam Iudith spiritalibus armis accincta, apud lasciæ prædoris abscedit: Anna vero ipsũ caput Ecclesiæ spiritu sancto repletæ cognouit. Datus est Iudith & Holofernis interitus. Anna reuelatum est Saluatoris aduentus. Illi* DEVS *dedit à populo repellere pestilentiã: hanc tribuit humani generis agnoscere medicum.*

D. AMBROSIVS *libro de viduis.*

HABET *vidua bonam commendationis suæ materiam, vt dum virum luget, fleat sæculum, & in promptu sint lacrymæ redemptrices, dum pendentur mortuis, viuẽtibus profuturæ. Patratus mœstitiæ vltor animi, fletus oculorum, misericordiam concitat, laborem minuit, dolorem ableuat: sequat pudorem, hæc etiam miseria sibi videatur, quæ consolationem in lachrymis habet, in quibus suæ Charitatis stipendia, officia pietatis. Sed nec fortitudo bonæ viduæ deesse consueuit. Hæc enim vera est fortitudo, quæ naturæ ipsum sexus infirmitatem, mentis deuotione transgreditur: qualem illa fuit, cui nomen Iudith, quæ viros obsidione fractos, per dolos meos, rabidos fame, sola potuit a colluuione reuocare, ab hoste diffondere. Et enim, vt legimus, cum Holofernes successisset multorum terribilis prælijs, intra muros inuincta virorum mollia coegisset, armatos recentibus & decretam iam sorte tractantibus, extra murũ processit, & illo præstantior exercitu, quẽ liberauit, & cohortior, quẽ fugauit. Sed vt discas maturæ viduitatis affectum, eorum ipsam persequere seruatorum. Addebatur enim meritis quibus ille defunctus est, vestem iocunditatis deposuit, mœroris assumpsit: per omnes dies intentã à iuuenio, ad hoc tantum, & Dominica sacrarumq; temporibus feriatis non refecit, ornandi gens sexus ignara decoris. Hoc est enim, sine manducatu, sine bibitu, in nomine Domini* IESV CHRISTI *agenda esse omnia, vt cum ipsa refectio corporalis, sacro religionis cultui deferatur. Diutius igitur mœroribus & quotidianis obseruationibus sancta Iudith, quæ sæculi oblectamenta non quæreret, periculi negligens, mortisq; contemptu fortior, vestimentum struere dolum, vestẽ illã iocunditatis, quam viuente viro vestiri solebat, se induit: quæ placitura viro, ã patriam liberaret. Sed verum aliũ videbat cui placere quærebat: illum vtiq;, de quo dictum est: Post me venit vir, qui ante me factus est. Et bene comptus ales pugnaturus resumpsit ornatus, quia non mœsta coniugi arma sunt, castitas. Neq; enim vidua aliis aut placere posset aut vincere. Quid cætera persequamur, quod inter tot millia hostium casta pepercerit? Quid eius sapientiam prædicemus, quod huiusce modi est commentata, vt dum potentem elicit intemperantia, à se inferiores arceret, occasionem pararet victoriæ, sustinentia meritũ, pudicitia gratiam reseruaret? Nec cibo enim, vt legimus, maculata nec adultero, non nimis seruate castitatis ex hostibus reuexit tropheum, quam patriæ liberatæ. Quid sobrietatẽ loquar? Temperantia enim est virtus fœminarum. Inebriatis vino virus & somno sepultis auferebat viduæ gladium, exeruit manum, bellatoris abscidit caput, per medias hostium acies intemerata processit. Aduertite igitur quãm nocere mulieribus possit ebrietas, quando vires viris sit solitum, vt vincatur à fœmina. Esto igitur vidua tẽperans, casta primum a vino, vt casta possis esse ab adultero. Nequaquã te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Iudith bibisset, dormisset cũ adultero. Sed quia nõ bibit, haud difficile* EBRIOS *exercitus vrbis sobrietas & vincere potuit, & euidere. Nec cætera tantum hoc opus, sed maiora trophæa sapientia. Nã manu solum Holofernem vicit, consilio autẽ omnẽ hostium vicit exercitũ. Suspenso n. Holofernis capite, quod virorũ non potuit excogitari consilium, quod peperit animos, hostiũ fregit: suos pudore excitans, hostes quoq; terrore prærallens, eosq; cæsos, & fugatos, sua vnius vidua temperantia atq; sobrietas, non solum naturam suæ vicit, sed quod est amplius, fecit viros etiã fortiores. Nec hæc tamẽ elata successibus, cui vtiq; gaudere & exultare licebat iure victoriæ, viduitatis vel quit officium sed contemptu omnibus, qui eius nuptias ambiebãt vestẽ iocunditatis deposuit, viduitatis resumpsit: nec triumphalibus sæpe amauit ornatus, illos existimans esse meliores, quibus vitia corporis, quam quibus hostium arma vincuntur.*

In S. AVGVSTINI *sermonibus de tempore sermo 228. in appendice sermo 66.*

CVM *Holofernes ille filiorum Israel, imo sui capitis inimicus, exteratã sibi gentũ iuga vendicaret, atq; obsidione, armis, ignibus quoque pugnaret, nec nõ & multarũ quotidianum cãnes canis messibus ornatis in ipsa vẽ pascente flumina cõuerteret, Iudith sanctissima, cuius precibus paruit cœlũ, oratione arte arma vibrata salvicauit, quibus aduersa conflagraret, & pauescentes viros fœmina vendicaret. Sæuiebat ciuitas obsidione barbara feritatis. Iam vniuersa languebant. Vt in manibus hostiũ tã crudelis audiam dicerent, quam pernicioso sæuis populatione vexari. Ecce Iudith post precem, & sæcũ, post cinerẽ ad cultum pacis redit spes, omniũ populorum procedit sollicitos populos reddituras seruos sua sapientia esse facturus, quæ prouisitẽ veterã, quã inuentionis mirabatur, portã sibi paululũ remotis obicibus hostilat aperiri. Prodit secura vrbe pulcherrima latere ni[illegible] hostium*

Universidad de Deusto
Biblioteca

hostium securis grossibus properauit in castra. Intra muros sollicita fuit, secura sit dum ad timenda peruenit. In qua femina insidiosa pulchritudinis nouitatem hostilis exercitus vehementer expauit, vt in eius obsequio vires amitterent, arma proicerent, & colla curuarent. Deducitur ad pratorium subiectis ordinibus frans Holoferni. & lugentis victoria ciuitatis. Quam cum videret Holofernes, solutus est sensibus, animam cum capite perditurus. Iacuit enim dedecus iuuenum, mulieris vultu captium, licuit mulieri exarmare iuuenes, & debellare victores. sollicitam defendere ciuitatem & barbarum subuertere bellatorem. Decepit syncera corruptum, fefellit casta pollutum, pudica perimit adulterum, sobria iugulat ebriosum. Illa enim tam barbaros animos insolentiori vultus fraude confuderat, vt eum ligaret multarum artefabularum, vt redderet inter exercitus victum, & inter arma captiuum. Paratur conuiuium regi, Iudith interesse iubetur. Illa consentit, vt vincta accedit ad conuiuium, nihil de cibis aut de poculis hostium gustatura. quæ suis vtensilibus voluit esse contenta. Quãuis ille bellator armorum tam castissimæ fœminæ malesanus attenderet vultum, illa tamen quare veneratur, de eius capite cogitabat: quo sublato defectus ciuibus subueniret. & multa capita tueretur, defenderet, vindicaret. At vbi conuiuij sagina fines excessit, & grauis calicibus somnus successit, videns Iudith inimici corporis inclinatas ebrietate ceruices, surgens ipsius cruentum arripit collum, comam quoq; barbaræ capitis manu occupauit. Domine, inquit, confirma brachium meum. Et percussit tertio in collo eius, & amputauit caput eius. Exiens foras, tradidit puellæ caput Holofernis. & misit illud in peram. Et post pusillum exiuit foras quasi ad orationem secundum cõsuetudinem. Ecce castitas. Orationis fauore, castitæ pudorem proprium seruauit intactũ. & quietum, decepitq; alienum. Iacet inclusum cadauer. & iam foris est caput. Cum palmifera Castitate Iudith ad ciues sollicite festinat: nec prohibetur regressu. cui quasi ad orationem antea fuerat concessum. Iam recepta ciuitas tantæ victrici, is reditus triumphales. iam luctus conuertuntur in gaudium, iam portæ plenissima securitate panduntur, iam perdet muris victoribus caput. Omnis erat in ciuitate victoria, & in hostilibus castris tremor erat, & fuga Iudith in ciuitate cum securis secura. Vbi enim assiduis pulsatur orationibus cælum, potestia semper calcatur armorum. Ecce gloriosa fœminæ castitatem seruauit oratio. & hostem seruare non potuit multitudo. Lugentem ciuitatem vna fœmina valuit vindicare, & tantus exercitus regem non potuit custodire.

QVÆSTIVNCVLA XI.

De sancta Iudith, quid vel Græcorum vel recentiorum aliqui?

CLEMENTEM Alexandrinum, Originem, & D. Athanasium antea loquentes audiuimus. Sanctũ iam CHRYSOSTOMO homilia 9. ex variis in Matthæum aures demus. *Sanctissima Iudith, cũ magno mœrore pro populo esset afflicta, post (dennitatẽ triduani ieunij, capite vncto, & læta facie, ita interne afflictionis tristitiam texit, vt simulato gaudio lætari hostibus videretur: ac sic duas latitiæ vultus ieunium texit, de hoste triumphũ victoriæ reportauit.* Sciendum verò eadem in CHROMATIO in cap. 6. Matthæi verba inueniri, nisi quod, ex illo, menda in isto quædam emendanda, vt cum pro *interne afflictionis* hisce verbis aggreditur. ἡμῶν δὲ μηδὲ τὰ κατὰ τὴν ἀρχὴν ἐφόδια παραλειπέσθω γυναῖκα ἰδεῖν, ἣ τὸν ἐλαφρὸν μασθὸν, καὶ τὴν πόλιν σώσης, καὶ τὸ ἔθνος ὅπαν διασωσαι. *Nobis vero nequaquam prætereunda sunt, quæ à pulumq; vniuersum saluauit.* E re centiorũ verò libris, laudat lib. 3. de Continent. c. 18. insignis Parisiorũ Theologus hæc è cuiusdã Cõmentario, qui Vidua inscribitur; verba, paulò ea quidem longiora, beant. *Vt prima laudu est, si vidua puella & orba studio pietatis erga* DEVM *neglexit iterare coniugium, ita excusatum repetit, cui pignorũ nihil amplius superest. Siquidẽ gratus amor excludit captata voluptatis suspicionẽ. Habet tamen & quæ talus est præclara continentiæ exempla. De Iudith liberis nulla in eius historia mentio, quo mirabilius in ea vidua pudicitiæ studiũ quod apud Iudæos male audiebat viduitas, prius sterilitas, ad hæc placuit viduitas? an quia maluit suo more viuere, quam viro seruire? nã & hac de causa nonnulli dissuadent cõiugia. Nequaquã. Cur ergo? Ni virũ quia matrimonij seruitus licet a religione nõ aliena, frequenter tamẽ quæ mundi sunt, cogitare cogat, vxoris continentiam interpellante marito incontinente, elemosynas astringente ad rem attentiore, precibus interrumpente, & alijs addicta studijs non posset Martha cum Maria perpetuo assidere ad pedes Domini. & absit felicissima illa* DEO *adhærendi citra diuulsionẽ libertas. Ab hac ne distraheretur Iudith de nuptijs tenendis nõ cogitauit. cũ maior centenaria vixerit, vnica amorẽ castum, affectum neq; mors extinxit, sciens melioremmariti partem superesse, & futurum vt pristino conuictu restituerentur. Primũ cõiugium dederat necessitati. vigeat parentum authoritas, muitabat publica gentis consuetudo, impellebat proli amor; quasi ætatem cogit ætatis feruor. Vidua facta contuberniũ carnalis mors mors, virum tanto ardentius iuxta spiritum deamat. fidem quã viro promiserat, etiã mortuo seruat. Quãtum absunt ab hac imagine mulieres, quibus nec secundus; nec tertius maritus priorũ excutit memoriã? Cuius defuncti mores ad quãuis offensiunculam præsentis exprobrant. & quẽ viuentẽ forte contempserant, defunctum prædicant, non quod gaudeant eius commemisse, sed vt præsentem vrant. Quanto (aiunt) is fuit blandior, formosior, quanto etã sub eo cultior, libertor, nummatior? Nulle melius coniugum meminerunt, quàm quæ eorum, quæ carnis sunt, obliuiscuntur. Satis mariti meminit quæ recusat alteri nubere, pactam præstans fidem vt absenti, non tam vt mortuo feliciter obli-*

ter oblita est, quæ in castitate perseuerat, posteaquam semel nupsit, parentibus, natura, proli simulque suo arbitrio reddita est, pristinæ voluptati obleta, se totam ad delicias spiritus confert, hæc est obliuio vidui Christianis digna. Quædam maritorum prius oblitæ sunt, quam extulerint: quædam lacrymis immoriuntur, ad quamlibet occasionem lamenta iterant, luctum renouant. Sic impotenter maritum lugere, quid aliud est, quam alium maritum ambire? Est inter vtrumque medium, finiendus tandem luctus, vix vmquam fides soluenda, non quod hanc debeat vxor extincto, sed quod hoc suadeat insignis pudicitia, hæc misteria peperit nomen viri huius Hebræa, Manasses, necessitatem seu obliuioni datum sonans. Quæ igitur vel se parat nouo marito, & sponsum magis ambit quam ambitur, vel iuuentutis fiducia viuit, vt libet, vt maxime cæsingu vsum vel solatium non respuiat, non est tamen Iudith. Hactenus isti auctores.

QVÆSTIVNCVLA XII.

De mystico Historiæ huius sensu quid?

REm totam paucis hisce verbis indicauit S. Hieronymus prologo in Sophoniam. *Iudith, & Hesther in typo Ecclesiæ, & occiderunt aduersarios & perituram Israel de periculo liberarunt.* Typũ porro hunc toto suo Commentario explicauit & amplificauit Rabanus, eumque secuta glossa. Possumus nimirum per Holophernem intelligere diabolum, per eius duces & exercitus, totam impietatum, hæreseon, vitiorumque omnium colluuiem, adeo vt apud Victorem lib. 1. de pers. ægerrimè ferrent hæretici, nudum etiam Holophernis nomen pronunciari. Hæc enim omnia extremam Dei populo perniciem, & vastitatem machinantur. Hæc Betuliam, id est, piam, religiosamque viri iusti animam castris circumcirca immensis positis arctissimè obsident. Nam Betuliæ nomine, & virgo Dei vel certe domus dominum parturiens significatur. Et huic suas potissimum aquas eripere, illa conantur, dum sacratissimos diuinarum literarum, sacramentorum omnisque cœlestis gratiæ fontes occupare; impedire ac prohibere moliuntur. Sed Holophernem istum Catholica contrucidat Ecclesia, omnes eius copias profligat, spolia diripit, Deoque tandẽ lætabunda gratias agit, eique sua omnia & se totam offert, dicat, & consecrat. Per Iudith etiam denotata est Beatissima Virgo, vt indicat S. Fulbertus Carnotensis: *Contriuit*, ait, *Maria serpentis caput seruando virginitatem & humilitatem, quia & hac extinxit mentis superbiam, & illa carnis concupiscentiam. Contriuit potentiam Satanæ per filium quem genuit, spoliando illum dominio suo. Contriuit caput astutiam eius, nempe sapientiam terrenam per paupertatem spiritus. Vnde de illa dici potest: Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Ita ille. Mariani operis lib. 1. cap. 2. nostet Canisius; *Hæc*, ait, *est sancta, & sæculis omnibus celebranda Iudith, eleganti sane aspectu prædita, & decora, quæ superbissimum caput amputat Holopherni. Mulier Hebræa, quæ populo Dei pro certa desperatione, præsentem salutem, ac triumphum affert: de qua rectè propriéque dixeris, quod de illa mirandã victrice gratus Dei populus prædicabat. Benedictatu, filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram: Tu gloria Hierusalem: Tu lætitia Israel: Tu honorificentia populi nostri.* PER

QVAM GLORIA PATRI, & FILIO, & SPIRITVI SANCTO:
sicut erat in principio & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum,
AMEN.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

RERVM ET VERBORVM IN IVDITHAM, LOCVPLES ET COPIOSVS IVXTA SERIEM ALPHABETICAM ACCVratè congestus.

A

Abra ancilla honestioris generale nomen. 223.
Abstinentia à vetitorum ciborum esu. 231.
Achior ad veram religionem conuertitur. 247
Achior ex priuilegio populo Iudaico adiungitur. 248.
Adoratio religiosa una, politica altera. 237. & 238.
Angemontes Taurus & Antitaurus. 154.
Angelo præcipuo in tanto negotio vsa videtur Iudith. 246.
Angelica custodia exempla aliquot ib.
Annalium conficiendorum consuetudo peruetus. 147.
Archisynagogus sudario circumacto signum dare solitus si populo respondendum Amen. 259.
Arphaxad in hoc libro quis? 152.
Arphaxad Ecbatana non tam ædificauit quam exornauit. 153. & 154.
Arphaxad in exitium præcipitat superbia. 155.
Arphaxad à Nabuchodonosore regno vitaque spoliatur. 156.
Attila flagellum Dei se dixit. 252.
Aurum & argentum, terra rubra & alba. 167.

B

Bagoæ sunt qui alios ad licentiam & flagitia instituitant. 232.
Baptismi Iudaicis ritus & causæ. 230.
Bellum, quod Nabuchodonosor Arphaxado intulit, sola & vnica procreauit superbia. 154.
Belli huius exitus quis, & vbi fuit? 155.
Bellica præsidia in tempore adhibenda. 170.
Bethulia vrbs Galilææ in monte sita. 185.
Bethulia qui fuerint hoc tempore principes. 186.
Bethulienses sitis grauissima vexat. 193.
Bethulienses Oziam rogant, vt vrbem dedat. 193.
Bethulienfium in recipiendo Achiore cautio. 187. & 188.
Bethulienfium omnium mira pietas. 226.
Bethulienfium impatientiam extrema quodammodo excusat necessitas. 194.
Bethuliæ ibus obsessis aqua ad mensuram datur. 193.

C

Cæna pura Iudæis, in qua Azymis vtebantur. 207.
Cæremoniarum Ecclesiæ pro tẽporum varietate laudabilis immutatio. 174.
Calamitates diuinitus immissæ æquo animo ferendæ. 217.
Calamitatum & excidiorum causa, hominum peccata. 183.
Caluini insignis calumnia. 241.
Caluinus nõ modo Purgatorij, sed & gehennæ ignem tollit. 266.
Caluinus veram in Eucharistia carnem & sanguinem Christi negat. 194.
Castra Dei qua? 262.
Catholicis, in mensis Hæreticorum diebus vetitis, seruanda abstinentia. 231.
Cedrenus Hierosolymam ab Holoferne obsessam extruens, refellitur. 193.
Christiani quomodo se debeant obsidionis tempore gerere. 193. & 194.
Christiani habuere loca precationi destinata & imaginibus instructa. 200.
Ciliciorum significatio & vsus. 174.
Ciliciorum apud omnium hominum ordines vsus olim frequens. 203. & 204.
Confessio, ad impetrandam culpæ veniam, vera non hypocritica esse debet. 218.
Consideratio malorum quæ ex Ebrietate nascuntur. 254.
Cubiculæ vocatæ veterum oratoria. 200.

D

Editionis modi varij. 167.
Dies iudicij bifariam accipitur. 264.
Dolus duplex bonus vnus, malus alius. 240.
Dolum & insidias, in bello iusto struere licet. 238.
Bona à Deo accepta in eius laudem exponenda. 267.

E

Ebrietas pudicitiæ inimica. 232. & 233.
Ebrietas functiones publicas impedit. 252.
Ebrietas morborum procreatrix. 252.
Ebrietas corpori & animo, fortunis & famæ nocet. 252. & 254.
Ebrietas procreationi liberorum maxime obest. 253.
Ebrietas malorum omnium mater. 253.
Ebrietas legibus Imperialibus prohibita. 256.
Ebrietatis remedia complura. 254.
Ebrij in bestias degenerant. 251.
Ebrioſi aliqua in ſeipſos pœna animaduertant. 252.
Ebrioſi Archiepiſcopi Germaniæ exemplum. 255.
Ebrioſi Ludouici Lantgrauij ſupplicium. ibid.
Ebrioſi porrigendum ſibi apud Inferos calicem meditentur. ibid.
Ebrioſi præſentiam SS. Angelorum animo infigant. 256.

Ebrio-

Ebrioſorum pulchra deſcriptio. 253.
Ebrioſis ſpeculum quoddam abſciſſum Holophernis caput. 254.
Eccleſia orationis fundendæ locus. 253.
Eliachim Pontifex idem qui Ioacim. 171.
Eliachim prophetico ſpiritu impulſus, felicem belli exitum pollicetur. 176.
Epiſcoporum in bello & pace officium. 175.
Equitum Holofernis quantus numerus. 161.
Excuſationes caute recipienda. 215.
Exempla proborum iuxta ac improborum in promptu habenda. 216. & 217.
Exempla eorum, quibus afflictio æternam peperit ſalutem. 249.
Exempla aduerſorum & proſperorum Latini & græci textus libri huius authoritatem nihil omnino imminuunt. 181.

F

Famæ quomodo habenda ratio. 211.
Fames ac ſitis telum duriſſimum. 192.
Feſti dies Iudæorum duplices conſtituuntur. 273.
Flamen Dialis non faciebat editer, vbi arbuſtiua deſuper vites prominerent. 252.
Formula iurandi per antiqua. 228.
Frugalitas Iudith & temperantia. 225. & 226.

G

Galilææ vrbs Bethulia. 185. & 186.
Gentiles Iudæorum imitantur baptiſmata. 230.
Gratulationum præclarum exemplum. 260.

H

Hæreſes à Catholicorum vitijs & ſordibus pullulant. 194.
Hæreticis notas à Catholicis difficultates arripiunt, at ſolutiones diſſimulant. 182.
Hæretica quæ Bethulia, id eſt, Sacramenta Eccleſiæ auerſant. 194.
Hæretici Martinalia & Hilaria cum Catholicis celebrant, ieiunia non item. 210.
Hiſtoria Iudith accidit ante captiuitatem Babylonicam tempore Manaſſæ. 148. & 149.
Holophernes militiæ Princeps, quis? 161.
Holophernes ſæuus & immiſericors. 168.
Holophernes regionibus & religionibus bellum infert. 168.
Holophernis ſæuitia & furor plurimorũ animos fregit. 169.
Holophernis interrogatio non ab ignorantia, ſed ab elatione mentis profecta. 180.
Holopherni Xerxes & Darius perſimiles. 185.
Holophernem an recte adorarit Iudith. 237.
Holophernem eiſi ebrium merito obtruncat Iudith. 240.
Homo ad laudem & ſeruitutem Dei eſt creatus. 194.
Hoſtem inſidijs & fraudulenter circumuenire, non reprehendendum. 236.

I

Ieiunium Sabbatho non omnino illicitum. 206.
Ieiunia Iudæorum auſtera animu & rigida. 204.
Igniſne verus ſit, qui altero in ſæculo impiorum carnes depopulatur. 265.
Interrogationem etiam eorum eſſe, quæ ſcimus, exemplis probatur. 179.
Inuocatio ſanctorum contra Hæreticos æſtruitur. 218.
Iudæi precaturi, ad templum & ſancta ſanctorum ſeſe conuertebant. 177.
Iudæi etiam hodie locum mundum orationi deputatum habent. 200.
Iudæorum in ſynagogis προσευχαὶ. 177.
Iudith Hæreticus Homericum aut Virgilianum commentum. 142.
Iudith è tribu Simeonica fuit. 196. & 197.
Iudith vidua cilicio induitur. 203.
Iudith aſſidue ieiunijs vacat. 204.
Iudith ciuitatis principes ad ſeueritatem vocat. 212.
Iudith principes vterio obiurgat. 215.
Iudith eximia humilitas & animi demiſſio. 218.
Iudith Holophernis delicias aſperatur. 229.
Iudith corporis animi, dotibus præſtantiſſima. 236.
Iudith ab omni temeritatis nota vindicatur. 239.
Iudith euentus gnara fuiſſe videtur, mediorum vero & progreſſus non item. 239.
Iudith, num iuſto modo vitæ caſtitatiſque periculũ adierit. 238. & 239.
Iudith verba accipienda cum cautione in familiari ſermone vſitata. 242.
Iudith à mendacij ſuſpicione liberatur. 244. & 245.
Iudith iurando nihil peccat. 241.
Iudith eximia & mira in Deum pietas. 199.
Iudith varia præconia. 258.
Iudith omnia ſpolia Deo in anathema obtulit. 267.
Iudith tributa à S. Patribus elogia. 274.

L

Lacones liberos propoſita ebriorum ſeruorum ineptia ab ebrietate deterrent. 251.
Lætitia ſpiritualis & mundana. 267.
Liber Iudith ſcriptus lingua Chaldaïca. 141.
Libri author Ioachimus quidam, aut ipſe Achior. ib.
Libri verſiones extat græca, Syriaca & ſecundum quosdam Hebræa. ibid.
Libri authoritas variis argumentis firmatur. 144. & 145.
Libri authoritatem impugnantia ſoluuntur argumenta. 145.
Libro Iudith poſito à Wittakero ſcandalum, remouetur. 179.
Librum hunc Nicæna ſynodus in Canonicis habet. 142.
Lucernarum in Magnatum cubiculis vſus. 234.
Lyſimachus pro hauſtu frigidæ ſe ſuoſque vendit. 149.

M

Magiſtratus & ſuperiores à ſubditis ſuis arguipoſſunt, modeſtè tamen, caute ac demiſſe. 216.
Maieſtatis diuinæ deprædicatio triplex à Iudith facta. 262.
Manaſſe regis poſt captiuitatem ſeria pœnitentia. 172. & 173.
Manaſſes Iudith maritus publicæ præfectura & dignitate inſignis. 197. & 198.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Manasses officio suo immoriens pulchrum in dignitate constitutis reliquit exemplum. 198.
Meracum nemini nisi ægro, idque ex Medici præscripto apud Lorenses concessum. 254.
Militu Christiani pugnam ineuntis officium. 192.
Monogamia viduæ Iudith an digamiam damnet? 272.
Mulier apud Indos Regem ebrium interficiens, præmii loco successori nubebat. 260.
Myrum legendum pro Myrto. 224.
Mysticus historiæ Iudith sensus. 277.
Mystica Bethuliæ significatio. 194.

N

Nabuchodonosor in hac historia è liberis Asarradonis quispiam. 150.
Nabuchodonosor victoria elatus omnes gentes sibi subiugare cogitat, 160.
Nabuchodonosoris intolerabilis superbia. 168.
Ninives ciuitatis magnæ amplitudo 153.
Noctis in quatuor vigilias partitio. 230.

O

Operum bonorum commendatio. 177.
Orantes non debent Deo modum aut tempus præscribere. 216.
Oratio maxime in arduis negotiis adhibenda. 218. & 219.
Ornatus Iudith extra omnem culpam positus. 236. & 237.
Ornatum muliebrem exagitant Patres. 236.

P

Peccantium insignis vesania. 194.
Perseuerantia in bene cœptu commendatio. 176.
Petitiones Deo & religioni contrariæ minime admittendæ. 216.
Pontificia Iosephi recensiones aliquantulum vacillant. 171.
Potitandi pro aliorum salute consuetudo reiicitur. 257.
Præmeditatio sobrietatis ante conuiuium. 254.
Prælia diuina humanis sunt coniungenda. 170.
Præsumptio vna bona, mala altera. 189.
Preces etiam viuentium expetendæ. 218.
Pronumenia Iudæis festa non fuit. 208.
Prosabbatum totum parasceue dicitur 207.
Puellæ honestatum matronarum disciplina & magisterio gaudere debent. 202.
Pueris vinum interdicitur. 255.

R

Reges Persarum ante prælium de fortitudine, ante potum de temperantia olim disserebant, 254.
Reprehensiones etiam inferorum æquo animo ferendæ. 217.
Respectus Dei in homines duplex. 188.
Reuerentia summa, hominibus sanctis semper exhibenda. 226.

S

Sacellorum usus à primis Christianis profluxit. 200. & 281.
Sacerdotes inprimis ebrietas dedecet 252:
Sacerdotes in sacrificiorum oblatione amicti veste alba, casula, stola, cingulo, manipulo cæteroque apparatu, Christi figuram gerunt. 176.
Sacerdotum summorum maxima apud Iudæos auctoritas. 173.
Scandalum vnde & cur sic dictum. 178.
Serui ad emendationem non ad perditionem vsque castigandi. 217.
Silentium, in multa hominum frequentia, quomodo imperetur? 246.
Silentii, secretique amantissima Iudith. 218.
Simeonis Patriarchæ factum quomodo laudetur hic, vituperetur alibi, 220.
Simulatio non semper cum vitio coniuncta. 235.
Sitis apud inferos grauissima & molestissima ebriosos vexat. 254.
Sobnas Wittakero prefectus profanus non sacerdos. 171.
Spiritualia populi Iudaici contra Holophernem arma. 174.
Suidas in Achiore lapsus. 193.
Supererogationis opera Deo grata. 157.

T

Temperantia & frugalitas exemplo Iudith imitanda. 226.
Tempus historiæ Iudith contra Wittakerum defenditur. 181.
Tentare Deum quid sit. 214.
Tentatione veri Dei amici innotescunt. 215.
Testimonium pro Spiritus sancti diuinitate egregium. 264.
Tribulationum tolerantia. 217.
Turcis dies Veneris sacer est. 207.

V

Vermesne veri impiorum carnes depasturi. 265
Victoria insignis Christianorum contra Sarracenos. 260.
Viduitatis, quæ ab Hæreticis impugnatur commendatio. 269. & 270.
Viduis & virginibus vitandi discursus. 199.
Viduis orandi studium commendatum esse debet. 201.
Viduarum officium puellas instruere. 202.
Viduarum cultus sobrius esto. 202. & 203.
Vinum in terram effundere præstat, quam eo abuti. 256.
Vitia maiorum posteris valde cauenda. 217.
Wittakerus libro Iudith Concilii Nicæni auctoritatem negans, refellitur. 145.

SERE-

SERENISSIMÆ

PRINCIPI ANTONIÆ LOTHARINGÆ, SERENISSIMI IVLIÆ, CLIVORVM ET MONTIVM DVCIS CONIUGI LECTISSIMÆ.

NICOLAVS SERARIVS.

SOLENT, *Princeps Serenissima, etiam inferiores & subditi, suis coniugium ineuntibus Dominis ac Principibus nuptialia quædam munera offerre. Accidit vero, aliquo Dei, vti quidem sentio, nutu, vt quibus superioris Iunii diebus, Serenissimo Catholicoque Principi Juliacensi Duci sponsa fiebas, Estheris ipse Commentariolo nuptias celebrarem. Ideoque ipsum, per se quidem exiguum, & dignitate Tua longe minorem, sed, quia cum* TOBIA *&* IVDITH *eum copulaui, excellente Reuerendissimi & Serenissimi fratris Tui Cardinalis auctoritate amplificatum & exaggeratum, Tibi, velut gamelion quodpiam donare, dicareque volui. Quamuis vero aliæ aliarum virtutum gemmæ & plurimæ, & nobilissimæ, inclarissima ista sæculorum omnium Regina emicuerint, duæ tamen potissimum, quarum præsidio res maximas, in primisque salutares gessit, fuerunt. Vna est eximia in Deum religio: altera prudentia excellens. Effecit religio, vt antequam difficilimum ipsa negotium omninoque arduum & periculosum aggrederetur, de eo ad Deum studiosissime ipsa referret: eius sibi gratiam, lumen & numen intentissimis precibus, ieiuniis, aliisque demissionis pietatisque summæ actionibus, conciliaret, neque id per se ipsam tantum, sed & per alios, quos iisdem religiosissimis operibus operam dare vel rogabat vel iubebat: vtpote, quæ optime iam nosset, quod sanctus postmodum Apostolus indicauit, magnam eius comprecationis apud Deum vim esse, quæ* ex multarum personis facierum *oritur. Pru-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

*dentia vero tanta huic religioni, vinculo quam arctißimo coniuncta, duplex in ipsa enituit: propria & aliena. Prudentißimè ipsa maritum dilexit, coluit, & reuerita est, eamque ob rem, cum, quã Dei populo salutem volebat: impetrare voluit, non eum ilico muliebribus nescio quibus lamentis, fœmineoq; vlulatu, aggressa est, sed omni cum modestia, opportunitate ac sapientia rem tandem totam confecit. Prudentißimè ipsa etiam consiliario & monitore quam optimo, homine inquam religionis auitæ retinentißimo, Dei timoris plenißimo, boni communis amantißimo, Estheræ ipsi fidißimo (*MARDOCHÆVM *semper intelligo) vti nunquam recusauit. Commendant, Serenißima Princeps, qui te norunt, omnes, eã, qua Te verus naturæ parens, ingeniorumque molitor Deus, egregie ornauit, prudentiam: narrant etiam multi Tuæ erga Deum, eiusque sanctos, cum ipso iam in cœlis regnantes, pietatis minime obscura, vel adumbrata, quæ toto isto Tuo per Germaniam itinere, impreßisti vestigia. Si ergo in sancta Esthere hac nostra, duo hæc, vti hactenus imitari, quotidieque augere pergas, spes bonis illis populis, quorum Te Serenißimus Dux, Amplißimique ordines inuitarunt, est non parua futurum, vt sit Tuus iste in terras illas aduentus auspicatißimus: omni hominum summorum & infimorum, ordini salutaris, Tibique ipsi, Tuis Maioribus, & Deo inprimis glorioßißimus. Vere de posteriore gemma Salomon*, vnguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis anima dulcoratur: *De priore verò Apostolus.* Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ. *Quam ego Tibi, Serenißimisque Tuis sororibus omnibus, Christinæ, magni Hetruriæ Ducis coniugi, Elisabethæ Serenißimo Bauariæ Duci Iuniori nuptæ & Catharinæ innuptæ adhuc Virgini, ex animo, precibus à cœlesti bonorum omnium authore Deo, peto & obsecro. Moguntiæ, pridie Natiuitatis B. Virginis, anno Virginei partus milleßimo quingenteßimo nonageßimonono.*

IN ESTHER

IN ESTHER.

PRÆDICENDA SEPTEM.

PRIMVM, QVÆ INSCRIPTIO.

AB Hebræis liber hic fere vocatur *Megillath Esther*, seu, vt antiquitus prónunciabant & scribebant; *Megella* id est, *volumen*, quemadmodum & Ieremiæ 36. v. 27. 28. vox ista vertitur. Ideoq; infra cap. 9. 26. & in notatiuncula ante cap. 13. *volumen* vocat D. Hieronymus. Olim tamen simpliciter inscriptum fuisse *Esther*, ostẽdit apud Eusebiũ lib. 6. hist. cap. 25. Origenes & D. Hieronymus epist. 105. *Ruth*, ait, *& Esther ijsdem nominibus efferuntur*, non quod ista idem valeant nomina, sed quod eatum libri, nõ aliter quã ipsarum vocabulis inscribantur, prout idem Hieronymus epist. 140. hisce verbis apertius indicat; *Ruth, & Esther, & Judith tantæ gloriæ sunt, vt sacris voluminibus nomina indiderint.* Huius porro nominis, Esther, interpretatio varia traditur, vel enim est *occultæ demoliens*, vel *medicinæ exploratio, & contemplatio*, vel *medicina turturis*, vel *pulchra vt Luna*, quemadmodũ ex *Hagadath* tradit auctor *Aruch*, cum & inde Græcorum ἀστὴρ, de quo in Iudices dixi; apud Eliam Thisbi, ducatur, & ab Italis *stella* vocari dicatur mulier, cui Esther nomen, propter soni videlicet, in pronunciatione similitudinem. Apud Persas astrum seu aster vocatur ster, vnde & apud Laërtium ait Xanthus Lydius Zoroastrem μεθερμηνεύεσθαι ἀστροθύτην, id est interpretari astrorum sacrificulum: indidemq; Esther dicta est, inquit in Eusebianis animaduersionibus Scalig. pag. 15. Rabbini verò Esther & Susannam, Gamatrica nomina esse docent; quæ à Græcis ἰσόψηφα nominantur, quorum scilicet literæ, numeros eosdem denotant. Vide is.

א	1	ש	300
ס	60	ר	6
ת	400	ש	300
א	200	ב	50
		ה	5
	661		661

Alterum prædicendum, quis auctor?

OPINIONES doctorum quatuor. *Prima*, Esdram esse; D. Augustini lib. 18. Ciuit. 36. & Isidori lib. 6. orig. cap. 2. Ante vtrumque tamen Eusebij Chronicum anno mundi 4734. idipsum quasi à nonnullis iam assereretur; negauit. Et vero est ea etiam opinio quorundam in libro *Baba bathra* cap. 1. Iudæorum. *Altera*, quæ Anniani Philonis est; nominat Ioachimum filium Iesu, qui Iosedec. & placet Reineccio tom. 2. f. 275. *Tertia*, viros magnæ synagogæ profert, quam docet R. Moyses Camius lib. *Darche Ieschon hacodesch.* Et mirum, magnum illum in Anglia Caluinianorũ magistrum, Bellarmini allatratorem, opinionis huius ignarum esse, dum controuersia 1. cap. 8. argum. 1. scribit; *Auctorẽ huius libri fuisse, aut Esdram, aut Ioachim Sacerdotem, aut ipsum Mardochæũ doctissimi statuunt, alium nesciunt.* *Quarta*, eum ipsum, qui tantas hoc libro commemoratas res gessit, omnibusque adfuit vel potius præfuit; Mardochęum. libri eiusdem auctorem censet, *in qua* quidem *sententia* præter eos, de quibus infra; *ego*, si addatur, *operæ aliquid etiam cum ipso Mardochæo cõtulisse Estheram*, Et de Mardochæo quidẽ testantur hæc. *Primum* cap. 9. ver. 20. *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa, misit ad Iudæos.* Vbi significatur, totã historiæ seriẽ à Mardochæo scriptam fuisse: deinde missam ad Iudæos omnes, idque cum literis, quas ad eosdem dabat, præcipiens & adhortans, vt festum quotannis diem agerent, liberationisque suæ memoriã omni lætitia & honore celebrarent. Ad hoc enim faciendum, magnæ cohortationis instar, erat; accurata eorum omnium, quæ contigissent; cognitio, & iterata quotannis lectio. cumque semel ista misisset, licet alias adhuc postea literas mitteret ver. 29. non amplius historiam, sed præceptũ tantum & hortationem misit. *Accedit* Latinus noster Interpres, qui ver. 26. hanc planè sententiam è superioribus verbis collegit, & ita expressit. *Cuncta, quæ gesta sunt, epistolæ, id est, libri huius volumine continentur*, aut, si fortè, vt in Græco est, verterit; *Cuncta quæ gesta sunt, epistolæ huius volumine continentur*; idem semper intelligitur, præsertim si aduertas, in cunctis, quæ hac epistola continebantur fuisse, quæ sustinuerint Iudæi, quæ deinceps immutata sint, id est, quæ mutatio ipsorum miserias & calamitates insecuta sit. *Alterum* cap. 12. ver. 4. in Latino; sed in Græco cap. 1. Μαρδοχαῖος ὁ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ἔγραψε δὲ Ἐσθὴρ λόγων τούτων, *Mardochæus scripsit de hisce narrationibus*, vel, vt legi posset, περὶ τῶν, λόγους τούτους; *Mardochæus scripsit de his narrationem hanc*. quemadmodum paulò antè dictum, ἔγραψεν ὁ βασιλεὺς τοὺς λόγους τούτους. εἰς μνημόσυνον, *scripsit Rex verba sive narrationes istas in monimentum, vel ad memoriam*. Licet enim de somnio, & insidiarum, de quibus infra; detectione, ipsum tantummodo scripsisse hinc effici posse videatur, nihil tamen impedit, quin ea verba latius pandantur, cum quę illorum, eadem & aliorum ratio sit. Et verò ex istis & superioribus verbis simul iunctis, tota pæne scriptio hæc ab illo profecta ostenditur. Quid enim præter ea, quæ periculũ anteceſſerunt, ipsumque periculum, & eius cum instantis, tum depulsi causas modosque, continet? *Tertiũ* sensit Lyranus, Carthusianus, Feuardentius, Moyses Hispanus R. Abenezra, iisque, si libeat, mihi argumẽtum ab plurium doctorum assensu ducitur, Christianorum, & Iudæorum. Nam ita adiici possint, Vatablus Geneuẽsis editionis, & Ioãnes Drusius. Quod à me verò de Esthera, quacus textus cap. 9. paululum, quod in Latino est contractius; dilatans, καὶ ἔγραψεν Ἐσθὴρ ἡ βασίλισσα Ἀμιναδάβ, καὶ Μαρδοχαῖος ὁ Ἰουδαῖος, ἃ ἐπέστειλαν τὸ τε στέρωμα ἐπιστολῆς τῶν Φρουραί. *Et scripsit Esther Regina, filia Aminadab, & Mardochæus Iudæus quæ fecissent, ipsamque confirmationem epistolæ ipsorum Phrurim*. de quibus suo loco.

Tertium prædicendum, qui Interpretes?

SI de iis, qui Græcè aut Latinè verterunt; agatur, sic habeto. Ante D. Hieronymum, fuisse cum Græcos, tum Latinos translatores iam aliquos, vti tradit ipse epist. 112. Et Græci quidem fuerunt partim *Septuaginta Interpretes*, vt ab eodem ibidem ostenditur tam in principio, cum vulgata editionẽ nominat, quã sub finem; itemq; in notulis huic libro attextis partim *Lysimachus*, de quo infra cap. 11. Ipse tandem Hieronymus *de archiuis Hebræorum, librum istum reuelans* (sic enim Biblia Regia melius legunt, quod in Romana, Basileensi & Antwerpiensi D. Hieronymi editione est, *releuans*) *verbum è verbo transtulit expressius*, prout loco iam citato ipsemet loquitur. Si verò, qui exposuerunt, quærantur, est apud Cassiodorum lib. 1. diuin. lect. 6. Bellator, Rupertus lib. 8. de victoria verbi, Rabanus, quoad allegoriam vt in Iudith, Lyranus, Hugo, Carthusianus, Feuardentius. At addi potest Hebraicus *Perusch* seu *expositio*, quæ seperatim Venetiis edita, auctore Gaone, seu Rabino Elisa Gelico, itemque Iosephus Gorion editionis Basileensis lib. 2. à ea. 1. vsque ad capitis quinti medium, vbi Alexandri Magni res gestæ incipiunt. Gorion vero editionis Cracouiensis vnico quidem libri primi capite quarto, sed bene longo: & Iosephus Flauius li. 11. ca. 6. Vidi etiam aliquando de Esther & Assuero sermonem in vetere inferioris Bibliothecæ Reuerendissimi Herbipolensis manuscripto Codice.

Quartum prædicendum, quæ authoritas?

LVTHERVS symposiacorum cap. 69. fol. 380. *Ego*, inquit, *adeo librum hunc* (secundum Machabæorum) *& Esther odi, vt vellem nullo modo exstare*. Loquitur verò serio, de libro, prout Hebraice iam legitur. Cum enim ista diceret, obiecit ei, qui Hebraicarum literarum peritus habebatur & aderat; M. Forsterus, fieri ab Hebræis librum illum maximi, & quidem pluris, quam Danielẽ & Isaiam, neque, se ille aut de quibusdam tãtum eius partibus loqui, aut aliud quidquam respõderet. Hancque Lutheri vocem, tamquam oraculum accepisse videntur illi, quos, magnum in Luheranorum scholis consecutus nomẽ, Reineccius Tomo 2. fol. 42. refert, iam reperiri, qui eandẽ hanc Estheris cum Iudithæ historia suspicentur, sic vt in Tragicomœdiam versa sit. *Nam cum, vt ait, facta à Iudæis cædes admodum inuidiosa esset, eam viro docto alicui, personis & circumstãtijs aliis reperire placuisse, donec tempore ipso, animis extraneorum mitigatis, à Ioachimo Pontifice, qui idem dies istos loco sit historia illa, quam cum ista iam confundi vellent. Videtur tamen Lutherus postea suum illud iudicium & votum stultitiæ damnasse, dum in præfatione suæ versionis; decimi tantum capitis partem à versu 4. & quæ deinceps in Latino sequuntur, capita reiicit, hancque ferè sententiam retinent hodie cum Lutherani alij, tum Caluiniani apud Wittakerum controu. 1. quęst. 1. cap. 8. libro contra Campianum & contra Duræum. Ioannes etiam Drusius lib. 8. animad. cap. 16. vult iis *non adeo multum tribui*, &, suis in notis; *additiones apocryphas* non raro appellat, sicuti & Catholicorum nuper pauci, quidam, de quibus postea.*

DVO BREVITER STATVO. VNVM; *Capita priora decem, vsque ad decimi versum quartum, esse canonica*. Probatur à Bellarmino lib. 1. de Verbo DEI, cap. 4. & adduci fere possunt, quæ pro Tobia & Iudith allata sunt. Satis iam sit, Ecclesiæ in Trident. sess. 4. definitio, & Hebræorum omnium sententia, tam recentiorum, de quibus supra Forsterus aiebat; quã veterum, de quibus Iosephus lib. 1. contra Apionem, Athanasius Synopsi, Epiphanius hæresi 29. vbi à Nazaræis etiam Hebraice legi narrat; citatque passim Rabinos complures Rabi Elisæus in ea, quam supra memoraui, expositione.

ALTE-

ALTERVM. *Quod in eodem capite decimo à versu quarto residuum est, & quæ sequuntur capitula omnia, canonica sunt*. Probatur *primò*. Qui, præter D. Hieronymum, veteres, librum hunc approbarunt, de eo, prout in ditione vulgata, quæ Ecclesiæ est, erat, loquebantur. Sed cum istis omnibus erat, vti D. Hieronymus ad ea ipsa capita commonet, Græcaque hodierna, & Athanasij synopsis testatur. Ergo. *Secundò*. Approbarunt eadem Concilium Laodicenum can. 59. Carthaginiense 3. cap. 47. Origenes in Psal. 1. apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 25. Cyrillus Catech 4. Damascenus lib. 4. cap. 18. S. Hilarius in Psal. 1. Innocentius primus epist 3. Ruffinus in symbolum. S. Augustinus lib. 2. de doctr. c. 8. Alcimus ad fororem. *Tertiò*. Ex iis ipsis capitibus non secus, quam è sacris literis testimonia laudãt D. Chrysostomus homil. 3. ad populum, Augustinus in Psal. 51. epist. 199. D. Ambrosius 3. offic. 15. D. Basilius lib. 2. contra Eunomium, D. Hieronymus in cap. 1. Galat. Alexander Pontifex ad omnes orthodoxos. *Quarto*. Ex seria Origenis probatione; epist. ad Iulium Afric. *Vide*, ait, *ne imprudentes & inscientes abrogemus exemplaria, quæ habentur passim in Ecclesiis*. At eiusmodi sunt exemplaria, in quibus & tam & olim, vt ex dictis patet, capitula hæc fuerũt. *Quinto*. Ex Tridentini Concilij sess. 4. hisce verbis; *Si quis libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit*. Hinc ergo argumentor dupliciter. *Primo*, dũ ait, *cum omnibus suis* partibus, scilicet vt in Daniele, Marco, Luca, Ioanne, in quibus ea, de quibus nonnulli olim controuersari sunt; approbantur. Et nisi Cõcilij mens ista foret, nonne ridiculus esset aphorismus, totum aliquid laudare, & de ipsius partibus addere? Quomodo enim sine partibus aut illud constare, aut probari possit? *D. in de* dum subdit; *prout in Ecclesia legi consueuerunt*, vt omne scilicet lucifugis & contentiosis ingenijs effugium obstruatur. At videmus in Ecclesia legi ex ca. 13. feria 4. post Dominicam secundam quadragesimæ. indidemq; in Missa contra Paganos, & ex cap. 13. Dominica 21. post Pentecosten. Vnde Rupertus 18. de victoria cap. 12. *Sacer*, ait, *Ecclesiæ chorus, per singulos annos statutis diebus, declamat ante Dominũ, in persona illorum*, scilicet Iudæorum. *Euerte cor eius*, scilicet Regis. *in odium repugnantium nobis, nos autem libera in manu tua*, ex cap. 14. ver. 11. 14. 19. Et lib. 12. de diuin offic. cap. 23. ex cap. 14. ver. 13. *Hester*, ait, *pro temperantia ponitur, quæ repudiata ob arrogantiam Vasthi regina, in regnum subrogatur. Nam ipsius temperantia hoc indicium est speciale, quod Leonem illum, de quo ipsa ad Dominum dicit. Et da mihi gratiam in conspectu Leonis, id est. Assueri regium mansuetudinem conuertit, eiusque edictum ex instinctu Aman intemperantissimè superbientis & genus Iudæorum perdere cupientis, in consolationem sub stupra transtulit*. *Sexto*. ex argumentorum, quæ obiiciuntur, solutione.

Contra posteriores huius libri partes argumenta proponuntur & soluuntur.

SVNT apud Wittakerum, quibus posteriores libri huius partes oppugnentur, argumenta quatuor.

PRIMVM. In posterioribus capitibus eadem, quæ in prioribus repetuntur. *Respondeo*, hoc ipso è prioribus confirmari posteriora, & contra, è posterioribus priora. Si confiteri tamen ex ista ratione quid possit, est; videri auctorem non vnum esse, quod antea concessum est.

ALTERVM. Sunt isto in libro, quæ parum vera & consona videntur. *Respondeo primo* quidem; esse hunc hæreticis morem perpetuum, vt libri alicuius auctoritatem eleuaturi, omnia quæ ille contineat; difficilia colligant, vt, quia non à quolibet statim explicari ea possunt; falsa omnia iudicẽtur. *Deinde*, petò vt singula suis locis reseruare liceat, ne ante explicationem explicare omnia oporteat. Do tamen hæreticis istis, hæretici à Beza præfatione in nouum Testamentum, laudati sententiam, hoc ipso libro, de his ipsis difficultatibus, consignatam. *Nescio*, ait in cap. 3. fol. 93. Ioannes Drusius, *quam rectè fiat ab hominibus eruditis, qui additionibus Estheræ falsi crimen imponunt ex loco tam dubio, & controuerso*. Loquitur scilicet, de insigni illa difficultate, quomodo fuerit Haman Macedo. de qua suo loco infra.

TERTIVM. Ista in Hebræo capita non sunt, nec verisimile excidisse. *Respondeo*. Cur, quæso. nõ verisimile? An integros libros excidisse fatentur hæretici, de quibus in generalibus Bibliorum Prolegomenis egi; particulas excidere potuisse negabunt? Licet verò è cap. 9. Drusij eiusdẽ verba istis obiicere, dum istud exponit; Ἐγράφη εἰς τὸ βιβλίον. *Existimant*. inquit, *fuisse librum vulgo eius ætatis notum. Quod si ita est, intercidit cum aliis, vt liber recti, & Salomonis, Medras Iddo, liber Bellorum Domini, Annales Regum Israel*. Sed Origenem loco citato potius audiamus, qui hoc ipsum, quod Wittakero incredibile videtur; verisimile asserit. Et Flauius Iosephus lib. 11. cap. 6. Assueri epistolas citat, cum lib. 10. cap. 11. è fontibus Hebræis hauriré se profiteatur, & lib. 1. pleraque refert Hebræus Gorion Cracouiensis, de quo supra.

QVARTVM. Catholicorum quidam in apocryphis ea censuerunt, D. Hieronymus præfatione in hunc librum, Rabanus etiam in præfatione, & sub finem Commentariorum cap. 10. Lyranus, Hugo, Burgensis additione 1. cap. 3. & add. cap. 7. Sixtus Senensis lib. 1. & Caietanus in hunc librum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

librum. *Respondeo*, vt supra in Tobia responsum est, hosce posteriores, D. Hieronymi esse authoritatem secutos; Hieronymum verò Hebraicum; qui tum erat, contextum. Neque paucorum iudicium synodo œcumenicæ officere quidquam potest, quam idcirco paulo diligentius explicabam, ne vnius aut alterius, qui ea synodo posteriores fuerunt, temeritate, fas quisquam deinceps putet, quod nefas.

Pro iisdem posterioribus libri huius partibus argumentum, quo simul hæreticorum contra eosdem, & libros quosdam argumenta quam inania sint ostenditur.

IAm *septimò* & *vltimò*, contra capitum istorum hostes hæreticos missile hoc intorqueo. Priora capita possunt iisdem argumentis omnibus oppugnari, quibus non posteriora tantum ista, sed integros etiam libros Tobiam, Iudith, Machabæos à vobis expugnatos putatis: & tamen prima illa vobis, quod non reprehendo, canonica sunt. Quidni ergo ista etiam sint, licet ratiunculis ea nonnullis appetantur quidem sed non euertantur? Nam prima etiam capita illa oppugnari posse, vel ex hisce manifestum.

Primo Libri huius auctor certò asseuerari nullus potest, licet de nonnullis coniiciatur probabiliter. Ergo & opus totum incertum. *Secundò* Translationes eius variæ olim vitiosæque fuerunt vt præfationis initio ait S. Hieronymus. Si verò præcipuam aliquam in Ecclesia auctoritatem tenuisset; num adeò mendosus & deprauatus esse potuisset? Quid quod & Hebraicus textus minime purus est, sed peregrinis & Chaldaicis vocibus refertus? *Tertiò*, iam tempus, quo historia hæc accidisse narratur, ita incertum, vt quot pænè capita, tot sententiæ sint, neque vllam fere amplectaris, quin asystata plutia occurrant. An non igitur commentum potius quam historia, vel certè sub dubia cuiusdam scriptio & de qua libera doctorum iudicia esse possint, videatur? *Quartò*, Sunt in ea etiam quæ plusquam paradoxa videantur, vt primo statim capite, conuiuium dimidiato anno habitum: Reginam tam leui de causa, tam subito, tam nullo iudicio, explosam: nouam eius in locum inductam. cuius ne genus quidem & patria inquisita esset, quæ tam serò ad viduum Regem admissa sit: de cuius liberis & posteritate ne verbum quidem audiretur. Alia quæ plurima sunt, persequi non libet. *Quinto* denique veterum quidam non desunt, qui nullã libri huius, dum scripturarum diuinarum catalogos memorant, mentionem faciunt, Melito apud Eusebium lib. 3. histor. c. 10. Nazianzenus, Honorius, Athanasius in synopsi, vbi & de quibusdam Hebræis idem affirmat, eoque tacente, in promptu est Iosephus lib. 1. contra Apionem vbi scripturas, quæ post Artaxerxem Xerxis filium apud Iudæos esse cœperunt, multo minoris esse auctoritatis testatur, quam sint Prophetarum, & aliorum, qui antea scripserant. Et hoc testimonium laudat Eusebius lib. 3. cap. 10. Dicemus vero infra ex Iosephi sententia, esse Commére quidem dignatus sit. Iunilius Africanus huic non eundem etiam cum historicis aliis Canonicis auctoritatem apud Hebræos fuisse ait li. 1. de partib. diuinæ legis cap. 2.

Ecce, mi Wittakere, vosque omnes hæretici, qui varios nobis libros leuissimis sæpe argumentiunculis extorquere conamini, quam facile est iisdem artibus in eos etiam, quos retinendos putatis; similiter inuadere? Dissoluerem vero ista, nisi ex eis, quæ in Tobia & Iudith dixi, quædam, scribere doctum hominem, Dominum Angelum Roccam in suo de Bibliotheca Vaticana Commentario, libri huius exemplar Hebraicum, in corio conscriptum; conuolutum, in Augustinianorum Bibliotheca, Bononiæ, asseruari.

Quintum prædicendum. Quis eius in Bibliacis, ordo?

HEbræi omnes ipsum in eo diuinorum ordine collocant, qui *hagiographorum* dicitur. Variant tamen *tripliciter*. Nam *a Thalmudicis*, post Threnos, ante Paralipomena statuitur; *a Massoretis* post eosdem Threnos, sed ante Danielem & Esdram: *a Germanicis Iudæis*, post Ecclesiasten, ante Danielem, Esdram, Paralipomena. Nostrorum *quidam* recensent ante Iudith, vti Athanasiana synopsis, Cassiodorus cap. 6. & 14. diuin. lectionum, Augustinus loco citato, S. Prosper p. 2. de præd. Concilium *Laodicenum* editione prima post Ruth. quo etiam loco legitur statim post Deuteronomium; *Canticum Canticorum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, volumen Esther.* &c tum vero sessione 4. ordinem iste liber eum tenet, quem in Bibliis nostris videmus, & hactenus secuti sumus, & quidem recte propter causam allatam Prolegomeno 7. in Iudith.

Sextum

Sextum prædicendum, quæ vtilitas?

BReuiter D. Hieronymus præfatione in Sophoniam, & qui eum secutus est Rabanus hoc loco; *Liber*, inquit, *Esther, multipliciter & Ecclesiæ Sacramenta continet, quia ipsa Esther Ecclesiæ typo populum de periculo liberat, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partem conuiuii, & diem celebrem mittit in posteros.*

Septimum prædicendum, quæ diuisio?

NOstris in exemplaribus Latinis capita sunt 16. in Græcis tamen 10. sed ita, vt quæ illis 16. cõtinentur, ea in hisce 10. insint omnia, suo tamen loco posita, quæ apud nos alienò. Cum enim D. Hieronymo propositum esset, ostendere, quæ in Hebræis tantum essent, & quæ in Græcis supereſſent, hæc ipse posteriora illis subiunxit, & quidem in præfatione ait, 9. capitulis distincta, per alphabeti literas ex *minio* vsq; ad literam theta. Pro *minio* tamen legit Romana D. Hieronymi editio, *minimo*, quod intelligendum foret ex cap. 10. quod litera Græcorum minima, *iota* scilicet, notari solet. Omnia vero hæc adiuncta triplicia sunt, vel enim ad historiæ *finem* spectant, & ea statim traduntur versu 4. capitis decimi & initio vndecimi, vel ad historiæ *principium*, & deinceps leguntur cap. 11. & 12. vel denique ad *medium* & habentur cap. 13. 14. 15. 16. Ego, vt historiæ ordo tempusque magis pateat, ad suum omnia locum reuocabo. ideoque quod in Euangeliis quatuor coniungendis veterum quidam fecerunt; *Harmoniam Esther*, siue capitum omnium tam priorum quàm posteriorum *consonantium* vocare volui. Sicque libri totius partes constitui possunt quatuor. In prima sunt nonnulla, quæ Iudæorum & pericula & liberationem antecedunt, vsque ad cap. 3. v. 6. In secunda periculum Iudæorum à c. 3. v. 6. vsque ad ca. 4. In tertia eorundem liberatio à cap. 4. vsque ad cap. 9. v. 17. In quarta quænam liberationē consecuta.

PARS LIBRI PRIMA.

QVæ Iudæorum discrimen antecedunt in parte prima, sunt eorum quæ sequuntur, vel signa vel causæ & occasiones, & videntur octo. ideoque & primæ huius partis particulæ sunt totidem.

Continentur vero in
- I. Mardochæi somnium toto cap. 11. à ver. 2.
- II. Epulum Assueri Regis cap. 1. vsque ad ver. 10.
- III. Reginæ repudiatio à ver. 10. cap. 2.
- IV. Estheris in Regiam domum adductio cap. 2. ad ver. 9.
- V. Estheris ad Regem præparatio, eodem cap. 2. à ver. 9. ad 15.
- VI. Estheris nuptiæ, ibidem à ver. 15. ad 19.
- VII. Eunuchorum insidiæ, & supplicium, rursus ibidem à ver. 19. ad fin.
- VIII. Amanis exaltatio & in Iudæos ira cap. 3. ad ver. 6.

PRIMA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA.

DE MARDOCHÆI SOMNIO.

E capite vndecimo.

S. Hieronymi monitiuncula: *Hoc principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud vllum fertur interpretum.* videlicet præterquam apud Septuaginta, qui in vulgata tunc editione legebantur.

2 *ANno secundo, regnante Artaxerxe maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Iairi filii Semei, filii Cũ, de tribu Beniamin:*

3 *Homo Iudæus, qui habitabat in vrbe Susis vir magnus, & inter primos aulæ regis.*

4 *Erat autem de eo numero captiuorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Ierusalem cum Iechonia rege Iudæ.*

5 *Et hoc eius somnium fuit: Apparuerunt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & conturbatio super terram.*

6 *Et ecce duo dracones magni, paratique contra se in prælium.*

7 *Ad quorum clamorem cuncta concitatæ nationes, vt pugnarent contra gentem iustorum.*

8 *Fuit dies illa tenebrarum & discriminis, tribulationis & angustiæ, & ingens formido super terram.*

9 *Conturbataque est gens iustorum timens*

ment

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mentium mala sua, & præparata ad mortem.

10 *Clamaueruntque ad Deum: & illis vociferantibus, fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit.*

11 *Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & deuorauerunt inclytos.*

12 *Quod cum vidisset Mardochæus, & surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet: & fixũ habebat in animo, scire cupiens quid significaret somnium.*

QVÆSTIVNCVLA I.

Quale Mardochæi somnium?

SOMNIORVM alia naturalia sunt, alia supernaturalia, vti de his quidem non ex nostrarum tantum literarum, sed Ethnicarum etiam auctoritate, necnon & ex ipsa ratione, satis contra Aristotelem libro de diuinatione per insomnia, constitutum est. Hoc verò *supernaturale fuit*, vt indicatur capite isto 11. ver. 12. vbi *vidisse* dicitur Mardochæus somnium. Nam visio ei dormienti obiecta significatur, & cap. 10. ver. 5. Et patet, cum eius vel interior naturalis causa nulla proferri possit.

QVÆSTIVNCVLA II.

An à DEO *vel à dæmone fuit idem somnium?*

A Dæmone insomnia non pauca immitti ex Deuteron. 18. perspicuum, & vero ex pulchetrima, de Xerxis & Artabani somniis & disputationibus, narratione apud Herodotum lib. 5. & 7. D. Gregorio lib. 4. dialogorum c. 51. *A* DEO tamen *istud fuisse*, intellexit Mardochæus eodem quem obiecto istiusmodi viso, DEVS moneret, *per istam* verò bonum à malo auctorem internosceret, multoque magis, dum, vt cunctorum istorum veritas manifesta omnibus esset: confirmauit cap. 10. ver. 9. re ipsa Dominus, se somnij huius auctorem fuisse.

QVÆSTIVNCVLA III.

Cur somnium hoc Mardochæo diuinitus immissum?

VT de maximarum rerum euentis *moneretur* Mardochæus: simulque in earumdem cursu quantumuis difficillimæ, asperrimæque res incidirent; *confirmaretur*, & meliorum expectatione corroboraretur. Ita enim comparatum est vt huiusmodi quædam, hominem mediis in calamitatum fluctibus, magnopere solentur, erigant & reficiant.

QVÆSTIVNCVLA IV.

An statim, quæ somnii eius significatio esset, cognouit Mardochæus?

BIFARIAM in somniis loquitur DEVS, vel *clare*, vt statim qui dormit, quidnam DEVS velit, intelligat, quemadmodum Iudas 2. Machab. vlt. Iosephus Matth. 1. & 2. vel *obscure*, vt non statim qui dormit intelligat, quemadmodum Iosephi huius typus (prout de eo serm. 2. super *Missus est* à S. Bernardo traditur) Iosephus alter Genes. 37. itemque, qui cum eo erant in carcere. pincerna & pistor Genes. 40. & ipse Pharao Genes. 41. Nabuchodonosor Danielis 4. *Mardochæus* verò noster hoc *in posteriori genere fuit*. Nam vers. 12. dicitur *scire cupisse*, quid significaret somnium.

QVAESTIVNCVLA V.

An rectè, quæ somnij significatio foret, scire cupierit Mardochæus?

DIXIT Poetarum quidam: ——— ———

Somnia

——— Somnia fallaci ludunt temeraria nocte.
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

Nulla panè nox, quin somniemus, abit, num autem significati semper aliquid, aut quid significetur, optandum & cogitandum semper putemus? Hominum id sane nimis, quam ocioforum, vanorum, & superstitioforum, vt etiam lib. 2. de diuin. à Cicerone monitum. Nihilominus tamen *ad quædam interdum attendere somnia, non vitio non est*. Si enim *interiores causas* habent corporis, eiusque humorem & temperationis aliquam nobis, & Medicis cognitionem afferre possunt, prout in aphorismis docet Hipocrates. Si *exteriores*, possunt huiusmodi etiam vtilitatem afferre, & quidem etiamsi à dæmone: scilicet vt ea refutemus, iis non credamus, eius fraudes & appetitiones discamus, penitéque declinemus. Cæterum *à Deo immissa dum sunt, quidni ad eorum serio intelligentiam attendamus?* An frustra loquitur Deus? An cura & solicitudine, quod ostenditur indignum? Denique quod scire licet, hoc vt sciamus optare licet. Videatur D. Thomas 2. 2. quæst. 95. artic. 6. & Caietanus ibidem, vbi de suis etiam somniis agit, sicuti & Rupertus ca. 2. lib. 9 de victoria. Petrus Venerabilis in epistola 16. lib. 6. Omnia ferè, quæ de somniis ad scripturam nosse opus, pertractauit noster Pererius totis 7. quæstionibus in Danielis cap. 1. Apparet vero ex cap. vlt. lib. 17. Iosephi, fuisse apud Iudæos somniorum interpretes, quos ille describit, μάντεις δὲ καὶ ὀνειροκρίτους ἦσαν οἱ ἄνακτες Φοί, *vates, quibus de somniis studia erant*, siue, *qui circa somnia versabantur*.

QVAESTIVNCVLA VI.

Quamdiu scire cupiuit Mardochæus, quid sibi hoc vellet somnium?

GRæcè dicitur ὡς τῆς νυκτὸς, *vsque ad noctem*, quasi eo tantum die, desiderii hoc habuisset. Sed vel secuta nocte quid rei esset, percepisse opotteret, vel diuinarum rerum negligentem & incuriosum admodum fuisse, qui diei tantum vnius cura dignas illas existimaret. Ideoque cum hoc in Latino non sit, videatur forte merito, quasi ex alicuius, qui subsequi videbat ἐπιγραφὴ quiuit, notatiuncula, irrepserit, suspectum. Si retinere tamen in Romanis 70. libeat, interpretari licebit, *vsque ad noctem*, fuisse somnii eius intelligendi cupidum, *ita nimirum, vt magno desiderio teneretur*, totus ea in cogitatione defixus esset, variè apud semetipsum inquireret, Deum rogaret, porroque alios forte nonnullos interrogaret, non quidem vanos fallacesque coniectores & interpretes, quos Græci ὀνειροπόλους & ὀνειροκρίτας vocant: sed si quos, in eo loco norat bonos & prudentes, qui vti de Daniele scriptum est, *Dei spiritum in se haberent*, Danielis 4. & 5. Posterus dies, & qui deinceps consecuti fuerunt, etsi votum & studium hoc numquam omnino sustulerunt, aliquantulum tamen, vt fieri solet, imminuerunt.

QVÆSTIVNCVLA. VII.

Quando sui huius voti compos factus Mardochæus?

CErtam perfectamque adeptus cognitionem non videtur, antequam ipso rerum exitu, quid portendisset Deus, intellexit. Hoc enim cap. 10. ver. 5. significat illud; *Recordatus sum somnii, quod videram, hæc eadem significantis*, seu vt Græcè est, *somnii τῶν λόγων τούτων, de his ipsis verbis*. Quis enim simplicem hic recordationem accipiat, quæ solam præteriti somnii memoriam importet? Num totos octo, vel nouem annos, quos effluxisse iamiam dicam, illius non meminerat; An primæ illius curæ & indagationis nulla vel minima in animo deinceps vestigia hæserant? Si somnium putasset fortuitum & è multis vnum, assentirer fortasse, obliuioni ab eo datum. Sed diuinũ cum sciret, sæpissimè ipsius recordabatur, de eo cogitabat, & cupido quidem, æquo tamen animo quæ futura essent, expectabat, fructumque illum paulatim percipiebat, at cum tam nubila omnia videret, sereniorem, qui ostensus erat, Phœbum non desperaret, quemadmodum lib. 2. c. 2. refert Gotionides, *Abilla*, inquit, *die (somnii) & deinceps conseruauit Mardochæus somnium istud in corde suo. Cumq; Hama nec iam infestus esset, aut ad Esther filiam patrui sui. Impletur somnium, quod narraui tibi in diebus iuuentutis tuæ.* Fuit igitur ista recordatio cum perfecta ostenti totius experientia, & clara, integraque omnium, quæ in somnio vidisset, quorumq; particulas vsq; eo sensisset, sententia.

* * *

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAESTIVNCVLA VIII.

Quæ interpretatio?

PRoponitur cap. 10. ver. 5. vsque ad 10. *Dies tenebrarum*, sunt ærumnosi illi dies, de quibus postea. *Lux & sol ortus*, dies illi læti & festi, de quibus cap. 8. ver 16. *duo dracones*, Haman & Mardochæus. *fons* initio *paruus*, & tandem ingentem ex se *fluuium* effundens, Esther est, prout deinceps magis erit manifestum. Et priorum quidem similitudines claræ, vt in illo, *Post nubila Phœbus*. de quo Tobiæ cap. 2. fol. 54.

Nulla dies adeo est Australibus humida nymphis
Non intermissis vt fluat imber aquis.

De cæteris dicendum.

QVÆSTIVNCVLA IX.

Quomodo Haman & Mardochæus dracones?

VEtus Regum militiæque præfectûm hieroglyphicum symbolum fuit *draco*, vti Horapollo & Pierius lib. 15. explicant. Cum duo igitur isti, vnus apud Regem, apud gentem suam alter, tandemque apud Regem etiam authoritate pollerent, principatumque tenerent, merito draconis forma notati sunt, quemadmodum apud Danielem aliis quibusdam animalibus alii, maxipellarentur. vt in libro, quomodo historia conscribenda sit, explicat Lucianus. Rupertus vero libro 8. de victoria cap. 8. particularem etiam de vtroque causam affert. *Propter diabolum*, ait, *serpentem antiquum, veraciter habitantem in pectore Aman. Porro Mardochæus draco non reuera, sed inimicorum, scilicet eiusdem Aman, & completum eius, accusatione falsa, dicentium, quod genus eius Iudaicum seditiosum esset, & regno insidiosum.* Maior tamen similitudo fuerit, si vterque, verâ metaphorâ, draco sit. Sed vt Aman draco est, quia conscelerato dracone plenus, & eius administer instrumentum fuit, ita & Mardochæus draco etiam si dicitur, quia boni & sancti alicuius draconis domicilium, & organum. At quis draco bonus? Sane ad Deum laudandum Dracones interdum quosdam inuitari videmus Psal. 148. Num ii mali; cum solos inibi peccatores non inuitari notarit S. Chrysostomus. Quia vero draco draconem vt à quodam dictum est, deuorat: nos ego Christianos, draconis illius prioris teterrimi & immanissimi caput conterat, totumque deuorer. Nam, *sicut serpentes esse nos prudentes* voluit Matth. 10. ver. 16. & ipse in serpentis imagine Num. 21. Iohan. 3. apparuit. Qui vero *serpentes* vel *angues*, iidem dracones etiam nominantur, vt apud Virgilium Æneid. 2. & si qua differentia est, hæc vera est, quod draco, serpens sit maior & vastior. Hinc enim illud Græcorum ὄφις εἰ μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται, *serpens, nisi serpentem voret, draco non fiet.* Hinc eodem illo capite Rupertus. *Nec mirum*, ait, *quod homo simplex, & rectus propter falsam opinionem*, dico etiam *simplicium Rex & rectorum Dominus Christus per serpentem æneum fuerit præsignatus.* Sane Moysis dragnumque illum impietatis draconem Pharaonem. Sic & Constantinus Magnus sub pedibus draconem calcabat, apud Eusebium lib. 3. Vitæ cap. 3.

QVÆSTIVNCVLA. X.

Quomodo dracones isti clamorem edisse traduntur?

NOn clamor, sed sibilus draconibus. sicuti & anguibus aliis tribuendus videtur, & tidet Ciceroni eos, qui draconem Alexandro loqui visum narrabant. Atque hoc ille quidem fecit meritò, *non audiui* (Tullii verba loquor) *Alexandy draconem loquentem, sed est visus audire & quidem, quo magis sit, cum radicem ore teneret locutus est.* Ego vero dico, *nostros istos dracones non vere clamasse*, sed in somno, quasi clamarent, apparuisse, neque clahementius concitarentur, quemadmodum Aquilius & in orbis Theatro quidam aiunt, draconē, cum interficeretur, clamasse *Gelre Geire*, vnde *Geldria* dicta sit.

QVAE-

QVÆSTIVNCVLA XI.

Quomodo Esther fons paruus & flumen magnum?

FOns merito erat, cuius aquis ingens excitatum incendium restinguendum, defluentibus lacrymis numen propitiandum, abundantia scaturiente amnis effundendus, quo impiæ nefariæque aduersantium hominum acies demergendę, penitusque obruendæ, vt antiqua scilicet redirent miracula. Psalm. 73. *Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis. Tu confregisti capita draconis.* Atque in hac sanctissima heroina:

Flumina magna vides, paruis de fontibus orta.
Plurima collectis multiplicantur aquis.

QVÆSTIVNCVLA XII.

Quando somnium hoc obiectum?

NOx erat, quæ primum, primi mensis Nisan, diem antecedebat. *annus* vero erat Artaxerxis secundus. Ab huius enim annis, tempora hac in historia designantur omnia: & numerantur eius anni secundus, tertius. sextus, septimus, duodecimus; de quibus postea.

ALTERA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA.

DE EPVLO.

CAPVT PRIMVM.

1 IN diebus Asueri, qui regnauit ab India vsq; Æthiopiā super 127 prouincias.

2 Quādo sedit in solio regni sui Susā ciuitas regni eius exordium fuit.

3 Tertio igitur anno imperii sui fecit grande conuiuium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorū inclytis & præfectis prouinciarū coram se.

4 Vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atq; iactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.

5 Cumq; implerentur dies conuiuii, & inuitauit omnem populum, qui inuentus est in Susan à maximo vsq; ad minimum: & iussit septem diebus conuiuium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat.

6 Et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris & carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atq; purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, super pauimentum smaragdo & pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat.

7 Bibebant autem qui inuitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoq;, vt magnificentia regia dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur.

8 Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendū, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, vt sumeret vnusquisq; quod vellet.

9 Vasthi quoq; regina fecit conuiuium fœminarum in palatio, vbi rex Assuerus manere consueuerat.

10 Itaq; die septimo, cum rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset merο, præcepit Mauman & Bazatha, & Harbona & Bagatha & Abgatha & Zethar & Charchas, septem eunuchis, qui in cōspectu eius ministrabant.

11 Vt introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput eius diademate. vt ostenderet cunctis principibus pulchritudinem illius: Erat enim pulchra valde.

12 Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contempsit. Vnde iratus rex, & nimio furore succensus.

13 Interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cōsilio, scientium leges ac iura maiorum:

14 (Erant autem primi & proximi, Charsena, & Sethar, & Admatha, & Tharsis & Mares, & Marsana & Mamuchan, se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ptem duces Persarum, atque Medorum, qui videbant faciem regis & primi post eum residere soliti erant)

15 *cui sententiæ Vasthi regina subiaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, facere noluisset?*

16 *Respondit q, Mamuchan, audiente rege atque principibus: Non solum regem læsit regina Vasthi, sed & omnes populos, & priacipes, qui sunt in cunctis prouinciis regis Assueri.*

17 *Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus iussit vt regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit.*

18 *Atque hoc exemplo omnes principum cõiuges Persarum atque Medorum, parui-pendent imperia maritorum: vnde regis iusta est indignatio.*

19 *Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & scribatur iuxta legem Persarum atq, Medorum, quam præterire illicitum est, vt nequaquam vltra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius, altera quæ melior est illa, accipiat.*

20 *Et hoc in omne (quod latissimum est) prouinciarum tuarum diuulgetur imperium, & cunctæ vxores tam maiorum quam minorum deferant maritis suis honorem.*

21 *Placuit consilium eius regi & principibus fecitque rex iuxta consilium Mamuchan.*

22 *Et misit epistolas ad vniuersas prouincias regni sui, vt quæq, gens audire & legere posset, diuersis linguis & literis, esse viros principes ac maiores in domibus suis, & hac per cuncto populo. diuulgari.*

QVAESTIVNCVLA I.

Cur Hebraicè & Chaldaicè ab, &, liber hic incipit?

EST hoc apud istarum nationum scriptores vsitatissimum, vt videre est initio Exodi, Leuitici, Numerorum, Iosuæ, Iudicum, Ruth, Regum librorum omnium, secundi Paralip. Esdræ, Baruch, Ezechielis, Ionæ, prioris Machabæorum, omniumque Gorionis commentariorum. Sed iam cap. 1. Iudith quest. 1. monui sacros istiusmodi scriptores semper animo contemplatos quippiam antegressum, cum quo istud quod iam scribebant, colligatum vellent, siue id scriptum iam esset, siue mente tantummodo comprehensum. Ideoque historia hæc vel cum superioribus antea, exposito iam somnio. Latinus Interpres, interdum quidem expressit, interdum, vti hoc loco dissimulauit, claritatis maioris ergò.

QVAESTIVNCVLA II.

In quod historiæ hæc tempus incidit?

CErtum est quidem, post Babylonicam illam, qua Iechonias Rex captus est, captiuitatem, accidisse cap. 2. ver. 5. cap. 11. ver. 3. sed incerta ferè alia. Quidam enim *ante liberationem* è captiuitate illa censent, vti Melchior Canus lib. 11. cap. 6. argumento 9. Mercator & Cedrenus: Alii omnes *post* eandem *liberationem*: & quidem ante Alexandrum Magnum dum Persicæ adhuc monarchiæ status vigeret, vti ex Assuero, totoque libri decursu perspicimus. Cum verò à monarchiq huius principio Iudæisque libertate donatis, vsque ad Darii vltimi annum vltimum annos, in Esdræ libro primo, constituerim ducentos, & vndecim, quærendum adhuc superest, in istorũ quos fuerus. Sed nouaista statim exsiit quæstio, quisnam & quando iste. Nam omnes Persarum Monarchas, vocant nonnulli Assueros, vt eodem Esdræ libro exposui, alii, etsi non omnes, eorum tamen hoc igitur inquisamus.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quis iste Assuerus?

SEptem circumferuntur *opiniones*, quarum duæ priores ante liberationem Babylonicam, reliquę post; Assuerum istum nominant, adeoque totum historiæ tempus. *Prima* tradit fuisse Astyagen Darii Medi patrem. Ita Mercator in Chronologia. *Secunda* ipsum Darium Medum Cedrenus

Cedrenus f. 97. & 117. suum illud prius retractans, &, authore in Sulpitium Sigonio, D. Athanasius in synopsi, vbi tamen eum aliud asserere nihil video, quam Mardochæum ex captiuitate, quæ *sub Sedechia* fuit, exstitisse, in quo tamen ipso mendosè pro *Iechonia*. vt infra cap. 2. & 11. dicetur, *Sedechias* ponitur. Opinionum harum duarum alterutram suscipiendam opinatur Melchior Canus loco citato. *Tertia* Cambysen, Rabbini scilicet in Seder, Genebardus in Chronol. Lyranus. *Quarta* Darium hystaspis. Ioan. Benedictus. Feuardentius toto suo Commentario, Carion in Chronico. *Quinta* Xerxem. Scaliger lib. 6. de emendatione temporum, Iohan. Drusius in cap. 2. *Profecto*, ait, *non est Assuerus iste alius, quam Xerxes. Sexta* Artaxerxem Longimanum. Iosephus libro 11. cap. 6. Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha in Chronic. Suidas, Zonaras, alii apud Eusebium Chro. quos improbat anno mundi 4737. approbat tamen Sabellicus Ennead. 3. lib. 3. Caietanus hic, Bellarminus lib. 1. cap. 7 Reineccius Tomo 2. fol. 32. & vt mihi videtur; Rupertus lib. 8. de vict. verbi cap. 5. *Septima* Artaxerxem Mnemonem. Eutebius Anno Mundi 4797. D. Hieronymus Danielis 7. Ezech. 4. Sulpitius lib. 2. etsi nescio quo pacto à Bellarmino, quasi ab ipso staret, allatus V. Beda lib. de 6. ætat. Otto Frising. 1. cap. 20. Philo Annianus, Driedo loco citato.

Mihi vero, qui hosce omnes secutus est. Artaxerxes Ochus fuisse videtur. & vt spero, videbitur omnibus, qui ad ea, quæ subiungam, animum aduerterint, non quod singula maximam per se vim habeant, sed quod omnia simul, & quidem vim eam, quæ hoc in vetustatis & opinationis genere comparari potest. Sic enim ratiocinor. *Superiorum septem Regum in hisce septem opinionibus enumeratorum nullus est, in quem, quæ historia hæc vel indicat, vel subindicat, consentiant omnia: è contrario vero in Artaxerxem Ochum consentiunt. Is igitur esto, qui quæritur.* Antecedentis pars prior ostenditur, & *primo* quo ad priores duos, quina Bellarminus promit argumenta, quæ si cui, quod volo, persuadent, alia non quærat, mihi tamen ipsi aliqua quærenda. Nam *primum* alioquin eius argumentum ex Tobiæ vltimo capite infirmatur, vbi Medorum Rex Græcè *Artaxerxes* vocatur, vt ibi dictũ est. *Alterum* ex Danielis cap. 6. & ex Xenophonte, qui lib. 1. Cyropæd à Medorum Rege desciuisse ait, qui antea ipsi parebat. Armenorum Regem. Et cum Nabuchodonosore Niniuem antea delerat, seque postea corroborarat & dilatarat, ideoque & ad eum ab Indis legatos venisse narrabat ibidem Xenophon. *Tertii* vis etiam non magna, quia cap. vlt. sese maritus Estheris tantum *de Persarum regno* ait, non Persam. *Quartum* infringunt Darius Medus & Nabuchodonosor apud Danielem, dum vterque *regnum à Deo esse* fatetur: *Quintum* denique labascit, quod Persis dum imperarent Medi, ideoque Susis commorari possent.

Quæ ad eosdem igitur hinc semouendos Reges me commouerant, sunt hæc. *Primum*. Qui à Nabuchodonosore capti fuere Iudæi, ii ante Babylonicum reditum, in Susiana & Perside nunquam habitarunt, sed in Babylonia, regionibusque Chaldæo isti subiectis. Persis vero & Susiana subiecta non erant. vt ex Xenephonte lib. 2. & 3. apparet Sed Mardochæum tradit caput 11. & Græcorum caput primum habitasse Susis. quo posteaquam vnius Persarum Regis dominatu omnes istæ regiones teneri cœperunt, facile commigrare cum alii, tum Mardochæus potuit. *Secundum*. Cũ historia hæc gesta est, tam diu iam in Perside Iudæi fuerunt, vt Persicam linguam, & mores apprimè callerent: adeo vt Persis, aliisque permixti essent. neque ab iis, nisi seipsos ipsi indicarent: facile dignoscerentur, vti habetur ex cap. 2. ver. 10. & 20. cap 3. ver. 4. toto cap. 4. cap 7. ver. 3. & 5. cap. 8. ver. 1. At istud ante reditum è Babylone factum non est. cum & tempus videatur brevius: si demantur anni, quibus ante Cyrum, istos regnasse, authores illi volunt: & si cogitetur, nullam iis, ad Persas abeundi, in eorum sese mores & habitum commutandi fuisse libertatem, tam citopræsertim, & tantopere, vt internosci ne possent. *Tertium*. Toto isto libello Persici semper mores & instituta occurrunt. quemadmodum explicatio ipsa deinceps monstrabit. Verisimilius igitur eam contigisse, dum rerum Persæ potirentur, quam dum Babylonii. *Quartum* refert Iosephus Gorion facta hæc omnia, cum primum inter Græciæ Persidisque regnum excitata bella sint. At hoc, saltem non ante Darium Hystaspis, narrat lib. 4. & 5. Herodotus. Quo ad reliquos verò Reges post Darium istum, possunt & *communia & propria* quædam *argumenta* proferri.

Communia sunt *duo*. *Vnum*, si antequam Hierosolymitana vrbs & templum exædificata & perfecta essent, tantam istam apud Persarum Regem gratiam & authoritatem Esthera, deinumque ipse etiam Mardochæus adepti fuissent, potuisseue fieri, vt neque ante, neque post periculum, cũ exædificationem numquam à Rege peterent? An religiosis, Deumque instituentibus Iudæis hac vna re quidquam vel optatius vel antiquius erat? An vbi periculo perfuncti iam fuissent, omnes regiæ benignitatis fontes ilico exarruerunt? nihil Estheræ amplius annuere voluit? qui cap. 8. dimidium regni, si illa petere voluisset, datum iri affirmabat, qui maiorem semper impetrandorum ex iis ipsis quæ concessa iam fuissent: spem certissimam cap. 9. ver. 12. faciebat? Sane vt Deo saltem grates aliquas referrent, cum anniuersarium *sortium festum* diem, perpetua lege, indixerint, nullo magis templum excitari, hortantibus præsertim & vegentibus Aggæo & Zacharia prophetis, non tam rogasset, quam postulasset. Quonam verò tempore, & à quo templi absolutio permissa sit in Esdra dissertu. Et vero templum suo tam tempore steterit, illustrisque gloria circumfluxerit ipsa

Universidad de Deusto
Biblioteca

met Esther cap.14.vers.9 testatur. *Alterum.* In libris, qui de templi ędificatione aliquid tradiderunt, vel antè ipsam conscripti sunt; nullum vnquam de Esthera & Mardochæo verbulum. At vix credibile est, tantas res non priuatorum quorundam hominum, vti Tobię historia videtur; sed publicam personam agentium, in rebus, quæ ad communem populi totius incolumitatem & salutem spectarent, quæque penitus cum historiis, copiosè ibi descriptis, longè aliter quam Iudithæ gesta; cohærerent, ne vocula quidem vllâ, vmquam attingi & subinnui. Atq; hoc Eusebij argumentum est, quod & ab eo mutuatus est Sulpitius; sed ita, vt ab eodē Eusebio, cum lectionis prauæ aliquid irrepserit, medicinam accipere debeat. Addo prophanos, qui Persarum Regum historias copiosius, ad Artaxerxis vsque secundi tempora, persecuti sunt, & etiamnum integri supersunt, Herodotum & Xenophontem nihil vmquam Estheris aut Mardochæi meminisse. Quod si vel iidem, vel similes aliqui Artaxerxem nostrum tertium explanassent, iidemque in manibus minimè mutili & curtati haberi nunc possent, nihil ambigo, quin aliquid aperuissent. Nunc de eo nonnisi paucula Diodorus, & alij quidam pauci, prout epitomes & narrationis alicuius occasio tulit; delibarunt. è quibus tamen ipsis signa adhuc aliqua, eaque non obscurissima non multò post; eruentur.

Propria porrò sunt, quæ singillatim singulos iam Reges, vsque ad Artaxerxem Ochum efficiunt. Nam *primo* Cyrum hic Assuerum vocari, nemo, quod sciam; dixit hactenus, aut deinceps dictus est. Nam, vt in Esdra firmatum; nonnisi septem annos is Asiæ monarchiam tenuit, ita vt antea, duodecimo, quæ hic traduntur, fecisset omnia?

Secundo Cambyses multò minus esse potest, qui & Iudæis semper infestus fuit, & nonnisi octo annos imperauit.

Tertio Darius quidem Hystaspis Indos subegit, vt ait lib. 4. Herodotus, Macedones per Satrapam suum Mardonium deuicit, vt apud eundem est lib. 5. Græcis per Satrapam alium Datin, qui Marathonio in prælio cæsus est, bellum intulit, prout idem ibidem narrat, & Ctesias, & lib. 1. Thucydides, qui bellum hoc sicut & interdum Plutarchus; *Medicum* appellat; non est is tamen Assuerus. Esthera nostra vir. Nam, ante regnum, vxor ei fuit Gobryæ filia, e qua filios apud Herodotum lib. 7. tres suscepit. In regno vxores ei fuerunt tres, duæ scilicet Cyri filiæ, *Atossa* quam Cambyses & Smerdis Magus habuerant; & *Artystona*, quæ virgo vt idem lib. 3. refert, tdeoque & *plus ceteris amata* incedit, quod, eodem Herodoto referente, malè ob tributorum impositionem, & molestiorem quandam faciendę pecunię rationem dictus sit κάπηλος, quasi caponariam exerceret, *quia* inquit Suidas, *vendebat omnia*. Nostrum verò Assuerum videmus liberam quadam magnificentia semper vti; erga Hamanem cap. 3. ver. 5. erga Esthera cap. 8. erga vniuersum populum cap. 1. sed maximè palem, largitur.

Quarto, Xerxis porro in Græcos bella, opes, & potentia eam Scaligero, eiusque assęclæ opinionem pepererunt, quasi Darius, aliique iam enumerati & enumerandi, eo, vlla in re, inferiores fuerint, nisi fortè præliorum infelicitate, turpi fuga, & infamia. Cuiusmodi de Assuero nostro nihil audimus, quin potius ei, prosperè feliciterque cessisse omnia, omnibus pæne regni sui Susiano morabatur cap. 2. ver. 15. 16. Xerxes contra, iis annis, in Græca sua vel expeditione vel fuga erat. Nam, anno imperij sui secundo Ægyptium bellum gessit, & domum rediit, suis ad se principibus conuocatis, vt, de Græciæ bello, cum iis ageret, vti ab Herodoto lib. 7. scribitur. In huius verò belli apparatu *annos quatuor* inquit lib. 2. Enneadis 3. Sabellicus. vel certè *tres* posuit, vt ex Diodoro lib. 15. intelligitur, dum eum memorat, ad idem bellum secum ineundum, Carthaginienses adduxisse, hos *triennium* apparandis necessariis tribuisse, sicque cum eo incepisse, anno scilicet ipsius *nono* erat; &, vt vult libro 1. Thucydides, post Marathoniam pugnam *decimus*, in Græciam mouit, mense post, pugnatum ad Thermopylas, inde ad Salaminam, *die 17. Mensis, bimus*, ait libro de fortitudine Alexan. Plutarchus. qui *non Martius*, vt interpretantur, esse possit, sed *Iulius vel Augustus*. Hinc cicer pugnarum est; Sardibus adhuc adhærebat, vt ait lib. 11. Diodorus: ut sumque postea inibi cōfiliam filio suo Dario vxorem esse voluerit, nuptiasque Sardibus adhuc celebrarit. An non ignimem egisse? ita vt in Sabellico vitium sit, eum *celerrimum cladem suarum nuncium* in Perside fuisse. &, quod Drusius ait; cohærere nequeat; *ipsum reducem*, cum Esthera. Autumno ipso, matrimonium duos tresue menses posuisset, vt ex Angarorum cursu, & Parasangarum lib. 5. apud Herodotum numero, addo & ex ipso, quo Reges progredi soleant, modo colligitur. Quid, quod etsi tū venisset,

nisset, non Susis, sed Persepoli autumnum transegisset, vt ait lib. 11. Athenæus, eū omnē præsertim tunc amœnitatem & voluptatem, vt quem ē strage ludibrioque suo mœrorem cœperat; penitus abstergeret, consectaretur, & multo quidem, quam antea vmquam, auidius: Pergamus tamen & Xerxem istum omnino profligemus. Testatur lib. 8. & 9. Herodotus, eum ad bellum suas vxores & filios tam germanos, quam nothos secum duxisse. Sed anno Assueri tertio, repudiata Vasthi erat; neque sine Regina opinor vxore tantum ad bellum, tam mulierosus Imperator proficisci voluisset. Neque Scaligerum iuuat, quod eius vxor *Amestris* vocata fuerit, & quandam cum Esther nomine similitudinem præ se ferat. Hanc enim scribit lib. 7. Herodotus Otanis, seu vt in Cresia legitur; Onophæ Persarum ducis filiam fuisse, illam forte ipsam, quæ vt supra dixi; Dario nupserat, vel eius certe sororem, & addit idem scriptor lib. 9. eam *senio* admodum contra Artaynæ matrem, *ingenio* fuisse lib. 7. Persarum libros Deo nescio cui subterraneo defodisse. Ctesias verò etiam *impudicam vanitatem*. En qualem nobis Estheram isti concinnant? Fuerunt vero & Amestres aliæ plures, vt quæ apud Plutarchum, Mnemonis Artaxerxis nata & coniux, & vrbs quædam Amastris est. Neque vero Xerxem vel superiorum vllum nomine, quod hic apud Græcos est, asficiendum, dicam postea.

Quinto, Artaxerxes Longimanus mitis admodum, clemensque fuit, vti alterius Artaxerxis principio ait Plutarchus. adeo vt quæ Regum auctoritatem tueri videbantur leges nonnullas sustulerit, verbi causa, eam quæ ante Regem, à quo quam simul venante in feram relum mitti verabat, rursumque leuissima castigatione capitales, Principum noxias plecti voluerit. Qui enim flagellandus fuisset, huius tantum vestes flagellari, cui detondendus capillus, huic tiaram solam deponi iussit, quemadmodum in Apophtegmatibus Plutarchus & lib. 30. Amm. Marcellinus notant. Nostri vero Assueri videtur fuisse non paulo immitius durinsque ingenium. Qua enim & quam vehementi pertinacique ira in Vasthi Reginam exarsit? Quam facile in teterrimam innocentissimæ Iudaicæ gentis totius cædem consensit? Quam subito familiarissimum, intimumque sibi Principem, eiusdem filios omnes infelici ex arbore suspendi iussit? Quam prompte, in Persarum suorum sanguinem & fortunas, potestatem Iudæis concessit? Eundem verò Longimanum, post imperii sui annum duodecimum, quo tempore se suaque omnia Estheræ noster dabat, Iudæis templi restaurationem adhuc prohibuisse, monstrant in Esdræ libro.

Sexto Darius Nothus à plerisque *annos* tantum 19 sceptrum tenuisse dicitur à Diodoro libr. 13. *annos* 11. à Ctesia vnà cum Patre 35. solum tamen 19. Ergo priorum illorum sententia, qui hoc libro anni numerantur, Dario isti desunt. Secundum verò Ctesiam, adsunt quidem 11 anni: eum tamen hactenus nemo Assuerū nostrum censuit. Et rectè. Hunc enim in Esdra docui esse, cuius anno sexto templum perfectum Esdræ cap. 6. qui annus is ipse fuisset, quo in puellarum eos choros ascripta Esther est cap. 2. ver. 8. & sequentibus. Fieri vero potuisset, quin, Regis in Iudæos benenolentia tanta cum extaret; Mardochæus, qui in aulæ porta tunc versebatur magno satis loco cap. 11. vers. 3. sese, genusque suum indicasset, vel Estherem Iudæam sese fateri passus esset. Neutrum tamen tunc fecit cap. 2. & 3.

Septimo, Artaxerxes Mnemon vxores habuit *Statiram*, *Apostn.* & *Amestrin*, vti qui eius vitam pluribus explicauit, narrat Plutarchus. At earum nulla Vasthi esse potest. *Statira* enim quoad vixit; ab eius throno, & aula exclusa nunquam fuit: duæ reliquæ ipsiusmet filiæ fuerunt, & non nisi, cum imperio iam potiretur, ab eo ductæ, vt neque ob iram facile reiici, neque certe anno imperii tertio potuerint, multò verò minus earum vllam cum Esthera eandem affirmare liceat. Nam vt de duabus posterioribus taceam, *Statira* Idernis Persæ filia erat, & ante regnum in vxorem sumpta, quemadmodum oculatus testis narrat Ctesias: satisque ex Statiræ ipsius, ob structas à Cyro minore, cum regnum Artaxerxes capesseret, insidias, querelis apud Plutarchum intelligitur.

Restat igitur, quod initio aiebam, *esse Artaxerxem*, qui hoice omnes ordine consequitur, qui & *Ochus* interdum nominatur. Quamuis vero sint ista hominis minime pernicaci satis; alteram tamen positæ antea sumptionis partem adhuc stabilio, & quæ de Assuero libellus iste tradit, optime in illum congruere ostendo. Et *primo* quidem ipsum nomen occurrit. Nam Assuerus hoc in libro, semper à Græcis Interpretibus *artaxerxes* vertus est, quæ causa vt auctores multo & nimero & pondere maiores, è Persicis Monarchis pro Assuero Artaxerxem potius aliquem, quam alium vllum delegerint, prout opinionem positus ante indiculus ostendit. Artaxerxes verò ille neque Longimanus, neque Mnemon est, vti hactenus probatum. Ochus igitur. *Ochus* verò *magnum* significat, vt aiunt fere omnes, vnde & ille, ad Caspium, fluuiorum maximus, *Ochus* apud Strabonem, & Enn. 3. lib. 7. Sabellicum, appellatus. Hic autem noster Assuerus, quonam quæso numero Lege cap. 1. ver. 1. & 2. cap. vlt. ver. 1. *Secunda* historiam istam Macedonum monarchiæ, seu Alexandri temporibus proximam fuisse, indicio est Assuerus ipse cap. 16. ver. 14. & Iosephus Gorionidis Basilienſis, quam Cracouiensis & Iosephus Flauius quodammodo mutus, dum inter hanc & Alexandri Magni res gestas, nihil plane interferit, nisi de Artaxerxis iumori, seu Mnemonis duce vno capitulum vnicum. Quis verò credat, tot postea secutis annis in Iudæorum gente, ti Esthe- is detrahatur narratio, memoratu dignum nihil accidisse? Quin potius cum post Regum li-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bros, Tobiæ, Iudithque historiæ acciderint: post has, ea quæ in Esdræ & Nehemia: post eas Estheriana ista: & post hanc denique, Machabaica fuisse videtur, vt ad Hyrcanorum scilicet Regum, quos è vestigio subsequutus Herodes. ætatem, diuinorum librorum series pertinuerit. Cæterum huic ad Macedonica sceptra æuo inclinanti, quis vel propior vel appositior Assuerus, Ocho Artaxerxe? Nã lib. 16. Diodorus, lib. 6. Iustinus sub finem, Macedonum tunc regnum valdè amplificatum admonent. Regnauit verò is Ochus annos 26. totidem Alexandri Magni Pater Philippus, vt ait Eusebius, vel duobus certè minus, vt lib. 6. mauult Diodorus. Sed ita vt illius anno quarto hic inciperet: sicque tribus vel quatuor annis præeat semper Artaxerxes. &, eo tandem mortuo, ad eius filij Arsamis annum tertium perueniat Philippus. Est autem annus iste, penultimus, ante Darij vltimi, quem deuicit Alexander, imperium.

Confectum planè videretur negocium, nisi bonus inprimis auctor, dum, pro Longimano suo, manum fortiter conserit, obiiceret, ante annum Philippi vicesimum, Macedones Persis formidabiles haud fuisse: ideoque non potuisse Assuerum hunc anno duodecimo, illa quæ capite vltimo versu 14. sunt, scribere. At licet maxima tùm Macedonum gloria fuerit, maximaque Persis iniecta formido, iam tamen antea, & illorum bellica laus admodum illustris, & horum ab illis timor, non vllus. Nam quæ in Philippi annis subiunctis Diodorus ipse notet, expende.

Anno Philippi
- III. celebre armis nomen ille adeptus est.
- V. Artabazus, qui ab Artaxerxe defecerat, Græcos contra istum solicitare cœpit.
- VIII. bellum contra eundem Artabazum gestum ab Artaxerxis Satrapis; ita vt ad Philippum in Macedoniam ille profugerit, secumque Mentoris fratrem Mennonem, cum eorum in matrimonio sororem haberet, duxerit. Cùm verò istud Artaxerxis nostri annum 12. pænè attingat, fit sanè manifestissimum, quemadmodum eodem anno de Hamanis cùm Macedonibus conspiratione vel suspicari ipse, vel certè suspicandum alijs scribere aliquid potuerit.
- IX. cum Onomarchum idem Philippus superasset, sacroque bello finem imposuisset, multò magis eius nomen longè lateque inclaruit, quotidieque deinceps inclarescebat.
- X. multa & varia ipsemet Artaxerxes contra eos, qui defecissent; Satrapas, contra Ægyptios & Cyprios bella gessit. Cum verò, vt fit; in belli societatem & auxilia vicinos vndique populos, contra Persas, illi solicitarent, iamque Artabazus ad Macedones viam patefecisset, an, cos metuendi causa iã aliqua nõ erat? Et *confirmantur hæc* ipsa ex hisce amplius, Alexandro adhuc puero, iam ad Philippum à Persa ipso legati mittebantur. Quorsum, obsecro, nisi istam in Alexandro Plutarchus, dicens absente Patre, istum illos accepisse, *neque tamen*, quod Per id ferens Alexander, *hic*, aiebat, *est, qui ex Europa Macedones in Asiam transmittere cogitabat, qui ex lecto in lectum transgrediens procedit.* Et quæ in Persas consilia coqueret Philippus! Neque ista Persas lippi mortem, iam cogitaret, sicuti libro 17. aperit Diodorus. Cum adeò igitur apertè perspicuèque omnia consentiant, alium ab Ocho Assuerum cur fingamus? *Tertio*, consentiunt verò & alia omnia. Primis imperij sui annis duodecim vel tredecim, fuit iste Artaxerxes remissior, & quietis, quam rei bellicæ studiosior, quemadmodum lib. 16. in Philippi anno decimo, sæpius allatus ait Diodorus. ita dideq; viueret. Hæc enimuerò causa & occasio, cur capite primo gloriam ipse suam & opes tam celebri, tamque magnifico & diuturno conuiuiorum apparatu ostentare, tot vndique puellas accersitas deligere, aliaque omnia, quæ ad annum eius duodecimum liber iste proponit, agere potuerit ac voluerit. *Postea* verò quasi ad frugẽ ab Esthera sua meliorem, viroque forti dignioré excitatus, primemet rebus gerendis interesse voluit, contra Sidonios, Ægyptios, Cyprios pugnauit, feliciterq; omnes suam sub ditionẽ redegit. Et hoc est, quod Hebraicè cap. vltimo v. 1. dicitur. *Et posuit Rex Assuerus tributa super terram, & insulas maris.* seu *fecit eas tributarias*, vt Interpres noster vertit, de quo ibi plura. *Præterea* videtur ex libro isto pænè semper Susis, antequã ad bella ista exiret; mansisse. Et verò congiarum, quod Cyrus instituerat; dare noluerit, siue alia quæcunq;. *Quarto* Sidonios, qui Iudæis inflammauit; Ægyptiorum deorum portẽta valdè irrisit, adeò vt cœsum ipsorum Apim, seu, Deum rumq; fanis vastitatis etiam aliquid attulerint, nescio tamen an eo modo, quo ex Estheris aliqua, vt videtur, institutione; Ochus. *Quinto* fœuus habitus est; vt lib. 19. fatetur Diodorus, & innuit Diuus Augustinus libro contra Secundinum cap. 29. Hinc enim dictus à quodam, *scelere ante alios immanior omnes*: & apud Plutarchũ de Iside, vocatur *Machæra*. videlicet quia Darij maritus Sisyngambris fratres XXC. prout apud Curtium libro vlt. ipsa queritur, interfecerat, non bello tantum in Sidonios, alios que forsan hostes diuus adeo visus fuisset; sed multò magis, quia suos in Persas & subdi-

tos, Iudæorum, id est, exterorum & captiuorum, gladiis tantum concessisset. Verè siquidem unc, *Præsit victores natio victa suos*:

Duo tamen, quæ incitatum istam in sententiam animum tardare forsan possint, occurrunt. *Vnum*, Diodorus libro, sæpe nominato, Philippi anno XI. præcipuos Artaxerxis duces numerat, & in iis Mardochæus nullus. E Persis enim sunt Rosaces, Aristozanes, Bagoas: è Græcis, Lacrates Thebanus, Nicostratus Argiuus, Mentor Rhodius: *Respondeo*. hos fuisse eorum, quos in Ægyptiaco secum bello habebat, præcipuos. Domi, qui Persidem interim gubernarent, alios habebat: quemadmodum apud Herodotum lib. 7. Artabanum Susa Xerxes remittit, dicens: *Domum & regnum meum tutare. Tibi ego soli sceptra mea committo.* Magna enim hæc fuit dignitas, & quę nonnisi cæterorum Principum maximo, vel Regum ipsorum filiis vt in Regum libris tradit, communicabatur, ita vt Regis modò absentis vicarium in Persida relictum Mardochæum inficiandi causa nulla sit. *Alterum*, Eusebium in Chronico, anno Assueri huius septimo. *Ochus*, ait, *Apodasico Iudææ capta, in Hyrcaniam accolas translatos collocauit.* At hic ille annus, quo Estherem duxisset. *Respondeo primo*, quid apodasmus hoc loco sit, valde obscurum esse. Sabellicus Ennead. 3. lib. locum esse putat: Reineccius tomo 2. fol. 246. dynastiam, seu, vt Iosephus vocat, aristocratiam. Suidas apodasmum vocat multitudinis alicuius partem seu portionem, verbi causa, vnius exercitus. Sed genere fœminino, *capta* quomodo dicitur? Qui eius accolæ? *Deinde*, quidquid de illis sit, dico fieri potuisse, vt virtutis eorum causa, eos illuc transferret, quemadmodum postea fecit apud Iosephũ lib. 12. cap. 3. Antiochus Magnus. *Tertio*, si molestia ipsos, tanquam captiuos afficere voluit, potuit id fecisse anno quidem septimo, sed ante nuptias, vt infrà patebit. eo tempore, quo Estheris genus adhuc ignorabat, quo illud Mardochæus tacendum adhuc iudicabat.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Quantum eius imperium?

VAriis, hoc ipsum, libro isto, modis indicatur: sed ii potissimum quatuor.

Primo cap. 1. ver. 1. quod *regnaret ab India vsq; Æthiopiam*, quarum illa, terminus Orientalis, hæc Occidentalis, prout de ista, in Thargum, diserte notatum est. Et illa quidem Hebraice *hodu*, Chaldaicè *hendia*, hæc more consueto, *Chus* vocatur. Sed cum *duplex* sit, vt alibi docui, *Æthiopia*, videtur hic ea intelligi, quæ sub Ægypto est. Licet enim eo tempore ab obedientia defecisset Ægyptus, vnde bellum de quo supra, Ægyptium, ius tamen in eam Assuero adhuc manebat, neque Ægypti Dominus à se, suisque vocari desinebat, sicuti & hodie Hispaniæ Rex, Hollandiæ Dominus adhuc est. Aristotel. vero libro de mundo, eundem quidem versus Orientem limitem agnoscit, sed versus Occidentem, Hellespontum nominat, videlicet, quia Græciæ, in qua ipse versabatur propior, & quia [illegible] alter Australior.

Secundo, super 127. prouincias regnabat, ibidem & postea sæpius. Hæ *Medinoth* Hebraicè vocantur, à iudicis dicto nomine, quod in iis certi quidam conuentus, tribunalia & iudices, ad quos certarum portionum causæ omnes referrentur, vt in Romanis prouincijs Actor. 19. ver. 38. Herodotus lib. 3. *nomos* appellabat ab Ægyptiorum videlicet similitudine, apud quos regionum, principatuumque partes sic appellatæ, vt est apud Strabonem lib. 17. Plinium libro 5. cap. 9. Eusebium hist. lib. 2. cap. 17. in Græco eosdem verò subdit vocatos ἀρχὰς καὶ τοπαρχίας. Vnde *Strapæ* nomẽ Persicum, ait, Hesychius, & licet interdum retineatur, vt à Plinio lib. 5. ca. 5. Terentio Heauton. 3. s. 1. vertitur tamen à Cicerone 5. de Finib. *Prætor*, à Curtio & à Iustino *Præfectus*, à 70. cap. 51. ἄρχοντες καὶ τοπάρχαι, à nostro Interprete c. 13. *principes & duces*. Iustinianus cum de Armeniæ Satrapis ageret Novell. 31. cap. 2. *Id.* inquit, *magistratus nomen, neque Romanum, neque maiorum nostrorum, sed ex altero imperio traductum fuit. Cæterum* de Satrapiarum istarum numero, variis auctorum calculus videtur. Plato lib. 3. de Legibus, numerat *septem* tantum loco cit. *viginti* [illegible] cap. 6. *centum viginti*. Esd. cap. 5. lib. 3. & noster iste liber *centum viginti septem*. Iosephus lib. 11. cap. 4. & 6. totidem, sed libro 10. cap. 14. *trecentas sexaginta*. Iohannes Drusius hic, & lib. 12. Obseruat. putat apud Herodotum excidisse voculam ἑκατὸν centum, quæ si reponatur, cum numero nostro ille congruerit. At non aduertit, id si fiat, futurum vt iam non vocula sed folia integra excidisse fateri habeat. Ita enim Herodotus illa nominat, vt singularum nomina subiungat, & partitionem aliquam. idque in viginti tantum facit. De reliquis itaque centum quid? *Duo* potius, *quibus discrepantia* ista *relinatur, modos adhibeo. Vnus est*, vt Satrapiæ vel prouinciæ nomine, aliqui plus aut minus terrarum ac populorum comprehenderint. Nam verbi causa, quæ apud Herodotum Satrapia prima constituitur septem illos continet, Ionas, Magnetas, Æolas, Caras, Lycios, Milesios, Pamphylios. Ex his, plures forte alius Satrapias fecerit, vnde cap. 1. ἀρχαὶ τῶν ἐπαρχιῶν, quemadmodum apud Strabonem libro 17. cernimus Ægypti *nomos* diuidi in *toparchias*, & has in *toparchias*, tutissimque has in *autas*, de quibus Horapollo libro 1. capit. 5. Si quis ergo, verbi causa, Ægypti toparchias nomos, vt fieri potest, vocet, næ nullo

Universidad de Deusto
Biblioteca

is plures quam 31. quos Strabo ponit statuerit, cum de nomis aliter & aliter ambo loquuntur. quēadmodum & eorundem alia huic, alia Plinio lib. 5. cap. 9. & Ptolemæo li. 4 Georg. nomina sunt. *Alter* modus, quod variis de causis, soleant istiusmodi partitiones minui, augeri. Vel enim nouæ ad imperium aliquod gentes accedunt, ab eo veteres abeunt: vel nullis accedentibus & abeuntibus, placet interdum aliquas aliquibus adiungere, quæ antea, per se. Satrapias plures efficiebant, & contra, ab aliis alias distrahere, vt quæ vnam antea faciebant, plures iam efficiant. Videmus in quarum orbis numero. Quibusdam olim duæ, postea tres, iam quatuor numerantur. Romanarum & tribuum, & prouinciarum numerus quoties immutatus? In vna diœcesi, paræciæ tot iam sunt: non multo post, aut plures aut pauciores, prout episcopo nonnullas coniungere, aut dirimere visum fuerit.

Quis vero prouinciarum certo istiusmodi numero astringendarum *auctor fuerit* exigua etiam dissentiuncula. Herodotus Darium Hystaspis affirmare videtur. Xenephon Cyrum. sed esse potuit terque. verum aliter. Cum enim Darius tributorum rationem maxime haberet, omnes omnino pendendorum illorum rationes seu differentias viginti esse voluit. Cyrus rationem aliam secutus est: vel etiamsi eandem, alio tamen modo, quem Dario immutare libuit.

Tertio, Rex dicitur *maximus* cap. 11. & 13. Græcè, ὁ μέγας, de quo Iudith egi capite 3. folio 248.

Quarto, sese vniuersum orbem, suæ ditioni subiugasse ait cap. 13. v. 2. πάσης τῆς οἰκουμένης. significatur hic quidem imperii amplitudo: sed cum exaggeratione, humano fastui vsitata. Epithetorum vel ab aliis nuncupari. Sic *Nabuchodonosor* Danielis 2. ver. 37. alius Iudith 5. 29. Alexander Magnus, & Romani. Liuius lib. 45. *Persarum*, ait, *prope immensi spatio imperium fuerat.*

QVAESTIVNCVLA V.

Quale Assueri conuiuium?

FVit in Persicorum Regum die natali βασιλήιον δεῖπνον, quod Persæ τυκλὰ, Græci τέλειον appellarent. Phanias apud Athenæum lib. 11. συγχενικὸν ἄεθλον. eaque magnificentia erat, vt ea in cœquemadmodum lib. 9. totum hoc explicat Herodotus. Fuit tamen hoc, quod Assuerus nunc dat, multo magnificentius, tum conuiuarum multitudine, tum conuiuii ipsius diuturnitate.

QVAESTIVNCVLA VI.

Quotuplex eiusdem Assueri conuiuium?

AVtumant *quidam* fuisse *duplex*. purpuratorum vnum, plebis alterum, sed numquid ita continuo adhibita plebs, vt purpurati tum excluderentur? *Potius* igitur *dicendum, vnum fuisse perpetuum*, nulloque interruptum die conuiuium, cuius partes tamen plures fuerint, non tantum si menses & dies considerentur, sed si ipsi etiam conuiuatores, & conuiuæ. Nam Rex & Regina conuiuium instituerunt, & viri & fœminæ inuitati sunt, ab illo illi, ab Regina hæ. Viri rursum vel purpurati, vel plebei erant. Illi quidem toto conuiuii tempore: isti vltima tantum hebdomade.

QVÆSTIVNCVLA VII.

Quibus conuiuium hoc datum?

EX iamiam dictis patet, sed quos purpuratos dixi, pluribus ii nominibus exprimuntur versu 3. *Cunctis principibus & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis & præfectis prouinciarum* Pueros dixit Interpres, quos Hebræus & Chaldæus *famulos fortissimos Persarum*, quos idem Hebræus & Arias existimant à *Penah* seu Euphrate. *duces Euphrateos* vertendos. Cur vero non simpliciter *Euphrateos*, prout nomen sonare videtur, sed *duces*? Et, si *Euphrateos*, num suum ad conuiuium qui ad Euphraten habitabant, homines omnes vocauit Assuerus? Bene noster Interpres, *inclytos*

cap. 6.

& cap. 6. ver. 9. *tyrannos*. Nam vt Persica vox est, vel quemadmodum aliæ plures, eiusmodi ad quam Græca illa accedat παράτιμοι, & in Græco textu dicuntur οἱ ἔνδοξοι Iosephus Gorion lib. 10. dicit, quemadmodum postea notabo; Mardochæum ex Beniamiticis *Parthemim* fuisse. Et licet in Hebræo quinque nomina sint, possent tamen intelligi, vt duo posteriora sint, quasi per appositionem explicatio tertii. sed Græcè disiungitur ἐποίησε τοῖς φίλοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι, καὶ τοῖς Περσῶν καὶ Μήδων ἐνδόξοις, καὶ τοῖς ἄρχουσι τῶν σατραπειῶν. Fortè si Latinum & Hebraicum spectes, τῶν σατραπειῶν. Pro *populo* dicit Iosephus, τὰ ἔθνη καὶ τὰς περσεύλας αὐτῶν ἐν Σούσοις. Istam vero magnificentiam, pro facultatibus olim etiam ediderat in Iacobi nuptiis Laban, dum Charanæos *cunctos omnes* ad nuptiale conuiuium vocauit, vt habetur Genes. 29. ver. 22. in Hebraico.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Omnesne principes & Satrapæ simul assuerunt?

CAietanus alios post alios venisse ait, vt his abeuntibus, qui succederent, præsto essent alii. Enimuero nimium videtur, omnes, vno eodemque tempore prouincias Præfectis carere, & quidem tot menses. Dici tamen potest, *vel omnes*, *vel* certè *perpaucis*, qui quasi nulli erant, *exceptis*, omnes simul adfuisse. Hoc enim epuli fini magis congruebat: maiorem omnium admirationem, & è mutuo conspectu hilaritatem cumulabat, potestque colligi ex vltimo epuli die, dum populo & Principibus simul Reginæ pulchritudinem ostentare voluit ver. 11. vicarii tamen & inferiores singulis in Satrapiis Magistratus erant, qui, turbarum si quid nasceretur, occurrerent.

QVAESTIVNCVLA IX.

Quænam epuli causa?

DVplex in contextu monstratur. *Una, vt ostenderet* (Rex) *diuitias gloriæ regni sui, & magnitudinem atque iactantiam potentiæ suæ* v. 4. Verisimile tamen id non esse ait Drusius, & ne Interpretem nostrum absque causa mendacii arguisse videatur, verti vult, *Cum ostendisset*, vel potius *dum ostenderet*, seu *in ostendendo*. Et hoc quidem postremum verbotenus in Hebraico est. Sed nonne causa eo ipso significatur? Quid est, *fecit conuiuium in ostendendo diuitias gloriæ regni sui*, nisi *vt ostenderet?* Quid est? *Impiger extremos currit mercator ad Indos, Pauperiem fugiendo & diuitias conquirendo, nisi, pauperiem vt fugiat diuitias q; conquirat?* Itemque: *Drusius multa scripserat, ingenium ostenter, Catholicosq; carpat*: Intellexit Iosephus, dum magnifice Regem epulum instruxisse ait, *quemadmodum scilicet Rex erat consentaneum apparanti diuitiarum suarum ostentationem*, ὅτιν εἰκὸς παρὰ βασιλεῖ τῷ πάντα παρασκευαζομένῳ τὴν ἐπίδειξιν ποιήσασθαι. Chaldaicus Thargum similiter. *Et demonstrauit ipsis.* Septuaginta vero: *Postea quam ostendisset ipsis diuitias.* *Altera* epuli causa fuit, vt sui regni primordia non simpliciter quidem prima, sed prima in vrbe Susana, quam celeberrima redderet. In hac enim vrbe, vt paulo post dicam, præcipuus regni thronus erat, in quo & Alexander postea Magnus sedere voluit, & cum sederet. Demarato Corinthio, aliisque Græcis, prægaudio, lacrymas elicuit. Atque hanc causam indicat Hebræus textus; *In diebus*, inquit, *istis, cum sederet*, (id est cum sedere inciperet) *Rex super throno regni sui, qui Susis est, in anno regni sui tertio, fecit conuiuium.* Chaldæus: *quando quæsiuit sedere super solio regni sui, quod in Susan.* Græcus apertissime ὅτε ἐν Σούσοις ἐβασίλευσεν Iosephus, *cum constituisset 127. Satrapiarum principes.* Nec aliud vult Latinus: *quando sedit in solio regni sui. Susan ciuitas regni eius exordium fuit.* Nam *duo*, quæ vna veluti periodo cæteri textus narrant, hæc iste, duabus. Eorum *vnum* est, cœpisse in Susano solio sedere, &, ea ipsa sessione, tunc primò confectum esse, non vt quoquo modo Rex esset; (iam enim regni eius annus erat tertius) sed vt Rex perfectus. & omnibus quasi numeris absolutus. Quemadmodum etiam apud nos, Imperator, vt omni perfectione augustus sit, certis quibusdam in locis, coronas aliquot accipere debet: tumque primo coniectur omni laude cumulatus Imperator, cum etiamsi annus imperii eius agatur plusquam tertius, & quartus, quemadmodum in Carolo Quinto visum est, coronam vltimam accipit: ita & tum. Susa Persici regni, perfecti scilicet, exordium erat, quando eius in solio residebat Rex. *Alterum*, tertio regni anno epulum illud exstruxisse. *Tertio igitur anno imperii sui fecit grande conuiuium.* Alioqui posse eandem significare sententiam Latinus, si sic intelligatur: *quando sedit in solio regni sui & quando Susa ciuitas regni eius exordium fuit*, sed vna tantum fieri periodus deberet, sequensque illud, *igitur*, expungendum foret. Fit autem non raro vt quemadmodum illa particula, *quando*, sic & aliæ repeti, plurimusque coniungi debeant, prout de particula, *inter*, docet in Psal. 50. R. Dauid vers. 5. *In medio leonum dormiui conturbatus.* Persarum vero Regum *enthronismus* tam scribitur celebris extitisse, vt semper ante eum mensem in quem ille incidisset, *intercalares* interponerentur, quas ipsi *Vvahak* appellabant.

QVAE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA X.

Quod conuiuii huius tempus?

POtest conuiuii aut *durationis*, aut *inceptionis* tempus quæri. illud in solorum quidem purpuratorum epulo, fuit *centum octoginta* dierum, qui dimidiatum annum, diebus duobus, pauculisque horis minus, efficiunt, nisi annum apud Persas tum dierum 360. fuisse dicamus, quemadmodum significare videtur lib. 3. Curtius dans Regi 360, pellices, quasi recentem quotidie, si libido tulisset, haberet. Tunc enim plane anni medii epulum fuisset. In plebeiorum vero epulo dies positos *sex* aiunt ipsi Septuaginta. Sed Hebræus, Chaldæus, & Iosephus Græcus, *septem*. Si in illis ergo septuaginta mendum non est, dies eos tantum, quibus maxime caluit conuiuium, enumerarunt, vltimo, quod desiit, præterito, quem tamen in Vasthi postea nominant. Quis non miretur tam altam pacem, tantam rerum omnium affluentiam, tantum à curis negociisque omnibus, otii fuisse, vt totos 187. dies epulando, Rex, Principes, Susanęque plebes transigerent? Prodidit in Politicis Aristoteles memoriæ, Siculum Dionysium totos 90. dies ebrietati vacasse. Mirum sanè, sed mirum magis inueniri asotos non paucos, quibus tota vita nil nisi perpetua commessatio, ebrietas, lusio.

Quando vero *inceperit*, nihil habeo asseuerare, nisi quod credibile videatur, eo tempore, Susa Regem venisse, quo ob amœnitatem, cœlique salubritatem venire Persarum Regibus moris erat. Ver autem istud fuisse, authores sunt Xenophon lib. 8. Plutarchus de exilio, Ælianus li. 10. de animalibus cap. 6. vbi vir apprime doctus Brissonius mendum quoddam inesse putauit lib. 1. de regno Persarum, cum tantum velit Ælianus dicere: Persas istos id consecutos, vt Susis æstatem quãre poterant: iucundissimum & moderatissimum, ver æstiuo calore temperatum, æstatem hybernocidit; quod verni æquinoctii principio, moris apud Persas esset, nuptias fieri, vt ait lib. 15. Strabo.

QVÆSTIVNCVLA XI.

Quis conuiuii huius locus?

TRiplex epuli *locus* monstratur. *Primus* Susa vrbs ad Choaspem fluuium, cuius aquam, vt infra dicam, Reges bibebant, amœnissima, quam id nominis ferre aiunt Athenæus lib. 12. Eustathius in Dionysium, Stephanus & Rabbini, à liliorum multitudine. *Susan* enim quod in nostro & Latino interprete legitur, licet in Regiis Bibliis *Susa* sit, Persis *lilium* est, & Phœnicibus apud Magni Lexici authorem, & Hebræis Psal. 44. vbi Aquila & Theodotio χείνα vertunt, & notat R. Camius *a sex foliis* hoc liliis inditum nomen, licet illic *violam* mendose quidam legant. Ab Hebræis vocatur etiam vrbs ista *Elam hamedina*, quod cap. 4. Drusio non probatur. Beniaminum paulo post audiemus. *Conditam* ait Plinius lib 6. cap. 27. à Dario hystaspis, quia nimirum ab eo valde aucta & amplificata fuit, quemadmodum de Ecbatanis in Iudith cap. 1. quæst. 7. dictum est, & idem tam vrbs, quam Regia, Memnonea, vt est apud eundem Ælianum eodem lib. cap. 18. Herodotum lib. 5. Strabonem lib. 15. Cassiodorum lib. 7. epist. 15. Hic regii thesauri, & regia omnium celebertima, vnde non simpliciter *Susa*, sed cum dignitatis agnomine, dicitur hic Hebraicè *Susan habirah* Est autem *birah*, vt ait in Radicibus Dauid Camius, *arx, basilica, regia, palatium, & castrum* Daniel. 8. Cum vero cap. 3. ver. vlt. Hebraicè dicatur, *datum* (contra Iudæos) *edictum in Susan habitationis* tam hîc quam infra semper, duplicem esse Susam, arcem scilicet & vrbem, & illam solam esse, Pastiores, *Wtricibu gum* tam arx vrbi huic nostræ imminens, in qua Reuerendissimus modo versatur, quam vrbs ista vocatur, vt meis in S. Kiliani vitam notationibus, explicaui: sed nego solam arcem accepit, vt ibidem ostendi, hic prius arx Susana, nominata est Susen habirah, & inde tota ebitum epulum. An vniuersus in palatio populus habitauit? An per populum vniuersum, soli aulici famuli, atrienses & mediastini accipiendi? Sunt & huic rei argumento hic Septuaginta, dum *birah* vertunt πόλιν, Latinus noster *ciuitatem*, Iosephus lib. 10. cap. vlt. lib. 11. cap. 5. Μητρόπολιν τῶν Περσῶν. licet in Græco Nehemiæ 1. ver. 1. & cap. 7. vers. 2. ipsum Hebraicum retineatur. Imo vero caput illud tertium Drusio ipsi vel maxime aduersatur. Num enim edictum illud, in arce tantum datum & affixum, non in vrbe ipsa? An locutus alius, quàm vbi edictum istud promulgatum; illicò turbatus? Quam igitur vocarat versus ille *Susan habirah*, eandem prorsus *Susan habir* seu *ciuitatem* appellat, sicuti & rectè indicant Septuaginta & Iosephus, dum simpliciter aiunt, Susis negocium istud tam funesti edicti celeriter curatum esse, & Regem quidem cum Amane compotationi & genio indulsisse, totam interim ciuitatem admodum perturbatam fuisse. Et apertius rem totam ità noster Interpres, *Statim in Susan pependit edictum, Rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis, qui in vrbe erant, flentibus.* Denique omnem dubitationem aufert cap. 4. vers. 8. vbi Hebraicè; *Et apographum* vel *exemplar scripta legis quæ data fuerat in Susan ad perdendum illos dedit illi*, scilicet Eunucho. Ab hoc autem nomine *birah* probabile est, illud quod in scripturis interdum occurrit, extitisse βάρις Prouerb. 36. Esd. 6. Dan. 8. Psal. 44. Τὸ βαρεῖον ἐλαφρόνειον, 2. Paralip. 36. Videatur D. Hieronymus Amos 1. Ieremię 17. & epistola ad Principiam, vbi ait sic; Βάρις, *verbum est Ἑπιχωρίου Palæstinæ & vsq. hodie domus omni ex parte conclusæ, & in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum*, βαρεὶς *appellatur.* Iosephus in Vita sua de hostis sui domo agens; Βάρις, ait, ἰδὼ αὐτὴ μεγάλη, καὶ ἐδύνατο ἀκροπόλεως χωδέχεσθαι, *Erat Baris magna & ab arce nihil aberat.* Est & interdum maior quædam nauis. vt apud Propertium dum ait; *Baridos, & contis vestra liburna sequi.* Vnde mons Armeniæ, in quo Noæ nauis requieuit; apud Iosephum l. 1. Antiq. c. 4. à Nicolao Damasceno *Baris* vocatur. Nunc Beniaminum fol. 78. itinerarij, audiamus. *Chuzistan*, ait, *olim, Elam, Elamitarum patria, maxima vrbs, verum magna sui parte iam excisa, vastata, & inhabitata. inter cuius ruinas Susan habira adhuc spectatur; Assueri Regis palatium maximum, opere pulcherrimo constructum, multis adhuc manentibus regij admirandig, ædificij partibus & artis exemplis.* Hodie vocari *Tauris* monet in Syrochaldaico suo Boderianus, ex Iudæorum scilicet opinione apud Iouium lib. 14. Sed parum id arridet, ob rationem c 1. Iudith quæst. 7. propositam. Multo verò minus placent ij, qui Susa & Ecbatana confundunt, cum à Geographis & Historicis distinguantur. in quibus & lib. 4. Curtius est.

Locus *alter* plebeij epuli, ab Interprete nostro dicitur vers. 5. *vestibulum horti & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat.* Hebraicè pro vestibulo idem nomen est, quod infrà cap. 5. ver. 1. *atrium* vertitur, & in Hebraico ibidem ver. 2. repetitur, in Latino, quia satis intelligebatur; non repetitum, sed cap. 6. semel & iterum reponitur. Septuaginta semper αὐλὴ vocant. vnde iutelligimus huiusmodi vel aulas vel atria & vestibula plura in Regis palatio fuisse. quorum aliqua, hortorum dicerentur, alia ædium regiarum, de quibus cap. 4. Et illa quidem perampla fuerunt. in quibus, vt ait Iosephus, *multæ considere possent myriades.* sed pro illis, *& nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat.* Hebraicè tantùm est *bithan hammelech*, quemadmodum & c. 7. v. 7. & 8. interpretatur Camius *bithan palatium*, Septuaginta domum, ἐν αὐλῇ ἣ οἴκῳ ἣ βασιλέως, Chaldæus & Abenezra interiorem, qui Regis erat, quasi *hortus* fuerit *duplex, interior & exterior.* & interior diceretur, qui domui regiæ seu triclinijs & cubiculis regijs proximè adhæreret, ita vt ex his in illum egressus esset. quemadmodum illo c. 7. apparet. Erant istiusmodi horti omni amœnitate refertissimi: non florum tantum, variarumq; herbarum, sed pulchertimarum etiam arborum, prout in Paradiso alias declarani. vnde apud Herodotum lib. 7. vocat hortos istos Xerxes ἄλσεα, id est *lucos*, aut *nemora.* In his solebant Reges non se oblectare tantùm, sed manu etiam & labore aliquo interdum exercere. quemadmodum ex Xenophonte narrat libro de senectute Cicero. Cum enim in eiusmodi horto admiraretur Lacedæmonius Lysander proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, Cyrum illum minorem respondisse aiunt. Atqui ego ista dimensus sum. mei sunt ordines. mea descriptio. multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Ideoque noster interpres, non tam verbum verbo reddidit, quam, quod paucis in verbis latebat, erui & illustrauit. Sanè Childeberti Francorum Regis simile m, in horto colendo, laborem & curam annotat lib. 6. Venantius, dum Vltrogothonis Reginæ hortum depingit:

Mitior hic æstas, vbi molli blanda susurro
Aura leuis semper pendula mala quatit.
Hæc magne inseruit Rex Childebertus amore.
Charius ista placent, quæ manus illa dedit.
De cultore trahit mellitum planta saporem:
Forsan & hic tacitos miscuit ille fauos.
Regis honore nouis duplicata est gratia pomis,
Suauiu odornari, dulciu in ore sapor.
Qualiter ille hominum potuit prodesse saluti,
Cuius & in pomis tactus odore placet?

Tertius locus erat, in quo Principes accubuerunt. & licet non describatur, videtur tamen fuisse vel interioris horti huius portiones aliquæ, vel vicina conclauia & cœnacula regia, quę in iucundioribus & interioribus palatij partibus. Omnino tamen, septem diebus vltimis, plebeos in horto interiore conuiuatos puto, vt fœminis locus esset vers. 9. Et eorum ornatus & magnificentia ex iis, quæ in epulari Susanorum ciuium loco, subiunguntur, facilè intelligitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA XII.

Quis conuiuialis loci ornatus?

DESCRIBITVR is *trifariam. Primò*, ostendendo vela quædam fuisse, vt tentoria fierent è materia præstante admodum tripliciter. *1. candida*, seu vt noster tam hic quam cap. 9. *dicit*. *2. carbasina*, quæ etiam vox Hebraica. 3. *hiacynthina*, vt etiam vertitur Exod 26. & 35. Noster interpres, quod in Hebraico velut mutilum est, perfecit, & Septuaginta, qui tamen tertium hoc omittunt. Ita enim illic *Candidum carbasus & hiacynthus*. Iosephus collectiuè ὁπλισμα fuisse narrat. Hæc verò sustentabantur in hyssinis & purpureis funibus, & quidem per circulos argenteos ductis. Demum innitebantur columnis marmoreis. Harum copiosior duplex in Septuaginta descriptio est, videlicet ἐπὶ κίοσιν χρυσοῖς καὶ βάσεσιν ἐκ λίθων φολίδωτῶν καὶ λιθίνοις. Κίονες vocat Vitruuius *taxillos*, libus hortis mentio apud Strabonem lib. 16. eiusmodiq; fuerant obelisco illi, quem *Xystus* Pontifex Maximus transtulit; substrati.

Deinde, lecti erant aurei, erant & argentei super pauimento. & hi non ad dormiendum, sed ad epulandum. quorum olim vsus erat apud Romanos, Græcos, & Iudæos, vt ex Euangelijs passim colligitur. Hinc enim *thori, biclinia, triclinia, discubitus*, & *accubitus*. de quibus Manutius libello de hac ipsa re, Lipsius lib. 3. antiquarum lect. c. 1. Vnde Rabbinis, *beth hammithoth*, domus lectorum, est locus conuiuialis. Significantur verò valdè humiles ij lecti, dum super pauimento collocantur, nisi potius significetur, non planè in pauimento fuisse, sed sublatiores.

Tertio, Pauimentum seu, vt Septuaginta, ὁλόστρωτον, constabat *lapide quadruplici. Smaragdino*, inquit noster D. Hieronymus. Hebraice est *bahath*, quod R. Dauid fuisse ait duri lapidis genus, mari Smaragdum, *ob maximam eius pretiositatem*, quadrare negat. *Ego*, ait, *Porphyritem lapidem arbitror* τὰ σμαραγδόπαντα λίθον recensuerunt. Lapis *alter* fuit marmoreus. *Tertius*, parius, qui candidi coloris est. Rabbini, *daphic* lapidem aiunt pretiosum, qui in conuiuium adductus lucet, vt meridies. & nomine illo appellari addunt, quod ex eo mercatoribus proueniat *decor*, id est libertas, dum dimoait Pagninus verti, *parium πάσχον*. quasi superius nomen ille præteriisset; ipse hyacinthum latet sit. Addunt Septuaginta hisce omnibus duo, quæ neque in Latino, neque in Hebræo sunt, stragulas scilicet vestes (quas Pagninus vocat *stratus*, ipsi στρωμνὰς) fuisse pellucidas, variè floribus ornatas, seu opere phrygionico, floribus intertextas, & pictas, ποικίλως ἀνθοποιίαις: & circumcirquas ne commacularent, accubituri soleas pedibus deponebant, vt in Truculento Plauto:

Deme, deme soleas. cedo vinum. & Martialis:

Deposui soleas, adfertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumq; liber.

Et in Apophoreto cœnatoria:

Hoc opus est pictis accubuisse thoris:

In rosis, præter pulchritudinem & odoris fragrantiam, spectatum fortè illud etiam, quod Cœlius lib. 14. c. 49. tradit. quemadmodum & illud apud Lampridium, de croco sigma seu lectos straurat, quia ebrietati obsistere putabatur, vt indicat Plinius lib. 21. c. 6. & 20. Posset tamen dici hæc à Septuaginta non simpliciter addi, sed verbo illo, *sochereth*, inuoluta euolui, quemadmodum & noster interpres fecisse videtur, dum ait, *quod mira varietate pictura decorabat*.

QVÆSTIVNCVLA XIII.

Mensæ vasa quæ?

AD bibendum quidem pocula erant aurea. ad edendum verò patinæ, lances & orbes sæpè murum vasorum suppellex. &, licet ascribatur; ea tota vel aurea, vel argentea fuisse videtur, quemadmodum & pateræ, calicesque illi erant. Ciborum tamen in Hebræo non videtur hodie mentio: tasse quod est in Hebræo *miccelem* significauit, quæ cibos continerent, vasa. Est enim *acel* edere, & *maccal* cibus, Genes. 40. vers. 16. Nehemiæ 9. vers. 25. vnde, qui vel primis Hebraica labris degustarunt. vident facilè fieri *miccelim*. maximè si ס deteratur, vt in *macoleth*, 3. Reg. 5. vers. 11. eadem significatione. Adiungunt Septuaginta, vnum præcæteris, magnitudine, arte, precio immane propositum poculum ἀνθράκινον, id est, è carbunculis, quod talentorum millibus 30. æstimaretur. Quis ad tantam pretiosissimarum vestium, peripetasmatum, lectorum, craterum, patinarumque multitudinem non obstupescat?

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA. XIIII.

Potus quis?

AQVA sæpissimè ad potum vtebantur Persarum Reges, & ea quidem è fluuio Choaspe. ita vt alibi etiam dum profiscerentur, cadi eius aquæ complures vnà veherentur. Vix meribibulis credibile, nisi à pluribus & bonis auctoribus esset posteritati mandatum Æliano Herodoto, Athenæo de quibus infrà cap. 5. Hoc tamen in epulo non aqua, sed vinum proponebatur, neq; id qualecumque aut modicum; sed vt Hebræus habet; *Vinum regni, & multum seu copiosum*. additurque tam illius qualitatis, quam huius quantitatis causa; *Regis* nimirum *manu* seu *potentia*, vel (vt nonnulli volunt) *præceptum*. quod tamen minus placet. quia satis constabat, omnia ista Regis iussu & imperio fieri: potiusque, quid posset Rex dum voluit, quam simpliciter quid vellet, ostenditur. ideoque rectè Interpres noster; causam istam hisce verbis expressit; *vt magnificentia regia dignum erat. Vinum regni* verò dicitur, quod præcipuum est, optimum, & generosissimum, *dignum*, ait Chaldæus, *quod à Rege biberetur*; seu *quod ipsemet Rex bibebat*, vt verterunt Septuaginta. Et hoc Chalibonium erat, vti scribunt lib. 1. Athenæus Strabo lib. 15. quod Chalibone scilicet aduehebatur, & ob insignem præstantiam hoc nominis gerebat. Nam Hebræis *cheleb*, est pinguedo & lac, sicque vinum hoc pingue lacteumque dictum est. prout vertit. & ex Symmacho, Aquila, & Theodotione docet S. Hieronymus in Ezechielis 27. vbi Septuaginta *vinum de Chelbon*. hic iidem Septuaginta vocarunt ἡδὺν *suaue*. prout etiam lib. 1. epigr. Græcorum vocatur & γλυκὺς, & lib. 4. μελιήδης καὶ μελίφρων. Solent enim pinguiora dulcitudinis plusculum habere. Atque hinc illud Danielis 1. v. 5. *Constituit eis Rex de vino vnde bibat ipse*. Et vers. 8. *Proposuit Daniel ne pollueretur de mensa Regis, neque de vino potus eius*.

QVÆSTIVNCVLA XV.

Cibus quis?

MENTIO eius nulla. sed, ex ipsa tam abundante. tamque generosa potione, degustari satis potest, præsertim cum apud Maximum Tyrium serm. 11. & 35 Horatium & Senecam lib. 3. de ira c. 20. prouerbiis celebrentur *Persici apparatus, mensa Medica*. Hoc enim, post Cyrum minorem tempore, maxima veteris disciplinæ, continentiæ & frugalitatis inclinatio facta erat, vt libro vltimo explicat Xenophon. Rabbini tamen, vt infrà etiam dicetur, fabulantur nullâ vel coniecturâ vel auctore, iis ex dapibus exstructas maximè mensas fuisse, quibus vesci Iudæis nefas, vt, si vescerentur, DEVM haberent iratum, si non vescerentur, Regem. idque totum Amanis Iudæis iam insidiantis arte factum fuisse.

QVÆSTIVNCVLA XVI.

Quæ bibendi ratio?

ERAT ea, vt in Hebræo est, *secundum edictum* aut *legem*; *Non cogens*, videlicet esto, id est, nemo sit, qui ad bibendum cogat. ad pocula nemo vrgeat. vel enim præcepti ac legis hîc principium, vt à Iurisperitis fieri solet, ponitur, vel summa, quemadmodum & apud Muretum var. lect. lib. 2. c. 15. illud, μὴ μνησικακεῖν. Iosephus ita, προστάξεις τοῖς διακόνοις μὴ βιάζεσθαι πίνειν τὸν πότον αὐτοῖς ἀναγκάζοντας, ὡς καὶ παρὰ Πέρσαις γίνεται. & videtur duo asserere. *Vnum*, ne ministri ad bibendum cogerent, cum vinum assiduè ipsis afferrent. *Alterum*, fuisse id apud Persas moris, vt ministri scilicet isto modo cogerent. *Prius* illud intelligitur ex phrasi Græca, & ex eo, quod ab eodem additur, mandasse itidem scilicet istis ministris, permitterent vt accumbentium quilibet, ad id quod maximè vellet; hilarè ferretur, seu, eo iucundè frueretur. Sed isto quidem modo lex tantum ministris posita videretur, non ipsis conuiuis, & in Hebræo tamen generalis est. & quæ causa subditur, cur ministris vim adhiberi non oporteret, eadem sanè, cur nec à conuiuis aliis vrgeri deberent, efficit. *Posterius* verò, quo modo verum? Quomodo qui famulabantur, in accumbentes ius habebant? Quæ tanta in recumbentes ministrantibus potestas? Consuetudo tamen hæc apud Persas vel abusio potius fuisse videtur; vt ad exhaurienda pocula vehementiùs vrgerent. dum eo modo, quem anteà dixi, prolapsa Persarum disciplina iam esset. *Vetus lex*, ait Xenophon, *erat, ne prochoides in conuiuia inferrentur: At iam conuiuæ ipsi efferuntur*. Et consuetudinem hanc vocant Septuaginta νόμον, secundum quam bibitum negant. ita vt quæ inter textum nostrum, Iosephum, & istos Septuaginta pugna videtur, hinc tollatur. Bibitum est secundum Regis legem & edictum, vt Hebræus & Latinus & Iosephus aiunt. Bibitum non est, secundum prauam & receptam tùm consuetudinem, vt Septuaginta. vnde Chaldæus; *Potatio erat iuxta assuetam corporis consuetudinem* (quam scilicet Rex seruari iusserat) *& nemo erat, qui cogeret. Nam sic posuerat decretum Rex. super omnem domus suæ procuratorem, vt faceret iuxta voluntatem singulorum*. An verò hęc potius sententia, iussisse Regem, ne ministri cogerent, id est, ne quenquam cogi sinerent; ne cogentibus obsequerentur, cùm infundere amplius vinumq; aliis prębere monerētur, eosdemq; verbo aut facto vllo, vt propinanti satisfacerent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

facerent, appellare. Sic enim vtraque sententia in vnam facillimè reuocatur. An quod apud Persas fieri ait Iosephus, est, non vt ministri cogant; sed vt assiduè vinum offerant? Id tamen videtur esse cogere, offerēdo scilicet assiduè. Quemadmodum verò, qui tum inualuerat mos cogēdi, & per ministros vrgendi, valdè improbandus: ita Regis lex, & omnium obedientia probanda, laudibusque omnibus deprædicanda. D. Augustinus serm. 231. de tempore; *Cum ebrietatis*, ait, *malum sit graue vitium & Deo odibile, ita per vniuersum mundum a pluribus in consuetudinem missum est, vt ab illis, qui* DEI *præcepta cognoscere volunt, iam nec putetur, nec credatur esse peccatum: in tantum vt in conuiuiis suis irrideant eos, qui minus bibere possunt. &, per* INIMICAM AMICITIAM, *adiurare homines non erubescunt, vt potum amplius accipiat quam oportet. Qui enim alterum cogit, vt se plus quam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatem necaret. Certa bibendi lege contenditur. qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.* Et serm. 232. *Excusatio falsa obiicitur; Persona potens me coegit, vt amplius bibam.* & hortatur, ne obtemperent, martyres potius fiant: neq; ad hominum viuorum, Angelorum, aut reliquorum sanctorum nomina bibendum monet. Modesta quidem & amica, quæ, in septem sapientum conuiuio, apud Plutarchum cernitur inuitatio, quæ alteri, *quid, quando & quantum* lubebit; potestatem relinquit, culpanda non est: sed quæ apud quosdam, hodie nostro in Septentrione, in vsu; quæ pares haustus, quasi optimi nominis debitum flagitat, & vrget, barbara, Scythica, inhumana prorsus est, in imperij etiam nostri Comitiis, graui lege, sæpius proscripta. Nam anno Domini 1548. titulo **von zutrincken** / folio 57. in Augustanis, præcipitur seriò, Principibus, Patribusfamilias, vt domi propinatione omni abstineant ipsi, aliosque abstinere faciant: Parochis item, vt, ea de re, populum crebrimè in concionibus doceant. Salica lex, vti lib. 2. retum Germanicarum citat Beatus Rhenanus, fuit. *Nemo militia, socium suum aut quemlibet alium ad potandum inuitato.* In tyrannico istiusmodi Symposio (quo enim alio nomine appellandum, in quo, qui ad bibendum cogit, non nisi Tyrannus?) cùm fuisset Empedocles, egit Conuiuatorem & Symposi archam postridie reum. Tyrannicum erat illud, quod è Græcorum per-grætionibus affert Tusc. 5. Cicero, *Aut bibat aut abeat.* Tyrannus erat Alexander Magnus, qui vt refert Athenæus lib. 12. τὸν ἄκρατον πεῤῥύμως πεῤῥπίνων καὶ ἐς ἄπαντας ἐνάγκαζεν. *meracum audaciter propinans, etiam alios coegit.* Videatur D. Ambrosius lib. de Elia cap. 13. & 14. & quæ in Iudith cap. 15. dicta sunt quæst. 4.

QVÆSTIVNCVLA XVII.

Qui ministri?

VIDETVR ministrorum adhibenda distinctio. Alij enim sunt, quorum textus meminit: Alij quos tacet, de quibus Athenæus libro 4. dum de Darij impedimentis à Parmenione, Damasci captis, agit. Illos verò priores, vocat Iosephus *diaconos*, Septuaginta *œconomos*, Chaldæus, Græca voce, quemadmodum alias non raro, accepta; *Principes*, noster Latinus, *Principes mensis præpositos*, vt scilicet non recenseantur, qui quodcumque mensæ ministerium obibant, vt pincernæ, indices, prægustatores; chironomontes; sed qui cum imperio aliquo & auctoritate. Ideoque ipsos Hebræus textus nominat *magistros*, seu *præfectos domus regiæ*, quemadmodum Gallicè *grand maistre d hostel*, Italicè *maestro de casa*. Hi verò ita epulo ministrasse videntur, vt pro sua quique parte conuiuas venientes acciperent: suo quemque loco accumbere curarent; cum iis ipsi accumberent, eoque munere fungerentur, quod, apud Ciceronem de senectute, *magisterium* dicitur, apud Plutarchum in sympos. & Apopht. Agesilai συμποσιαρχία, apud Horatium *vini regnum*. vnde *Magistri, symposiarcha, Reges*, apud Varronem, *modiperatores*, imo & *strategi*, apud Plautum Sticho, *conuiuiales*. Hi verò bibendi leges ferebant, interdum quidem iucundas, neque à boni temperatique hominis officio alienas, quod Varroniana illa vox præclarè indicat; interdum sanè fœdas, intemperantes, Lapithis & Centauris quam hominibus magis proprias, vt suprà quæst. 16. in Empedocle dixi, & in Elagabalo Lampridius; *Præfectum*, ait, *vrbicum sæpe post cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio, ita vt si recusarent. Magistri eos cogerent.* Sic enim rectè corrigit Lipsius lib. 3. Antiq. cap. 1. *Cogendi* verbum dum hîc vides, an non omnino censes hos esse, quibus Rex mandarit, ne quem ipsi cogerent, cogiùe ab alio sinerent? Iosephici ergo *diaconi* minimè restringendi ad pulueru lentos quosdam ministros. sed sunt Magistri potius, & Principes, qui vinum inferebant assiduè, non per se ipsos, sed per alia minoris notæ ministeria, quibus vel nutu imperabant. In cœna regia, narrat sanè Plutarchi Artaxerxes Sparamixem, magnæ dignitatis palatinum, conuiuio accepisse quosdam à Rege ipso regium in atrium inuitatos.

QVÆSTIVNCVLA XVIII.

Reginæ conuiuium?

SIMILLIMVM regio quoad rerum omnium magnificentiam, nisi quod loco differt, in ipsa regiâ cum fieret, loco scilicet operto & à viris secreto. Sic apud Dionem lib. 55. Quante Druso, & populo epulum dante, simul epulum mulieribus Liuia & Iulia dederunt.

QVÆSTIVNCVLA XIX.

Quis conuiuij totius exitus?

IS qui ferè semper esse solet. cùm, vt à sapiente Prouerb. 14. traditum est, *extrema gaudij luctus occupet*. Rex enim ira exarsit, Reginamque repudiauit. de quo iam dicendum. Addit Iosephus, misisse Regem, qui prouinciis omnibus operum cessationem, diesque festos pro regno suo indicerent.

TERTIA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA.

De Reginæ repudio. Cap. 1. à v. 10.

QVÆSTIVNCVLA I.

Quæ repudij causa?

POTEST ea, triplicium, quæ ad repudium hoc momenti aliquid attulerunt; personarum ratione, triplex spectari. & harum prima est *Rex*. *Tres* ipse *causas* continet. *Prima est* eius vinolentia, vers. 10. cum *Rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero*. Græcè ἡδέως πίνων &c. Interpretatio Latina *ebrium* fuisse videtur significare, Græca tantùm *hilarem* & iucundum. sicque censet Lyranus. Drusius verò nimium à Latino dici ait, nimis parum à Græco. quia Hebræus tantùm dixit; *dum esset Rex bonus corde in vino*. At *bonum corde* vocat Hebraismus, cui mens fronsque læta, & exporrecta. fateor id totum. sed fit hoc in vino bifariam. cum ebrietate, vel citra ebrietatem. Hebræus & Græcus vtro tunc modo hilaratus Rex esset, non indicarunt: sed generali tantum phrasi lætitiam indicarunt, idemque de Latino dici potest. Qui enim ebrij non fiunt, & sese tamen largius inuitant, ij nonne & hilarescunt, & incalescunt? Qui hac ipsum gloria & prædicatione efferebat; *Potui vini multum bibere, & ferre*; nonne poculis interdum nimiis æstuabat? Quid qui ructant, sudant, saltant, seque tamen vino depositos, re factisq; negant, non eodem in genere? Potest igitur Latinus Interpres de vinosa hilaritate ac æstu, qui ad perfectam tamen ebrietatem non pertingat, intelligi: Hebræus verò contrà de hilaritate, quæ plenam & perfectam ebrietatem coniunctam habeat. Nam 1. Reg 25. v. 36. Nabalis *cor* Hebraicè *bonum*, Latinè iucundum dicitur: & tamen subditur etiam Hebraicè; *& erat ebrius nimis*. Cùm igitur vtraque hilaritas omnibus in textibus accipi possit; *vtra in Assuero potius accipienda?* Difficile est statuere. ipsius tamen, hominis parum sobrij saniique fuit. Et vero Persarum legibus licebat Regi semel in anno ebrium esse. ipso scilicet Solis festo. quemadmodum ab Athenæo libro 10. Eustathio odyss. 5. aliisque obseruatum. Quod verò, si leges vigerent; fas aliquando erat, quis, iisdem pænè antiquatis & iacentibus, quoties Regi liberet, nefas fuisse credat? Potuerunt, vt ait serm. 42. Stobæus; ante potum de temperantia disputare, nihilo tamen minus sese præterea ingurgitare. quemadmodum tot hodie boni aliâs concionatores faciunt. *Altera* in Rege *causa*, est nimia quædam ambitio, inanisque ostentatio. Nam non contentus suas tot tantasque gazas, tot tantisque modis ostentasse, suum etiam illum reconditissimum thori thesaurum efferre, omniumque in oculis ponere vult. alter pænè Candaules, de quo lib. 1. Herodotus, nisi quod iste nudam, & amicorum tantùm vni monstrauit: Assuerus verò suam *eidari*, seu vt in Græco & Latino est; *diademate*, multoque magis cultu reliquo eximiè ornatam, in principum, populique totius conspectum venire voluerit. *Tertia*, fuit ira, furorque. cum negasset illa, ardentissimus. Scitè apud Stobæum serm. 18. Sophocles: —— πᾶς οἰνωθεὶς ἀνὴρ, ἥκιστα μὴ ἐρχῆς ἴσῃ, ὃς δὲ νᾶ κενός. *Vir omnis vinolentus, est ira inferior, & mentis vacuus*. Et, eodem in regno, alterum exemplum præbuit apud Herodotum & Senecam lib. 3. de ira, cap. 14. Cambyses. Duæ reliquæ personæ sunt Vasthi Regina, & Regis sapientes, de quibus deinceps.

QVÆSTIVNCVLA. II.

Quæ Vasthi Regina?

NOMEN ipsius apud Septuaginta est Ἀσίν, apud alios, Ἀσὶ, apud Iosephum Ἀάσις, & in libro expositionum Hebr. exponitur, aut *bibens*, & *potans*, aut *duplicans* & *ponens*, aut *flamen*. Aliquando, Persarum more, componi videtur, indeq; fieri apud Æschylum in Persis, *Astaspes, Hystaspu, Hydo*, Persarum more, componi videtur, indeq; fieri apud Æschylum in Persis, *Astaspes, Hystaspu, Hystaspes, Artabanus*, fortè & *Astyages*. sicuti & ab Esther est *Astrampsychus* & *Zoroaster*. Assuero verò huic frater, Ctesia referente, fuit *Oudiastes*, ad Reginæ nomen valdè accedens. Quemadmodum apud nos fœminarum quædam nomina virorum nominibus affinia sunt, vt *Lucia, Terentia, Nicolaa*; sic & apud Persas, vt *Gigu* apud Plutarchum Artaxerxem, & *Artadaynte* apud Herodot. lib. 9. Est autem Rabbinorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

binorum commentum, ex Balthasare, de quo Daniel. 5. natam ipsam, quæ tyrannide importunissima, seruas Hebræas, die sabbathi laborare cogeret, nudasq; obambulare. hancq; causam esse, cur eiecta nuda sit, dieque sabbathi, qui septimus etiam vocatur, malè perierit. Superiorum fortè Regum alicuius, vel ex optimatibus vnius filia fuerit, fortè ipsius etiam soror, vt ex fratris illo nomine, & ex Persarum consuetudine suspicari liceret. quæ cum sororibus nuptias permittebat, & in Cambyse ostendit Herodotus, Curtius lib. 8. Plinius lib. 36. cap. 8. —— *Dij nempe suas habuere sorores, Et non Æolidæ thalamos timuere sororum.* inquit apud Ouidium Metam. 9. libidinosa nescio quæ. Imò & filias Patribus apud eosdem Persas nupsisse testis suo in Artaxerxe Plutarchus, prout supra etiam memini. De ipsius specie satis in textu. Testatur verò Xenophon speciosissimas fuisse Persicas fœminas, & Ammianus lib. 23. *in Perside*, ait, *fœminarum pulchritudo excellit.* Ideoque & Plutarcho auctore, Persarum fœminas vocabat Alexander τῶν ὀμμάτων ἀλγηδόνας, *oculorum dolores.* Quanta ergo Reginæ huius, quæ cæteras fœminas antecellebat, pulchritudo?

QVÆSTIVNCVLA III.

Per quos vocata?

INTIMA Orientalium Regum, & Reginarum ministeria, *Eunuchi* fuerunt. vt ex Hippocrate libro de Septimestri partu, aliisque tam multis, à diligentissimo scriptore Brissonio lib. de reg. Pers. laudatis, patet. Ex his septem præcipui erant, qui idcirco dicuntur *Regis faciem ministrare*, seu vt noster, *in eius conspectu.* eorumque nomina recensentur.

I.	Mauman	I.	Αμάν
II.	Bazatha	II.	Βαζάν
III.	Harbona	III.	Θαρρά
IV.	Bagatha	IV.	Βαγαθά
V.	Abagatha	V.	Ζαβαλθά
VI.	Zethar	VI.	Αβαταζά
VII.	Charchas	VII.	Θαρκά

Hæc verò diuersitas vel indicat vnum nomen pro alio positum, vel Græcum textum deprauatum, cùm Hebræum Latinus omnino exprimat, missis tantùm illis, quæ ex aspirationibus & punctis ferè semper oriuntur.

QVÆSTIVNCVLA IV.

An sub conuiuarum oculos venire rectè noluerit?

ARROGANTIÆ & contumaciæ ipsam hoc in loco accusat Brenzius, quòd marito noluerit obsequi. Sed, hac quidem in re, fecit illa rectissimè. *Voluit* enim ait Iosephus lib. 11. c. 6. *ipsas Persarum leges custodire, quæ ab alienis vxores videri prohibebant.* Solas certè concubinas, non coniuges in conuiuia induci à Parthis solitas memorant Macrobius lib. 7 Saturn. cap. 1. D. Ambrosius de Elia cap. 15. & Parthoperſæ *fœminas*, ait lib. 41. Iustinus, *non conuiuia tantùm, sed & virorum conspectum interdicunt.* adeò quidem vt esset apud Persas ipsos capitale, Reginæ aut regiæ alicuius concubinæ lecticam propius accedere, ipsamq; videre, vt in Artaxerxe Plutarchi dicitur. Videatur Epigramma Græcorum lib. 3. &, si placet, Cicero Verr. 1. Herodotus lib. 7. Iustinus lib. 15. qui, mali quantum ex fœminis ad conuiuia istiusmodi adhibitis nascatur, explicant. Cæterum Sulpitius: *Stulto*, ait, *Rege consultior pudicis virorum oculis spectaculum præbere iussa, abnuit. tantò ipsa laudabilior, quantò in legum pudorisq; custodia perseuerantior.* cum, vt apud Iosephum est, non semel, sed *sæpius* vocata fuerit. At Brentius, qui summis Ecclesiæ Catholicæ Magistratibus, Synodis & Patribus morem gerere non vult, non arrogantiæ potius & contumaciæ accusandus? Voluit tamen, opinor, Luthero, de quo infrà quæst. 12. tacitè iam patrocinari.

QVÆSTIVNCVLA V.

Qui Regis sapientes?

VIRI erant, earum, quæ apud Persas vigerent, doctrinarum scientissimi, sapientiaq; clarissimi: & *Magi*, vel certè Magicarum artium periti dicebantur. Neque ij è vulgo, sed vel optimatum filij, vel qui ad regni spem educabantur. vti ex Cicerone de diuinatione, Laërtio in principio, Plutarcho in Artax. & Themistocle discimus. De his verò plura caput istud aperit. *Primum, tempora ipsos nouisse.* Ita enim disertè habet Hebræus, quod aliqui de Astrologis interpretantur: de Chronologis, & historiarum veterum gnaris alij. Negari enim non potest, quin historia prudentiæ, sapientiæque origo & certissima veluti mater sit quemadmodum pridem notarunt Liuius, Diodorus, Dionysius, Gregoras, Zonaras, nuperverò eleganti etiam apud Lipsium libello Bernatius. Rursumque huius apud Persas, magnam fuisse habitam rationem, infrà, oportuniore loco, dicam. Plenior tamen & certior interpretatio videtur, si & siderum, quibus temporum notatio fit; scientiam, & gestarum rerum cognitionem vna ista temporum cognitione comprehendi existimemus. & verò si addatur hoc etiam tertium, vt norint isti quid quoquo tempore, tam in diuinis, quàm in humanis negotiis agendum sit, qui dies festi. qui operosi, quid his vel illis diebus sacrificandum,

candum, agendum, cæremoniarum aut actionum faciendum. Sic enim 1. Paralip. 12. ver. 32. eruditi quidam, & in Xenophonte apud Cyrum Magi describuntur. & hos videtur ὀφθαλμοὺς nuncupare Diod. libro 2. *Alterum*, eosdem *nosse legem & iudicium*, vt in Hebræo iterum est quod valet. omnia Persarum instituta, consuetudines & leges callere optimè. Nostri, *scientes leges ac iura maiorum. Tertium*, moris fuisse, vt ad hos, si quid negocij oriretur, referret Rex, eorum sententias percuncta retur. Nam pro eo, quod noster ait, *qui ex more regni semper ei aderant*, Hebraicè dicitur, *sic* (eos scilicet interrogare) *mos erat Regi ante faciem omnium scientium legem & iudicium*, vt non tantum Astrologi, Historiologi, Theologi, sed Iureconsulti etiam essent. Iosepho, οἱ τὴν τῶν νόμων ἐξήγησιν ἔχοντες, *habentes legum interpretationem*, siue, *legum interpretandarum curam & scientiam.* Ideoque & ab Herodoto dicuntur ἐξηγηταὶ τῶν πατρίων θεσμῶν, *interpretes patriarum legum.* καὶ πάντα ἐς τοῦτον ἀναπίπτει, *& omnia*, inquit, *in illis recumbunt.* ab eodemque & Plutarcho Artax. vocantur βασιλικοὶ δικασταί *regij iudices. Quorum*, horum magnam extitisse multitudinem: sed ita, vt inter eos discrimina & gradus quidam essent. Nam eorum aliqui Regi propiores erant, Persarum Medorumque principes, Regis faciem videntes, id est, cum eo versantes, facilem ad eum aditum habentes; ad intima eius conclauia venientes, ei semper assistentes, *sedentes primo loco in regno*, id est, primos in toto, quod latissimè patebat, imperio; principatus & dignitates obtinentes. licet inter eos ipsos iterum ordo, pari ratione quidam fuerit, vt pro maiore scilicet aut minore dignitate, Regi assiderent propius aut longius, vt est in Athenæo libro 4. Xenoph. libro 8. *Quintum* eos, quorum tanta erat dignitas, numero septem fuisse, prout etiam Esdræ 7. traditur. Vnde verò septenarius iste numerus, quem in septem Eunuchis suprà iam vidimus, adeò apud Persas celebratus? An septem Græciæ sapientum ad hos admiratio pertinuerat? An septem Planetarum, quibus omnis cœlorum dignitas, vis, & efficientia contineretur, imitatio quædam erat? An inde id potius factum, quod qui Tyrannos Magos impetu facto sustulerunt, ij principes septem fuerint, vt ab Herodoto luculentè traditum est? Quemadmodum enim dies, quo ab his illi occisi sunt, festâ quotannis memoriâ celebratus est, dictusque ἡμέρα φονίων: sic & horum quasi libertatis vindicum, numerus omnibus gratiosus & venerabilis visus. Et apud Herodotum libro 5. mittit ad Amyntam Persas præcipuos septem Megabyzus. Sic fortassis hodie, Imperij Romani Electores septem. olim in Vrbe Diaconi Regionarij septem, Notarij Regionarij septem, Subdiaconi & Defensores totidem. de quibus Tomo 8. Reuerendissimus BARONIVS. vide Tobiæ cap. 12. quæst. 8. *Sextum*, qui verò tunc fuerint hi septem, nominatim explicatur. sed, nominibus cum Hebræo collatis, obseruanda quæ in Eunuchis anteà monui. I. *Carsena*. II. *Sethar* III. *Admatha*. IV. *Tharsis*. V. *Meres*. VI. *Marsena*. VII. *Memucan*. In Septuaginta verò de hisce omnibus paulò aliter, & ferè contractius. Nam, vti Danielis 6. nomina tantum tria ponuntur I. Ἀρχεσαῖος. II. Σαραχθαῖος. III. Μαλεσσάρ. & posteà quartus, qui in Hebræo, & Latino septimus est; additur Μαχαῖος, prout etiam à Iosepho nominatur.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Quomodo, qui sapientum vltimus, primo loco, sententiam dixit?

MORIS alicubi est, vt qui vel ætate, vel auctoritate minores sunt, primi sententiam dicant, ne aliorum auctoritatem secuti, non quæ sibi, sed quæ aliis visa fuerint, afferant. Quod facilè fieri potest, si vel eos timeant, vel eorum gratiam colligere cupiant, aut certè collectam iam non effundere. Hic verò dignitatis inter eos ordinem seruatum textus indicat, & maximè Hebræus, in quo singulari numero dicitur de primo, *appropinquans ad Regem*, id est, ei proximus, omniumque honoratissimus. Neque, extra ordinem, videtur vltimum Rex arbitratu suo interrogasse. Fiunt ergo hîc nouissimi primi.

QVÆSTIVNCVLA VII.

Bonàne fuerit sapientis huius sententia?

EAM & cæteri sapientes, & Rex ipse approbauit. & si euenta spectemus; boni plurimum eadem ipsa peperit. Sed è Caiphæ, aliorumque, qui Saluatorem Dominumque nostrum damnarunt; sententiis, commodorum quantum extitit? & tamen eæ iniquissimæ. Sic & de Memucanarunt; sententiis, commodorum quantum extitit? & tamen eæ iniquissimæ. Sic & de Memucano isto iam videtur. Regis irati licet, accusantique similis, vt in Iosepho est; interrogatio tantumne

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus vel exiguam alterius culpam, maximam existimat supplicioque maximo dignissimam. Ergo iste Regi vt gratus sit, Reginæ factum gratiter accusat. eius indignitatem exaggerat: idque in regnum totum, quod amplissimum, redundare causatur, & quidem ita, vt omni in familia, viris omnibus, summis infimis valdè obsit, fore vt eos vxores contemnant: ipsi verò, pro contemptus ratione, in vxores stomachentur. (Id enim ex Hebræo pro illis; *vnde iusta est Regis indignatio* versicul. 18. colligi potest) Id Reginæ factum ex superbia, vt in Iosepho est, Regisque indigna contemptione profectum esse; ideoque nullo modo impunè esse debere. Nam pro, *quam præteriri illicitum est*; in Hebræo est; *non transeat*; *quod non introeat Vasthi in conspectum Regis Assueri*. Licet posset & hoc ad scriptam exauctorationem referri, quæ transire, seu præteriri non debeat, sed seuerissimè vindicandam esse vindictamque ipsam, toto regno, litteris quacunque missis, peruulgandam, &, vt posteritati etiam cautum sit, in Persarum Medorumque tabularia referendam. videlicet, vt prouinciis sæculisque omnibus notum semper sit, quanta eorum, qui sapientum interdum nomen gerunt, & ad Principum tamen sese voluntates & perturbationes totos fingunt; insipientia esse soleat. Dignum prorsus erat Reginæ factum, quod, tali quidem in re, talique tempore, omnes Persarum Medorumque vxores imitarentur: legibus potius quam viris obtemperarent: à conuiuiorum, petulantiumque oculorum, quos ferè vina pariunt; licentia cauerent, domi potius suæ latere, vnique viro suo cognosci, quam foras prodire, alienis sese venditare mallent.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Quomodo eum secuti sapientes reliqui?

Debvisset meritò eos ab hac sententia reuocare, quod contra legem esset, quòd à nouissimo. Sed cum inflammatum ira Regem viderent, sese & ipsi conformarunt. præsertim cum & eam Regi placere aduerterent, & aliud quoddam Persarum institutum firmum fixum retinere, tuerique vellent. Id erat, vt essent ipsi vxorum suarum Domini, iisque pro libito, imperarent, auctore lib. 13. Athenæo. *Sunt*, ait de Persis agens loco sæpius citato Plutarchus, *Barbari maximè zelotypi, & in vxores feri*. Et fortè ad istud institutum fit allusio versicul. 22. *sit vir quilibet domi suæ dominans*, seu *domi suæ Dominus*. & vt noster, in plurali tamen, vertit; *princeps & maior*. De istis verò vtiliter ista scripsit ad Rusticum S. Hieronymus; *Philosophi seculi solent amorem veterem amore nouo quasi clauum clauo expellere. Quod & Assuero Regi septem Principes fecere Persarum, vt Vasthi Reginæ desiderium, aliarum puellarum amore compescerent. Illi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur. nos amore virtutum vitia superemus. Declina*, ait, *à malo & fac bonum. Quære pacem & persequere eam. Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus.*

QVÆSTIVNCVLA IX.

Quomodo Rex ipse?

Si nihil aliud, eius impetum coercere meritò debuisset, vel coniugalis amor, vel certè tanta illa Reginæ species, quam suspici laudarique ab omnibus voluerat. Sed omnia ista excussit ira. coniugem quasi scortum, vilem reddidit: nobilissimam illam formam informem fecit. consiliariorum præsertim omnium calculo accedente.

QVÆSTIVNCVLA X.

Quando rogata ista sententia?

Potos, grauissimis de rebus, Persas consultare tradunt plerique, vti etiam hoc loco Iohannes Drusius & libro 12. obseru. c. 15. Nimirum ita interpretatus est Herodotum lib. 1. Valla. Verum Herodotus non μεθύοντας dixit, sed μεθυσκομένους, quod valet potantes, ebrietati vacantes, inter pocula, nondum tamen potos & ebrios. Quomodo alioqui, quod eos facere subiungit Herodotus, postridie. quæ dixissent, decreuissent, in disquisitionem rursum vocarent? Quomodo recordarentur? Aut si notarij forsan excepissent, sententiam tamen aliam recitassent, quomodo fraudē mendaciumque illi aduerterent? Vel in ipso igitur conuiuio, vel ex ipso, vt mauult Iosephus, in vicino quodam loco sententiæ statim rogatæ, & dictæ.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA XI.

Quando executioni mandata?

Quoad Reginæ repudium, mora nulla fuit versicul. 22. vbi verba illa, *Et hoc per cunctos populos diuulgari*. fecit scilicet, Hebraicè referuntur etiam ad regem, sed paulò aliter. Et loquens secundum linguam populi sui, Rex scilicet, qui misit litteras. quandam Caietanus sententiam esse mauult, *vt vir in domo sua dominetur, & loquatur iuxta populi sui morem*, vt scilicet sit maritorum dominatus moderatio.

QVÆSTIVNCVLA XII.

An è loco isto, rectè ad libidinem & adulterium viros exhortetur Lutherus?

In homilia, seu concione, quæ de coniugali vita inscribitur; tomo 6. editionis Wittenbergensis, apud Lufftium, anno 1553. parte 2. de diuortio, fol. 177. vt cum vetere illo pseudoprophera Elaxi, de quo Diuus Epiphanius hæresi 19. virginitatem omnem proscribat, nuptiis vacare omnes faciat, imo etiam scortationibus, & adulteriis, ad populum dicit, ac scribit Lutherus. Si libidini operam vir dare velit, & sit fortè ad coniugale opus coniunx difficilior; posse, hac omissa, suum in lectum fœminam aliam, & quidem ex ancillis aliquam vocare. Dicit enim vir iste, suæ illi vxori; *Si nolis tu: vult alia. Si non vult vxor, veniat ancilla.* & suam hanc tam impuram, Epicuream, & detestandam vocem, ne à Plautino vel Terentiano lenone aliquo mutuatus videatur; sacris è litteris, quemadmodum & paradoxa sua cætera confirmat. *Sic*, ait, *fecit Assuerus*. & aliam in Vasthi locum suffecit. Hoc nimirum est, quod perpetuo isti clamant, verbum Dei legere: in hoc vno omnes assiduè versari: omnia inde credendi, viuendique documenta petere. Honestissima oratio: sed cum abest Ecclesiæ intelligentia, Patrum explanatio, Spiritus sancti norma; en quæ mysteria vulgantur! Meminisse verò Epicurum istum oportebat, factum hoc Assueri, factum esse hominis Ethnici, hominis Barbari. Num quidquid sactis in libris ab impiis gestum legitur, id continuo fas? Nabuchodonosor sacra templi vasa diripuit. in iis potauit. Et hoc isti strenuè imitantur. Omnia Cyrus restituit. cur quod diuinis itidem literis consignatum, istud non placet? Deinde ira excœcatus fecit hoc Assuerus. Num, quod propter animi perturbationem, semel factum, & in illo tali vel ignosci, vel quandam saltem partem, excusari potest; id tanquam legem, diuinamque voluntatem Christianis, pro concione, omnibus concedendum, suadendum? Quia verò eodem iure fœmina in matrimonio est, quo & vir, si paulò ad libidinem ipsa feruidior proniorque sit, virum quandoque segniorem, & ad maritale opus lentiorem putabit. & quidem cum erit ille infirmior, tristior, occupatior. ideoque & illi dicet; *Si nolis tu: vult alius. Si non vult maritus: veniat famulus.* Causari etiam poterit, eum peregrinationes nimias, nimisque diurnas suscipere, negotiari longius, non necessarias legationes captare. ideoque & illi dicere; *Si nostro in lecto manere non vis, volet alius. veniat scriba, veniat seruus quicumque alius.* Quod si acciderit, vt quam ille in vxoris thronum vocarat ancillam, posteà rursum displiceat, videaturque & ipsa voto minus libidinari, vocabitur secunda, tertia, & deinceps aliæ. Sicque ab vxore rursum alij atque alij, qui maritalem vicem obeant, adscifcentur. O si hominibus insitus à natura pudor, ipsa Germanorum temperies, Principumque politia Lutheri euangelio melior non esset, quæ quotidie dedecora, quæ labes, quæ scelera viderentur? Et æquo quidem adhuc, proh dolor, plura videntur: sanè tamen pauciora, quam, per illius disciplinam, liceant. Qui sinistre Christi Domini verba Matthæi 19. versicul. 9. interpretantur, ij, ob vnam duntaxat fornicationis causam, repudiari iam posse vxorem arbitrantur; qui dextrè, ob nullam causam. Lutherus verò in eo ipso sermone de vita coniugali causas iusti apud Christianos repudij tres proponit. quarum vltima est ea ipsa, quam hactenus indico. Et tamen vult etiam Assueri prudentiam imitari, dum vxorem bis tertue monendam dicit, ipsique multitudini aperiendam illius contumaciam, ne scilicet apud homines malè videatur facere, quod, sua posthabita Iunone, ancillulas grauidet. Alioqui dum carnis prurigo aliqua fuerit, confestim adsit ancilla, valeat matrimonij fides, adulterum esse liceat. Ita enim fecit ille in Stiria Prædicans, qui cum pridie, istum Lutheri locum legisset, ilicò, secuta nocte, suo huic Magistro paruit, prout viderunt & retulerunt, qui in ipsius domo tum diuersabantur, è Serenissimi Archiducis Caroli Comitatu, Aulici: scribitque libro contra Florentium Schererus noster, qui & diuerso tempore eodem vtebatur. Turcicos nobis mores persuadere vult Epicurus hic. Nam illos testis oculatus in Ægypti vrbe Alcairo, ita describit Io. Leo Africanus lib. 8. de Africa: *Cuncti Alcairi, vt plurimum in familiari colloquio verbis obscœnis ac fœdis gaudent: atque, vt cætera silentio prætercam, non raro euenit*

vxorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

vxorem coram Iudice de rariis mariti congressibus expostulare, vnde persæpe & nasci diuortia, & aliis iungi maritis (quod Machumetano licet dogmate) vidimus. Verum *subantem*, vt cum S. Hieronymo dicam; nostri temporis Iouinianum mittamus. quem spurcum adeò ne attigissem quidem, nisi verum videretur, quod libro 1. de persecutione Wandalica inquit Victor Vticensis; *Tacendum semper non est de impietatibus hæreticorum: nec verecundum poterit esse, quod ad laudem proficit pietatis.*

QVÆSTIVNCVLA XIII.

Quæ ex hisce omnibus documenta?

VARIA profectò, sed quæ in promptu. Illud tantum dicam. In isto Assueri epulo veram quandam effigiem, & veluti picturam omnium vitæ huius voluptatum conspici. quas, vt maximæ sint; dies tamen vnus aliquis terminat: non paucæ interdum iræ, rixæ, inuidiæ, dolores, lachrymæ interrumpunt. Nihil in cœlestibus tale. Quæ de loci amœnitate, aulæorum varietate, pauimentorum nitore, vasorum elegantia, immensa auri argentique copia, potionis ciborumque abundantia & præstantia dicta sunt, omnia illic multò abundátiora & præstátiora. sine fine, sine interruptione vlla, vti persequitur S. Chrysostomus in morali oratione 6. ad Hebræos. *Fluuij omnes*, aiebat quidam, *suo in alueo dulces: ad mare tamen vbi decurrerint; semper amari.* Et Lucretius: —— *medio de fonte leporum Surgit amari aliquid, quod in ipsis faucibus angit.*

QVARTA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA, DE ESTHERIS *in regiam domum adductione.*

CAPVT II.

1 EIS ita gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset:

2 Dixerunt que pueri regis, ac ministri eius. Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ:

3 Et mittantur qui considerent per vniuersas prouincias puellas speciosas & virgines: & adducant eas ad ciuitatem Susan, & tradant eas in domum fœminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus & custos mulierum regiarum: & accipiant mundū muliebrem, & cætera ad vsus necessaria.

4 Et quæcunque inter omnes puellas regi placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi: & ita vt suggesserant, iussit fieri.

5 Erat vir Iudæus in Susan ciuitate, vocabulo Mardochæus filius Iair, filij Semei, filij Cis, de stirpe Iemini,

4. Reg. 24. 15. Inf. 11. 4 6 Qui translatus fuerat de Ierusalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iudæ Nabuchodonosor rex Babyloniæ transtulerat.

7 Qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther: & vtrūq; parentē amiserat: pulchra nimis, & decora facie. Mortuis q; patre eius ac matre, Mardochæus sibi eam adoptauit in filiam.

8 Cumq; peterebuntur regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, & Egeo traderentur eunucho; Esther quoq; inter cæteras puellas ei tradita est, vt seruaretur in numero fœminarum.

9 Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in cōspectu illius. Et præcepit eunucho vt accelleraret mundū muliebrē, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo regis, & tam ipsam, quam pedissequas eius ornaret atque excoleret.

10 Quæ noluit indicare ei popidum & patriā suam: Mardochæus enim præceperat ei, vt de hac re omnino reticeret:

11 Qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines seruabantur, curam agens salutis Esther, & scire volens quid ei accideret.

12 Cum autem veniret tempus singularū per ordinem puellarum, vt intrarēt ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrē pertinebant, mensis duodecimus vertebatur: ita duntaxat, vt sex mensibus oleo vngerētur myrrhino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus vterentur.

13 Ingredientesq; ad regem, quicquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, & vt eis placuerat, compositæ, de triclinio fœminarum ad regis cubiculū transibant.

14 Et quæ intrauerat vespere, egrediebatur manè, atq; inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem vltra redeundi, nisi voluisset Rex, & eam venire iussisset ex nomine.

15 Euolutis autem temporibus per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihahil fratris Mardochæi, quam sibi adoptauerat in filiam deberet intrare ad regem. Quæ non quæsiuit muliebrem cultum, sed quæcunq; voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit.

16 Erat enim formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo qui vocatur Tebeth, septimo anno regni eius.

17 Et adamauit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitq; gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius, fecitq; eam regnare in loco Vasthi.

18 Et iussit conuiuium præparari per magnificum cunctis principibus, & seruis suis pro coniunctione, & nuptiis Esther: & dedit requiem vniuersis prouinciis, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.

19 Cumque secundo quærerentur virgines & congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam regis:

20 Necdum prodiderat Esther patriam & populum suum, iuxta mandatum eius. Quicquid enim ille præcipiebat, obseruabat Esther: & ita cuncta faciebat vt eo tēpore solita, quo eam paruulam nutriebat.

21 Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis ianuam morabatur, irati sunt Bagathan, & Thares duo eunuchi regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præsidebant: voluerunt q; insurgere in regem. & occidere eum.

22 Quod Mardochæum non latuit, statimque nunciauit reginæ Esther: et illa regi ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat.

23 Quæsitum est, & inuentum: & appensus est vterque eorum in patibulo. mandatumque est historiis, & annalibus traditum coram rege.

E CAPITE DVODECIMO.

1 ORabatur autem eo tempore in aula regis cū Bagatha & Thares eunuchu regis q; ianitores erāt palatij.

2 Cumque intellexisset cogitationes eorum, & curas diligētius perquisisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, & nunciauit super eo regi.

3 Qui de vtroque, habita quæstione, confessos iussit duci ad mortem.

4 Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed & Mardochæus rei memoriam literis tradidit.

5 Præcepitque ei rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.

6 Aman verò filius Amadathi bugæus erat gloriosissimus coram rege, & voluit nocere Mardochæo, & populo eius pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti.

QVASTIVNCVLA I.

Quæ adducendæ in regiam domum Estheris occasio?

NOVA, in auctoratæ locum, Regina, vti Memucan dixerat; sufficienda erat. Ea ergo vel ex iis, quæ in Regia domo iam erant, fœminis, vel alunde sumenda erat. & hoc, vel ex quibuscunque, vel ex virginibus tantum; iisque vel cum aliquo formæ delectu vel absque. si cum formæ delectu, vel is mediocris inter aliquas tantum virgines, quæ Regi fortè aut visæ, aut fortuitò auditæ fuerant, futurus erat: vel eximius, & inter omnes omnium eius prouinciarum. Hoc postremum Regi suasserunt ipsius *pueri* seu iuuenes, qui ipsi ministrabant, cum videlicet à cubiculo essent, à poculis, à manu, ab alio quopiam ministerio. Suadendi verò causa, initio secundi capitis, vt tradit Caietanus, innuitur, à Iosepho apertissimè traditur. Rediit Rex in memoriam exclusæ deturbatæque vxoris. Ira iam deferbuerat. pupugit ipsius animum ingens ille, quo prosequi eam solebat, amor. Admirabilis illa eius species, magno iam opere, ab eo requirebatur. Quid ageret? Quo se verteret? Facti eum pœnitebat: tristis & mœstus erat. Ipsam reuocaret? Lex seu edictum, quod contra eam, toto regno, promulgari iusserat; prohibebat. Ex sua & procerum suorum sententia, scripta illa fuerat. Quæ causæ illam exturbandi allatæ fuerant, eædem, exturbata vt maneret, suadebant, exempli scilicet mulieribus omnibus dati prauitas. & virorum ab illis vili pendenda auctoritas. Id circumpedes eius iuuenes conspicati, dixerunt. Amor amore pellitur. Potest alicubi aliqua, quæ multo formosior, Regique gratior sit; inueniri. Mittantur omnes in prouincias optimi formarum æstimatores: pulcherrimæ quæque huc in regiam adducantur: vngantur, comantur, ornentur diligentissimè. & è pulcherrimis istis omnibus ita iam vnctis, comptis & ornatis deligat quam volet Rex. In tanta multitudine, copiaque tanta, non deerit Vasthi altera: vel potius multò,

Universidad de Deusto
Biblioteca

multò, quam ea, speciosior & iucundior. Dictum, factum. Estherem verò, puella cum esset elegantissima; Præfecti illi, quos Septuaginta κομιστὰς vocant, acceperunt, non vi aut raptu; sed eius, in cuius potestate tum erat, & qui paulò post, exponetur; concessu, vt ait Caietanus, cum tamen Hebræum verbum vtrique modo accipiendi accommodari possit, idque *rapiendi* verbo verterit Gobræum verbum vtrique modo accipiendi accommodari possit, idque *rapiendi* verbo verterit Gorionidæ Interpres lib. 2. cap. 3. vbi tamen *raptus sum* pro *rapta*, legitur; & ipsa infrà cap. 15. versicul. 16. *necessitatem* suam nominat.

QVAESTIVNCVLA II.

Quis adducendarum puellarum mos?

IN Dauidis historia mos iste iã cernitur, 3. Reg. 1. & hodie in Turcicis Sultanis. Vendi alioqui Babylone solebant puellæ in vxores. Prout opibus quisque valebat, ita formosissimas coemebat, vt est apud Herodotum lib. 1. Sic & pueri, qui Eunuchi fierent, magno ad reges istos numero adducti. Imperator Iustinianus, qui istiusmodi merces, conquirebant, fœdeque tractabant, legibus *de Eunuchis & lenonibus*, quoad potuit; sustulit apud Baronium Tomo 7.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quomodo Esther adducta?

QVÆ è remotioribus locis adducebantur, vehi solebant vehiculis omnino tectis & conclusis, vt explicat in Themistocle Plutarchus. Esther verò Susis tunc erat. vti monstrat versicul. 5. & 8. non Babylone, quemadmodum in Iosepho legitur; *vehiculo tamen inuecta* nihilominus *videtur*. quia vix pedibus vllum, vel exiguum iter viri Persæ faciebant, vt ait Xenophon. multò minus fœminæ, quæ præsertim ad Regem addducerentur.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Quomodo ad Regem eadem adducta?

ESTHERIS quidem *atas* alia non constat, nisi quod virgo iuuencula fuerit. Nam *nearah bethulah*, Hebraicè dicitur, Græcè modo κορασίον & κόρη, modo παρθένος à Iosepho & Septuaginta. Hoc autem postremum eam significat, quæ pueritiam transgressa, nuptiis iam apta est, vti magnum Græcorum Etymologicum docet. quod tamen perpetuum non est. Assueri verò regni *annus tertius* fuisse videtur. quia eo ipso anno Vasthi electa, & postridie statim conquisitas fuisse virgines ex capitis huius initio colligitur. Posteaquam enim superiora illa gesta fuissent, Regisque indignatio conquieuisset, *recordatus est Vasthi*, & quemadmodum dixi, de ea doluit. Quantum verò temporis interfluxisse credamus? Num amplius, quàm, quod concoquendo, vino latis? Et in aliis pluribus legimus postridianum ferè conuiuialium culparum, diem esse pœnitentiæ ac doloris. Vnus quotidianæ alioquin experientiæ testis esto Alexander Magnus apud Ciceronem Tusculana 5. Fateor tamen hic nodum inesse, cui enodando plusculum posteà iniudandum.

QVAESTIVNCVLA V.

Quænam Esther?

DE hoc ipso eius nomine dictum antè Proleg. 1. sed aliud ei capite isto 2. versicul. 7. tribuitur, *Edissæ*, cuius in Græco nulla quidem mentio, Hebraicè verò *Hadassa* est, id est Μυρσίνη, siue *myrthina*, cum *hadas* myrtum significet, Isaiæ 41. Leuit. 13. non verò nisi fortè allegori κατὰ, *misericordiam*, prout tamen exposuit Rabanus, vel *citream*, vt Zachariæ 1. Ribera. Credi verò queat, hoc priuatæ nomen olim fuisse. quæ regina cum esset, Esther appellata sit, vel certè in ipso Parthenone. cum Danielis 1. ipsum Eunuchum, iis, qui suæ commissi erant curæ, alia nomina imponere videamus. Propter verò istam prioris appellationis immutationem dicitur; *nutritius Edissæ. quæ altero nomine vocabatur Esther*. seu vt Hebraicè legitur: *Erat nutriens hadassam, quæ Esther*. quasi eam cum nutriret Mardochæus, hadassa vocata fuerit. *Ex stirpe Beniamin*, & regio, vt ait Iosephus, genere, prout magis infrà patebit; filia Abichailis, quem Septuaginta *Aminadab* dixerant, & frater erat patris

tris Mardochæi, seu ipsius Mardochei patruus, vt Hebraicum *dod*, & diserte ἀδελφὸς πατρὸς Μαρδοχαίου apud Septuaginta, & ipse R. Abraham in expositione, itemque Sulpitius, ostendunt. ita vt in Latinis compluribus deesse interdum videatur vox, *Patrui*. *Orphana* tamen ab vtroque relicta parente, à Mardochæo educata est, & in lege Domini diligentissimè instituta, omninoque in filiam susceptra per adoptionem, vt exposuit noster versicul. 7. latisque annuit Iosephus. dum illum, *hanc vt filiam* dilexisse ait. Sed Septuaginta quidnam volunt, dum eum eam instituisse quidem aiunt, sed *sibi ipsi in vxorem?* An patruelem ipse suam ducere volebat? An tam iuuenculam? Vtrumque, fateor, fieri poterat. mallem tamen ita legere ἐπαίδευσεν αὐτὴν ἑαυτῷ εἰς γυναῖκα, pro εἰς γυναῖκα, vt consentiant illi cum Hebræo, Chaldæo, Latino, & Iosepho. & sic apud Polybium lib. 5. *Logobasus* Laodicen Achæi vxorem, sibi in adolescentia traditam, *veluti filiam* educarat, & virginem egregiè instituerat. De ipsius *forma* ver. 7. & 15. est: de magnis & excellentibus animi dotibus ac virtutibus totus liber deinceps loquitur, & Rupertus lib. 8. de Victoria à cap. 14.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Quis Mardochæus?

HEBRAICE dicitur *Mordochai*, & vetsicul. 5. *Mordechai*, apud Gorionem Basileensem *Mardachai*. pro quo rectè Latinè *Mordochæus* vel *Mardochæus*, sicuti *Artaxerxes*, & apud Plutarchum, *Artoxerxes*. Interpretatur verò, *amara contritio*, *myrrha contrita docens contritionem*, &, ex Hebræo & Syro in libello interpret. *myrrha purissima*. Hunc esse putat R. Abenezra eundem cum illo, de quo Esdræ 2. versicul. 7. Iosephus lib. 11. cap. 4. ea tamen addit, quæ si ad ea, quæ de tempore suprà dicta sunt; examinentur; sponte ipsa sua concidunt. Ille quidem Hierosolymam reuersus est Cyri tempore. noster nequaquam. Sed *rediit*, ait ille, *posteà in Susianam cum Esthera patruele*. At hæc nondum tunc nata. fortè nec ipsemet. sed esto. Quam ob causam rediit? *Quod*, ait, *templi ædificationem ex voto non succedere videret*. O commentorum semper amantes Rabbinos! Tamne ad iram velox Mardochæus, tam peregrini soli amans, patrij contemnens, vt cum tot optimis aliis ciuibus, & prophetis Haggæo & Zacharia tantisper expectare nollet? Vterlibet verò intelligi possit in Thargum Cantic. 7. vbi dicuntur viri *cenistha rabtha*, id est, synagogæ aut scholæ magnæ, Esdras, Zorobabel, Iosue, Nehemias, *Mordochai*, Belsan. Fuit è *Beniaminia tribu*, seu vt Latinus noster versicul. 5. *de stirpe Iemini*, qui idem Beniamin est. Nam Hebraicè de *Cis* dicitur, *ipse vir Iemini*; Chaldaicè clarè *de tribu Beniamin*: & auctore Gorione, vnus è tribus illius *parthemim*, id est, vt suprà exposui; ex honoratis & principibus erat, seu vt Iosephus Græcus; ὁ τῶν πρώτων ἀφ' ἑαυτοῦ τοῖς Ἰουδαίοις, vnus è primis apud Iudæos. Quod ni esset, quomodo ei quotidie licuisset ante regiarum virginum atrium ambulare? versicul. 11. *filius Iair, filij Semei, filij Cis*. Hæc enim nomina, ea in tribu, vigebant, vt ex Saulis historia, & Dauidis, ob Absalonem, fuga patet. non, quod hi quidem omnino sint, qui priscis illis temporibus vinebant, vti putauit Feuardentius. Cum tamen è regio genere procreatam Estherem suprà Iosephus dixerit, fieri sanè potuit, vt è Saulis stirpe essent omnes hi per Ionathan & Mephibosheth. *Ad* eam verò *transmigrationem* spectabat, quæ Iechoniæ tempore, facta est, versicul. 6. vbi relatiuum illud, *qui translatus fuerat*; secundum nonnullos, ipsum *Mardochæum* refert, cuiusmodi sunt Philoniani quidam interpretes. At secundum Pererium in Danielem refert ipsum *Iemini*, quod iam improbatum, cum hic Patriarcha Beniamin sit: secundum alios, quibus magis assentior; refert ipsum, *Cis*. Nam, ante Scaligerum, ita scripsit Caietanus, & ante hunc, iam olim Rupertus libro 8. cap. 5. *Non otiosè* ait, *hic commonendum, quia non Mardochæus sed Cis, proauus eius subaudiendus*. Mardochæus non per se & in seipso, sed per hunc tantummodo, & in hoc translatus dici possit, vt ait libro 11. cap. 6. Canus, & Bellarminus loco anteà citato. Estheris verò erat, vti dictum est quæst. 5. *patruelis*, seu filius fratris patris illius, dum Estheris scilicet pater *Abichail*, Mardochæo patruus, & Mardochæi pater *Iair*, Estheri patruus. Apud Iosephum verò Mardochæus ipse vocatur Estheris θεῖος, sicuti apud eundem libro 20. cap. 2. Herodes Chalcidis Rex dicitur Berenices ἀνεψιᾶς ἦ θεῖος. & libr. 1. belli Iudaici. & in Latino nostro textu cap. 8. *patruus*, ideoque erunt nomina hæc vel *pro patruele* accipienda, vel certè *pro eo, qui patris quasi vicem fungitur*. Sic enim pænè pater fuit Estheri Mardochæus, vti superiore quæstiuncula exposui, & eodem modo videntur interdum veteres patruorum vocè vsurpasse. vt apud Horatium: —— *patruæ verbera linguæ. Ne sis patruus mihi*. & apud Persium. *Cum sapimus patruos*. In Athanasij Latina synopsi dicitur, Estheris *cognatus* ea videlicet ratione, qua apud Gallos consobrini & patrueles, *cousin* appellantur. imò propter adoptionem, *patione*, qua apud Gallos consobrini & patrueles, *cousin* appellantur. imò propter adoptionem, *patrem*, & propter educationem, *alumnus, nutritius & magister*. *Accepit*, inquit Chaldæus, *eam in domum suam, & vocabat filiam*. & de ipsius moribus, etti multa toto hoc libello traduntur; breuiter tamen Chaldæus; *Vir*, ait, *pius erat, & orans ante Deum suum, pro populo suo*. Captiuus verò in aliena idem Chaldæus; *Vir*, ait, *pius erat, & orans ante Deum suum, pro populo suo*. Captiuus verò in aliena terra licet esset, honestum tamen in Assueri palatio locum tenebat. Nam versu 19. Mardochæus *manebat ad ianuam Regis*. Hoc verò tantum regij corporis custodibus & principibus, virisque honestiss-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nestissimus & amplissimis concessum erat, prout libro 3. ait Herodotus, & lib. 1. Anabaseos Xenophon, dum tradit, adolescentes eò etiam admitti solitos, vt omnem morum honestarem, & grauitatem perdiscerent; dum tales ibi viros conspicerent, quorum factis eruditi, & honoribus ad eandem virtutis viam excitari possent. vnde & à Caietano non malè *palatinus* indigitatus est. Chaldæus pænè Græcè & Germanicè hanc, *ad portam*. Mardochæi mansionem interpretatus est. *bithra* vel *bethyra*. quasi ἐν θύρᾳ, an der thür. Septuaginta cap. 5. & 6. ἐν αὐλῇ, *in aula*. Qui loquendi modus adhuc hodie in Turcicis rebus vsitatus. de quo Leonclauius Pandectæ capite 35.

QVÆSTIVNCVLA VII.

Cum quot virginibus adducta Esther?

MAGNVM earum fuisse numerum textus indicat, dum *ex omnibus prouinciis*, quæ 127. erant, adductas narrat. Vix enim tam infelix vlla, vnde tres aut quatuor non adducerentur. Vnde Iosephus, ex aliqua fortassis auditione aut lectione, *quadringentas* fuisse asserit. addo ego vetus illud; *& quod excurrit.*

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Vnde, & quò eadem adducta?

SI eidem Iosepho esset credendum; *Babylone Susam* adducta fuisset. sed explosum hoc suprà, cum Susis habitasse Mardochæum ostensum est, quem iste *cum Esthera*, vel etiam post, Susam ascendisse refert. Ideoque tantum, *è Susiana Mardochæi domo, in regiam domum* venisse dicendum. Erat verò *domus regia*, vt isto quidem cap. 2. traditur; *multiplex*. *Alia*, in qua Rex ipse habitabat: *alia*, in qua ipsius fœminæ, quam *gynæcona* Græci nominarunt, aut *gynæconitidem* apud Vitruuium lib. 1. cap. 10. & hæc rursum duplex; altera, in qua *virgines*, quam iidem *parthenona* dicunt; altera in qua *mulieres*. Et prior illa bipartita etiam fuit. Nam eius pars vna quasi *communis* erat; altera *melior* & salubritate, amœnitateque præstantior atque iucundior. Licet enim Latino in textu, partis huius causa erat, vt pulchritudo magis conseruaretur & augeretur, possuntque probari etiam hæc ex iis nio. Talia verò Turcici Sultani *serata*, de quibus Pandectes Turcicus cap. 14. In his enim mulierminuere tantum vellet Amurathes hodierni Sultani pater, quingêtas emiserit anno Domini 1575. vti scribit lib. 25 hist. Natalis Comes.

QVÆSTIVNCVLA IX.

Cui tradita?

HIS CE fœminis præesse solebant magnæ auctoritatis *Eunuchi*, vt ait Heliodorus lib. 9. Æthiop. Philostratus lib. 1. de Apollonio, Clemens Alexand. lib. 3. pædag. cap. 4. Lucianus in Eunucho; qui ab omni eas stupro vitioque diligentissimè custodirent, licet interdum ouium custodes, lupi comperti sint, vti à Cyrillo apud Suidam, verbo, ἰουδαΐζω, à Luciano loco citato, à Philostrato lib. 1. de vitis sophist. D. Ambrosio epist. 33. didicimus. Et hi quæ ad victum, amictum, & cultum muliebrem facerent, studiosissimè curabant omnia. Parthenont ergo præpositus erat versicul. 3. 8. & 15. *Egæus*, qui Hebraicè quandoque dicitur *Hege* vel *Hegea*, quandoque *Hegai* à Septuaginta Ἀγαί. Gynæconi alteri Eunuchus alter, *Schaaschgaz* siue *Susagazus* in Septuaginta Γαί. Esther verò fuit priori statim tradita versicul. 8.

QVINTA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA, DE ESTHERIS AD *regem Præparatione, capite 2. à versu 9.*

QVAESTIVNCVLA I.

Quamdiu præparata?

CONSVETVDO erat versicul. 12. vt collectæ istiusmodi virgines, antequam ad Regium thalamum admitterentur, annum integrum in Parthenone præparentur, ita vt eo respicere videatur

videatur illud Comici, *dum moliuntur. dum comuntur, annus est*. quod & de Sybariticis fœminis, antequam ad publica festa irent; memorat Athenæus lib. 12. cap. 6. Et in eo, præter voluptatem, aliqua etiam videtur honestatis cuiusdam habita ratio, ne partus fortè aliquis ex alio conceptus, Regi ascriberetur. Nescio tamen an non fuerint, quibus diuturnior ea in domo esset commoratio. Fieri enim potuit, vt virgunculæ aliquæ viro nondum maturæ adducerentur, quæ tantisper dum adolescerent; aliis, quæ vt ad Regem irent, aptæ iam erant; pediseque ministræque forent. Quod si probari posset; facilior nodi antè notati partic. 4. quæst. 4. esset enodatio. Video quidem versicul. 8. istiusmodi perdisse quas: sed quæ è Regis domo accersitæ sint. Cum tamen fœminarum, & ea ipsa, quæ virginum est; *Regia* etiam *domus* vocetur versicul. 8. in Hebræo, cur ea intelligi nequeat? & cur non potius quam altera? Quid enim facerent in regis propria domo istiusmodi puellæ? Regina præsertim cum nulla iam esset? Nam iis, quas Musurgyc dixerunt apud Athenæum libro 5. forsan exceptis, alias non inuenio, quæ honestè illic habitare possent. Cum verò in pueris, tantum vt ante Regis faciem starent; triennalis esset præparatio, Daniel. 1. quidni & vt eius thoro reciperentur, in virginibus? Si ergo fuisset, tertio Regis Assueri anno, hanc in domum ascita, & anno primum septimo, vt infrà dicemus, eidem nupsisset, tres in præparatione annos posuisset. Si verò sexto anno adducta fuisset, vnum tantum in præparatione annum habuisset. Videtur verò hic tantummodo præparationis annus in virginibus istis numerari, & in textu celebrari, quia is præ aliis omnibus necessarius & operosus. Sed quid, quod narratur versicul. 9. *mundum in ea muliebrem acceleratum? Duplex* esse queat *sententia. Vna*; non expectatum integrum annum in ea præcolenda & præparanda: sed festinantius, breuiorique tempore in ea factum, quod totos 12. menses in aliis fiebat. Et huic rei argumento est, quod versicul. 16. dicitur ad Regis cubiculum *mense decimo* adducta, quasi accelerationis causâ, menses duo adempti fuissent. *Altera* sententia est; cum per ætatulam, & aliquem fortè morem, expectandum cum ea adhuc fuisset, ne qui postremi huius anni proprius erat ornatus & præparatio ei adhiberetur, præfestinatum tamen, &, ob eximiam eius speciem & gratiam, tempus hoc mundi muliebris anticipatum: nullo tamen modo curtatum. Quæ enim ipsi gratia fieret, quod tamen in acceleratione ista spectatum textus significat, si consueti ornatus & concinnationes ei detraherentur? si minus, quam aliæ, vngeretur & poliretur? Si Regi postea minus fortè placuisset, in quo, præterquam in præpropetante, solemnesque vnctiones & ornatus detrahente, culpa hæsisset? Ad hanc præterea intelligentiam magnopere inuitat Hebraicus textus, cuius hæc sententia; *Et festinauit ad ipsi dandum ornamenta eius, & partes eius, & ad ipsi dandum septem puellas*. Dixisset alioquin; *Et festinauit in dando*. seu, *cum daret ornamenta*. De *mense decimo*, qui obuicitur, infrà explicabitur. Nunc illud attingendum.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quisnam ille, qui omnia hæc accelerauit?

SI Hebraicum textum attendas; cum Caietano, statues, Eunuchum fuisse, *Accepta est*, inquit, *Esther in domum Regis in manum, seu potestatem Hegæ custodientis fœminas, & placuit puella in oculis eius, & inuenit illa misericordiam coram eo, & accelerauit ornamenta eius, & partes eius, vt daret ipsi puellas*. Si Latinum; eandem ipsam accelerationem Regi tribues, quia versicul. 9. ait; *Et præcepit Eunucho, vt acceleraret mundum muliebrem*. Sed fortè fecit hoc vterque, Rex per Eunuchum, cum ab eo de eximia huius forma edoctus fuisset: Eunuchus per se quidem, ex Regis tamen imperio & voluntate.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quomodo præparata Esther?

QVATVOR *in rebus* virginum istarum ad Regem præparatio sita videtur. *Prima* versicul. 9. dicitur *mundus muliebris*, & Hebraicè hoc capite partim *merouk*, partim *thamrouk*, quod carnis sordes defricet, omniuoque abstergat, sicque mulieris corpus mundum politumque reddat, vt ait R. Dauid. quo ferè modo libro 34. Lunus; *Mundities ornatus, & cultus, hæc fœminarum insignia sunt: hæc gaudent & gloriantur. hunc mundum muliebrem appellauerunt maiores nostri*. Horum verò quæ corpus ita mundarent & expolirent *tria* versicul. 12. & 13. *genera* indicat. *Primum*, oleum myrrhinum; seu myrrheum, non myrrinum, aut murreum. cum Hebraicè hic sit *mor*, & G. æcè σμύρνινον. Est verò σμύρνη *myrrha*; μυρεών verò & quemadmodum suprà dixi; *hadas*, myrtus. Valet scilicet oleum myrrhæ, inquit Plinius lib. 13. c. 1. *& per se vnguentum facit sine oleo. facile duntaxat. Alioqui minimam amaritudinem affert.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quam obtentam, dicit Aruch, à Rabbinis vocari *stacten, depilatiuum vnguentum, quo vtuntur mulieres. Alterum Besamim*, Græcè ἀρώματα, & noster etiam, nisi quod postposuerit. quæ varia erant perodorifera & delicatissima vnguenta, quæ cum aliis ex rebus, tum verò ex Heliocallide conficiebantur. *Hæc* enim *cum adipe*, inquit Plinius lib. 24. cap. 17. *leonino decocta, addito croco, & palmeo vino persæmim* verò, suum ὄσμην odorãtur non malè Germanorum nonnulli. *Tertium*, Gr. σμύγματα, noster *fumenta*, Hebraicus generale illud *tnamruke* nomen retinet, vt plurimæ & nobilissimæ istiusmodi deliciarum species generatim comprehendantur.

Alterares versu 9. partium nomine denotatur. Gr. μερίς. Hebr. *manoth*. quibus omnia, quæ fœminis singulis constituta erant, quoad cibum, vt in adolescentulis Danielis 1. ad vestitum & cultum spectabant; continentur, vt specula, inaures, armillæ & alia, de quibus Isaiæ 3. quæ *mundus muliebris plus æquo studiosæ*, inquit lib. 12. cap. 1. Athenæus. Atque his rebus, certi quidam reditus constituti erant, vti 3. Regum dixi, & repetam 3. Machab. cap. 4. v 30.

Tertiares, erat locus quidam iucundior & splendidior. facit enim & is ad bonum corporis habitum, bonam valetudinem & spectem aliquid, prout à Medicis intelligi potest, περὶ τὸ ἰνσαρξίαν. Sed hoc non omnibus, verum iis tãtum puellis obtingebat, quas gratissimas habebat Eunuchus, quasque Regi maximè placituras sperabat.

Quarta demum, erant ancillulæ, de quibus suprà. Quas Latinus noster, dicit *speciosissimas*, vertunt alij, *conuenientes, dignas, spectabiles* quæ ob formam vel nobilitatem spectatu dignæ essent, & his ipse scilicet septem illorum Procerum vxores, honore aliquo afficerentur. Optimè verò Plautus; *Negotij*, ait, *quantum in mulere vna est: Quæ noctes, diesque, omni ætate, semper ornantur, lauantur, poliuntur.*

QVÆSTIVNCVLA IV.

Quando ad regem deducta Esther?

ANNO *Regni* septimo, Hebraicè & Latinè versicul. 16. *mense decimo, qui dicitur Thebeth*. Græcè, *mense duodecimo, qui Adar*. Quomodo illa cohærent? *Triplex Estheris* ad Regem *adductio* considerari potest. *Prima*, quando è Mardochæi domo, in regiam adducta est. de qua isto cap. 2. versicul. 8. & suprà quæst. 1. *Altera*, quando è regia mulierum domo, post consuetas præparationes in Regis cubiculum, vt cum ea, si libitum esset, consuesceret; adducta est. *Tertia*, quando sic ad eundem adducta est, vt Regina iam crearetur, solemnesque nuptiæ celebrarentur. De secunda igitur adductione loquitur Hebræus Latinusque textus. De tertia Græcus. sicque cum *Adar* anni esset mensis vltimus, nostro ferè Februario respondens, rectè statim sequebatur Ver, quo, vt suprà dixi, nuptiarum apud Persas celebritates maximè vigebant. Ipso enim Adar exeunte adducta est, ita, vt nuptiæ istæ in ver incurrerent. præsertim cum & regno toto festi, eam ob causam, dies peragerẽtur, vt infrà dicetur. Hanc verò textuum istorum consensionem clarè significat lib. 11. cap. 6. Iosephus, dum ait; Ἀφικομένης τῆς Ἐσθήρος πρὸς αὐτὸν ἐν ἄστει, καὶ πεσὼν τῆς κόρης εἰς ἔρωτα, νομίμως αὐτὴν ἀγάγεται γυναῖκα, καὶ γάμον αὐτῆς ποιεῖ τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ τοῦτον ἔτος τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἀδάρ καλούμενον. *Cum venisset ad Regem Esther, ipsa ille delectatus, eiusque amore captus, eam legitimè duxit vxorem, & nuptias cum ea peregit duodecimo mense septimi anni regni eius, qui mensis, Ader vocatur*, Cubiculum verò Regis in Latino dicitur ver. 16. quod in Hebræo est, *domus regni eius*, eo scilicet modo, quo Iudith 14. vers. 10. dicebatur *cubiculum virtutis Assyriorum*. Ex ista porrò consuetudine Saram, cum apud Pharaonem esset, Genes. 13. excusat quæstionibus in Genesin. D. Hieronymus. *Iuxta librum Hester*, ait, *quæcunque mulierum placuisset Regi apud veteres, sex mensibus vngebatur oleo myrtino, & sex mensibus in pigmentis variis et at, & curationibus fœminarum, & tunc demum ingrediebatur ad regem. atque ita potest fieri, vt Sarai, postquam placuerat Regi, dum per annum, eius ad Regem præparatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donauerit, & Pharao postea sit percussus à Domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu permanente.* Cæterum ordo de quo vers. 12. inter istas virgines, an à tempore quo præparationes suas absoluissent, an à Regis vocatu, aut Eunuchi voluntate penderit; mihi incertum.

QVAESTIVNCVLA V.

Quomodo eadem deducta?

SOLEBAT iis ad Regem iamiam adituris fieri potestas, vt quidquid formæ suæ magis ornandæ, venustandæque peterent, idipsum illicò acciperent v. 13. quo scilicet maiorem Regi voluptatem afferrent, & hoc iam summum à Rege beneficium acciperent, cum sit mulierum genus valdè φιλόκοσμον. & præsertim Persicarum. vt suprà dixi quæst. 3. Esther tamen, iis, quæ suapte sponte Præfectus dedisset, contenta, nihil omnino petiit versicul. 15. Deducta verò est per eos, qui κοιτοφύλακες dicebantur, quemadmodum vsitatum erat, Xenophonte auctore lib. 1. Anabaseos.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Quis deductionis huius exitus?

PRÆ virginibus aliis omnibus Regi placuit versicul. 17. quemadmodum videlicet modestissima & verecundissima Cyro minori Aspasia placuerat, vti loco citato scribit Xenophon. imò Esther multo quam Aspasia magis placuit, cum ad celsissimum regiæ dignitatis thronum euecta sit, & in Vasthi locum suffecta. Hinc enim nuptias cum ea inire Rex omnino decreuit. ibidem.

SEXTA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA, DE ESTHERÆ

Nuptiis, Cap. 2. v. 17. & sequent.

QVÆSTIVNCVLA I.

Potueritne Esther, ante nuptias, Assuero consuescere?

ISTÆ virgines, cum ad Regem venirent, eius vxores fiebant. sed minus solennes. vti sæpè alias, de toto isto concubinarum & pellicum genere, in Geneſi & Regum libris, admonui. Et cum ista vxorum multitudo Israelitis permissa tunc esset, multò hisce Barbaris magis. qui, pro libidine, multa intemperanter & iniquè, istis in matrimoniis, designabant. Satis tamen hoc est, vt absque peccato, ante solennes illas nuptias, potuerit ei Esther consuescere. itemq; postea in pellicum seu concubinarum eius numero manere si ad præcipuæ coniugis, reginæque locum ipsam non euexisset, vti etiam Caietanus innuit. Hinc in Artaxerxe notat Plutarchus, quandam similiter γυναῖκα declaratam, & Iosephus cap. 6. lib. 11. νόμιμον legitimam vxorem. An verò etiam fortè factum, vt cum mense decimo, ad Regem Esther venisset, eamque ipse vehementer adamare cœpisset, omnino hanc Reginam fieri decreuerit, & ideò ab ea tantisper, dum solennitas adhibita nuptiarum esset; abstinuerit?

QVÆSTIVNCVLA II.

Potueritne ipsa Israelitica Ethnico Regi nubere?

PROHIBET id quidem DEVS Deuter. 7. Esd. 1. cap. 9. & 10. vt ibi audiimus. sed præceptum istud primò restringi consuevit ad eos Ethnicos, qui in terra Chanaan habitabant: deinde, ad eos Iudæos, qui in terra promissionis habitabant: vti de priori refert Bellarminus lib. 1. de mat. cap. 23. de posteriori notat hoc ipso loco Caietanus. Causa tamen, quæ in Deuteronomio ei legi subdit, de posteriori notat Bellarminus lib. 1. de mat. cap. 23. Ea verò causa est, deprauationis, & à vera DEI religione discessionis periculum. Quod quidem, si præcisè & nudeque hominum infirmitates spectare velimus, & omnibus, & semper, & vbique impendit. Quis tutus sit, cum Salomon tutus non fuerit? Si tamen moralem quandam, ex quorundam aliorum, verbi causa, Iacob, & similium constantia, ex personarum etiam, quæ matrimonium ineunt; vtrute, temporum, rerumque occasionibus, libram adhibeamus, posse hoc interdum periculum abesse iudicabimus, sicque potuisse Assuero Estherem nubere, prout, citato loco, pluribus explicat Bellarminus. Si recusasset, stuprum ei fortè Rex adulter intulisset: neque dubito, quin Mardochæo DEVS magni alicuius pro tota gente boni spem aliquam iniecerit, vt non modo non repugnaret, sed coniugium etiam istud peroptaret. Alioqui dicit ipsa cap. 14. versicul. 15. *Nosti quia detestor cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ.* Sanè si Hebræas ducere vellent alienigenę, Iudæorum eos sacris initiari oportuisse non in Dina tantum, Genes. 34. sed in Herodis ēr sorore Salome apud Iosephum lib. 16. cap. 11. videmus. Imò & apud Euagrium lib. 6. ca. 20. Persarum Rex Chosroes anno Domini 593. cum in S. Sergij Martyris templum insigne donum, aureum discum mitteret, gratias illi agens, in eo inscribi curauit; *Cum Sira Christiana esset, & ego Gentilis, lex nostra non permittebat nobis potestatem, mulierem Christianam vxorem ducendi.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA III.

Quæ nuptiarum solennitas fuerit?

RITVS Persarum Regum nuptiis vsitatos proponit lib.15. Strabo, Arianus lib. 6. & Plutarchus in Artaxerxe. Ex isto tamen capite hi habentur. *Primus.* Imposuit Rex Estheris capiti *cidarim regni*, id est, regiam, seu vt noster v.17. *diadema regni*, itemque Iosephus & Septuaginta, nisi quod hi, τὸ διάδημα τὸ γυναικεῖον, *diadema fœmineum* siue *vxorium*, vt ab eo quod Regibus proprium erat distinguant. *Alter*, fecit eam pro Vasthi reginam. ideoque thronum & Eunuchos, & ancillas, & reditus, cæteraque omnia, quæ reginæ debebantur; attribuit. *Tertius*, conuiuium magnificentissimum suis Principibus & famulis, quos è Perside, Media, cæterisque sine dubio prouinciis inuitarat; dequefuerit, *Estheris conuiuium.* vt in Hebræo significatur vers. 18. loco verborum illorum; *pro coniunctione & nuptiis Esther.* Quamdiu verò durarit conuiuium; in Hebræo & Latino nulla significatio est, nisi, quod ex Persicorum Regum magnificentia, ex superiori illo conuiuio, & ex hodiernis Principum virorum nuptiis, coniecturam aliquam ducere liceat. Iosephus tamen totum mensem dixit, Septuaginta hebdomadam vnicam, seu *septem dies.* Quid si *septem menses*, vt prioris conuiuij magnificentia superaretur? cum alia hic etiam addantur, quæ antea non fuerunt, prout sequitur. *Quartus*, requiem prouinciis vniuersis fecit. Quod ad relationem ab inquisitione virginum, quæ inquisitionem, regnante iam Esthere, adhuc postea fateatur. Iosephus eô refert, vt festos ob nuptias dies populis esse voluerit, idque per angaros siue tabellarios, de quibus postea part. 2. quæst. 7. iis nunciarit. Septuaginta verò ἄφεσιν verterunt. quasi tributorum relexatio quædam eo tempore facta fuisset, quæ ab aliis ἀπολύσεις vocatur. Id enim lib. 5. Herodotus in Magis, & lib. 6. interdum fieri testatur, itemque apud Iustinum lib. 11. Alexander. *Quintus*, dona dedit, & vtrumque istud iuxta manum & potentiam regiam dedit. seu vt noster vers. 18. iuxta magnificentiam principalem; id est, principe dignam, principi tanto consentaneam, vt vers. 7.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Quid, quod in Hebraico additur, Et in colligendo vel congregando virgines secundò?

NOSTER Interpres vers. 19. cum sequente historia coniunxit: Hebræum tamen athnach, vt separetur, magis suadere videtur. sed cum à recentioribus Iudæorum Masoretis apponi hoc potuerit, de eo vtut sit; quid est, virgines *secundo* quæri aut congregari? Caietanus, vt dixi, putat regnante iam Esthere id factum; & intelligit similem superiori conquisitionem. sed addit; *Quorsum fuerit facta hæc congregatio virginum secundo, nulla historia mihi nota tradidit; nec scio diuinare.* Lyranus verò, Hugo & Carthusianus aiunt, Regem nuptias alias simulasse, vt, arte ista, Estheris genitrem & patriam, cuius cognoscendæ percupidus erat, disceret. At, nisi fallor, si valde rogasset, aut inquisitione dignum putasset, aut omnino in mentem id rogare ac inquirere venisset, artificio isto nihil opus fuisset. Quàm facilè, vnde, & à quo abducta fuisset, quisue hic esset explorare potuisset? Varablus, tempore nuptiarum Vasthi, vnam fuisse virginum congregationem tradit, hanc verò iam esse alteram. Satis probabile. Drusius verò congregationem priorem esse ait in domum virginum, posteriorem in domum pellicum; sed cui obsecro rei hæc iam esset narratio? Tam ex abrupto, & nulla occasione cur inculcaretur? Neque illa virginum esset congregatio; sed earum, quas iam Rex cognouisset, mulierum. Possemus multò facilius referre ad migrationem virginum ex ipsarum domus parte minus commoda & iucunda in partem illam meliorem & iucundiorem, de qua suprà, cum ibi verbum fuerit *schanah*, hîc sit *schenith.* Quia verò diuinationem hic necessariam fatetur Caietanus; dicam quod videtur. Istud ergo aduerbium *schenith* seu *secundo* iungendum arbitror non verbo *congregandi*, sed verbo quod antecesserat, *fecit conuiuium magnum.* quasi diceret; fecerat iam olim Assuetus epulum, splendidissimum, summaque Procerum frequentia, & rerum omnium affluentia, magnificentiaque celebertimum; ecce alterum iam nunc fecit *in virgines congregando*, id est, posteaquam virgines, vt suprà exposui; congregasset. Fuit enim hæc ei congregatio iucundissima, eamque ipse valdè faustam, felicem, & fortunatam duxit, è qua talem, tantamque Reginam nanciscì potuisset. Congrueret verò Latino textui hæc expositio bellissimè, si exemplaria essent à quibus hæ vincientes particulæ duæ abessent, *quod, &.* Hoc enim modo legeremus. *Et dedit requiem vniuersis prouinciis, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem, cum secundò quæ rerentur virgines & congregarentur.* Postea verò, vt in Hebræo sic; *Et Mardochæus manebat ad ianuam Regis.* Quibus antiqui suppetunt Codices, videant.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA. V.

Quando hæ nuptiæ celebratæ?

ANNO Regis Assueri septimo inchoatæ, sed octauo perfectæ sunt, vt patet ex particulæ 5. quæst. 4. & ex sextæ huius quæst. 3. Quo etiam pertinet, festo valdè apparatu, magnoque tubarum clangore sicuti olim, ita & nunc celebrari à Persis Veris principium, Solisque in Arietem ingressum, vti scribit Fernandus Castagneda lib. 6. rerum Indicarum cap. 46. qui & festiuitatem illam ab iis vocari ait *Neuruz*, id est, *nouus dies.* licet ea voce significetur etiam illud *quadriennium*, quo bissextilis annus concluditur.

QVÆSTIVNCVLA VI.

An in parthenone, & post nuptias, Israëlitarum, quoad cibos & similia, ritus seruarit Esther?

MARDOCHÆI præcepta omnia diligentissimè seruauit vers. 20. & in his illud vt patriam, populumque suum reticeret ver. 10. & 20. quod sanè in sermonibus cum virginibus aliis, cum Eunuchis, cum Rege, qui super hoc illo varia eam rogitarent, factu perdifficile videri poterat, quanto magis, quæ DEI ipsius erant ne violaret, omni cura studioq; perfecit? Ea propter *paternarum traditionum* minime *immemorem* tradit Sulpitius. Sed *totum hoc olet*, inquit Drusius, *glossam Iudaicam.* Cur quæso? Etiamne Iudaizat Sulpitius? An *traditionum* omnium tetrum adeo nomen? Quin potius olet, isto quidem tempore, Drusiana hæc oratio pulmonem hæreticum. Quomodo tamen fieri potuit, vt ciborum si delectum haberet, si aquis crebrius eluereturr, si id genus alia vsiraret, non notaretur? non, quod sua de prosapia verbis reticebat; factis eloqueretur? Daniel profectò, ne potu cibatuque regio polluueretur, leguminibus & aqua tantùm vti, idque ab Eunucho præposito, precibus impetrare debuit. An is tum necessitatis articulus, vt cum in DEI contemptum, ij tunc ritus non vitarentur, possent coram aliis omitti? An in Regis mensa, ea cibi, potionisque copia erat, vt si quid porcinum immundumve esset; non ederetur, è cæteris, quod satis foret; sumeretur? An cum virgo esset, posteaque Regina, se his & illis delectari dicere non poterat? Quid si & non dissimiles Persarum ritus? Libatum verò diis si quid esset, vt fuisse notat in Danielis cap. 1. Theodoretus; id ne gustaretur, cauerì qui potuit? cur & Daniel ex eadem regiæ mensæ copia, quod liceret; excerpere non potuisset? An delicias potius, lautitiasque omnes fugiebat? ideoque leguminum & aquæ simplicissimum victum requirebat? Vtut sit, duo certissima esse debent. *Vnum*, non violasse ipsam Esthetem Israëlis ritus. Ita enim ipsa infrà cap. 14. v. 16. 17. & 18. clarissimè. *Tu scis necessitatem meam, & quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium Regis: & non biberim vinum libaminum, & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, vsque in præsentem diem, nisi in te Domine* DEVS *Abraham.* *Alterum.* Sicuti ad malum ingeniosa hominum est peruersitas; ita etiam ad bonum virtus.

QVÆSTIVNCVLA VII.

An ex Esthere liberos procrearit Assuerus?

ISIDORVS Clarius libri huius initio ait; *Hebræorum communem esse sententiam*, Assuerum ex Esthere Darium Persam genuisse. nimirum quia Cambysem illum esse autumant. quod superioribus iam disputationibus conuulsum. Franciscus Maironis scripsit Holofernem esse huius filium. Sed nimirum, seipsum Etasmo præfatione in S. Augustinum, libro de Ciuit. deridendum propinauit. Brentius Xerxem. Reineccius verò duos filios eam scribit tom. 2. fol. 32. & 42. ex Artaxerxe Longimano genuisse Xerxem & Sogdianum. Vnde factum, vt regnum facilius capesserit Darius Nothus. Sed cum ostensum supra est, Assuerum istum neque esse Cambysen, neque Artaxerxem Longimanum, sed Ochum, sunt hæc omnia satis explosa. Ochus verò filiũ habuit ipse quidem Arsicam, qui ab aliis dicitur Arses vel Arsames, à Strabone sub finem lib. 15. Narses, & eius postea regnum tenuit. sed an ex Esthere, aut alia eum procrearit, & an alium ex Esthere vllum, nusquam legi. Curtius lib. 3. Damasco Alexandro prodita, fœminas plerasque captas refert, *inter quas*, ait, *tres fuere virgines, Ochi (qui ante Darium regnauerat.) filiæ, olim quidem ex fastigio paterno, rerum mutatione, detractæ, sed tum sortem earum crudelius aggrauante fortuna. In eodem grege vxor quoque eiusdem Ochi fuit.* Esthernè vel alia? Dici posset vtrumlibet, cum argumentis neutrum aut labefactari aut constabiliri possit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ESTHERIS

SEPTIMA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA:

De insidiis, Cap. 2. v. 21. & cap. 12.

QVÆSTIVNCVLA I.

Quæ insidiæ istæ?

VT *mitterent duo Eunuchi manu in Regem*, id est, eum *occiderent*, vt noster vertit & Septuaginta. Sed cum variis id modis fieri possit, adeò, vt qui lapidibus aliquem interficit, *manum* etiam in illum *mittere* dicatur apud Gorionem lib. 6. cap. 74. quis hic cogitatus interficiendi modus? Chaldæus Thargum ait; *venenum propinare*. quod & verisimile credit R. Salomon, cum essent à poculis Eunuchi. Gorion verò, *caput auferre*, vt ad Macedoniæ Regem, qui in Persarum Regem cõcitatus tunc erat, ferrent. prout scilicet Artaxerxem Mnemonem suo in lecto interficere voluerat Darius filius. apud Plutarchum Artaxerxe.

QVÆSTIVNCVLA II.

Isti Eunuchi qui?

NOMINATVR hodie in Hebraico textu, & Gorione, *Bigthan* & *Theres*, in nostro *Bagathan* & *Thares*. in Septuaginta c. 1. *Gabatha & Tharra*, in Iosepho Flauio *Bagathoes* & *Theodestes*, & dicuntur Hebraicè *custodes hasaph*. Significat verò *saph* interdum *vasa & supellectilem*, vt Zachariæ 12. interdum *limen*, vt 3. Reg. 14. Sophon. vers. 14. Ezechiel. 40. Hinc à R. Salomone putantur isti, vt paulò antè dicere memini, *à poculis* Regi fuisse, vasorumque *custodes*. à nostro *ianitores*, *& primo in palatij limine præsidentes*. & verius, cum Chaldæus hos etiam vocet *custodes palteraia*, id est, palatij, Iosephus ἀρχιμαγοφύλακας, Septuaginta cap. 1. πλὼ αὐλὼ φυλάσσοντας, quemadmodum lib. 3. Herodotus πυλωρούς. Non dissimilis in vertendo varietas est, 2. Reg. 22. & 23. vbi noster, *ianitores templi*, alij *custodes vasorum*. Eorum coniurationis participem fuisse Hamanem dicit Gorion lib. 2. cap. 2. sed de hoc posteà.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quæ insidiarum causa?

NVM. vt apud Herodotum lib. 3. Magi, tyrannidem appetebant? Num suis salariis & honoribus contenti non erant? Sunt qui asserunt ægrè ipsos tulisse, Vasthi repudiatam, eiq; ignotam Estherem surrogatam. Gorion significat eos Macedoniæ Regis gratiam inire voluisse. Septuaginta hoc loco, doluisse, quòd ipsis antelatus esset Mardochæus: & simile quid in Hierosolymitano Thargum est. Omnia profectò hæc concurrere, ambitiosasq; Eunuchorum mentes facibus veluti quibusdam inflammare potuerunt. vti rectè sensit Feuardentius.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Quando hæc facta insidiæ?

IAM erat Esther Regina vers. 22. ideoque anno Assueri octauo vel pòst. Quod ergo cap. 12. dicitur; *Morabatur autem eo tempore*, intelligendum sic, quod eo iam tempore cum ipsis morabatur; non tamen quod insidias, quæ statim subiunguntur, tum struxerint. In Græco vero cap. 1. dum, huius eiusdem commorationis occasione, per prolepsin, eæ insidiæ narrantur, non appositum est: eo tempore, sed simpliciter dictum, ἐν τῷ καιρῷ, id est, *quietum habuerit*, seu, vt Hebraicè hîc dicitur v. 19. *erat sedens*, aut *habitans in porta Regia*, quemadmodum etiam Actor. 18. dicitur Paulus Corinthi *sedisse* annum & sex menses. Wittakerus loco citato vult dici factas ea nocte, quæ Mardochæi somnium consecuta est, quod additum sit, τοῦ νυκτὸς. sed hoc ad somnij cognoscendi desiderium & curam attentiorem spectat, vti suprà dictum est. neque hæc ipsa particula in Latinis est. quæ tamen esse Græcis emendatiora sæpè iam vidimus.

QVÆSTIVNCVLA V.

Quomodo eadem cognita?

RABBI Salomon eos, coram Mardochæo, de hisce insidiis, *Tharsensi Sermone* allocutos ait, quasi eum is non intellexisset. At sermo Tharsensis quis? An Græcus? & eum vnde norat Mardochæus? Nam Eunuchi quidem non rarò Græci erant. sed Mardochæus in Perside natus, educatusque fuerat, vt suprà dictum part. 1. c. 4. q. 6. Quia tamen non desunt, qui vno in loco varias discant linguas, vnde ista Eunuchis confidentia, vt de tanti momenti re, tam securè, coram alio, agerent? Flauius Iosephus Eunuchorum alteri fuisse narrat famulum genere Iudæum, nomine *Barnabazum*, qui Mardochæo index fuerit. Is aliis dicitur *Pharnabazus*, cùm Macedones pro Φ dicant Β, vt Βίλιππος, Βαλὴς & Βοενίκη pro Φίλιππος, Φαλὴς & Φοενίκη, vti ab Plutarcho in Græcis problematibus, problem. 9. Eustathio Odyss. 2 docetur. In Septuaginta c. 1. duo significantur, primò ipsum audisse, dum cum iis verteretur: deinde ipsum, insitâ solertiâ, ex illorum dictis factisq; intima eorum consilia inuestigasse, certoque coniecisse. Sic & cap. 1. lib. 2. Gorion. *Cognouit*, ait, *machinationem duorum Eunuchorum Regis*.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Cur, ex Mardochæi nomine, Regi eadem insidiæ à Regina indicatæ?

MAXIMA referendæ gratiæ apud Persas Reges cura erat, quemadmodum & leges & facta ipsorum ostendunt. Hinc enim tam celebratum illud pomum Regi datum, & aqua manu hausta. hinc illæ, ii in periculis Rex à quoquam iuuaretur, voces. *Memento diei huius, ô Rex*, vt apud Plutarchum in Artax. vbi de Caunio & aliis plura. hinc ille, Syloson se Dario Hystaspis indicari tantum cupiebat εὐεργέτης apud Herodot. lib. 3. hinc, de Alcibiade, primus Regi significare aiebat Pharnabazus apud Diodorum lib. 14. de Oronte socios satrapas defectores, vt muneribus ornarentur, prodeate, de Tithrazo & Rheomitra idem Diodorus lib. 15. hinc deniq; proprius ille honor eogis beneuolentiam & munificentiam Mardochæo Esther conciliaret, eius nomine insidias istas pate: seu volente, iubente, vt habet Iosephus Flauius. Gorion, videtur accipere pro *iis, quæ Regi acciderant*. Posteà verò idem ipsum, magno cum Mardochæi fructu, relectum & compensatum c. 6. Quæ verò *Dierum* vocant & noster, *historias & annales*, Hebraicè dicuntur *liber verborum dierum* id est, rerum, quæ singulis diebus accidissent, insigniores, vt, librorum Regum initio, de Paralipomenis aiebam. in Græco est μνημόσυνον ἐν τῇ βασιλικῇ γενέσθαι τὴν εὐνοίας Μαρδοχαίου ἐν ὑπομνήμασι, *Monumentum in Regia Bibliotheca, ob Mardochæi beneuolentiam, cum laude, seu encomio*, & c. 6. γράμματα μνημοσύνων ἡμερῶν, *litteræ, quibus singulorum dierum memoria continetur*. Iosephus *Commentarios* vocat *rerum à prioribus Regibus, & ab ipso Assuero gestarum*. Omnia enim, quæ quot diebus acciderent, notabantur à *grammatistis*, de quibus Plutarchus in Themistocl. & infrà patet cap. 10. vers. 3. vbi similiter, *liber verborum Regum Medorum & Persarum*. Grammatistas illos videtur Plinius lib. 12. c. 15. *Regum scribas* vocare, de quibus infrà, parte 2. q. 7.

OCTAVA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA:

De Amanis exaltatione, & in Iudæos, ira.

CAPVT III.

1 POST hæc Rex Assuerus exaltauit Amanem filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: & posuit solium eius super omnes principes, quos habebat.

2 Cunctiq; serui regis qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua & adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator. solus Mardochæus non flectebat genu, neq; adorabat eum.

3 Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatij præsidebant: Cur præter ceteros non obseruas mandatum regis?

4 Cumq; hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nuntiauerunt Aman, scire cupientes vtrum perseueraret in sententia: Dixerat enim eis se esse Iudæum.

5 Quod cùm audisset Aman, & experimento probasset quod Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valdè.

6 Et pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas. Audierat enim quòd esset gentis Iudææ. magisq; voluit omnem Iudæorum, qui erant in regni Assueri, perdere nationem.

7 Mense primo (cuius vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici: & exiit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.

8 Dixitq; Aman regi Assuero: Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

& à semutuo separatus, nouis vtens legibus & cæremoniis, insuper et regis scita contemnens. Et optimè nosti quod non expediat regno tuo, vt insolescat per licentiam.

9 Si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.

10 Tulit ergo rex annulum, quo vtebatur de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum,

11 Dixitq; ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit: de populo age quod tibi placet.

12 Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertia decima die eiusdem mensis, & scriptum est, vt iusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & iudices prouinciarum, diuersarumq; gentium, vt quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum ex nomine regis Assueri, & literæ signatæ ipsius annulo.

13 Missæ sunt per cursores regis ad vniuersas prouincias vt occiderent atque delerent omnes Iudæos à puero vsque ad senem, paruulos & mulieres, vno die, hoc est, tertiodecimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent.

14 Summa autem epistolarum hæc fuit, vt omnes prouinciæ scirent, & pararent se ad prædictam diem.

15 Festinabant cursores, qui missi erant, regis imperium explere statimque in Susan pependit edictum, rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant, flentibus.

E Capite Decimotertio.

S. Hieronymus: *Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, vbi scriptum est in volumine.* Et diripuerunt bona, vel substantias eorum. *quæ in sola vulgata editione reperimus.*

1 Rex maximus Artaxerxes ab India vsque Aethiopiam, centum viginti septē prouinciarum principibus, & ducibus, qui eius imperio subiecti sunt, salutem.

2 Cum plurimis gentibus imperarem, & vniuersam orbem meæ ditioni subiugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subiectos, vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.

3 Quærente autem me à consiliariis meis quomodo posset hoc impleri, vnus qui sapientia & fide cæteros præcellebat, & erat post regem secundus, Aman nomine,

4 Iudicauit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui nouis vteretur legibus, & contra omnium gentium consuetudinem faciens, regum iussa contemneret, & vniuersarum concordiam nationum sua dissensione violaret.

5 Quod cum didicissemus, videntes vnam gentem rebellem aduersus omne hominum genus peruersis vti legibus, nostrumq; iussionibus contraire, & turbare subiectarum nobis prouinciarum pacem atque concordiam.

6 Iussimus vt quoscunque Aman, qui omnibus prouinciis præpositus est, & secundus à rege, & quem patris loco colimus, monstrauerit, cum coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullusq; eorum misereatur, quartadecima duodecimi mensis Adar anni præsentis.

7 Vt nefarij homines vno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbauerant.

Hucusque exemplar epistolæ.

QVAESTIVNCVLA I.

Quis Aman?

Qvem Græci, & hos secuti Latini, *Amanem* dicunt, eum Hebræi & Chaldæi cum aspiratione, *Hamaneu*, eique hoc rectè nomen datum, quod valet *conturbantem, tumultuantem, properantem*, &, si verum esset, quod Rabanus ait; *iniquitatem*. De ipso autem *opiniones ternæ* sunt. *Prima* Sulpitii esse Persam. *Secunda* esse Amalecitam. *Tertia* Macedonem, & hæ duæ posteriores potissimæ sunt. Nam *Secundam*, huius capitis initium affirmare videtur, cum *de stirpe Agag* fuisse ait. Notissimus enim iste Amalecitarum Rex ex lib. 1. Reg. cap. 15. eaque in sententia est Iosephus Flauius, & Gorion, Rupertus lib. 8. de vict. cap. 4. Lyranus, R. Salomon, Rabbini omnes, & Targum vterque. quorum alter cap. 5. ipsius etiam genealogiam ad Esau vsque deducit. *Ne tradas*, inquit, *Iacobi filios in manus Haman.*

Filij

Filij	I.	*Hamadathæ.*	Filij	XI.	*Harsom.*
	II.	*Adæ.*		XII.	*Segor.*
	III.	*Beznai.*		XIII.	*Negar.*
	IV.	*Aphalibas.*		XIV.	*Pharmaschta.*
	V.	*Diosos.*		XV.	*Vaizatha.*
	VI.	*Pheros.*		XVI.	*Agag.*
	VII.	*Hamidam.*		XVII.	*Samcar.*
	VIII.	*Thalion.*		XVIII.	*Amalec.* } Gen. 36. ver. 12.
	IX.	*Athenisama.*		XIX.	*Eliphaz.* }
	X.	*Haram.*		XX.	*Esau, illius improbi filij.*

Caietanus, *Cum* ait, *tam natio, quam patria Agagæa & nota sit gens ex occiso Rege Agag, hic sensus complectendus est.* & verò citra controuersiam vllam, eum complectitur in 2.2. q. 84. artic. 2. *Tertiam* verò sententiam magis probant Septuaginta cap. 9. & nostra versio cap. 16. v. 10. & 14. Quomodo verò si Macedo est, Amalecita esse potest, aut si Amalecita, quomodo Macedo? Tetigerat hanc lib. 1. c. 7. difficultatem Bellarminus. Sed quia ex ea sese subitò ad historiæ tempus contulit, nec eius explicationem adiunxit: putauit minimè candidus ille Wittakerus, contra posteriorum capitum auctoritatem hîc sibi triumphandum. Candidius agit, eiusdem licet hæreseos homo; Ioan. Druſius, vt supra etiam attuli; *Nescio*, ait fol. 93. *quam rectè hoc fiat ab hominibus eruditis, qui eos* (capitib. vltimis) *falsi crimen imponunt ex loco tam dubio ac controuerso.* Suas deinde difficultati explicandæ coniecturas impertit. quod & ipse, pro virili, iam faciam.

Ac *Primò*, ex eo quod dicitur capite isto 3. *ex stirpe Agag*, non efficitur eum esse Amalecitam. Nam *Primò* Hebraicè dicitur tantùm, *filius hammedatha haagagi vel haagagi*, quod nomen significat haagagæum, vel, vt cap. 8. vers. 3. *Agagitam*, qui esse potest, vel ex loco aliquo *Agag* nominato, vt ait Caietanus, vel *ex stirpe alicuius Agag*, quod quia Interpres noster accepit, sequamur licet. Sed *Secundò*, nos Septuaginta ab Agago illo abducere videntur, dum Βουγαῖον verterunt, & Latinus noster c. 12. v. 6. & Complutenses alicq; Græci, qui Γογαῖον vocant in Regiis Bibliis, & Vatablo. præsertim cum Numeror. 24. idem Agag ab iisdem Septuaginta *Gog* vocetur, à Græcis aliis *Psog*. Vnde fieri potuit *Gogæus* & *Psogæus*. Poni vero interdum b pro g. testis D. Hieronymus lib. de locis. vbi *Byblum* apud Ezechielem in Hebræo esse notat *Gobel*, vnde *Gyblius* effici potuisset. Rursumq; *Babriam* pro *Gabria* legi apud Suidam monet Adr. Iun. lib. de coma cap. 10. *Tertiò*, sit Agag; an solus ille Amalecitarum Rex, hoc sibi nomen ita vendicat, vt eo alius nullus affici possit? Quæ lex, quæ ratio id nominis pluribus commune esse vetet? Sicuti *Saul* non solus in Israëlis Regib. sed alij etiam Gen. 36. v. 37. *Zambri* 3. Reg. 16. Regis nomen est. At Ierem. 25. regionis Persidis, vt eo loco arbitratur Hieronymus. *Quarto*, sanè non dissimilia aliis in populis inueniuntur. *Gages* in Lycia est, vt ait lib. 5. c. 27. Plin. ibidemq; amnis *Gagis*, vnde *Gagates* lapis, vt ab eodem scribitur lib. 36. c. 19. Sicut apud eundem lib. 6. c. 7. populi *Agagammitæ*. *Quintò* quia opinari liceret *haagagi* vocari quasi *superbum, elatum & sublimem*. Nam gag, vnde per litteram, quæ sæpè initio apponi solet, diciturq; ab Hebræis *Heemantica*, fit Agag, tectum significat, & supremam domus partem Iudicum 9. 2. Reg. 2. Exod. 30. Deut. 22. Vnde *haagagi* dici potest, *qui in tecto est*, qui sublimis, & in summo veluti constitutus. eoque alludere videntur Hebræa, dum additur; *Rex sustulit eum, & posuit solium eius* super omnes principes, & cap. 4. Græc. ὑπερηφανος c. 13. *superbissimus*, & βαγαι est homo *magnus*, arrogans, telluris inutile pondus apud Eustathium Iliad. 1. Amalecitæ vox in textu nusquam. *Septimò* quin genealogia illa, quam è Thargumicis suprà posui, falsitatis opinionem satis arguit. Nam ab *Agag* vsq; ad Esau ascendendo generationes affert tantum quinq;, ab eodem fere ad Amanem descendendo, 16. & tamen si non plures, quod 3. Reg. c. 6 probaui, saltem non pauciores ab Esau nuptiis ad Samuelis tempora sunt anni, quam ab eodem Samuele ad Rabbinicum Assuerum Cambysem. *Octauo*, 1. Reg. 15. cum Agag Regem captum legimus, num filiorum eius vllum elapsum putemus?

Secundò, Macedo potius fuisse videtur. Primò, quia id non obscurè vel ambiguè, vt in Amalicitæ nomine fit, sed perspicuè, differteq; citatus locus asseuerat. *Secundò* quia & ipsius, & patris, & filij nomina, cum Macedonicis aptè congruunt, si, vti diuersis in linguis fit, & iam supra in Eunuchorum, sapientumq; nominibus vidimus; perexigua mutatio sit. Nam ab *Aman*, & *Amedatha*, seu, vt Iosephus vocat, ab *Amadano* quam longè abest Ἀνυπτᾶς ab *Aridatha* & *Aridai* cap. 9. *Aridæus? Tertiò* fuit in Macedonia vrbs dicta *Ægæ*. quæ eadem *Edessa*, vt ait lib. 7. Iustinus (an & *Magog*, vt ait Plin. lib. 5. c. 23.) Macedonici regni pæne principium & caput fuit. & *Ægeum* mare. Cur ab istis, *Haagagi* dici non potuit, seu *Agagæi*, vel, vt nostet, *ex eorum stirpe Agag*. ex eorum stirpe, qui *Agagi* dicebantur, ab Ægarum, vel Ægæi ponti dominatu? Et non valde abludunt Græca ἀγαῖ & ἀγαῖος. Βαγαῖος. *Forte ab illo*, inquit Druſius fol. 93. *Boge, quem Macedonem fuisse testatur lib. 3. Herodotus.* Sed hallucinatus videtur. Nam τὸν ἐξηγεῖσθαι vocat Herodotus, nō qui *ex Eione* ad Strymonem vrbe *ortus* esset, sed qui *inde subtractus*, seu *occisus*, cum antecedat, τῶν ἐξαιρεθέντων, & de istis rursum, ὁ δὲ βόγης ἦν ἐπιτήδειος. Inter hos verò Boges, qui *ex Masciane* erat; laudatur.

Tertiò fieri potuit, vt ab Amalecitis essent Macedones. Nam ob illatam à Saule cædem, potuerunt aliqui au-

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui aufugere vt ille 2. Reg. 1. hasque in partes venire, suique ob Regis memoriam & gentis, aliqua statuere. Inter Israelitarum hostes nonnè, *cum habitantibus Tyrum*, *Amalech* recensetur Psalm. 82. Fieri ergo potuit, vt fugerent Amalecitarum aliqui Tyrum: eorumque posteri, Tyro à Nabuchodonosore capta, in istas Græciæ oras deuenirent. Ait enim lib. 5. in Isaiam cap. 23. D. Hieronymus. *Legimus in Assyriorum historiis, obsessos Tyrios, post quam euadendi nullam spem videbant, fugisse Carthaginem, & ad alias Ionij Ægæiq; maris insulas.* Certè qui Macedonici regni primordia narrando persequuntur, Iustinus loco citato, & Diodorus lib. 1. cap. 2. tradunt primò fuisse Argis peregrinos quosdam & aduenas: hos venisse in Macedoniam, & quidem, Cranao quodam duce, Ægas. Deinde, vnde *Ægarum* nomen? nùm à fabula de capris viam Cranao illi præeuntibus? vnde *Ægei* maris? num à simili aut fabula aut scopulo? vnde *Magog?* vnde *Edessa*, quæ in Syria potius, & orientem versus, nominantur? Putat quidem Stephanus à Macedonica Syriacam Edessam vocitatam. quod crederem, si post Alexandri tempora, primùm hæc nominatio extitisset, vel, si Edessa, verè aquarum, vt ille ait, irrigationem Græcè significaret. Cur non ab *Agag?* cur non à simili pascendorum caprarum & ouium opportunitate, quæ in patria olim fuerat 1. Reg. 15. Accedit & aliqua nominis cognatio, præsertim si Amalecites & Macetes considerentur. Fuisse verò Macedonas quondam Macetas nuncupatos testatur Heraclides apud Stephanum, Eustathius Iliæ. ξ. Hesychius. Gellius lib. 9. cap. 3. *Philippus*, ait, *Macetæ Rex*, Ausonius de Antiochia & Alexandria, *Macetumq; aut tollite nomen.* & l. 2. Achilleidos Statius —— *Didici quo Pæones arma rotatu. Quo Macetæ suo gesa citent.* & solitos Macedones pro τ libenter δ ponere simulq; literarum hypertheſin adhibere, monet magnum Erymologicum in ἴελδω pro ἴθλω & ἰλδω pro ἴλαω. Fuit tamen in Peræa, Galaatide scilicet trans Iordanem regione vrbs magna & munita quæ Machab. 5. vers. 26. in Latino *Mageth* vocatur, sed in Græco *Maced.*

Quartò, fieri potuit vt è Macedonia pater eius, qui ex eius maioribus solus hîc memoratur. vel *aliorum quispiam in Persidem venerit, sicq;* in Perside, vel ex Persica matre natus. *Persa etiam diceretur.* Id similibus exemplis intelligi potest. Miltiadis filius Metiochus Persicam vxorem duxit: *eiusq; filij Persæ habiti sunt*, inquit Herod. lib. 5. Pæones, Darij Hystaspis tempore, à Magabyzo vt apud Herodotum ibidem est, transportati, & cum in Macedoniam veniret Mardonius, magna eius pars iam Persis subdebatur. ibidem. Contra vero Bubaces Persa, Macedoniæ Regis Amyntæ filiam *Gigaam* duxit, ex eaque Amyntam habuit apud Herod. lib. 8. De Themistocle, Democede, Syloſonte, aliisque ad Persarum Reges venientibus, non constat?

Ad summam; *dici potest Aman & Persa, & Amalecites & Macedo*, diuersa ratione & causa, prout indicatum: *simpliciter* tamen *Macedonem fuisse censeo.* Possent quidem vocari Amalecitæ Macedones, prout Syriæ regnum, quandoque *Macedonicum* vocatur à Gorionide lib. 2. cap. 3. lib. 3. cap. 1. 19. 20. sed cœpit hoc tum primò, cùm Alexandri successores Syriam tenuerunt. neque verisimile est, de id genus Macedonibus, Regem Assuerum locutum, cum de transferendo ad hos regno nulla esset tum suspicio, nullum periculum. nisi fortè dicat quis, quia ex Amalecitarum gête prodiissent, vt dixi, Macedones, dictum ab Assuero, *illum & animo & gente Macedonem esse*: velèque *ad Macedonas regnum transferre*, vel veros illos *Europæos*, vel hos *Asiaticos* illorum parentes; præsertim cum, illo fere tempore, turbatum aliquid in Syria esset, vt, ex Sidoniorum clade ab Ocho isto postmodum facta, patet: vel generatim *ad Macedones quoscunq;*, id est, *Persarum hostes*, quemadmodum in odiosis causis, hostilis gentis nomine quandoque afficiuntur, qui quoquo modo ad illos accedunt, vel iis similia moliuntur. prout hodie dicitur Hispanis, aut Gallis, aut Hollandis fauere, esseq; animo & gente Hispanus, aut Gallus, aut Hollandus, etiamsi è cognata tantum gente sit, aut certè, non ex ea, cui propriè nocere velle videtur is ipse, qui sic loquitur.

QVAESTIVNCVLA II.

Quomodo & cur exaltatus?

OMNIBVS Persarum Medorumque Principibus antepositus, vt in Genesi Iosephus, quod *soli supra cæterorum omnium solia collocati phrasis.* vult. Capite 3. & 4. dicitur, *à Rege secundus.* cap. 16. *Regis Pater.* eo modo quo in Machabæis, explicabo Patris nomen hoc. Alioquin etiam omnes, qui Persarum Regi propiores, *eius cognati*, honoris ergo, vocabantur. Qui porrò summam istam eo in regno, bellis præsertim Parthicis, dignitatem adeptus erat, proprio gentis vocabulo, *Surena* nuncupabatur, vt ex Plutarcho in Crasso, Strabone lib. 16. Ammiano lib. 24. & 30. intelligere Suidas potuit. Cur eâ insignitus dignitate fuerit, ea cap. 13. vers. 3. causa traditur, quòd sapientia & fide cæteros præcelleret. Talis enim putabatur. Præclarè fuit hoc à Cyro institutum, vt ex meturis, apud Persas, honorum esset distributio, Xenophonte teste lib. 8.

ALTE-

ALTERA LIBRI PARS, DE IVDAEORVM PERIculo cap. 3. vers. 2.

QVAESTIVNCVLA I.

Quod Iudæis periculum?

VT eorum, omnibus in prouinciis, fortunæ omnes diriperentur: & tota insuper gens funditus deleretur. *Iam timebat*, vt indicat Rupertus lib. 8. de vict. cap. 7. partum, qui ex ea gente nasciturus erat: dolebat esse gentem, quę verum adhuc DEVM coleret; qui ex idololatris nonnullos eodem quandoque adduceret: gaudebat ipso Amanis facinore iucundissimamque, è tantâ innocentium strage, victimam sperabat.

QVAESTIVNCVLA II.

Cur Iudæis tam infestus Aman?

IOsephus Flauius, Gorionides, Rabbini, Rupertus. & omnes, qui ex Regis Agag stirpe fatum volunt in Antiquum Amalecitarum. contra Iudæos, & eos maximè, qui è Beniaminia tribu, è Saulis prosapia essent, odium, causam conferunt: addunt que semper Amalecitarum, in Iudæos istos, maleuolentiæ simultatisque oculos coniectos fuisse. Sed ista sententia, superiore disputatione labefactata non parum. deinde ignotum erat Mardochæi Estheræque genus, antequam & ille, & ista indicarêt ca. 2. vers. 10. & 20. cap. 3. vers. 4. c. 7. vers. 4. cap. 8. vers. 1. Si enim cognitum ante fuisset, quomodo in Reginæ populum ista machinari ausus Aman fuisset? quomodo, cum apertè machinationem illam suam prodidisset, ipsumque ad opus deducere adlaboraret, de Reginæ sibi beneuolentia & consuetudine tantum pollicitus esset? cap. 5. vers. 12. quomodo dubitabundi dixissent sapientes & vxor eius cap. 6. ver. 13. *si de semine Iudæorum est Mardochæus?* quomodo Iudæam Reginam apud Regem non calamniari, quin & ipsam venerari potuisset? Quomodo denique eum Mardochæus, ne ad honoratiorem illum eueheretur, per Estherem Reginam impedire conatus non fuisset? *Iu* ergo, quas texus dat; *causis contenti simus.* Vna est cap. 11. vers. 6. & Græce ca. 1. quod ægrè ferebat. Eunuchorum de quibus supra, insidias patefactas fuisse. *Altera*, quod indignabatur adorationem à Mardochæo sibi negari hoc ca. 3. vers. 5. Iqd vt insidiatores detectos ægrè ferret causa quæ? Gorion lib. 2. c. 2. eius consiliarios fuisse ait. & fieri potuit, vt Eunuchi cum essent, è Macedonia etiam fuerint, Macedonisque rebus studuerint: Aman tamen ab omni coniurationis suspicione sese alienum adeò Regi probarit. vt, tali in occasione, fidelis valdè iudicatus sit, & honore idcirco auctus. De adoratione plus quiddam dicendum.

QVÆSTIVNCVLA III.

An à Mardochæo rectè Amani adoratio negata?

ADORATIO hæc aut ciuilis erat, vrbanitatisque & honorationis symbolum aut religiosa. Si *ciuilis*, cum eam Mardochæus negauit? cum adorant Hethæos Abraham Genes. 23. Iosephum fratres Gen. 43. Dauidem Prophetæ Nathan 3. Reg. 2. alios alij, vt in Iudith expositum, cap. 13. q. 3. præsertim cum iuberet Rex vers. 2. vt meritò ei cap. 3. vers. 3. dicerent; *cur præter cæteros, non obseruas mandatum Regis? Si religiosa*; quænam verò illa? Latricane an dulica? *Latriam* rectè homini recusasset. at à Rege hanc imperatam, ab Amane postulatam quis credat? *Dulicam*, facti nihil cum esset Aman; potuit etiam ei non dare Mardochæus. *Ciuilis* ergò tantum esse cum videatur, an non imprudens Mardochæus, qui, alieno in regno, gentis illius moribus & Regis legibus, ea in re, quæ contra DEVM & officium non erat, obtemperare noluerit? *Reuereri oportet, quos reuereatur Imperator*; etsi erret, aiebat veterum quispiam. Non superbus & contumax nimium, qui toties monitus, ipsum totamque suam gentem grauissimum in discrimen concitare maluerit? Quid? Regem ipsum, Persarum more, non adorabat? si verò istum, cur non & eum, quem ille tulisset? quem, inter se vnum, esse voluisset? Ne quem verò imperitiorem *adorationis vox* moretur, in Hebræo præter illam, est alia, quę *genu* aut *corpus inflectere & assurgere* significat. Cur vel hunc saltem summe illius potestati non habere honorem abnuit? Disputatum de isto Mardochæi facto ab eruditissimis hominibus iam & pridem. neq; tamen vnam adhuc in sententiam rem. Caietanus 2. 2. q. 84. a. 1. *An prudenter*. ait, *In hoc egerit Mardochæus, alia quæstio est, ex particularibus tum occurrentibus pensanda.* Duulius fol. 115. & in laude & in vitio, quod non assim exerit; ponit posse retur. An scriptura nonne Mardochæi factū & consultam approbat? nonne Iosephus? Nonne hominis virtus & sapientia de eo secus sentire prohibent? Alij ergo, quos viderim, omnes, *rectè Mardochæum fecisse* tuentur. benè tamen facti causas afferunt varij varias. Chaldęus, Abenezra, Thalmudici fuisse in Amanis veste DEORVM imagines, di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctirant, quibus honorem Mardochæus etiamsi aliud animo sit ecta sset, fecisse videretur. Si moris huius vestigium aliquod inueniretur: haberet perdifficilis quæstio facilem admodum explicatum Et verò vestes Regum istorum pictas & belluatas (Sic enim τὰς ζωωτὰς apud Pollucem lib. 7. cap. 13. interpretari licet) comperio in Halicarnasseo lib. 3. Philostrato lib. 2. Imag. cap. de Themistocle, & idcircò fortassis à Martiale, *picti Reges* vocantur. In Darij veste accipitres quosdam conuoiasse atq; concurrisse refert Curtius lib. 3. & si Pierio Hieroglyphico credimus; inscriptum erat; ὁ νικῶν τάντα. Quodq; in Apocalypsi legimus cap. 19. *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum, rex Regum, & dominus dominantiũ*, an non simile quiddam habet? Burgensis in additione 1. & 3. capitis huius tertij & Caietanus hoc loco, debuisse aiunt, Iudæos odio acerbo esse in Amalecitas, ex Domini præcepto Deuteronomij cap. 25. At isti semper eo reuertũtur, vnde iam semel & iterum depulsi sunt; certum scilicet esse, Amalecitam fuisse Amanem. deinde parum animum ad prolatę legis verba, multò minus ad sententiam aduertunt. *Cum*, ait, *Dominus Deus tuus dederit tibi requiem.* Num Israelitis in captiuitate requies iam erat? *& subiecerit cunctas per circuitum nationes.* At nationibus subiecti ipsi iã erant, *in terra quam tibi pollicitus est.* Ex ea vero abducti iã ipsi & exturbati erant; *delebis nomen eius* (Amalec) Iudæis omnibus positam legem, videtur aliam Beniamitarum & Saulicę domus propriam insinuasse, dum διὰ σοῦ ἴδιον κρίνεσθαι αὐτὸν νόμον noluisse hominem venerari ait, nisi domesticam legẽ paulò latius pandat, ad totam Israelitarum gentem, & de ea lege, de qua iam agitur, intelligat. Sunt igitur ruisse Mardochæum. Ita D. Thomas 2. 2. q. 84. a. 1. ad. 1. & Lyranus, qui & Hebræorum hanc esse mẽtem asserit, ex causa forte superùs allata.

Quia tamen, vt id credant, adduci difficulter, nonnullos video; paulò erit *diligentius confirmandum. Primo* sit loco, ea quam ipse affert; causa cap. 3. vers. 4. *quod* scilicet *Iudæus esset.* At Iudæis, non aut ipsos tanquam DEOS quosdam venerari prohibemur. Caietanus in D. Thomam, loco iudicato, credit vtroque genu flexo Iudæos politicam nulli venerationem facere potuisse. At probare non potest. Licet enim DEO vtrumque ipsos flexisse, necessaria ex 3. Reg. cap. 8. addicat, item q; in Matthęi ca. 6. Maldonatus, in aliorum tamen honorem genu vtrumque flectere non licuisse, vntis ex octaua Synodo perspicuum. Et ne hominibus nimium nos tribuere dicant, qui, nostrum in cœlites cultum, nimium semper clamitant; nonne & idem ipsi faciunt? Nonne, vel in mediis plateis, prętereuntem Reginam genibus nixi Angli venerantur? Nonne Tubingensis Theologus Gerlachius, se vultu cernuo, Turcici Sultani fimbriam osculatum refert? Nec dubito, quin ambobus inflexis genibus, rectè, ante Dauidem Regem Thecuitis, ante Salomonem meretrices, à quibus dã pingantur, licet amplius de illa quiddam scriptum sit 2. Reg. c. 14. v. 4. *pronam in terram, coràm Dauide, cecidisse*, vti cap. 9. lib. 8. de Vict. obseruat Rupertus. Aliud igitur fuit, quod respueret Mardochæus, quia Iudæus erat; hominis scilicet quasi DEVS is aliquis foret; adorationem. *Secundo*, Nihil argumentatione hic opus. Ipsemet clarè & omnia pænè quæ contra superius differebantur; pernegat, & hanc ipsam, quam dixi causam asseuerat cap. 13. vers. 12. 13. 14. Græcè cap. 4. *Cuncta, ô DEVS*, inquit, *nostra & tua, quia non pro superbia & contumelia & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum (Libenter enim pro salute Israel, etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem) sed timui ne honorem DEI mei transferrem ad homines. & ne quempiam adorarem, excepto DEO meo.* Cui hæc agnoscunt; ijs verbis clarissimè quod iam probandum, probatum iri, si quidem ea essent authentica. Sed authentica esse, fuit suprà probatum proleg. 4. *Tertio* tamen, diuinos, tanquam diis quibusiam suis Ethnici scriptores tot & tales astruunt, nullus vt dubitationi locus esse possit. Isocrates in de Ira cap. 17. Lucianus Nouigio & Nigrino, Lampridius in Alexandro Seuero, Herodianus lib. 1. Trebellius Pollio in Zenobia, Arrianus lib. 4. Martial. lib. 10. Epigr. 22. Curtius lib. 5. & 8. apud quem Cleo Siculus, *Persæ*, ait, *non pie solùm, sed etiam prudenter, Reges suos inter Deos coluere. Maiestatem enim imperij salutis esse tutelam*, ideoque & subdit, se metipsum, cùm Rex inisset conuiuium, *prostraturum humi corpus.* Pacatus in Panegyrico ad Theodosium, *Rex*, ait, *fidũ dedignatus antea confiteri hominem, tam fatetur timorem.* Et Panegyricus Maximiano Diocletiano q; dictus; *Rex ille Persarum, numquam se antè dignatus hominem confiteri, fratrem tuo supplicat.* Sed & Sulpitius in hac historia, Athanasij Synopsis, Socrates lib. 7. cap. 8. Rupertus lib. 8. de vict. cap. 6. & 8. Verba eius sunt, *Stulta exaltatio, iubere hominem adorari, quasi soli debetur DEO. Regibus tamen Persarum de more, fiebat adoratio, quod superbiæ regiæ Persicum exemplũ imitatus Alexander Magnus, aliquãdiu quidẽ fustulit, sed tandẽ vbi inuictã se superasse existimauit, non salutari, sed adorari se iussit.* Sic apud Herodotũ lib. 8. & Plutarchum in Artaxerxe, *Regis*, etiã *fortunã adorãi* Persæ. Cũ Xerxes è Græcia fugeret, grauique tempestate iactaretur, cum *adorabant*, & vt leuaretur nauis, in mari sese præcipites dabant. Qui Magos interse cerant sex optimates, Darium Regem statim adorarunt apud Herodotum lib. 3. & Valerium lib. 7. cap. 3. Et huc videtur Esther aspicere infrà cap. 14. vers. 10. *carnalem Regem prædicari* dicens. Græcè ἐκώμια δίχυμα εἰς ἀέρα. Quin & Ezechiel cap. 28. *Eo quod elevatum est cor tuum & dixisti* DEVS *ego sum* Iudith cap. 4. 5. 6. fol. 168. & sequentibus; D. Augustinus lib. 1. contra aduersus legis cap. 18.

Obiici tamen queant nonnulla. *Primum* Si sibi diuinos Rex honores volebat, ipsi Amani, quem sibi non æqualem, sed secundum fecisset; minores volebat. *Respondeo*, fuisse in Gentilium superstitione, maiores minoresque Deos, ita vt & Regi & Surenæ dispar quidem veneratio esse potuerit, illi quidem tanquam numini maiori, huic tanquam minori, vtraque tamen diuina. *Secundum*. Artabanus apud Plutarchum in Themistocle; cùm de diuersarum legum diuersis in regionibus bonitate dixisset, eò tandem venit, vt dicat Persas Regem adorare, sed tanquam DEI omnia conseruantis imaginem. ἀγαπᾶν αὐτὸν εἰκόνα θεοῦ τὰ πάντα σώζοντος. At hoc nonne liceat? Nonne nobis etiam in scripturis, qui regnant & imperant; *Dij* vocantur? Ioan. 10. vers. 34. Psalm. 81. vers. 6. Nonne DEI ipsius honor est, si propter ipsum, & ob ipsum, eius imago in precio & cultu sit? *Respondeo* ita istos Regem DEI imaginem censuisse, vt simul etiam DEVM censerent, diuinoque cultu prosequendum, quemadmodum tam multis ostensum est. Et fieri potuit, vt vnus quispiam Artabanus, &, si qui eius fortè similes, sapientiores, ita Persarum superstitiosum in Regum suorum adoratione morem interpretarentur: interim tamen cæteri omnes, numen iis inesse, summisque, qui DEO debentur; honoribus dignandos arbitrarentur. quemadmodum philosophorum nonnullos apud Ciceronem lib. 2. de natura Deorum, Augustinum epist. 43. & alibi. apud Lactantium lib. diuin. Inst. videmus, quàm mollissimè Deorum suorum nomina, facta, cæteraq; ineptias omnes explicare. Longè tamen aliorum omnium alia erat opinio. Vnde & sic Mardochæi factum accipere licuerit, quod etiamsi à prudentioribus nonnullis, non vt DEVS Aman haberetur, quia tamen à plurimis, & vulgo, tanquam minorum saltem gentium DEVS aliquis coleretur, non potuisse nec debuisse hanc illi venerationem impertiri. Quid, quod adeò indigna & abiecta Regum adoratio hęc, iis etiam populis, qui Deorum multitudinem colerent, visa est, vt, cùm etiam Regum illorum beneuolentia & auxilio indigerent, illam penitus tamen respuerent & detestarentur? De *Themistocle* narrat Plutarchus loco citato, de Conone Iustinus lib. 6. & Æmylius Probus. de Theagene Heliodorus lib. 7. Æthiop. de Callisthene Valerius lib. 7. cap. 2. Plutarchus, Laertius lib. 8. Arrianus lib. 4. Curtius lib. 8. & Rupertus libro sæpius nominato cap. 6. adeò vt, eam ob causam, acerbissimam durissimo cum cruciatu mortem oppetierit. D. Thomas in 1. cap. lib. 1. Machabæorum, *Alexander quendam philosophum condiscipulum Aristotelis, quia ipsum, tanquam* DEVM, *adorare nolait, interfecit.* A suis verò punitus est, quod, vt adorationem illam subiret, induci sese passus esset, *Timagoras* Atheniensis apud Valerium lib. 6. c. 3. Athenæum li. 6. vbi tamen Euagoras nominat. *Ificratem* apud Plutarchum Artax. & *Pelopidas* apud Ælianum lib. 1. variarum histor. cap. 21. annulum sibi exciderе fuerunt, vt eum illi colligerent, Regemque interim non adorarent quidem, sed adorare viderentur. Lacedæmonij verò, quibus, vt in Machabęis probo; maior cum Iudæis cognatio, *Sperchius & Bulis*, etiamsi captiui essent, etiamsi eorum in terram vi capita truderentur, vt regiam tamen adorationem profiterentur; cogi nunquam potuerunt, quemadmodum scripsit lib. 7. Herodotus Orig. lib. 8. contra Celsum: Lacedæmoniorum Legati Persarum Regem, licet vehementer vrgentibus satellitibus, adorare noluerunt, timentes vnicum suum Dominum, Lycurgi Legem scilicet. Quomodo igitur faceret Iudæus, & Iudæus talis, qui vnius veri Dei, non callam & manem ore professionem, sed veram ac solidam, vita factisque ipsis, edere consuesset? Dicebat Martialis loco citato.

Dicturus dominum Deumque non sum.
Ad Parthos procul ite pileatos
Et turpes humilesque, supplicesque,
Pictorum sola ballista Regum.

Quid Mardochęus? Ad morem videlicet, qui postremis hisce verbis innuitur; cogitatione animoq; conuersus; *libenter*, ait, cap. 13. vers. 13. *pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem*; si hoc se tantum ageretur; sed quia exigitur, vt DEI honor homini tribuatur, non adoro Amanem, inquit, ne diuina quæ sunt, hominibus deferam. Solũ DEVM adorare didici. Cùm non ei flecto genua. Timeo ne diuina quæ sunt, hominibus deferam. Solũ DEVM adorare didici. Cùm tamen ei flecto genua (nam hoc fortè dicet aliquis) vt ad Regis colloquiũ nemo, nisi qui eũ adoraffet, admitteretur, prout è laudatis auctoribus manifestũ; quid Amanis dignitatẽ fortitus fecit Mardochæus? quid ipsa Esther? Quid Esdras, Nehemias, alique tot & tam sancti Iudæi? An vbi religionẽ suam, Deũq; sui legẽ Regi aperuerũt; primilegio donati sunt? valde id apparet ex cap. 16. vers. 16. Sed antequam aperiret Esther, quid agebat? An modus, tempusq; aliquod certum adorãdi, quod neq; omnibus, neq; semper imponeretur? Sanè cap. 8. vers. 4. ad Regis pedes accidit, eiq; supplicat. An inter Iudæos opinio diuersa fuit, vt crederent alij adorationẽ Persicam tanquam crimẽ licere, alij nefarent: & illi casto animo eam deferrent, isti magno & constanti re cusarent? Et vtrumq; fieri recte potuit. cùm è diuersarum rerũ intuitu tota moralium actionũ bonitas aut malitia immutari soleat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanè verò si vel imprudenter, vel non necessariò, & sua quadam animi propria inductione istud egisset Mardochæus, nunquam tam moderatè tantum periculorum Iudæi tulissent: ipsum Mardochæum mille lapidibus obruissent, aut ipsi Amano pessimè cruciandum & mactandum, vinculis onustum, multò magis quàm eorum Patres Samsonem, dedissent.

QVÆSTIVNCVLA IIII.

De sorte missa:

AMANIS furor omnem quærendi ordinem perturbat. Nondum, an interficiendi essent, Regis auctoritate, Iudæi, norat, & iam tempus idipsum agèdi quærebat. Quam re eius stultitiam notat cap. 10. & 11. Rupertus. Fortè sortes de priore quæstione si missent, audissent iis manus ne quaquâ iniiciendas, quemadmodum de Valerio Proculo narrat Cæsar. Sortis nomen *pur* aut *phur*, non Hebraicum est, sed, vt plerique omnes dicunt, Persicum, vel propriè Susianum, cùm Persicum sit *goural*. Vnde & corrigenda illa in libris quibusdam Φερεχύδου cap. 9. & Φερεκλῆ cum prius illud ρ delendum sit. Fuit autem κληρομαντεία siue sortitio varia; sortium scilicet iactu, eductu aliisve modis. & eæ vel *in hydriam* coniiciebantur Verrina 4. *in galeam* Iliad. γ. *in situlam*, Plauti Cassina, *in sinum* Prouerb. 16. v. 33. pro quibus omnibus generatim dicit Interpres nostri *in situlam*, modum scilicet sortitionis vnum vsitatissimum, licet in Hebræo non sit, exprimendo. *Modus* verò sortium videtur in eodem Hebræo textu hucinnui, vt *primo* quæsitum sit de mensium diebus, an die primo, & secundo, vel deinceps: *postea* de mensibus, an secundo, tertio, quarto & deinceps. fuitque indicatus mensis duodecimus, & eius dies decimustertius. Tantum verò temporis, cur ante cædem concedi voluerit sortium omnium dominus, pulchrè cap. 12. Rupertus. Vndecim siquidem menses interponebantur. Et mirum est, non timuisse ne aufugerent Iudæi: ne arma caperent; ne desperatis animis omnia perderent: ne qui in Iudæam reuerterant, & Hierosolymam iam excitarant, vicinas gentes accenderent: Ægyptiis rebellantibus, & Sidoniis noua molientibus sese coniungèrent: ne regias, quibus ad eos trucidandos opus foret, copias profligarent. Sed cæca est ira. nihil pensi habet furor. Rupertum audiamus. *Dum*, ait, *suscepta mora tantæ dilationis, interim penderet sententia mortis, opportunum facit vniuersæ genti spatium, quod sufficere possit ad legationes mittendas in longinquum, id est in altitudinem cœli, vnde auxiliares copiæ debebant conduci, scilicet ieunia, lachrymæ, & preces, quæ nimirum idoneæ legationes erant, & sunt, ad inuitandum seu inuocandum de cœlo auxilium domini. Profectò etsi prope erat, (vt est dominus omnibus inuocantibus eum in veritate) nihilominus tamen erat necessarium tam longæ à sortibus datum dilationis spatium, vt sufficeret tempus currentibus epistolis, & recurrentibus ad principes & populos tot prouinciarum: vt nouis epistolis veteres aman insidiatoris, & hostis Iudæorum, quibus eos in vniuersa regis prouinciis perire præceperat, corrigi possent, prius quam terminus temporis concluderetur.*

QVÆSTIVNCVLA V.

Argentum in Regis ærarium appendere, cur volebat Aman?

NE in tributis & vectigalibus deminutionem ægrè ferens Rex, negaret Iudaici populi excidium, vti vidit Iosephus. Est autem potissimum hoc loco *talentum duplex, Hebraicum*, quod coronatos valet 1400. & *Babylonicum* quod coronatos dat 702. $\frac{1}{2}$ cum ex 7. Hebraicis fiant Babylonica 24. Et 24. Babylonica seu Hebraica 7. dant coronatos 16870. Rursumque Babylonica 34. $\frac{7}{2}$ seu 10. Hebraica dant coronatos 24100. Ideoq; 10000. talentorũ { I. *Hebraicorum* } *dant coronatos* { 24000000. ; II. *Babyloniorum* } *dant coronatos* { 7019166 $\frac{2}{3}$.

Vide quam immanem, ex vna superbia & ira, pecuniæ vim profundere Aman hic volebat. *Aginzè* vel *ginaz* quæ thesaurum & ærarium hic significat, nata forte vox illa, quam Persicam omnes fatentur: *gaza*. certè quidem illa, quam Septuaginta in iis, quæ ab iis 2. Paralip. 36. vers. 8. adiiciuntur, retinent ἐνετέθη γαζοφυλακίῳ *sepultus est* Ioacim *in ganozae*, id est, *thecis*, & *repositoriis suis*, pro *genazo* vel *genuzia*.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Cur ei annulum dedit Rex?

ADliteras, aliaque omnia obsignanda, maior ferè fuit annulorum vsus quam hodie. vt in Tacitum explicat Lipsius. Sed Genes. 41. & 1. Machab. 6. datæ potestatis symbolum est, sicuti & apud Iustinum lib. 12. in Perdicca de Mentore annulum Hermiæ accipiente, ipsiusque nomine litetas ad arces & omnia dedenda conscribente scribit Diodorus lib. 16.

QVAE-

QVÆSTIVNCVLA VII.

Quæ Regis, de Iudæorum internecione, literæ?

HABENTVR cap. 13. in Latino, sed hoc cap. 3. in Græco. vbi in D. Hieronymi notatione notãdum; non eodem omnino modo verba citari, quo hoc cap. vers. 14. scripta. Nam pro, *& bona eorũ diriperent*: habetur; *diripuerunt*. In illis verò *Rex maximus*, ὁ μεγάς vt aliàs exposui, dicitur. At cap. 13. vers. 6. quomodo cædis dies traditur *decimus quartus mensis duodecimi*, cùm cap. 2. vers. 12. Hebraicè Chaldaicè, Latinè sit decimustertius, vt suprà visum? An emendandum? An ita potius explicandum? *Nullus misereatur eorum quartadecima die*, id est, ita pridie cæsi, funditusque deleti sint, vt cuius misereri liceat, nullus die quartodecimo supersit. *Totus terratum orbis* vers. 4. est is, qui Regis imperio parebat. nisi per auxesin dicatur vt ver. 2. Vterque tamen locus eodem priore modo explicatur à Iosepho in accusatione Amanis dispersum atentis genus Iudeorũ κατὰ τῆς ὑπ' αὐτὸν (κρατοῦντος) βασιλευομένης οἰκουμένης. Literarum verò earum *summa* hic vers. 14. Græcè τύπος, à R. Salomone & R. Nathan, ἀντίγραφον, Act. 23. vers. 25. epist. περιέχουσα τὸν τύπον ἧς τον, à nostro vertitur, *continens hoc*, ab Erasmo, *in hanc formam*: ab aliis, *quæ sua mam*, seu *compendium istud contineat*; quia τυπωδῶς seu τύπῳ λέγειν, λαμβάνειν, διορίζειν, vsitata de quibus Gellius lib. 2. cap. 25. *Cursores* erant illi, qui apud Persas ἄγγαροι vocabantur, de quibus infrà p. 3. quæst. 27. *Scribæ* vers. 12. à Chaldaico Thargum vocantur *liblarin* quasi librarij. Scribuntur literæ *diuersis & characteribus & linguis* pro populorum diuersitate vers. 12. & destinantur ad Sattrapas, qui Hebraicè hic *Achasdarpane*. Vnde ipsi fortè Sattrapæ à Græcis nominati; *ad Iudices*, qui Heb. *Anguli*. & adduntur etiam Hebraicè, *prouinciarum Principes*, vt significetur ordo & modus, quo literæ istæ promulgandæ, & executioni mandandæ.

QVÆSTIVNCVLA VIII.

De Regis & Amanis compotatione.

VERE hic *mundus gaudet*: vos autem, ô iusti & innocentes, *plorabitis & flebitis* Ioannis 16. Pro *sentientibus* in Hebræo est, *conturbatos* fuisse, seu conturbatam & confusam ciuitatem luctu scilicet & mœrore, prout in Græco. ἐταράχθη ἡ πόλις & Matthæi 2. ver. 3. & Act. 21. Vox alioqui *bocah* quæ fletum denotat, ad *nabacah*, quæ conturbationem hic significat, proximè accedit. Illi verò, vti Græcus textus ait; ἐκωθωνίζοντο. *compotabant comme ssabantur*. Nam ἐκώθων est & poculum, & ipsa cõpotatio, quæ etiam κωθωνισμὸς dicitur, de qua lib. 11. & 14. Athenæus. in Lycurgo, Pyrrho & Antonio Plutarchus. adeò vt in Adagiis etiam tit. *Cothonisare*.

TERTIA LIBRI PARS DE IVDÆORVM A TANTO PERICVLO LIBERATIONE.

CAPVT IV.

1 QVÆ cum audisset Mardocheus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, aspargèsque cinere capiti: & in platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui:

2 Et hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiens. Nõ enim erat licitum, indutum sacco aulam regis intrare:

3 In omnibus quoque prouinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele regis dogma peruenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus. & fletus sacco & cinere multis pro strato vtentibus.

4 Ingressæ autem sunt puellæ Esther & eunuchi, nuntiauerunt q; ei: Quod audiens conturbata est, & vestem misit, vt ablato sacco indueret eum: quam accipere nolait,

5 Accitoque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei vt iret ad Mardochæum, & disceret ab eo cur hoc faceret.

6 Egressusq; Athach iuit ad Mardochæum & inuenit eum stantem in platea ciuitatis, ante ostium palatij.

7 Qui indicauit ei omnia, quæ acciderãt, quomodo Aman promisisset vt in thesauros regis pro Iudæorum nece, inferret argentum.

8 Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, vt reginæ ostenderet. & moneret eam, vt intraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo suo.

9 Regressus Athach, nuntiauit Esther omnia, quæ Mardocheus dixerat.

10 Quæ respondit ei, & iussit vt diceret Mardocheo:

11 Omnes serui regis, & cunctæ quæ sub ditione eius sunt, nouerunt prouinciæ, quod siue vir, siue mulier non vocatus, interius atrium regis intrauerit, absq; vlla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex aureum virgæ suæ ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atq;

Universidad de Deusto Biblioteca

ita possit viuere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum?
12 *Quod cùm audisset Mardochæus.*
13 *Rursum mandauit Esther, dicens: Ne putes quod animam tuam tãtum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Iudæis:*
14 *Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?*
15 *Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandauit:*
16 *Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, & tunc ingrediar ad regem contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti & periculo.*
17 *Iuit itaque Mardochæus, & fecit omnia quæ ei Esther præceperat.*

E CAPITE DECIMOQVINTO.

1 *ET mandauit ei (haud dubium quin esset Mardochæus) vt ingrederetur ad regem, & rogaret pro populo suo & pro patria sua.*
2 *Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quemodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem:*
3 *Et tu inuoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.*

Variæ, secundum DEVM, liberationis huius causæ fuerunt. Omnium verò princeps fuit Mardochæus, cuius ingens, capitis huius quarti principio, luctus explicatur.

QVAESTIVNCVLA I.

Quis Mardochæi luctus?

PRIMÒ, vestes ipse suas dilacerauit. Fuit, in magni doloris significatione, *vestium* hæc *laceratio* peruſitata, Iud. 11. ver. 35. 1. Reg. 4. verſ. 12. Job. 1. v. 20. 1. Machab. 2. ver. 14. alibi. & quidem etiam apud Gentiles Iudith 24. ver. 14. & 17. in Suetonio cap. 33. Iulij, cap. 41. Neronis, in Dione lib. 40. 54. & 56. in Iulio Capitolino de Gordianis, in Plutarcho de Ciceronis vitâ. In ſupplicis & funeribus morem eundem explicat lib. 2. Semestrium cap. 10. Petrus Faber. *Deinde* indutus est ſaccum, ſeu, vt aliàs in Script. vertitur, cilicium, prout iam notaui Iudith 8. quæst. 5. & cinerem. & quidem, vt ait Græcus κατεπάσατο σποδόν: Noster ſparſiſſe ait ſuo capiti, morem ſcilicet veterem exprimens Iosephus καταχεάμενος σποδίαν. *Tertiò*, suâ è domo, vir honestus & palatinus, medium in vrbem, exiit. *Quartò*, clamore valido, & peramaro clamauit. Quid clamarit; etsi res ipsa loquitur: explicarunt tamen ſeptuaginta, & Iosephus. populum ſcilicet innocentem, qui improbè nihil admiſerit, tolli è medio. Fuit verò publicus eiusmodi clamor apud Perſas magnis in malis vſitatus, vt ostendit libro 3. & 8. Herodotus, libro 4. & 5. Curtius. *Quintò*, isto modo vſque ad locum qui ver. 6. platea vrbis dicitur, ante palatij portam progreſſus est. Cùm verò aliàs ad portam ipſam veniendi, & ibidẽ commorandi ius & dignitatem haberet; prout ſuprà vidimus; cur tamen ad illam vſq; tùm non adierit, cauſa ſubditur ver. 2. quia ſacco indutum ad illam accedere fas non erat. Nimirum, *qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum ſunt*, Matth. 11. Nullus illic aſpero Ioannis cilicio locus: nullus Mardochæi ſacco: nullus humilitatis & pœnitentiæ ſchemati, quo hic nomine vtitur Iosephus, idemque paulò pòst vocat σχῆμα ἐλεεινὸν *miſerabile*. In Ioſaphati & Barlaam, apud Damaſcenum, historia, videmus à palatij limine, à Regum oculis communes etiam humanæ naturæ miſerias penitus arceri, vt mendicus, æger, ſenex, cæcus, claudus, aliíſque id genus malis obſitus nullus videatur. *Sextò* miſſam ab Esthere honeſtam, cuique iam aula pateret, vestem reſpuit ver. 4. *Septimò*, tam ſeriò, tam constãter tamq; grauiter & efficaciter Reginam monet verſ. 13. & 14. vbi illud, *peribitis*; explicat Iosephus, ὑπὸ τῶν ὀλιγωρηθέντων: id est, ob ipſos, quos contempſiſſet, vili pependiſſet. non, quod ipſimet domum eius paternam deleturi eſſent. ſed rurſum cap. 15. ver. 1. 2. 3. vbi eam reuocat ad memoriam pristinæ humilitatis. *Octauò*, quæ mandauit Esther; ieiunia, preces, ſacroſque populi conuentus; probauit ipſe ilicò, aliiſque ſtudioſiſſimè ſuaſit, ac perſuaſit.

QVAESTIVNCVLA II.

Quis Iudæorum aliorum luctus?

——— *Crudelis vbiq; Luctus vbique pauor, & plurima mortis imago*, quocunque Regis *crudele* (quod explicationis ergò appoſitum in Latino est) dogma peruenerat. *Dogma* verò est Hebraicum *dath*, quod ſuprà cap. 1. ver. 8. *statutum*, vertitur, ver. 19. & cap. 3. ver. 8. hic ver. 16. *lex* vocatur & *scitum*. cap. 6. πρόσταγμα καὶ ἔκθεμα. Sic verò δόγμα ſumitur etiam Actor. 15. 16. & apud Demosthenem, qui citatur ff. de ll. in legis definitione, apud Ioſephum lib. 1. contra Apionem, τὰ δεδογμένα, & libro 14. cap. 16. 17.

16. 17. 22. 26. libro 15. cap. 10. lib. 16. cap. 4. Hic ver. 3. hæc, quibus & eorum tristitia, &, ad ſanctiſſimũ numen placandum, religio ſignificetur, ponuntur. I. Luctus magnus. II. ieiunium. III. fletus. IV. planctus. V. ſaccus & VI. cinis ſubſtratus, pro lecto, plurimis, vt Iſaiæ 58. verſ. 6. licet contra Rabbinos alios vellet R. Dauid lib. Rad. hic Hebræorum verbum eſſe futurum, eadem tamen ſententia. Et cauſa cap. 13. ver. 17. quòd eis certa mors impenderet, ſeu vt in Græcis, *quod ipſorum mors in oculis ipſorum*. O quanta mortis memoriæ vtilitas! Quàm exultat longè torpor, ignauia, impietas, quando ante oculos mors? Marci 13. *vigilate*, prout in funeribus quibusdam expoſui.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quidnam respondit Mardochæo Esther?

TRAGOEDIÆ totius ignara erat ver. 4. vbi videntur ancillarum & eunuchorum aliqui iam ſciuiſſe Mardochæi & Estheris genus & cognationem, vt mirum ſit, quomodo ignorarit Rex. An non dubitabant, quin ipſe ſciret, ideoque nihil ei ſignificabant? An potius tanta erat Estheris apud omnes gratia cap. 2. ver. 15. vt, cum ab iis, ne hoc ipſum efferrent; petiiſſet, conticerent omnes? Eunuchus verò ad Mardochæum ab ea miſſus *Hatach*, à Ioſepho per proſtheſin, dicitur ἀχραθαῖος, & à Septuaginta ἀχεθραῖος. Vestem ergò elegantiorem initio obtulit; tùm de acceſſu ad Regem, ſeſe excuſauit per quandam Perſarum legem verſ. 11. de qua paulò poſt: tum operam omnem etiam cum vitæ periculo, ſpopondit; enixè rogans, DEVS vt propitius redderetur. verſ. 16. Ioſephus ſignificat hoc eam *epistola* ad Mardochæum *data* mandaſſe. & fortè vtrumque adhibuit; Eunuchi ſcilicet vocem, vt Latinus Hebræus & Græci ſignificant, & proprias literas, quas Iudæis aliis oſtendere poſſet. niſi ἐπέστειλε τῷ μαρδοχαίῳ τὸν αὐτὸν πέμψασα διάκονον; dicamus idem valere, quod apud Septuaginta ἐξαπέστειλε. aut legendum fortè ſit ἐνετείλε *mandauit Mardochæo*, videlicet per Eunuchum. Ait ergo *primò*, valdè addit Ioſephus *in Suſa*. id eſt, in penitiorem vrbis partem. quia palatiũ ipſum Suſianum vel extra, & ad vrbem: vel in extrema quapiam parte. ſicut hodie etiam, qui è Reuerendiſſimi Herbipolenſis arce deſcendit; dicitur **in die Statt kommen**. *Secundò*, congrega omnes Iudæos, quos in Suſan repereris: Septuaginta ἐκκλησίασον. Ioſ. εἰς ἐκκλησίαν συναγαγεῖν. Habebant Iudæi, etiam in captiuitate, certa loca, in quæ ad preces, & DEI cultum conuenirent, quæ eccleſiæ ab iſtis dicuntur: alibi ſynagogæ. Vnde & Hebraicum hic verbum *cenos* eſt; cum ipſi adhuc hodie ſynagogan vocent *beth cenes*, & ſimpliciter *ceneſeth*, quæ eſt domus orationis, inquit Elias Thisbi. de qua iam dictum aliquid Iudith 4. fol. 177. & cap. 6. fol. 190. *Tertiò*, *Orate pro me*, quemadmodum etiam petierat olim Iuditha, de qua in ipſius historia ca. 8. quæſt. 22. Hic tamen Hebraicè, Græcè, & Chaldaicè dicitur *ieiunate pro me*. Quia tamen ad explorandum DEVM ieiunatio iſta referebatur, & ei coniuncta etiam oratio fuit, vt ex Ioſepho, & infrà cap. 13. & 14. conſtat; idcircò vel ab Interprete poſitum, vel è margine ſuppoſitum eſt; *Orate pro me*. & ſic etiam Chaldaicum *bimmi* accipiendum. Neq; generali hac voce contenta Esther, quid per eam velit; magis aperit. *Non*, ait, *comedatis, neque bibatis*. At quamdiu? *Tribus diebus*, inquit. At noctu fortè ſumere aliquid licebat. Turcicũ hoc ieiunium eſt. & pænè illi ſimile, quod à Cicerone de offic. 1. improbatur; cum 30. dierum eſſent cũ hoſte pactæ induciæ, noctu populabatur agros quidam, quòd dierum eſſent pactæ, non noctium induciæ. Nihil à DEO ingenioſa iſta non ieiunantium, ſed ieiunantes ſimulantium calliditas impetrat. Quam vt explodat, ſubdit Esther; *nocte & interdiu*, ſed vt noſter, *tribus diebus, & tribus noctibus*. Solent verò ieiuniorum ſuorum temporibus Turcæ Conſtantinopoli, ante Solis ortum, admoneri vt ſurgant & comedant. ſicque ad veſperum ieiunant. tumque tota ſi velint; nocte helluantur. Putat verò hic Lyranus, licuiſſe tamen Iudæis eo triduo aliquid, modo perparum, quod quaſi nihil videri poſſet; guſtare. In Tobia tamen hæc iam cauillatio detexta ca. 3 fol. 34. ſed vide etiam 2. Mach. 13. verſ. 12. & D. Auguſtinum de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 23. vbi ait, ſe didiciſſe Catholicorum multos, *non quotidie ſemel ſub noctem reficiendo corpus, quod eſt vſquequaque vſitatiſſimum: ſed continuum triduum vel amplius, ſæpiſſime ſine cibo ac potu ducere*. *Quartò, ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo*. Non aliis, quod ferre nolit; onus imponit. Tenella erat: Regina erat. Regis oculis formam ſeruare debebat. vult tamen ſimiliter omni ſibi ipſi & cibo & potione, totum triduum, interdicere. in DEI conſpectu lachrymas, preceſque effundere, prout ex cap. 14. infrà. Hic ſcilicet modus eſt ad magna quæpiam gerenda ſeſe comparandi. religioſis ſeſe operibus dedere. ſpiritus arma induere, inediæ loricam, precationis galeam, vti de Iudith vidimus cap. 8. & 9. Et ne ſola, in ſolitario etiam gynæceo ſit, bonumque ad opus plures inuitẽtur; ſuas ſecum ancillas idem facturas pollicetur. has verò illa iam ad veri DEI cognitionem traduxerat. niſi quis, Niniuitarum gentilium inſtar, ad honeſtam actionem excitatas velit, aut etiam ex Hebræorum puellis incognitas itidem aliquas fuiſſe. *Quintò, tunc ingrediar ad Regem, contra legem faciens, non vocata, tradenſque me morti & periculo*. Non verbum verbo reddidit Interpres, ſed ſententiam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAESTIVNCVLA IV.

Quæ lex à Rege, inuocatos, arcens? ver. 11. & 17?

NEMINI patuisse in Regiam aditum, absque Regis iussu, testatur Herodotus lib. 1. 3. 8. Ammianus lib. 14. Plautus Milite. Excipit verò Herodotus illos, qui Tyrannis Magis è medio tollendis operam nauassent, nisi fortè rei quippiam, quam obnubi natura nississet, Rex ageret. At hic, etiam vxorem, non nisi vocatam accedere potuisse cernimus. *Circumstabant*, inquit Iosephus eo loco, vbi ad insidias suprà narratas; narrandas accedit; *Regem, qui secures habebant ad eos, qui inuocati venissent; plectendos.* Istud tamen de securibus fortè à Romanorum consuetudine sumsit Iosephus, cũ Reges istos circumstarent potius spiculatores. doryphori, melophori, vt aiunt lib. 7. Xenophon & lib. 12. Athenæus. Legem porrò istam ab hoc ipso Rege latam ait eodem loco Iosephus. & Gorionides lib. 2. cap. 4. dicit eum ægrè tulisse, quod Esther ad ipsum veniens, violasset *legem suam.* adduntque nonnulli, Amanis hortatu latam, ne vlla vlli pro Iudæis rogaturo via esset. Ita enim interdum aulici potentiores, omnia ad Regis oculos, & aures itinera intercludere & obsepire solent. prout de Comite Candidiano aliisque palatinis ad Ephesinam synodum à Theodosio missis, refert tomo 5. Baronius. Nihil è textu, quod obiiciam; habeo. *Assuero* tamen isto. *vetustiorem legem arbitror. propter ea* quæ ex Herodoto, & aliis initio aiebam. *deinde* qui similes duritatis plenissimas leges apud eosdem Persas legimus, in eos. qui, exertis extra manicas manibus. Regi fortè occurrissent, vt ait, Cyrop. lib. 2. Xenophon: qui in Regis sella sedissent, vti scribit Diodorus lib. 17. Curtius lib. 8. qui eiusdem vestem, laceram licet ac donatam, induissent, Plutarchus Artax: qui eiusdem pellicem aspexissent; Idem ibidem, & Diodorus lib. 11. quin venatione, ante ipsum, telo feram petiissent. Xenophon & Plut. lo. cit. *Demum*, quia ita sentit cap. 10. lib. 8. de Vict. Rupertus. *Cur*, ait, *tanta erat difficultas adeundi Regem? Nimirum hoc venerat, ex nimia ventositate mentis vanitatis, vt Rex magni imperij plus homine putaretur habere aliquid, nec vilior fieret ex visu publico visentu. maximè apud Persas mos iste sanctus fuit, vt persona Regis occultaretur sub specie maiestatis.* Quod, si rectè memini. narrat etiam auctor libri de mundo. & de quibusdam hodie Regibus Damianus Goes sua in legatione. Videtur verò idem Rupertus, sequentibus verbis indicare, quemadmodum Aman legis huius Regi suasor esse potuerit, non vt tum primò ferretur, arctissimeque seruaretur. Et quia iis in rebus aliquid etiam doctrinæ aliud inesse; legatur. *Ea lege*, ait, *Diabolus per Aman abutens voluit vt eum tuc accusator tam familiaris regi immineret, & ad excusandum nulli aditus pateret, ad exorandum nullus accessus fieret, eminuta regum sententia curreret irreuocabilis, atque ita draconi illi deuorare liceret, non solum conceptum, verum totum corpus multorum in vtero habentis, id est, gentem vniuersam delere. penes quam erant promissa quemadmodum idem Mardocheus ad* DEVM orans, dicit. *Et nunc tua volunt mutare promissa, & delere hereditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui.*

QVAESTIVNCVLA V.

Quotuplex Regis atrium?

IAM de hoc dictum cap. 1. sed *atrium* ædium regiarum *duplex* erat. *Vnum*, exterius, in quo *ἐξώτερον* & Satrapæ cap. 6. vers. 4. vt aiunt Plutarchus in Themist. & Pelopida. Xenophon lib. 8. *Alterum*, interius, quod aureum totum fuisse scribitur, & habebat distinctum quoddam spacium auleis circumdatum, quod cap. 5. dicitur in Hebræo *domus rego* & *regni*, in Latino *basilica*. & paulò post, *consistorium palatij*. In eo ipse aureus thronus erat, & aureum in manu sceptrum, corusca bantque auro & gemmis omnia, pæne vt Ouidiana illa *solis regia* Metam. 2. prout omnia, hęc ab libri de mundo iam citati auctore traduntur, & eius metaphraste Apuleio lib. eadem inscriptione, Philostrato lib. 2. Æschylo in Persis, Dion. Chrysostomo orat. de regno, Gorionide lib. 2. cap. 4. & hic infrà cap. 15. vers. 9.

E CAPITE DECIMOTERTIO.

QVÆ sequuntur, *post eum locum scripta reperi, vbi legitur*; Pergensque Mardochæus fecit omnia quæ ei mandauerat Esther, *Nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitus fere untur interpretum.*

8 MArdochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum eius,

9 Et dixit: Domine, Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.

10 Tu fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur:

11 Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ.

12 Cuncta nosti; & scis quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorem Aman superbissimum:

13 Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia

stigia pedum eius deosculari paratus essem.

14 *Sed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem excepto Deo meo.*

15 *Et nunc Domine Rex Deus Abraham miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere.*

16 *Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto.*

17 *Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo, & conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.*

18 *Omnis quoque Israel pari mente & obsecratione clamauit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.*

QVÆSTIVNCVLA VI.

Quæ Mardochæi precatio?

PROBONITVR à Septuaginta in ipso cap. à Iosepho Gorionide lib. 2. cap. 2. & 3. Sed in Latino textu est cap. 13. ver. 8. ante quem, in D. Hieronymi notatione, notandum vt suprà; pro. *perges*, hoc capite 4. ver. 17. habet, *Iuit.* & quod addit, *ista apud nullum penitus Interpretum ferri*; accipiendum de Aquila, Theodosione, Symmacho, non de Septuaginta, in quorum editione vulgata sè hæc reperisse suprà dixerat ca. 10. vt ista notatiuncula idem dicat, quod initio capitis, aliis verbis; *in sola editione vulgata illa* reperiri.

Primò igitur DEI omnipotentiam laudat Mardochæus, cum emphatica geminatione *Domine Domine, in cuius ditione* seu potestate (ἐξουσίᾳ) *sunt omnia.* Græce τὰ πάντα ἐστι, quasi diceret *vniuersum hoc*, scilicet totus mundus. & citatur hic locus ab Alexandro Pontifice, & Martyre epistola ad omnes Orthodoxos. D. Paulus Roman. 8. ver. 31. *Si* DEVS *pro nobis quis contra nos?* Pro, *quicquid cœli ambitu continetur*, vers. 11. Græce est πᾶν θαυμαζόμενον ἐν τῷ ὑπ' οὐρανὸν, *omne quod in admiratione est, quod suspicitur in terra ista, qua sub cœlo* quasi alia suprà cœlum foret, de qua Genes. 1. dixi.

Deinde, consimiliter DEI omniscientiam, vt cap. 14. vers. 14. deprædicat ver. 12. cùm generatim, tùm speciatim, vt Hebr. 4. circà intimas animorum cogitationes & voluntatis actiones. prout in suis ipsius, quas ipse circa rem quandam exteriorem, quæ per se adiaphora esset, instituisset; declarat Mardochæus. Nam ea, quæ corporis gestu fit, hominis veneratio; quantumuis magna & demissa, siue nos ipsos demisso capite ac pectore inflectamus; siue in terram abiiciamus & prosternamus, siue ambo genua curuemus, siue simile aliud quidpiam agamus, eiusmodi est, vt ratione significationis, bona & mala esse possit. Si honoris illius summi, qui DEO soli debetur; symbolum sit, eo modo creaturarum nulli fieri potest: si alterius inferioris; potest. Vtrius autem sit, solus DEVS reuera cernit. Mardochæus igitur dicit: Assurrectio, genuum flectio, & alia, quæ corporis fit adoratio, à me negata sunt Amani: non quatenus sunt humiles & abiectæ quædam actiones, quas ego ex animi altitudine quadam & superbia defugerem (isto enim modo pro Israëlines, quas ego ex animi altitudine quadam & superbia defugerem (isto enim modo pro Israëlitici populi incolumitate, multò iis humiliores & abiectiores subire quam libentissimè vellem, verbi causa, pedum Amanis vestigia deosculari) sed quatenus diuini honoris argumenta, & signa quædam apud Persas istos sunt, & pro talibus passim habentur ac iudicantur. hoc meum fuisse consilium, hanc cogitationem nolli, ô DEVS, *ne honorem* DEI *mei* hoc meum fuisse consilium, hanc cogitationem nolli, ô DEVS, *ne honorem* DEI *mei transferrem ad homines.* Græcè, *ne honorem hominis ponerem supra* DEI *honorem.* & esse potest etiam sententia: ne plutis facerem gratiam hominis, quàm DEI. Sicque illum quàm hunc amplius colerem adorando scilicet latria hominem, cùm soli hoc DEO proprium sit, vel saltem hominibus apparendo, quasi id facerem. Præclara Mardochæi virtus; tum, sed mali etiam speciem omnem, scandalumque vitandum: iustè statuit DEO quod DEI est, homini, quod hominis est tribuere: fortiter manuit in iram & odium Principis incurrere, fortunarum, dignitatis & vitæ discrimen quodlibet subire. imò, licèr inuitus, & præter animi sui sententiam & votum; suos etiam populares, totamque gentem Israëliticam extremum in periculum conijcere, quàm vel tantillum in diuinam maiestatem peccare, hominis gratiam colligere, aut certè iram non inflammare. Principis oculis venerationem illam, quæ animo alioquì casto & recto fieri aliàs potuisset; animo recto & simulato, dare. O Machiauellistæ, pessi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pessimum Christianorum, si tamen Christiani; genus! A Mardochæo quam longè abestis, dum in religione, DEI q; cultu tam multa, simulanda & dissimulanda vultis! Præter istas verò tantas tamque illustres Mardochæi laudes, illa etiam imprimis spectanda insignis animi demissio, & Christiana humilitas, qua paratum se ait, superbissimi Amanis pedum vestigia exosculari. Ista Græcè dicuntur πέλματα, & propriè valent pedum aut calceorum sola, id est, imas partes, quibus contingi terra solet. Sic enim de seipso apud Ciceronem Tusculana 5. Anacharsis; *Mihi an ictus est, Scythicum tegmē: calceamentum, solorum callum; cubile, terra.* Et de nescio quo calceolario Martialis lib. 4.

Sordidus antiquæ solitus producere pellet,
Et mordere lupa putre, vetusque solum.

Vestigium verò licet propriè ipsam pedis impressionem, aut potius, quod eâ relinquitur, signum significet; priorem tamen etiam illum soli significatum obtinet, vt dum Academica 4. inquit Cicero; *aduersis vestigiis, contra nostra stare antipodas.* & Virgil. Æneid. 5. — *vestigia primi Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.* Nec video, cur similiter *calcatorum vestigia* dici nequeant. Nō est autem ignotum, impressa in terram vestigia solitos nonnunquam honoris & amoris causā quosdam exosculari. vti de S. Hedwige, & Catharina Senensi memoriæ proditum est. Videtur tamen potius duas alias notiones textus afferre, vt Amanis pedum plantas, aut calceorum soleas dissuaniari, suaue Mardochæo, pro Israelis salute fuisset. Nam vix eius pedum signa dicere potuisset, quia vix quō quam, etiam dignitatis non magnæ homines, in vrbe, pedibus ibant; sed in equo semper aut vehiculo, vt apud Xenophontem est. Deinde quia non πέλματα, sed τὰ ὀχήματα dixissent Septuaginta, & quia suprà dixit Martialis; *pictorum sola basiari Regum.* Hoc tamen & sanè, magna cum vi expressit Iosephus Gorion. *Fuissem* ait, *paratus lingere calceum, qui in eius pedibus, & pulverem quem ipse calcasset.* eâ phrasi, quâ vtitur Michæas c. 7. v. 17 Isaias 49. v. 23. Dauid Psal. 72.

Tertio postulat populi à tanto malo liberationem, quem Dei esse dicit *hæreditatem*, cap. 14. ver. 5. & 9. *partem, sortem funiculum.* Et causam addit, *vt viuentes laudemus nomen tuum Domine* Hic enim viuendi scopus nobis esse debet. vti libello de sanctæ Trinitatis doxologia secundo exposui. Vide psal. 113. Iosephus Flauius eum addit dixisse, *tempestate huius causæ non in populo*, qui vt olim, nihil tum peccasset, residere, sed quemadmodum Dauid 2. Reg. cap. vlt. ver. 17. in se vno. qui, licet aliter quàm Dauid, prorsus que inculpatè, Amani adorationem negasset.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

1 *Esther quoque regina confugit ad Dominum, pauens periculum quod imminebat.*
2 *Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis variis, cinere & stercore implenit caput, & corpus suum humiliauit ieiunijs: omniumque loca in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit.*
3 *Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius.*
4 *Periculum meum in manibus meis est.*
Deuter. 4. 8. 5 *Audiui a patre meo quod tu Domine tulisses Israel de cunctis Gentibus, & patres nostros ex omnibus retro maioribus suis, vt possideret hæreditatem sempiternam, feceris que eis sicut locutus es.*
6 *Peccauimus in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum.*
7 *Coluimus enim deos eorum. iustus es Domine*
8 *Et nunc non eis sufficit. quod durissimam nos opprimunt seruitute, sed robur manuum suarum idolorum potentiæ deputantes,*
9 *Volunt tua mutare promissa, & delere hereditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui.*
10 *Vt aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem regem in sempiternum.*
11 *Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed conuerte consilium eorum super eos, & eum qui in nos cœpit sœuire; disperde.*
12 *Memento Domine: & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam Domine rex deorum, & vniuersæ potestatis:*
13 *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, vt & ipse pereat, & ceteri, qui et consentiunt.*
14 *Nos autem libera in manu tua, & adiuua me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te Domine, qui habes omnium scientiam.*
15 *Et nosti quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ.*
16 *Tu scis necessitatem meam. quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei.*
17 *Et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim vinum libaminum.*
18 *Et nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc*

huc translata sum vsque in præsentem diē, nisi in te Domine Deus Abraham.
19 *Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum, qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.*

QVÆSTIVNCVLA VII.

Quæ Estheris precatio?

EXTAT eodem isto cap. 4. in Græco: apud Gorionidem cap. 3. sed in textu nostro Latino cap. 14. vbi etiam, ante precationem, hæc veluti præfcevastica notantur. *Primum*, confugit ad Dominum pauens periculum quod imminebat; Græcè ἐν ἀγωνίᾳ θανάτου κατειλημμένη. quemadmodū CHRISTVM Dominum in agonia fuisse legimus, & Oniam lib. 2. Machab. 3. laddum etiam Pontificem, cùm Hierosolymam veniret Alexander Magnus apud Iosephum libro 11. cap. 8. *Alterum*, deposuit vestes regias. Græcè τὰς δόξης αὐτῆς, vt cap. 15. ver. 4. vtroque modo Gorion & 1. Machab. 14. vers. 9. vestes splendidæ vocantur δόξαι. *Tertium*, induit vestes ferales & lugubres, quæ à Septuaginta ἱμάτια στυγνότητος καὶ πένθους, & sequenti cap. τῆς ἀναστροφῆς dicuntur. Noster cap. 15. versu 4. vertit, *vestimenta ornatus*, non ad splendorem, sed ad mœrorem, & ad DEI cultum, prout hanc etiam vocem Græcè vsurpat libro de virtute mulierum Plutarchus. vt sint vestes, quibus DEVS colitur, eiq; ministratur. Simpliciter Iosephus vocat περιβολὴ ἱερᾶς, prout etiam in Demetrio Plutarchus περιβολὴν πενθικὴν *lugubrem vestem.* Gorionides simpliciter *factum*, vt suprà. *Quartum* pro vnguentis variis ipsa cinere & stercore impleuit caput. Illa verò dicuntur à Septuaginta ὑπερηφάνους δυσμαλάς, superba dulciaria, quibus apud Homerum heroas non vsos ait libro 3. de legib. Pato. *Quintum*, corpus suum humiliauit ieiuniis. Horum in Græco nulla fit mentio, sed vniuersè dicitur; *corpus suum valdè humiliauit.* quod & ad ieiunia rectè ab Interprete relatum. Nam & Iudæorum ieiunia seu Angariæ, ab iis adhuc hodie vocantur *theangoth*, id est, humiliationes, afflictiones. Refertur tamen hoc idem à Iosepho ad prostrationem, ἱκέτιδα, inquit, τὸν θεὸν τῷ πάλαι νόμῳ, ἐλθοῦσα κατὰ τὸ γῆς ἔπιπτεν. & posteà, καὶ προσῆλθε καὶ ποτοῦ καὶ τοῖς ἄλλοις ἀπέσχετο. *Orauit* DEVM, *more patrio, seipsum in terram abiecit, & cibo, potui, omnibusque suauibus nuncium remittens.* Sic lib. 2. Machab. cap. 10. ver. 4. prostrati in terram, πεσόντες ἐπὶ τὴν γῆν ἅπαντες. & posteà versu 25. *caput terra aspergentes, lumbosq; cilicijs*, seu vt Græcè est, *sacco præcincti orabant.* Vtrumq; tradit Gorionides; *Humiliauit animam suam in ieiunio & corruit in faciem suam & orauit.* Iosephus lib. 19. cap. vlt. dicit moris patrij esse, *super sacco sedentes* DEVM *orare*; vti tunc pro Agrippa Rege, de quo Act. 12. factum narrat. & libro 20. cap. 2. de Izate Adiabenorū Rege, qui, quod Iudæorum DEVM & religionem amplexus esset à Vologese Parthorum Rege, maximis co-

piis, premebatur; *Ad* DEO, ait, *supplicandum sese conuertit: humi seipsum abiecit, & cinere caput & turpāt. cum vxore & liberis ieiunauit, inuocans* DEVM *& dicens: O Domine, &c.* Sextū, *omnia loca quibus antea lætari cōsueuerat, crinium laceratione cōplent.* In luctu fuit olim hoc vsitatū. *Ingens*, ait lib. 3. Curtius, *circa eā nobilium fœminarum turba constiterat, laceratis crinibus abscissaq; veste, priorem decoris immemores.* Ita etiam lib. 17. Diodorus. Cassandra Vates, apud Tryphiodorum Ægyptium, adducto in vrbem equo ligneo, ciuium dementiam castigans, crines identidem vellit, scinditque, κόμας inquit, χερσὶν ἐρεύθεται. Intonsam etiā comam, apud Cicer. Tusc. 3. scindit Homericus & Accianus Agamemnō, item q; Chariclea apud Heliodorum. hinc περιθρίξ & περιτίλλειν & ξέειν, vel κείρειν, & apud Aristophanem στυγνοῦσι ξέεσθε, apud Æschylum Agamemnone κομᾶν & βοστρύχους & κόμᾶν & ξέειν. de quibus Cōmentatio de coma cap. 5. Adrian. Iunius. Hinc Alexandra Hyrcani filia, cùm ad mortem eius filia, Herodis iussu, duceretur Mariamne, suum in capillum manus iniicit apud Iosephum lib. 15. cap. 11. & Herodis eiusdem soror Salome, ἀποκείρεται τὴν τρίχα, ἀπὸ τοῦ κρανίου τὰς τρίχας, apud eundem lib. 16. cap. 11. *sæpe capillos arripit sæpè pectus ferit.* Et Esdras cap. 9. *Cum audissem sermonem istū, scidi pallium meum, & tunicam, & euulsi capillos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens.* Iob. 1. scidit vestimenta, & tonso capite corruit in terram; adorauit. DEVS per Amos cap. 8. *Ie super omne dorsum saccum, & super omne caput caluitium* inducturum ait. per Isaiam cap. 3. *decaluabuntur* verticem filiarum Sion, & cap. 15. *In sunsitu*, ait, *capitibus calui omnes.* & Ieremiæ cap. 7. *Tonde capillum tuū, & abice.* vbi Diuus Hieronymus legi potest. Addit Gorionides, eam dispersos iam capillos cinere & pulvere compleſſe. *Septimum.* deprecabatur Dominum hic metu perculsa, ieiuna, horrida, squalida, deformata, humi abiecta, comasque dilaniata. In ista verò precatione sunt notanda hæc.

Primum, petitio auxilij. videlicet ob inopiam omnisq; auxilij humani absentiam. & apud Gorionidem; *Ego*, ait *sola hic habito, sola ego in domo Regis absque Patre & absque matre sum. Sicuti pupilla paupercula quæ ostiatim mendicat; ita ego peto seu mendico miserationes tuas fenestratim, seu, ex vna fenestra vadens ad aliam.* Dixi namque in Tobia cap. 3. & Iudith cap. 8. quæst. 2. quemadmodum loca superiora & fenestras, vnde in cœlum suspicerent; precaturi captare soliti sint.

Alterum. Periculum meum in manibus meis est. Ita & Septuaginta. Gorionides verò, *Et nūc, ô* DEVS, *esto anima mea in palmis meis, suscipe eam de manibus meis. si bonum videatur in oculis tuis.* sin secus; *libera quæso, meas passiones tuæ à leonibus istis, qui aduersus eas insurrexerunt.* De ilsiusmodi petitione dixi Tobiæ cap. 3. & de Phrasi illa, quæ etiam Psal. 118. repetitur, in Iudices, vbi de Iephthe actum.

Tertium

Universidad de Deusto Biblioteca

Tertium. *Audiui à patre meo.* Græci; *Audiebam ab ortu meo, in tribu familia mea,* ἤκουον ἐκ γενετῆς μου, ἐν φυλῇ πατριᾶς μου. sed πατριᾶς vertit etiam noster Ephes. 3. *paternitatem.* & Gorionides ei assentitur dicens; *Docuit, me pater meus & dixit mihi,* quòd &c. & recenset plura in Ægyptiaco exitu miracula. Rursumque paulò pòst capite 4. *Narrauit mihi pater meus.*

Quartum. *Peccauimus. coluimus deos alienos.* non quidem ipsa vel Mardochæus, neque populus, qui in captiuitate iam erat, quem Mardochæi precatio insontem paulò ante prædicauit; sed est ἀναγνώρισις, & scelerum, quæ maiores captiuitatis huius auctores olim admiserant, confessio. Ideò & in Gorionide cap. 3. *Quia peccauerunt patres nostri contra nomen tuum magnum, dedisti eos in captiuitatem. Ecce nos in transmigratione seu captiuitate, hodierno isto die.* Et hinc etiam intelligitur, quod de historiæ huius tempore anteà censui, in captiuitatem non adductam fuisse Estherem, sed in eâ natam.

Quintum. *Robur manuum suarum idolorum potentiæ deputantes.* ἔθηκαν τὰς χεῖρας αὐτῶν ἐπὶ τὰς χεῖρας τῶν εἰδώλων αὐτῶν. posset verti; *adiunxerunt vires manusque suas ad idolorum suorum manus,* eis quasi seipsos ministros præbentes. vel *manus suas ad eorum manus apposuerunt,* quasi, datis in illorum dextras dextris, iurarint. Rectè tamen Interpres, cum quo Gorionides sic; *Ecce ipsi* (in quorum dura seruitute sumus) *non dicunt: Te ô DEVS nos, in suas manus, tradidisse, sed idolis acceptum hoc ipsum ferunt, eaque adorant dicentes, Vos in manus nostras Iudæos dedistis.* Idola etiam dicuntur vers. 10. τὰ μάταια, vel οἱ ματαῖοι, vana & vani dij.

Sextum. *Voluit tua promissa mutare.* ἐξᾶραι ὁρισμὸν στόματός σου *oris tui definitionem.* seu decretum tollere.

Septimum. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt.* D. Hieronymus in c. 1. Galaticæ. *Omne quod veritati contrarium est, non est: vt illud: Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt.* D. Basilius lib. 2. contra Eunomium. *Qui Moysi, ait, eum qui est, seipsum nominauit, nullus profectò alius præter DEVM verbum, qui à principio erat apud DEVM intelligetur. Sed qui loquuntur iniquitatem in excelsum, non existentem dicere filium non timuerunt & insipiens quidem in corde dixit, non esse DEVM. Hi verò non solum corde cogitarunt sed etiam in prauitate locuti sunt: & posterioribus per scripta temporibus tradere non recusarunt, non existentem ausi DEVM nominare. Et quoniam nec dæmones ipsos videns negare quod DEVS sit, cum mente ad superiora redierint tempora, vbi impiam suam expleuerunt stupiditatem, non fuisse aliquando filium blasphemantes, quasi cum sua natura non fuisset, gratia sit ad esse à DEO productus. Deinde cum eam vocem quam Paulus de idolis emisit; seruiuistis, dicens, dijs, qui natura DEI non sunt. Et Hieremias: Iurabant per Deos, qui Dij non sunt. Et sapientissima Hester: Non tradas Domine sceptrum tuum ijs, qui non sunt. ipsam isti vocem de DEO vero dicentes, quenam iure amplius Christianorum sibi appellationem attribuunt?*

Octauum, ne irrideãt. Græcè anteponitur καὶ. pro *diffamare,* est verbum illud παραδειγματίζειν quod in D. Matthæo cap. 1. vers. 19. & eius simplex Coloss. 2. vers. 15. vertit noster, *traducere?* prout Tertullianus sæpè & Heb. cap. 6. vers. 6. *ostentui habere*, D. Augustinus epist. 59. *explorare.* id est, publicæ ignominiæ exponere, & in exemplum statuere, prout ex Demosthene contra Androtionem, Polybio lib. 2. de Aristomacho tyranno, Plutarchum de Archilocho quem ait, versiculis parum honestis editis, sese παραδειγματίζειν. quemadmodum, nostro tempore, fecit primarius quidam Caluinianæ sectæ antesignanus, de quo in S. Paulo dixi num. 15. licet sibi hoc ille in Matth. ca. 1. euenisse dicat *inueni & me dum in Ecclesiam DEI assero.* Quid? baptizatus non erat? an per baptisma, in DEI Ecclesiam non asciscimur? Sed de hoc aliàs. Hoc eodem verbo vsi sunt Septuaginta. Num. 25. vers. 4. pro *iacah*, quod suspendere significat.

Nonum, Regnorum. 1. Corinth. 8. *sunt Dij multi.* Videntur tamen Reges, principes, & potentes hic *Dij* dici, vt Ioh. 10. Psalm. 81. DEVS *stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.*

Decimum sermonem compositum λόγον εὔρυθμον, prudentem, bene concinneque structum, quem apud S. Augustinum lib. 4. de doctrina Christ. ca. 30. vetus translatio vertit, *congruum.* nihil vt desit, nihil redundet, nihil in eo discrepans & absurdum sit. Veram scilicet, temporique & loco aptam eloquendi vim postulat. *Leonem* vocat Assuerum vti 2. Timoth. 4. D. Paulus Neronem. Vtriusque nobilitata crudelitas. Gorionides facit eam timentem quasi captarum hœdum, ante leonem. Hinc verò monet loco citato D. Augustinus, quod ca. 15. iam docuerat, ante conciones & lectiones orandum. *Siue, ait, apud populum, vel apud quoslibet iam iamque dicturus, siue quod apud populum dicendum vel ab eis, qui voluerint ac potuerint, legendum est, dictaturus, oret vt DEVS sermonem bonum det in os eius. Si enim Regina orauit Esther, pro suæ gentis temporaria salute locutura apud Regem, vt in os eius DEVS congruum sermonem daret, quantò magis orare debet, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute, in verbo & doctrina laborat? Ille verò qui ea dicturi sunt, quæ ab alijs acceperunt, & antequã accipiant, orent, vt bene & ipsi proferant, & illi, ad quos proferunt, sumant: & de prospero exitu dictionis, eidẽ gratias agent, à quo id se accepisse nõ dubitant, vt qui gloriatur, in illo glorietur in cuius manu sunt & nos, & sermones nostri.* Græcorum scriptores inquit initio li. 1. S. Epiphanius, *Poetæ & oratores, vbi fabulosum aliquod scriptum aggrediuntur, Musam aliquam inuocant.* Quidni nos DEVM verũ, O.M.? Ecclesia porrò precatiunculã istam

istam vsurpat in dominicæ post Pentecosten vicesima secundæ offertorio, & legi potest idem S. Augustinus in Exodum quæst. 9. & Origenes homilia 3. in Exodum. At D. Chrysostomus homilia tertia ad populum; *Ne torpeamus, inquit, continue ad Dominum confugere, & quodcumque graue fuerit, omnino remedium accipiet conueniens. Terruit homo, curre ad supernum dominum, & nil graue patieris: sic antiqui calamitates auertebant, non tantum viri, sed & mulieres. Fuit quædam mulier Hebræa, Hester erat ipsi nomen: hæc Hester vniuersum Iudæorum populum internecione delendum sic eripuit. Postquã Persarum rex omnes passim Iudæos intermi iussit, & nullus erat qui contra iram illius obsistere posset: pristinum vestitum exuta mulier, & sacco amicta, & cinerem substrata diuinæ clementiæ supplicabat, vt secum ad regem ingrederetur, & talia orans verba ad ipsum aiebat: Grata Domine fac verba mea, & da sermonem ornatum in os meum.*

Vndecimum signum superbiæ. Diadema seu cidarim, vt in Gorionide ponitur, intelligit, quod *in diebus ostentationis* τῆς ὀπτασίας id est, cum videri, & coram Rege apparere aut in publicum prodire deberet, gestandum erat, quemadmodum & infra cap. 15. ver. 9. G. cap. 5. στολὴν τῆς ἐπιφανείας τῆς βασιλείας. *In diebus* verò *silentij* τῆς ἡσυχίας; cum domi, suo in conclaui, & gynæceo maneret, numquã cupiebat, quemadmodum S. Elizabeth Hungariæ Regis filia, in templo crucifixum cum videret, coronam, suo capite detrahebat: & Hierosolymorum ille vindex, recuperator & Rex admodum inclytus Godefridus, ea in vrbe auream coronam suo capiti imponi numquam passus est, vbi spineam Regum Rex & Dominus dominantium olim gestasset, prout in Machabæis auctores dabo. Detestari se illud ait, *quasi pannum menstruatæ,* qui sordidissimus est, vt ait Isaias cap. 64. & ibi D. Hieronymus qui hunc locum sed paulo aliter, id est Græcis hærentiùs, conuersum ita citat. *Omnis illa* (pædagogæ legis) *iustitia, panno sordidissimo comparatur, cui & Hesther diadema suum quod erat regiæ potestatis insigne comparat, quod nequaquam voluntate, sed necessitate portabat, dicens: Tu scis necessitatem meam, quam detestor signum superbiæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostensionis meæ, abominor illud, sicut pannum menstruum. nec porto in diebus quietis meæ.* Et *menstruum* dum vertit & Augustinus epist. 199. *menstrualem,* legisse videntur ῥάκος καταμηνίων, non vt hodie καταμηνίου. Alioqui menstruorum dixissent, illud vero ῥάκος aptissime dictum, cum esset diadema nihil aliud apud Plutarchum in Lucullo. Vnde præclara illa Regis Antiochi apud Stobæum serm. 47. regum miserias deplorantis vox. *O pannum miserum, qui curas tot & pericula procreas!* seu vt à Valerio lib. 7. cap. 2. traditur; *O nobilem magis quam felicem pannum,* quemadmodum & dicebat Iustinus Imperator successori Tyberio apud Miscellam lib. 16. Niceph. lib. 17. cap. 40. Apud Gorionidem alia similitudine vtitur. *Sicut, ait, vir odit vestem muliebrem, seu odit ea se veste ornari, quæ fœminis tantum consentanea: ita & ego odi vestem gloriæ meæ, & cidarim regni mei in caput meo.* Illud verò apud Persas supplicii genus erat, fœminam vocari, vt alibi notaui, multo magis fœminea veste amiciri. Hinc vero admirabilis Estheris religio, deuotio, prudentia, sanctitas & humilitas elucescit præclarum virginibus omnibus exemplar, in quibus illustrissima Proborum & Olibriorum soboles de qua ad Demetriadem D. Hieronymus. *Æstuabat, inquit, Christi tyruncula, oderat ornatum suum, & cum Hesther loquebatur ad Dominum. Tu nosti quod oderim insigne capitis mei, hoc est, diadema, quo vtebatur, quasi regina, & tantæ ducam immunditiæ velut pannum menstruatæ.* At insigne non virginibus tantum, sed coniugibus etiam exemplar est, quod (de Ruperto cap. 15. taceo) iis verbis D. Augustinus, duobus in locis proposuit, vt quæ hic spectentur, dignissima sint. Prior est in epist. 199. ad Ecdiciam. *Absit, ait, vt hinc displiceres Deo, quod coniuge tuo nondum defuncto non indueris sicut Anna, sed sicut Susanna. Neque enim & ille, qui tecum iam cœperat, custodire tam magnum continentiæ bonum, etsi coniugale, non viduale voluisset, vt acciperes indumentum, ad indecentem quoq; te compulisset ornatum. Quo etsi aliqua dura conditione cogereris, posses habere in superbo cultu cor humile: nempe apud Patres Hesther illa Regina Deum timens, Deum colens. Deo, subiecta seruiebat, quæ cum extremo periculo non suo tantum sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua, dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstrualem. & ita orantem istam exaudiuit, qui cordis inspector, eam verum dicere sciuit. Et vtique maritum habebat multarum virum, & Deorum alienorum falsorumque cultorem. Tu autem si & ille in proposito, quod tecum susceperat, perdurasset, nec à te offensus in flagitium corruisset maritum habebas non solum fidelem, & verum Deum tecum colentem, sed etiam continẽtẽ, qui procul dubio, propositi vestri nõ immemor, etsi nõ ad cõiugalia te cogeret indumẽta, ad superba tamẽ ornamẽta nõ cogeret.* Posterior in Ps. 51. enarratione. *Duo, ait, genera hominũ attẽdite. Vnũ laborantiũ, alterũ eorũ inter quos laboratur: Vnũ de terra, alterũ de cælo cogitantiũ: Vnum in profundũ cor mittentiũ, alterum cor angelis coniungentium: Vnum sperantiũ ea terrenis, quibus pollet hic mundus, alterũ præsumentium de cœlestibus, quæ promisit non mendax Deus. Non esse desperandum de hominibus bonis, si per eos terrenum aliquid administretur: nec rursum continuo gratulandum hominibus, qui cœlestia agere dignoscuntur negotia, cum plerumque illi, qui negotiis sæcularibus implicati sunt, cor semper sursum habeant: & isti, qui cælestia semper prædicant, cor trahant in terra, sed mixta sunt ista genera hominum. Inuenimus modo ciuem Hierusalem, ciuem regni cælorum administrare aliquid in terra: vt puta purpuram gerit, magistratus est, ædilis est, proconsul est, Imperator est, remp. gerit terrenam, sed cor sursum habet, si Christianus est, si fidelis est, si pius est, si contemnens in quibus est, & sperat in quibus nondum est.* De quo genere fuit illa sancta

Universidad de Deusto
Biblioteca

mulier Hesther, quæ cum esset vxor Regis, ventum est ad periculum deprecandi pro ciuibus suis, & cum oraret coram Deo, vbi mentiri non posset, in oratione sua dixit, ita sibi fuisse illa ornamenta regalia, sicut pannum menstruatæ. Non ergo desperemus de ciuibus regni cælorum, quando eos videmus aliqua gerere Babyloniæ negocia, aliquid terrenum in Rep. terrena: nec rursum continuo gratulemur omnibus hominibus, quos videmus agere negocia cœlestia, quia vt filii pestilentiæ sedent aliquando in Cathedra Moysi: de quibus dicitur, Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt & non faciunt. Illi in terrenis rebus leuant cor in cælum: isti in cœlestibus verbis trahunt cor in terra. Veniet autem tempus ventilabri, quãdo vtrumque diligentissime discernetur, ne granum aliquod transeat in aceruum paleæ comburendum, nec vna stipula transeat ad massam in horreo recondendam. Et D. Hieronymus epist. 9 *Mardochæus & Esther inter purpuram, sericum & gemmas superbiam humilitate vicerunt, tantique fuere meriti, vt captiui victoribus imperarent.* Lapsus porro memoria est Cantipratensis Thomas libro 2. cap. 50. dum quod ex Isaiæ citato 64. capite est, hinc affert. *Illius*, ait, *Hesther dignissime recordamur, quæ super omnem mundi gloriam constituta, dixit. Quoniam omnes iustitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ.*

Duodecimum in mensa. Græcus *non comedi mensam Amanneque glorificaui sympotium Regis, neque vinum libationum bibi.* Quid? Ad Regis mensam non veniebat? si cum Rege accubuisset Aman nõ accumbebat? *Mensam* opinor, vocat mensæ apparatum, ferculorum delicias & luxum, quo se vsum non esse ait: sed in mensa frugalitatem coluisse, cibis paucis & mundis, mediocritique paratu contentam fuisse, non glorificasse, id est, non suspexisse, laudasse, admiratam esse regales dapes & conuiuia.

Decimumtertium, nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum, vsque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham. O forte pectus! animum plusquam virilem! nullam vnquam, è tot tantisque voluptatum copiis, tot tamque admirandis oblectandorum sensuum artificus vel minimam lætitiam cepisse, in solo Deo. Spretis despectisque mundi huius ludibriis omnibus gaudium & lætitiam quæsiuisse, O inuictam ab ea quæ tot Hercules deiecit, tot virorum myriadas prostrauit voluptate!

Decimumquartum, Iosephus Græcus, & Hebræus addunt, eam à Deo formæ pulchritudinisque gratiam rogasse, vt eã caperetur atque mitesceret Assuetus. Nunc quantum ad expugnandos animos, forma telũm sit, docet Zorobabel apud Esdram 3. cap. 4. ver. 13. & apud Iosephum Gorionidem lib. 1. cap. 14. cum quo facit Anacreon. *Natura*, inquit, *dedit tauris cornua, equis vigelas, pedum celeritatem leporibus, dentium hiatum leonibus, natatum piscibus, volatum auibus, viris prudentiam, fœminis quod daret, nihil habebat amplius. Quid ergo dat? Pulchritudinem, quæ ipsis & scutorum & lancearum omnium instar est. Vincit vero & ferrum, & ignem, quæcunque pulchra est.*

CAPVT V.

1 *Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regiæ quod erat interius, contra basilicã regis, at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus.*

2 *Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ eius.*

3 *Dixitq; ad eam rex: Quid vis Esther reginã? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.*

4 *At illa respondit: Si regi placet, obsecro vt veniat ad me hodie & Aman tecum ad conuiuium, quod parani.*

5 *Statimq; rex. Vocate, inquit, cito Aman, vt Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad conuiuium, quod eis regina parauerat.*

6 *Dixitq; ei rex, postquam vinum biberat abundanter: Quid petis vt detur tibi? & pro quare postulas? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.*

7 *Cui respondit Esther: Petitio mea & preces sunt istæ:*

8 *Si inuenit in conspectu regis gratiam, & si regi placet vt det mihi quod postulo & meam impleat petitionem: Veniat rex & Aman ad conuiuium quod parani eis, & cras aperiam regi voluntatem meam.*

9 *Egressus est itaq; illo die Aman lætus & alacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidẽ de loco sessionis suæ, indignatus est valde.*

10 *Et dissimulata ira, reuersus in domum suam, conuocauit ad se amicos suos, & Zares vxorem suam:*

11 *Et expositis illis magnitudinem diuitiarum suarum filiorumq; turbam, & quanta eum gloria super omnes principes & seruos suos rex eleuasset.*

12 *Et post hæc ait: Regina quoq; Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege præter me: apud quam etiam cras cum rege pranditurus sum.*

13 *Et cum omnia habeam, nihil me habere puto, quandiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.*

14 *Re-*

14 *Responderuntq; ei Zares vxor eius & cæteri amici: Iube parari excelsam trabem habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic mane regi vt appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad conuiuium. Placuit ei consilium, iussit excelsam præparari crucem.*

è CAPITE DECIMOQVINTO.

4 *Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & circumdata est gloria sua.*

5 *Cumq; regio fulgeret habitu, & inuocasset omnium rectorum saluatorem Deum assumpsit duas famulas.*

6 *Et super vnam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens.*

7 *Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans.*

8 *Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis, ac nitentibus oculis tristem celabat animum, & nimio timore contractum.*

9 *Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroq; fulgens, & pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu.*

10 *Cumq; eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput.*

11 *Conuertitq; Deus spiritum regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiluit de solio & sustentans eam vltis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur.*

12 *Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere.*

13 *Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.*

14 *Accede igitur, & tange sceptrum.*

15 *Cumque illa reciperet, tulit auream virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eam, & ait: Cur mihi nõ loqueris:*

16 *Quæ respondit: Vidi te Domine quasi angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.*

17 *Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.*

18 *Cumq; loqueretur rursum corruit, & pene exanimata est.*

19 *Rex autem turbabatur, & omnes ministri eius consolabantur eam.*

QVAESTIVNCVLA VIII.

Quomodo supplicatura, Regem Esther adiit?

SAtis accurate cap. 5. & 15. explicatur, itemque à Gorionide c. 4. Nam *primo* luctuosum illum cultum deposuit. & gloria sua circumdata est, id est vestibus gloriosis & splendidis. Nam prout ἱμάτια ἀνδρὸς aptea vocata sunt, ita iam vt cap. 4. ἱμάτια δόξης, & à Gorionide cap. 4. *vestes pulchritudinis suæ & ornamenta gloriæ suæ.* Nam eadem ornamentorũ vox est Ezech. 16. 7. Il. 49. 19. ἑκηβόλοιο δόξαι vocantur lib. 2. Mach. 8. ver. 35. *vestis gloriæ* δόξαν ἐσθῆτος, & libro 1. cap. 14 ver. 9. simpliciter δόξαι vocantur huiusmodi vestes. *Deinde* rursum inuocat Dominum Deum. *Tertio*, duas secum sumit ancillas, eas iuuenculas, vt Hebraicum Gorionidæ nomen indicat, quarum vsus cap. 15. ver. 6. & 7. idque ex Reginarum more, vt ait, Gorionides, ima etiam Regum, vt apparet ex 4 Reg. 5. ver. 18. *Modus* vero innitendi fuit, vt dextram manum supra alterius humero, aut brachio imponerent, quemadmodum hic monstrat Gorionides, & simul eur sustentarentur vestes, ne aurum scilicet, preciosiq; lapides, quibus oneratæ vestes erant, humum contingerent. *Quarto*, roseo colore vultum perfusa erat, grato inquam rubore ἐρυθρίαν, & exultantibus oculis, animi mœrorem tegebat, licet id perdifficile sit, vt dictum Iudith cap. 3. *Quinto*, peruenit tandem ad Regem, cuius aspectu pænè exanimata bis corruit. Causæ sunt. *Prima*, periculi magnitudo, quod genti vniuersæ certo imminebat: quodque ipsa iam adibat. *Altera*, anceps, & quoad se, & quoad gentem suam, postulationis euentus. *Tertia*, Rex sin throno, tanto cum splendore & apparatu maiestas ver. 9. *Quarta*, eiusdem ira & furor, cuius index vultus ipse, ardentesque oculi ver. 10. Fuit in Ocho naturalis quædam truculentia & feritas, quæ inuocatæ Reginæ accessu iam incendebatur. Putabat enim hoc ad suæ maiestatis aliquam contemptionem spectare, nimiæque vel arrogantiæ, vel audaciæ facinus iudicabat, necq; illo ipso temporis vestigio, eam obtruncandam satellitibus dare cogitabat. Quidni percelleretur mulier? Et vero ni sacræ illæ preces & ieiunia fuissent, de Esthere actum erat. Sed illis propitiata diuina bonitas, præsentissimam, vti deinceps videbitur, opem attulit, ver. 11. Sed in Septuaginta dicitur ver. 10. *Cum iustudisset faciem suam Rex igne sæuam, seu incensam aut fastuosam gloria, in vigore in ascendia sua, aspexit*, quorum illud ad ornatum & speciem admirabilem referri videtur. quod dicitur ver. 17. *facies plena gratiarum*: posterius verò, ad indignationem, qua vehementius effluebat, & paulo post ἀνὴρ θυμοῦ vocatur πνεῦμα. seu *spiritus* ver. 11. cum cap. 16. ver. 12. & 14. idem τὸ πνεῦμα vitam significet. Nostro tamen Interpreti magis consentit Gorionides. *Et accensus est*, inquit, *in ore iræ ardor vehementer, quod violasset Regina legem suam, & ad eum non ac-*

Universidad de Deusto Biblioteca

non accersita venisset. sustulitq; Esther oculos suos, & vidit faciem Regis: & ecce oculi eius ardentes sicut ignis præ ira, quæ in eius corde. Et agnouit mulier indignationem Regis & furorem eius, exterritaq; est mulier admodum, & linqui cœpit animo, ceu *defici spiritu*. Iosephus similiter διακεκαυμένον ὑπὸ τῆς ὀργῆς τὸ πρόσωπον habet. Quid si in Septuaginta πεπυρωμένον ὀργῇ non δόξῃ? An potius vtrumque istud legi potest, quia tam ira quam gloria & splendor, eum visu terribilem efficiebant?

QVÆSTIVNCVLA IX.

Quomodo venientem Estherem Rex allocutus?

S*Icut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud*, inquit Prouer. 21 Sapiens. vides hoc, hic, in Assuero. vers. 11. & 12. *frater tuus*, blandientis vox est, & intimæ amicitiæ ac familiaritatis, de qua Mis. 1. cap. 75. Lipsius l. 2. var. lect. *Pro omnibus hæc lex cõstituta est*. κοινὸν τὸ πρόσταγμα ἡμῶν: Nostrum hoc præceptum est *commune*, id est, ad *communes homines*, eos, qui infra regiam dignitatem sunt πρὸς τοὺς ὑπηκόους inquit Iosephus, pertinet, vel etiam, *nobis commune est*. Tam est *tuum*, quam *meum* præceptum. Regnum nobis commune est, meæ leges tuæ sunt, adeoque earum pœna non teneris. Ades igitur animo, timorem omitte. Tange sceptrum, *super collum posuit*. Ita & Septuaginta, sed Gorionides *super manum* & Iosephus vtrumque iungit τὸ σκῆπτρον, αὐτῆς ἐνετίθει τῇ χειρὶ καὶ τὴν ῥάβδον ἐξέτεινεν ἐπὶ τὴν αὐχένα αὐτῆς. Tandem verò post vtramque examinationem refocillata, dicitur ca. 5. accessisse propius & sceptri caput seu summitatem osculata. Ita enim vertit noster quod in Hebræo est, *in sceptri capite tetigit* seu *sceptri caput contigit*. exprimendo scilicet contactus speciem pro genere. Refert Politicorum 3. Aristoteles τὴν δὲ σκήπτρου ἐπανάτασιν, ὅρκον, id est, *sceptri extensionem* (quidquid ibi homo quidem bonus, sed philosophiæ quam linguarum peritior Iauellus comminiscatur tom. 5. Politic. cap. 1.) *Iusiurandum fuisse*. At hic datæ vitæ, salutisque symbolum, vt ex consuetudine ista vere dici possit: *Virga & baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Psalm. 22.

QVÆSTIVNCVLA X.

Quomodo ait Esther, se Assuerum vidisse quasi Angelum Dei?

N*Vm Gentilis Rex Angelos norat? Num Gentili phrasi Iouis, aut summi Dei ministrum aliquem Deum ipsa significabat? Reor equidem prouerbium istud apud Iudæos fuisse, quo significarent excellentissimam quampiam hominis speciem, splendorem, terrorem, maiestatem, sicq; isto loquendi modo significari, quod illa vel propriè, absq; parœmia dixerat, vel quod cum parœmia quapiã Persica, quæ cum Hebraica ista vim eandẽ haberet. Potest autẽ id colligi ex 1. Reg. 29. v. 9. & 2. Regum cap. 14. Genes. 33. ver. 10. vbi cùm Hebraicè sit *elohim*, possit etiam verti, *quasi viderim vultum angelorum*. Chaldaica paraphrasis Canticorum 1. ver. 5. *Quando Israelitæ fecerunt*, ait, *vitulum, denigratæ sunt facies eorum sicuti Æthiopum, qui habitant in tabernaculis Cedar, & quando egerunt pœnitentiam, & dimissum iis fuit peccatum, multiplicatus fuit splendor gloriæ vultus eorum sicuti vultus Angelorum*. Idemque significant Iosephus, Gorionides & Flauius, dum nullam angeli mentionem faciunt, sed *vidi te*, inquit iste, *magnum, pulchrum, & terribilem*. Cedrenus profectò, in admirabili illa Cosroæ Persarum Regis ab Heraclio deuicti sphæra, disertè Angelos posuit, qui ipsum circumstent, & tamen impius & Gentilis erat ille.

QVÆSTIVNCVLA XI.

Quid tum Esther petiit?

V*T ad conuiuium cum Hamane Rex veniret, quod prudentiæ magnæ fuit. *Primo*, quia desideria dilata crescunt. Desiderabat vero Rex magnopere, ipsius petitioni annuere. *Deinde*, maximatum circumfusa erat satellitum ministrorumq; turba, corã quibus, omnia statim quæ ad suum genus, suamque petitionem spectabant, peruulgare nolebat. *Tertio*, aberat Haman ver. 5. & elabi fortè, si quidpiam resciuisset, potuisset. *Quarto*, quamuis summa Regis in ipsam propensio iam esset, magis tamen magisque ipsius sibi animum demereri, penitusque adstringere volebat. *Quinto*, explorare interea poterat Regis animum, an quod promittebat, ex animi sententia constanterque promittere: rursumque quando commodissime res tota proponi posset. *Sexto*, volebat tertium diem totum à Iudæis, adhuc in precibus & ieiuniis consumi, vt postero die, tanto esset diuina bonitas magis propitia, & tanto maius Iudæis gaudium exoreretur. *Denique*.

Poscere

Poscere si quid aues, quamuis properabitis ambo,
Differ, habent parua commoda magna mora.

Plerisque verò rationum istarum ea etiam vis inest, vt, in priori adhuc conuiuio, rectè silentio pressa vota ostendant, quibus addi potest, quod Lyranus obseruat, solum semper Amanem inuitatum vt apud Optimates alios maiorem subiret inuidiam. *Fecit*, ait Rupertus cap. 18. *tam prudenter, vt dictante spiritu sapientiæ fecisse non dubites, & sicut de beato Ioseph dictum est: Eloquium Domini inflammauit eum*. Psal. 104. *ita quoque istam*. Inuitationis vero causam in Septuaginta reddit ipsa Esther, ἡμέρα μοῦ ἐπίσημός σήμερόν ἐστι. ex sua opinor mente dixit, cum iste dies ei valde notabilis, *festus & insignis* foret, siue quod instituerat, *ad voluntatem flueret*, siue *secus*. Si *prius*: dies erat gratiarum actionis; si *posterius*, dies martyrii. Sic cap. 16. ἡμέρα ἐπώνυμος, καὶ ἐπίσημος, *dies nominata & insignis*.

QVÆSTIVNCVLA XII.

An conuiuium istud, cœna vel prandium fuerit?

C*Oenam fuisse suadet, *primò* Persicorum Regum illa consuetudo. vt nonnisi semel in die cibum caperent, idque in cœna: prout apud Herodotum lib 7. Abderita Megacreon indicat. *Deinde* Iosephus, qui δεῖπνον semper, & συνδειπνεῖν appellat. *Tertio*, maturinum tempus vers. 14. quod constituitur Mardochæi cruci petendæ. At nisi vespertinum tempus fuisset, potuisset eodem adhuc die illa peti. *Quarto*, Esther ipsa, quam nonnisi vespertino diei tertiæ tempore ieiunium soluisse, quæ superius dicta sunt, probabile faciunt. At ver. 12. Aman se cum Rege *pransurum* ait. *Respondeo*, neque in Hebræo, neque in Græco id haberi: & fortè contextum è margine subierit, aut *prandium*, pro conuiuio simpliciter ponitur, quemadmodum interdum *cœna*. quemadmodum & iis Patribus videtur, qui eandem de nuptiis parabolam putant, Matth. 22. & Luc. 14. Nam eas ille *prandium*, hic verò *cœnam* vocat: vtroque modo B. Irenæus lib. 4. cap. 70. & 76. Vnde efficitur Iosephi allatum δεῖπνον, nos non cogere, vt propriè dictam cœnam arbitremur, & consuetudo illa Regum, exponi posset de publico & solenni epulo licet interim bis, & suo arbitratu, in die priuatim, minusque solenniter epularentur: potuitque aliqua causa esse, cur eo die vellet, aut non posset ad Regem redire Haman: & potuit paulo citius cibum Esther sumere, vt tres dies ieiunaret synecdochicῶς, quemadmodum & Christus Dominus triduum in sepulchro fuit. Iam vbi noster Interpres ait ver. 6. *Postquam vinum biberat abundanter*, Hebraicè est *Dixit Rex Estheri in conuiuio* seu *potione vini*. cap. 7. ver. 1. *locus conuiuii*, dicitur Hebraicè *locus potionis vini*. Referunt Herodotus l. 6 Athenæus lib. 11. Ælianus lib. 12. var. hist. cap. 1. & Lucianus aquam Choaspæ fluuii potare, solitos Reges. An ergo *conuiuium vini*, in quo, aquæ solito potu tantisper omisso vinum bibebant? An pars conuiuii posterior, quam, aquâ præsumptâ, vinum hilararet? Verum aliud Cambysæ, aliud aliorum ebrietas, de qua lib. 8. Xenephon, docet.

QVAESTIVNCVLA XIII.

Quid Assuerus promittebat?

R*Egni sui dimidium*. Sic Reges loqui solent, vt in Herode, Matth. 11. perspicuum, & apud Herodotum lib. 9. Xerxes iussit Artayntam aurum, *quicquid vellet, petere*, eique vrbes dedit, aurum, exercitum.

CAPVT VI.

1 N*Octem illam duxit rex insomnem, iussitq; sibi afferri historias & annales priorum temporum. Quæ cum illo præsente legerentur.*

2 *Ventum est ad illum locum vbi scriptum erat quomodo nunciasset Mardocheus insidias Bagathan & Thares, eunuchorum, regem Assuerum iugulare cupientium,*

3 *Quod cum audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac premii Mardochæus cõsecutus est? Dixerunt ei serui eius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit.*

4 *Statimq; rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intrauerat, vt suggeret regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.*

5 *Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitq; rex: Ingrediatur.*

6 *Cumq; esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat?*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans quod nullum alium rex, nisi se vellet honorare,

7 *Respõdit: Homo, quẽ rex honorare cupit,*

8 *Debet indui vestibus regiis, imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum.*

9 *Et primus de regis principibus, ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quẽcũq; voluerit rex honorare*

10 *Dixitque ei rex: Festina, & sumpta stola & equo fac, vt locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatii. Cane ne quicquam de his, quæ locutus es, prætermittas.*

11 *Tulit itaque Aman stolam & equum, induitumq; Mardochæum in platea ciuitatis & impositum equo præcedebat atque clamabat: Hoc honore cõdignus est, quecunque rex voluerit honorare.*

12 *Reuersusq; est Mardochæus ad ianuam palatii. & Aman festinauit ire in domum suam, lugens & operto capite.*

13 *Narrauitq; Zares vxori sue & amicis omnia que euenissent sibi. Cui respondérunt sapientes, quos habebat in consilio, & vxor eius: Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius.*

14 *Adhuc illis loquentibus, venerunt Eunuchi regis, & cito eum ad conuiuium, quod regina parauerat, pergere compulerunt.*

QVÆSTIVNCVLA XIV.

Quæ causa, cur fuerit ea nocte insomnis Rex?

IN conuiuio fuerat, vinum abundanter, citra ebrietatem tamen bibebat: cubitum discedit: *fugitque ab eo somnus.* Solet vero insomnia huiusce modi nobis vel ex causa *interiore*, vel *exteriore* interdum euenire. *Interior* est, vel corporis ægritudo & dyscrasia quæpiam, vel amici cura, solicitudo, & contentio, siue voluntaria sit, siue inuoluntaria, vt in debitore illo apud Aristophanem, in poëta, cum argenti nesci quid accepisset. *Exterior* est vel *naturalis*. vt strepitus quispiam à vento fabro, clamoribus & similibus. vel *supernaturalis* à Deo, Angelo, dæmone. Nulla hic ægritudo fuit, cum & postridie ad conuiuium lætus rediret Rex. Athanasiana synopsis Regis prudentiæ & solicitudini insomniam hanc tribuit. Nam vt ait ille, ἀχρήπαννύχιον βουλόμενον ἀνὴρ ἀγαθὸν εὑδειν, *Turpe Ducem totas prudentem sternere noctes. Milites*, ait S. Chrysostomus homilia 1. ad populum, *ducem suum lecto detentum cernentes, segniores fiunt & ad pugnam tardiores.* Septuaginta verò & Iosephus, ipsi Deo, qui somnum depulerit, causam eandem ascribunt. Licet vero paulatim animaduertere, quemadmodum mirabiliter *oculus* ille, qui *nunquam dormit*, omnia gubernet, modisque, præter opinionem nostram, aptissimis ad subueniendum vtatur. Vnde ait Iosephus, *Deum, cum, quid moliretur Aman, vidisset, ipsum irrisisse, eoque, quod futurum erat, oblectatum fuisse.* Puto vero non totam noctem peruigilasse Regem, sed post noctis medium, antequam diluceseceret, vigilare cœpisse. Tunc enim legi cœptum est, ita vt cum ad Mardochæi beneficium peruentum esset, iam adessent matutini Regis salutatores, optimates, & præ cæteris Aman, vt Mardochæo crucem poscceret. *Illud vero*, inquit libr. 1. de regno Persarum Brissonius, *numquam satis laudatum institutum apud Persas viguit, vt, quemadmodum refert libro ad imperitum Principem Plutarchus, quotidie cubicularium vnus eam ad rem constitutus, mane Regis cubiculum intrans clamaret: Surge, ô Rex, & negocia cura, quæ te Mesoromasdes curare voluit.* Est autem *Mesoromasdes*, vt ait initio Laërtius, *Sol*, qui ab aliis etiam dicebatur *Mithres*, quasi μεσίτης, id est, *mediator*, inquit libro de Iside Plutarchus, quasi scilicet medius inter Deum bonum. qui *Oromazes* vel *Oromasdes*, & malum, qui *Areimanius*.

QVÆSTIVNCVLA XV.

Cur historias sibi legi Rex voluerit?

NE *illud temporis inutiliter & otiose consumeret*, inquit Iosephus ἵν' βουλόμενον ἀργῶς ἀπολέσαι τὸν ἀγρυπνίαν. Præclarum sane iis, qui ad Reipublicæ clauum sedent, exemplum, imò & omnibus. Nam Ecclesiastici 35. ver. 29. πολλὴ κακίαν ἐδίδαξεν ἀργία. *Multam malitiam docuit ociositas.* Suppetebant ei tot voluptatum illecebræ, tot fœminæ, tot, quæ totas ei noctes cantilarent, psaltriæ & musurgi, vti refert Athenæus lib. 12. & Suidas, hisce tamen omnibus posthabitis, libros poscit, & nescio an Esthers conuiui fructus hic existimari non debeat. Dicebant Platonici conuiuas apud Ciceronem Tusculana 5. Platonis cœnas in posterum etiam diem prodesse, & prosunt ex dapes, quibus sobrietas & honesti vtilesque sermones adsunt, de quo pulchræ sententiæ in cap. 3. *Pickeaueth.* sent. 3. Poposcit verò historiarum libros, quia & iucundissimam oblectationem ex iis suppeditant, & maximam ad res gerendas prudentiam, multiplicemque vtilitatem, prout disse-

ruerunt

ruerunt Cicero 2. de Orat. 2. de finib. Liuius initio decad. 1. principio, Diodorus lib. 1. aliique complures. Pudeat Christianos, quibus Amadisii, Rollyvagii ridiculariique, & obscœni auctores tantopere in manibus. In libro ad Reginum, Regula 5. militarem alioqui, ducem hisce verbis instruit Ferrandus Carthaginiensis. *Sacerdotũ postulationibus liber pateſcat aditus, frequentetur oratio: lectionis studium, quamuis vndique occupationibus inundantibus, igne desiderii spiritalis, remota tepiditate, feruescat.* Et ad Constantinum Magnum, vt Alphonsos, aliosque de quibus Iosuæ 1. dixi, nunc omittam scribit Poeta Porphyrius. *Inter belli, pacisq; virtutes, triumphos & laureas, legum sanctiones & iura, etiam Musis tibi familiaribus adeo vacas, vt inter tot diuinæ maiestatis insignia, quibus inuictus semper inprimis es, huius etiam studii in te micet splendor egregius.* Et de eodem verè magno Imperatore Eusebius libro 4. ipsius vitæ cap. 13. *Equidem*, ait, *suam ipsius mentem quodam quasi afflatu & instinctu diuinarum exaggerans*, totas *sæpe* noctes sine somno *traduxit, & cum per otium liceret orationes scribebat* idque *ad summam vsque senectutem*, prout cap. 5. scriptor idem persequitur. Neque verò mihi videntur istiusmodi Persarum Reges *barbari*, quos, vt ait lib. 3. de ira Seneca, *nulla eruditio nullus literarum cultus imbuisset*, qui, etiam in curru, *otii vitandi causa*, physirium secabant, Æliano scriptore lib. 14. hist. cap. 12. Solebant vero Persarum acta in pelles seu diphteras referri, vt ostendit Diodor. Siculus. eædemq; vocantur Esdræ 6. v. 2. αἱ καφαλίδες. Sic e. legitur ἐυρέθη ἐν τῇ πόλει ἐν τῇ βάρει κεφαλὶς μία, καὶ τοῦτο γεγραμμένον ἐν αὐτῇ ὑπόμνημα. *Inuenta est in vrbe in arce cephalis vna, & in ea commentarius hic scriptus erat.* Licet in aliis Græcis aliter etiam legatur, quoad voces alias, vti notat quæ in Septuaginta Romanis notatio est, ideoque & aliter à nostro Interprete vertatur.

QVÆSTIVNCVLA XVI.

An hactenus nihil omnino mercedis accepisset Mardochæus?

ANte insidias in Regis aula iam erat Mardochæus, hactenus tamen nihil ei, de rectarum insidiarum nomine repensum, & quod cap. 1. in Græco & cap 12. in Latino est, ver. 5. μεγάλως est. Quam altâ verò mente reponerentur, quamque diligenti memoria custodirentur, quæ in Persarum Reges conferrentur beneficia, videbis apud Herodotum lib. 4. dum ait Coæ Darius. *Cum domum redirem, adsis*, & libro 5. *Recordatus Histiæi cum esset Sardibus.* & lib. 8. Phylacus Samius ἐυεργέτης ἀνεμόνεδειν, *adsis*. Xerxes apud Thucydidem lib. 1. Pausaniæ dicit. σοὶ ἐυεργεσία ἐν τῷ ἡμετέρῳ δόκῳ ἀναγέγραπται. *Tibi beneficium nostra in domo semper inscriptum erit.* Si quod in bonos gratosque Reges γραπτ@. confertur beneficium, non perit, etiamsi plures in annos differatur, quanto apud Deum minus, si ad eius honorem & gloriam quidquam fiat? Sunt & apud diuinam maiestatem libri, in quibus, qui bene ipsi fecerint, perscribantur: Quidni enim ita loqui liceat, cum sibi nonnullos fœnerari aut mutuum dare, sed ab iis esurientem pasci, nudum vestiri, & similia profiteatur?

QVAESTIVNCVLA XVII.

Quid ab Assuero tandem accepit Mardochæus?

HOnorem summum, pænèque regium, quem sibi haberi, tam excelso in gradu alioqui locatus Aman, optabat. Constat is sex veluti partibus. *Prima*, vt stola *byssina*, inquiunt Septuaginta, seu, vestis, qua rex vtebatur, ei concederetur. Supra monui ex Plutarcho in Artaxerxe, caput tale fuisse, veste, qua vteretur rex, vti, nisi si eam ipsemet Rex dedisset, *tiaramque rectam gerere nemini licebat*, vt apud Xenop. lib. 2. Anabas. ait Tisaphernes, adeo vt Demaratus Lacedemonio Rex quidquid vellet, petere iussus, cum petiisset, vt illam capiti suo imponeret, sicque Sardes intrare liceret, perindigne Xerxes tulerit, vti scribunt Plutarchus Themistocle, Seneca lib. 6. de ira cap. 31. *Altera*, vt equus, quo etiam Rex vtebatur, eidem Mardochæo concederetur. Erat is equus γενεαρχῶν@, inquit, lib. 1. Xenophon. Nec, nisi equo aut curru quoquam ibat Rex, inquit Athenæus lib. 12. Erant vero huiusce modi equi regii omnium generosissimi, albi, proceri. Nisæi, vt aiunt Herodotus lib. 1. & 7. Seneca lib. 3. de ira cap. 21. Philostratus lib. 1. de Apollonio, Lucianus in Timone Somnio Saturni, epistolis & lib. de mercede conductis. Equorum porro, quos in agnus Mediæ campus Nisæus ferret, virtus, proceritas & præstantia, cum à iam citatis, tum verò à Dione Chrysostomo orat. de regno, Maximo Tyrio ser. 34. celebratur. *Tertia* pars vt Mardochæo daretur, *diadema*. quod interdum à cidari distinguitur. Sed pro eodẽ sæpe accipitur, apud Iustinum l. 10. Diodorum l. 16. ex Ariano l. 4. & tradit lib. 3. & 6. Curtius, esse insignem purpureũ albâ fascia distinctum. Scholiastes & Hebræus, & Vatablus putant, non homini, sed equo id concessũ fuisse, quia in viri ornamẽtis nõ repetitur v. 11. additq; Lyran⁹, eum hominẽ, q rex nõ esset

Universidad de Deusto Biblioteca

diademati, absurdum esse. Rectè quidem, nisi Regis, hoc, priuilegio concederetur, sicuti vestes & alia. Et nonne cap. 8. gestat Mardochæus coronam auream ver. 15. In Hebræo est aliquantula obscuritas, sed quæ explicatur, si *relatiuum ante suum antecedens interdum poni* sciamus. *Quarta*, vt his ce vestibus ornaretur, & equo imponeretur à principe viro ex eorum numero, quos supra cap. 1. Parthemim diximus, hic Interpres *Tyrannos* vocat. *Quinta*, vt per vrbis plateas ab eodem principe circumduceretur. Nam quod in plurali numero Hebræus ait, *vestiant eum, ducant, clament*, cum singulari antea vsus sit, & præterea vnus Aman hoc fecerit: Hebraismus vsitatus est. *Sexta*, vt ab eodem illo Principe, tamquam is præco sit, clametur. *sic fiet viro, cuius honorem Rex volet.* seu: *sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare.* Sic à matutino pænè diluculo horas plures, vsque ad conuiuii, siue prandium, siue cœna fuerit, ferè tempus, Mardochæum deducere, gloriaque maxima prosequi debuit. O quantum modestissimo isti decus! quantum huic arrogantissimo dedecus! *Deposuit potentes & exaltauit humiles.* Sed de hoc postea. In ea porro sum sententia, circumductum diuinitus ab Amane Mardochæum, vt Iudæis omnibus clarissimè iam à Deo monstraretur, ipsorum preces exauditas, salutem ipsis datum iri: hosti extremam impendere perniciem. Considera verò etiam, quam ad omnia Regum istorum iussa paratos esse quoslibet principes oportuerit, sicut etiam videre potes, 1. Mach. 10. ver. 63.

QVÆSTIVNCVLA XVIII.

Qui Amanis Sapientes?

IIdem, ait Vatablus, qui cap. 5. ver. 10. & 14. *amici*. Vnde quam stultum antea consilium dederint, iam patet. Fieri tamen potest vt amici alii, alii sapientes fuerint. Vtrumlibet sit, non Regi tantum, sed Principibus etiam Magos fuisse apparet, quos consulerent. Quomodo enim eâ in vrbe tam hospites, vt quod omnium oculis expositum fuerat, omnium iam sermonibus vbique volitabat, ignorarent? sed solemus noua & inusitata sæpius audire, ipsorumque originem & progressum iterum iterumque inquirere. Ipsa vero eius *vxor*, fuit *Zares* vel etiam Hebraicè, Zeres, Græcè *Ζωσάρα* forte *ζωσάρα*, sicut in Iosepho *ζαράζα*.

QVÆSTIVNCVLA XIX.

Quomodo tam verè dixerunt Sapientes, si de Iudæorum semine Mardochæus, casurum Amanem?

MOysis libros in Persicam linguam ab Hebræis captiuis versos legisse ipsos ait Lyranus, hancque Iudaici seminis constantiam ex Genesi 13. & 15. didicisse. Vellem vnde hoc hausisset, indicaret. Et verò magnum in posteriore quodam regni eiusdem Rege, Aristotelis Persicè conuertendi & ediscendi studium legimus, an hoc tamen Assueri tempore, librorum quidquam sacrorum, Persicè conuersum fuerit, quemadmodum non asseuero: ita neque inficior, censeo tamen istos vel diuino quodam instinctu, Sibyllarum vel Caiphæ instar. Iohan. 11. locutos, vel humana quadam sapientia, solertique coniectura. Magos enim de prodigiis consuli solitos & futura prædixisse, testes Cicero de diu. Valer. lib. 1. cap. 7. Strabo lib. 16. Ælianus lib. 2. hist. cap. 17. Lucianus in Macrobiis.

CAPVT VII.

1 INtrauit itaque rex & Aman, vt biberent cum regina.

2 Dixitque ei rex etiam secunda die postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua Esther, vt detur tibi, & quid vis fieri? etiamsi dimidiã partem regni mei petieris impetrabis.

3 Ad quem illa respondit; Si inueni gratiam in oculis tuis, ô rex, & tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro.

4 Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur & pereamus. Atque vtinam in seruos & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gemens tacerem. Nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in regem.

5 Respondensque rex Assuerus ait, quis est iste, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere?

6 Dixitque Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac re-

gina

gina ferre non sustinens.

7 Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuii intrauit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit vt rogaret Esther reginam pro anima sua, intellexit enim à rege sibi paratum malum.

8 Qui cum reuersus esset de horto nemoribus consito & intrasset conuiuii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuerunt faciem eius.

9 Dixitque Harbona, vnus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum quod parauerat Mardocheo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo.

10 Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardocheo, & regis ira quieuit.

QVÆSTIVNCVLA XX.

Quomodo suam tandem petitionem Esther proposuit?

DIe post Mardochæi luctum & monitionem, post inductas preces & ieiunia, quarto, cap. 7. quod volebat Esther, petiit, quod ipsa toto Assueri regni dimidio, quin & toto regno, gazisque omnibus, potius & antiquius ducebat, populi salutem, licet non tam omnino, sed tantum à qua illa pendebat, potentissimi & gratiosissimi hostis perniciem petiit & impetrauit. Illud ver. 4. *cuius crudelitas*, quidam sic exponunt. Non est inimico vtile in detrimento regis. Non poterit sarcire damnum, quod Regi obueniet. Non æstimat damnum, quod ex tanta laniena Rex accipiet. Alioqui nos in seruitutem & opera abripi potius quam occidi curasset, Vatablus vero; *Hostis*, ait, *compensare Regis damnum non posit*. Septuaginta οὐκ ἄξιος ὁ διάβολος τῆς αὐλῆς τοῦ βασιλέως. *Non est dignus calumniator aula Regis.* Athanasiana synopsis ait, Amanem *Estheris genua comprehendisse*, ipsi vt supplicaret, quemadmodum scilicet apud Homerum Iliad. 6. & vltimo. Euripidem Orestes, Liuium lib. 5. decad. 4. Claudianum de raptu Proserpinæ, Virg. Æneid. 3. ille qui— *genua amplexus, genibusque volutans hærebat*. Quia vt eum in locum notat Persius, misericordiæ sedes fuit à vetustate in genibus consecrata, prout etiam exponit lib. 11. cap. 45. Plinius, Chaldæus vero Amanem ait, *eodem gradu constitisse*. Latinus & Græcus *super lectum*, qui scilicet erat epularis, vt cap. 1. dixi, *corruisse*. Lectos istiusmodi vocare solent Hebræi *mesibboth*, sicut & ipsos discumbentes *mesubbim*.

QVÆSTIVNCVLA XXI.

Quomodo periit Aman?

PRimo famuli & stipatores Regis ver. 8. *eius faciem operuerunt*. Morem ait Abenezra fuisse, vt cui Rex irasceretur, eius statim vultum ministri obnuberent, quasi qui Regem aspiceret, indignus foret. Mauult id referre Gretserus noster cap. 21. li. 1. de cruce, ad morem, quo crucifigendis caput obnubi, faciesque velari solebat, vti ferale illud carmen, de quo Liuius & Tullius, ostendit. *Caput obnubito, infelici arbori suspendito.* Chaldæus tamen vult, dedecore, confusione ac rubore coopertum fuisse. Septuaginta διετράπη τῷ προσώπῳ, quod Complutenses vertunt, *erubuit facie*. Sed patet vox Græca latius, vt non ruborem tantum, sed & pallorem, tristitiam, aliaque id genus omnia complecti possit, adeoque illam etiam faciei velationem, si apud Persas in vsu fuit. Verti enim illud sic potest, *Immutatus est facie. Tum suspensus est.* Solebant apud Persas bona rei cuiusque & mala facta comparari, vt aiunt lib. 7. Herodotus lib. 16. Diodorus, & si præponderarent bona, liberabatur vt Sandaces, Tiribazus: sin mala, plectebatur. Multò vero Amanis maiora mala fuerunt etsi nulla hic videtur instituta comparatio. *Patibulum* verò suggessit *Arbona*, quem Iosephus Latinus vocat *Sabuchadar*, Græcus *Sabuchadas*, Septuaginta *Βουγαθάν*, quod ad Amanem, vt ad conuiuium cito veniret, missus cap. 6. versu 14. patibulum illud vidisset, & quorsum esset, *Amanis famulorum seu domesticorum quendam interrogasset*, inquit Iosephus. Habuit vero illud altitudinis 50. cubitos. Quò crux altior, eò infamior, vti probat l. 1. de cruce idem Gretserus cap. 7. hinc, & ex Suetonio in Galba c. 9. qui cuidam leges imploranti mutari crucem iussit, multoque præter cæteras altiorẽ, & dealbatam statui. Fuisse vero clauis eundẽ Amanẽ fixum, nihil esse dubii ait idem Gret. c. 19. neque obesse *appendendi* verbum cap. 7. vt ex Deut. 21. patet v. 22. vbi appensus in patibulo dicitur, qui more Iudaico, ligno ipsi suffixus erat. Et lignum quidem illud domi suæ ipse Mardochæo Aman erexerat, inde tamen exemptũ est, & loco alio fixum, ante scilicet Susorum vrbis portas vt habetur in Græco c. 8. in Latino 16. v. 18. procul vti Darius præcipiebat, Esd. c. 6. v. 11. *Tollatur lignũ*

de de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

de domo eius & erigatur & configatur in eo. Franciscus Georgi tom. 6. fol. 9. problem. 380. ait, hoc lignum ab arbore scientiæ boni & mali fuisse. Nimium allegoricè, illud potius considerandum 9 ait Iosephus. *Mihi*, ait, *venit in mentem diuinum numen admirari, ipsiusq; sapientiam & iustitiam discere, qui non solum Amanis improbitatem puniuit, sed idem etiam plane supplicium quod in alium machinatus erat, ipsius esse fecerit, sicq; aliis cognoscendum exhibuerit, fieri interdum, vt quæ contra alium quis facit, ea nesciat, sese contra se ipsum prius comparasse.* Rursumque, quod in S. Ambrosii vita refert S. Paulinus de Ariano quodam hæretico Euthymio, qui hæreticæ Imperatricis magnis pollicitationibus excitatus, *domum iuxta Ecclesiam sibi, & carrum pararat, vt sanctum Catholicum Episcopum in exilium raperet. Sed iniquitas eius in verticem ipsius descendit*, ait ex Psalm. 7. Paulinus. *Post annum enim eodem die, quo illum rapere se arbitrabatur, eodem carpento impositus, de eadem domo, ipse ad exilium destinatus est; reputans sibi, iusto iudicio Dei, id in se esse conuersum, vt in eo carpento dirigeretur ad auxilium, quod ipse parauerat sacerdoti. Quam bene dispositum terris, vt dignus iniqui Fructus consilii primis auctoribus obsisteret*, ait, 1. in Eutrop. Claudianus, idque duobus *Thrasi* scilicet. qui à Busiride omnium primus occisus, & *Perilli*, qui suo in tauro, tristem primus apud Phalaridem, mugitum edidit, exemplis probat, quæ eadem lib. 1. de arte recitat, laudatque Sulmonius. *Neque enim lex iustior vlla est, Quam necis artifices arte perire sua.* Iam lib. 2. in Galat. cap. 3. D. Hieronymus. *Sic*, ait, *crucem, quam Aman parauerat Mardochæo, non ipse, pro suo merito, conscendisset, puto Mardochæus in eam non vt traditus, sed vt vir sanctus ascenderet.*

CAPVT VIII.

1 DIe illo dedit rex Assuerus Esther regina domum Aman aduersarii Iudæorum, & Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus.

2 Tulitq; rex annulum, quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam.

3 Nec his contenta, procidit ad pedes regis, fleuitq; & locuta ad eum orauit, vt malitiam Aman Agagitæ, & machinationes eius pessimas, quas exagitauerat contra Iudæos, iuberet irritas fieri.

4 At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illaq; consurgens stetit ante eum.

5 Erat: Si placet regi & si inueni gratiam in oculis eius, & deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro vt nouis epistolis, reuocet Aman litera insidiatoris & hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis prouinciis perire præceperat, corrigantur.

6 Quomodo enim potero sustinere necem & interfectionem populi mei?

7 Respondit q; rex Assuerus Esther Reginæ & Mardochæo Iudæo: Domum Aman concessi Esther, & ipsum iussi affigi cruci quia ausus est manum mittere in Iudæos.

8 Scribite ergo Iudæis sicut vobis placet, regis nomine, signantes literas annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, vt epistolis, quæ ex Regis nomine mittebantur, & illis annulo signatæ erat, nemo auderet contradicere.

9 Accitiq; scribis & libet arijs regis (erat autem tempus tertij mensis, qui appellatur Siban) vicesima & tertia die illius, scripta sunt epistolæ, vt Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad principes, procuratoresque & iudices, qui centum viginti septem prouinciis ab India vsq; ad Æthiopiam præsidebant, prouinciæ atq; prouinciæ, populo & populo iuxta linguas & literas suas, & Iudæis, prout legere poterant & audire.

10 Ipsæq; epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per veredarios: qui per omnes prouincias discurrentes, veteres literas nouis nunciis prauenirent.

11 Quibus imperauit Rex, vt conuenirent Iudæos per singulas ciuitates, & in vnum præciperent congregari, vt starèt pro animabus suis, & omnes inimicos suos cum coniugibus ac liberis & vniuersis domibus interficerent atque delerent, & spolia eorum diriperent.

12 Et constituta est per omnes prouincias vna vltimis diis, id est tertiadecima mensis duodecimi Adar.

13 Summaq; epistolæ hæc fuit, vt in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subiacebant imperio, notum fieret, paratos esse Iudæos ad capiendam vindictam de hostibus suis.

14 Egressiq; sunt veredarii celeres, nuncia perferentes, & edictum regis pependit in Susa.

15 Mardochæus autem de palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regijs, hyacinthinis videlicet & aerijs, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo, omnisque ciuitas exultauit, atque lætata est.

16 Iudeis autem nona lux orta visa est, gaudium, honor, & tripudium.

QVÆSTIVNCVLA XXII.

Quomodo ad summa euectus Mardochæus?

CErtatim in eum quæ hominibus maxima videntur: omnia confluunt. Nam Regi Esther indicauit, quas se ipsam propinquitate attingeret, quid ab eo; iam inde à teneris, beneficiorum accepis-

sse cepisset. Quamuis enim cap. 6. Rex in Græco ipsum Mardochæum Iudæum vocet, idque ab Amane iam cognôrat, nondum tamen Estheris patruum resciérat. Accedebat superior in eum ob patefactas insidias beneuolentia cap. 16. ver. 13. Hinc ergo, quæ sequuntur omnia. *Primum, ad Regis faciem ingressus est*, id est, inquit Vatablus, *in Regis familiam admissus.* At cap. 3. iam in aula versatum audiuimus. Ideoque potius est, ad intimam Regis consuetudinem admissum, in familiarissimorum numerum receptum esse. Hi enim Regum semper faciem vident. Vnde illa in Angelos metaphora Patris cœlestis faciem videntes, in Matth. 18. explicat Maldonatus, & significauit Tobiæ 12. quæst. 9. *Alterum*, dignitas ei Amanis data, vt declaratur annulo Regio huic iam dato. de quo supra par. 2. quæst. 6. & vocatur ipse Mardochæus cap. 9. ver. 4. *princeps palatii* cap. 10. ver. 9. *Secundus à Rege*, quod septuagintabibidem aiunt δευτερεύοντα βασιλέως, qui ali succesisset ipsi Regi, non vt Rex, sed vt *Regis* sanè *Vicarius*, vt supra in libello Ægyptiaco monui, & Iosephus συνδιέπων αὐτὸς τῷ βασιλεῖ, scilicet τὴν ἀρχὴν *simul cum eo gubernabat imperium*, & apparet ex vestium apparatu & splendore, quæ ver. 15. quadruplices nominantur. *Prima* stola Regia, hyacinthina & candida, seu vt cap. 1. aëria. *Secunda*, corona aurea. In Hebraico additur, *magna. Tertia*, pallium sericum, seu amictus byssinus, sæpe, pro *amicire & vestire*, verbo, vnde istud Hebraicum nomen, vruntur Rabbini vt ait Pagninus; Græci tamen verterunt διάδημα. *Quarta*, purpura, vel pallio etiam purpureo, de quo Plutarchus, Artax. alii apud quos dicitur χάνδυς ποικίλος & *Candys & purpureus.* Nominatur verò etiam à Iosepho torquis. De eiusdem illustrissima fama & gloria cap. 9. ver. 4. *Tertium*, à Regina verò ei Amanis domus amplissima vtique & splendidissima data fuit, quam à Rege illa dono acceperat. Ideoque ver. 2. rectè dicitur *Esther eum constituisse super domum suam.* quia eam dominum illius domus fecit, quæ sua iam erat. Forte tamen legi posset, *super domum Aman*, vt in Hebræo est, licet eadem sententia sit & verti posset, *constituit eum in domo Aman*, & quod Græce dicitur ἐπὶ πάντων, *in omnibus.* Non fuit vero inanis domus, aut à Rege ipsi Reginæ, aut ab hac Mardochæo data, sed omnibus Amanis facultatibus, omnique supellectili & instrumento referta, cum eáque omnes adeò simul opes, fundi, possessiones, quas viquam ille habuerat, prout Septuaginta & Iosephus annotant.

QVÆSTIVNCVLA XXIII.

Cur ad dignitatem tantam euectus?

REspondet sub Danielis cap. 2. finem D. Hieronymus, *vt quemadmodum in Iosepho* Genes. 41. *Daniele* Dan. 2. *sic in Mardochæo haberent captiui & peregrinantes Iudæi solatia, videntes hominem gentis suæ, Ægyptiorum esse Principem, vel Chaldæorum vel Persarum.* Chaldaica paraphrasis Canticorum 7. ver. 5. *Pauperet*, ait, *è populo qui ambulabant apud Principem hinc & inde, eo quod egeni sunt, futurum est, vt induantur purpura. sicut indutus est Daniel in ciuitate Babylonis, & Mardochæus in Susis, propter meritum Abrahæ, quem Regem constituit ab initio sæculi, & propter iustitiam Isaac, quem ligauit Pater eius vt offerret eum, & propter benignitatem Iacob, qui decorticauit virgas in canalibus.*

QVÆSTIVNCVLA XIV.

Quomodo perfecta gentis liberatio impetrata?

IRreuocabilia erant Regis edicta Danielis 1. & supra cap. 1. hoc cap. 8. ver. 8. in Hebraico, testátur que lib. 14. vbi de Charidemo agit Diodorus. At vehementes Regio pectori machinas Esther admouet ver. 3. concidit ad illius pedes, flet, orat, supplicat, & quidem ita vt Hebraice v. 5. membra quatuor ponantur, iterando scilicet paululum immutatis verbis, duo illa quæ in Latino. vt ex repetitione maior energia sit. *Quartum*, priores literas *non Regis*, sed ipsius *Amanis* nominat, vt non suum, sed Amanis edictum reuocare illa videatur, idque postea sapienter expressum ca. 6. v. 17.

QVÆSTIVNCVLA XXV.

Quomodo à Rege concessa Iudæorum liberatio?

CVmulatissimè concessa omnia ver. 7. & 8. Nam fecit potestatem literas scribendi & annulo suo obsignándi quotquot & quoquo modo vellent Esther & Mardochæus. Speciatim verò scribi quænam concederentur, exprimitur ver. 11. Videlicet quatuor hæc. *Primum*, vt in omnibus vrbibus Iudæi congregarent Satrapas Principes, populos, milites. Nam Iudæis Hebraicè dicitur dedisse literas, i. e. *in eorum gratiâ*, vt ista in singulis vrbibus fierent. Latinus verò noster eadem ista excussit, sed sermonem

Universidad de Deusto
Biblioteca

monem de Persis instituendo. Si vero Iudæi eos congregabant: ipsi cap. 8. vers. 11. *Iudæos convenire-bant* seu *adeos* cap. 16. vers. 20. συνεστηκέναι αὐτοῖς, noster vertit, *ipsis esse adminiculo. Alierum*, vt starent pro animabus suis ad delendum, interficiendum, & perdendum hostes suos, idque *cum ope & auxilio roboris populi & prouinciarum*. Nam particula Hebraica *eth* valet hîc *cum* vel *per*, vt Genes. 4. ver. 1. & sæpe alibi. Et *robur* seu *virtus prouinciarum*, dicuntur, qui in singulis locis erant, milites & præsidia, de quibus Xenephon in Cyropædia. *Tertium*, vt spolia vel fortunas istorum diriperent, idque die vno vbique, scilicet eodem illo, quem internecioni præfinierat Aman, qui erat mensis duodecimi Adar, dies decimustertius. Hæc autem scripta sunt omnibus omnium prouinciarum subditis & Iudæis & omnibus proprio suo charactere & lingua ver. 9. *Quartum*, addunt septuaginta, vt *suis legibus Iudæi ipsi viterentur*, seu *viuerent*. Id enim vnicè semper, præ aliis omnibus ab aliarum gentium Regibus impetrare conati sunt vt videre est apud Iosephum lib. 11. cap. vlt. lib. 12. cap. 4. lib. 17. cap. 7. & 10. lib. 17. cap. 12. & in Codice lib. 1. tit. 9. de Iudæis & cœlicolis.

CAPVT XVI.

1 Sup. 11. 2. REx magnus Artaxerxes ab India vsq; Aethiopiam centum viginti septem prouinciarum ducibus ac principibus, qui nostræ iussioni obediunt, *salutem dicit*.

2 *Multa bonitate principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam:*

3 *Et non solum subiectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias.*

4 *Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se iura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur, se posse fugere sententiam.*

5 *Et in tantum vesaniæ prouperunt, vt eos, qui credita sibi officia diligenter obseruant & ita cuncta agunt, vt omnium laude digni sunt, mendaciorum cuniculis conentur subuertere.*

6 *Dum aures principum simplices & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.*

7 *Quæres & ex veteribus probatur historiis, & ex his, quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundam suggestionibus regum studia deprauentur.*

8 *Vnde prouidendum est, pacis omnium prouinciarum.*

9 *Nec putare debetis, si diuersa subeamus, ex animi nostri veniæ leuitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, vt reipublicæ poscit vtilitas, ferre sententiam.*

10 *Et vt manifestius quod dicimus intelligatis, Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienusque a Persarũ sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus a nobis susceptus est:*

11 *Et tantam in se expertus humanitatem, vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus:*

12 *Qui in tantũ arrogantiæ tumorem sublatus est, vt regno priuare nos niteretur & spiritu.*

13 *Nam Mardocheum, cuius fide & beneficiis viuimus, & consortem regni nostri Esther cum omni gente sua nouis quibusdam atq; inauditis machinis expetiuit in mortem.*

14 *Hoc cogitans vt illis interfectis insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarũ transferret in Macedonas.*

15 *Nos autem à pessimo mortalium Iudæos nec dest iuratos, in nulla penitus culpa reperimus, sed è contrario iustis vtentes legibus.*

16 *Et filios Altissimi & maximi, sempercque viuentis Dei, cuius beneficio & patribus nostris & nobis regnum est traditum, & vsq; hodie custoditur.*

17 *Vnde eas literas, quas sub nomine nostro ille dixerat, sciatis esse irritas.*

18 *Pro quo scelere ante portas huius vrbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio eius pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit.*

19 *Hoc autem edictum, quod nunc mittimus in cunctis vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus suis.*

20 *Quibus debetis esse adminiculo, vt eos qui se ad necem eorum parauerant possint interficere tertiadecima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar.*

21 *Hanc enim diem, Deus omnipotens mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.*

22 *Vnde & vos inter cæteros festos dies, hanc habeatote diem & celebrate eam cum omni lætitia, vt & in posterum cognoscatur,*

23 *Omnes, qui fideliter Persis obediunt, diuinam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere.*

24 *Omnis autem prouincia & ciuitas, quæ noluerit solennitatis huius esse particeps gladio & igne pereat, & sic deleatur, vt non solum hominibus, sed etiam bestiis inuia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.*

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA XVI.

Quæ Regis litteræ?

EARVM tantum exempli mentio fit c. 8. Hebraicè & Latinè vers. 13. Sed ipsæ integræ litteræ Græcè ponuntur eodem c. 8. & in Latino c. 16. In iis porrò litteris multa, ad sapienter imperandum, ab improbis ministris & consiliariis cauendum, ad fortunam prosperam & blandientem moderatè ferendum, egregia præcepta insunt. In isdem vero explicanda hæc. I. *Duribus autem principibus* c. 8. vers. 9. Dicuntur principes, procuratores & Iudices, isdem Hebraicis verbis, de quibus suprà, *Achasdarpanim* & *anguli*; Iosephus hîc οἰκονόμους καὶ ἄρχοντας vocat. è Septuaginta scilicet, qui tamen dicunt ἄρχοντας τῶν στρατοπέδων quod idem Iosephus etiam post epistolæ finẽ facit, & addit τῶν τριάκοντα. vt suprà. II. *Nostræ iussioni obediunt*. Posset etiam verti. *qui nostra sentiũt, qui nobis addicti sunt*, vt infrà vers. 23. qui bene in Persas animati sunt, prout hodie Gallorum Reges, *à nos fideles*: & nostri Imperatores & Principes **vnsern getrewen**.

III. Multi
- I. *amplius sapiunt*, maiusque quiddam quam quod ipsis conueniat, cogitant.
- II. *quærunt nocere subditis* Principum suorum.
- III. *satietatem ferre non possunt*, id est, rerum opulẽtiam, ciborum, delitiarumque omnium copiam, & addit Iosephus δι' ἀπαιδευσίαν. *propter nequitiã*,
- IV. suis benefactoribus aggrediuntur machinari, malis scilicet quidpiam & insidias.
- V. *tollunt ex hominibus eucharistiam*, id est, gratitudinem,
- VI. efferuntur infinitorum bonorum pompis vel fastu & gloriis. Κόμπους vocat.
- VII. DEI *omnia semper videntis* credunt se effugere posse iudicium, quod malitiam omnem odit ac detestatur. Hæc enim est μισαπόνηρος δίκη. Particula, *semper* in Latino desideratur v. 4. quæ contrà in Græco non est v. 15. vbi dicitur ὕψιστος, μέγιστος, ζῶν θεός.

IV. Παραγωγαὶ (id est, sermo fallax, & calumnia eorum amicorum, quibus creditum est negocia gerere, seu res administrare) sæpè multos eorum, qui in potestatibus constituti sunt, *participet constituit sanguinis innocentum*. id est, cum putarentur amici, iisque rerum administratio committeretur, Principes, calumniando, adduxerunt ad innocentum cædem, ad sanguinem innocentẽ effundendum: eosdemq; Principes incurabilibus calamitatibus circumdederunt, dum eorum ipsorum, qui dominantur synceram simplicemq; mentem improbitatis malitiæq; suæ mendaci fraude, vafraq; oratione illi circumuenitũt. Ita hodierna Græca in quibus post πραγμάτων, distinctiuncula ponenda, vt amici dicãtur οἱ πιστευθέντες χειρίζειν τὰ πράγματα, seu, vt apud Iosephũ, πραγμάτων πραγμάτων ἐπιτροπεύοντες ἀπὸ τῶν φίλων. q̃ posteriora verba significant, posse in Græcis nostris, coniungi φίλων cum πράγματα. Idem tamen sensus etiam in Latino, qui tamen paulò aliter legisse videtur. ἐγνωμοσύνην, posteà φιλανθρωπίαν πρὸς πᾶν ἔθνος. videtur dicere, aut certè consociare. V. Quod verò v. 7. vsq; ad 10. de veterib. historiis traditur, valde in Græco implicatum est. & Iosephus nostro cum textu magis congruit, non tñ omnino. VI. Iam de Amanis complicatum est. & Iosephus nostro cum textu magis congruit, non tñ omnino. VI. Iam de Amanis facinore v. 10 Peregrinus à nobis susceptus est, ἐπιξενωθεὶς ἡμῖν. *à nobis alienatus, factus nobis velut peregrinus & alienus. Animo & gente Macedo*. vno verbo Græcè πῇ ἀλλοφύλος, id est, *vere Macedo. dolo*. IX. *in Macedones*. Iosephus suprà pro *Macedone* posuit *Amalecitem* & hic tantum dicit generatim εἰς ἄλλους. Sed apparet Regem voluisse exprimere certam peregrinam gentem, cui studeret Aman. I. cum dixit *peregrinum* expressit peregrinitatis speciem. sc. esse *Macedonem*. vel secundum Iosephum esse *Amalecitem*. ergo & hîc expressisse verisimile. II. Plus verisimilitudinis habebat. si definitè diceret in quos transferre cogitaret, quam si indefinitè. III. Nisi definire voluisset, diceret in quos transferre cogitaret, quam si indefinitè. III. Nisi definire voluisset, dedefinitè diceret in quos transferre cogitaret, quam si indefinitè. III. Nisi definire voluisset, dicere non voluit, quia ea tunc, si aliqua, erat certè perobscura, vt nihil esset, cur de monarchiæ cere potuisset voluisse imperium in seipsum transferre, sibi accipere. IV. de Amalecitarum gẽ illis sermo. Sed *verène hæc cogitarat Aman?* Diceret fortè quis Regem non tam vera quam veris similia scribere, vt in excusationib. interdum Principes faciunt. Verissima tamen statuet, quisquis quæ de insidiis suprà dicta, expenderit: simulq; cogitarit litterarum istarum auctorem non Regem tantum, sed Estherẽ & Mardochæum in primis esse. id est, mendacii hostes, veritatis amãtes. X. *iustis* Græcè superlativo δικαιοτάτοις πολιτευομένοις νόμοις. vbi nota, quæ & alibi sæpe occurrit, vim τοῦ πολιτεύεσθαι Act. 23. 1. Phil. 3. 20. Nota & magnificam de vero DEO professionem, consentaneam illi, quam Esdræ 1. edidit Cyrus. tursumq; paulo post v. 21. Quia verò, per DEVM

Universidad de Deusto
Biblioteca

istum summum, *sibi suisq; maioribus*, ait in optimo statu principatum traditum & conseruatum, intelligis, non ante Cyrum vel statim post, historiæ huius tempora fuisse. XI. *Et omnis cognatio.* σὺν τῇ παροικίᾳ μὴ τὴς γενεᾶς. *Leges apud Persas*, inquit l. 25. Ammianus *impendio formidata, per quas, ob noxã vnius, omnis propinquitas perit.* sicuti ēt de Intaphernis filiis, & propinquis narrat lib. 3. Herodotus. de aliis Iustinus l. 10. Sed quid? Iamne *Amanis filij*, de quib. c. 9. *suspensi erãt?* De hoc paulò post. XII. *non nobis.* à Græco abest, & tamen dicitur; *dignam* DEO *omnia gubernãte ipsi pœnam seu iudicium confestim reddente.* XIII. *eis* in Græco est, *pro perditione generis electi fecit ipsis gaudium.* XIV. inter cæteros festos dies, qui sc. apud Persas celebrabantur ἐν τοῖς ἐπωνύμοις ὑμῶν ἑορτῶς, vt erat dies τῆς μαχοφονίας apud Herodotum li. 3. Nam & Gentiles, rationis quodam lumine, viderunt, quod Iudæis diuinitus traditum est; bonum esse, certa tempora numini dicare. quo illud præcipuè laudaretur, ei grates agerētur, vt apud Plutarchum in Nicia, *dies Asinarius* XV. *gladio & igne.* δόρατι καὶ πυρὶ. *Deleatur*, per futurum in Græco exprimitur & additur, μετ' ὀργῆς. *cum ira.*

QVÆSTIVNCVLA XXVII.

Per quos istæ missæ litteræ?

IAM suprà dixi per cursores, qui ἄγγαροι dicebantur. Est verò ἀγγαρήιον equorum cursatio, inquit lib. 9. Herodotus. Vox *angar* Persica est, è qua *iggereth* epistola vnde & fortè Græcorum ἄγγελος *nuncius.* Sed v. 15. eorum Hebraica descriptio quędam est obscura. *festinãtes in equis equitantes hareces hachast heranim, qui filij haremacim.* Per *hareces* ait R. Abraham, significari *equos meracousch*, id est, qui de Regis substantia sunt, seu, è regio stabulo. R. Iona, *eques optimos* &, apud R. Dauid kimhi libr. Rad. esse *animalia, quæ ignoremus.* Alij *mulum* aut *dromedarium* singulari numero pro plurali *haachasteranim* mulos esse aiunt. & *haremacim equas.* Solent enim hę esse velociores, vt ex vetere vsu, & appellatione ἱππος notat in Isocratis Euagoram non nemo. & sanè id hodiernus vsus apud Principes viros confirmat. Additur Græcè quomodo hæ litteræ proponi publicè debeant, *in toto regno* ὀφθαλμοφανῶς. *ad oculum.*

CAPVT IX.

1 IGitur *duodecimi mensis, quem Adar vocari antè iã diximus, tertiadecima die, quando cũctis Iudæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Iudæi superiores esse cœperunt, & se de aduersarijs vindicare.*

2 *Congregatique sunt per singulas ciuitates, oppida & loca, vt extenderent manũ contra inimicos, & persecutores suos, nullusq; ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat.*

3 *Nam & prouinciarum iudices, & duces, & procuratores, omnisq; dignitas, quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos, timore Mardochæi:*

4 *Quem principem esse palatij, & plurimũ posse cognouerant: Fama quoq; nominis eius crescebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat.*

5 *Itaque percusserunt Iudæi inimicos suos plaga magnæ, & occiderunt eos, reddentes eis quod sibi parauerant facere.*

6 *Intantum vt etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Amã Agagitæ hostis Iudæorum: quorum ista sunt nomina.*

7 *Pharsandatha, & Delphon, & Esphatha,*

8 *& Phoratha, & Adalia, & Aridatha.*

9 *& Phermesta, & Arisai, & Aridai, & Izatha.*

10 *Quos cum occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt.*

11 *Statimq; numerus eorum, qui occisi erãt in Susan, ad regem relatus est.*

12 *Qui dixit reginæ: In vrbe Susan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in vniuersis prouinciis? Quid vltra postulas, & quid vis vt fieri iubeam?*

13 *Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Iudæis vt sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant, & decem filij Amã in patibulis suspendantur.*

14 *Præcepitq; rex vt ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, & decem filij Aman suspensi sunt.*

15 *Congregatis Iudæis quartadecima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis directa substantia est.*

16 *Sed & per omnes prouincias, quæ ditioni regis subiacebant, pro animabus suis steterunt Iudæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis: intantum vt septuaginta quinque millia occisorum implerentur, & nullus de substantiis eorum quicquam contingeret.*

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA XXVIII.

Earum effectum quod?

LVX & gaudium Iudæis admirabile cap. 8. vers. 16. Gentilium plerisque vera DEI religio, & Iudaismi professio vers. 17. Circumcisi enim, vti notat Iosephus; plurimi fuerunt. Causa & à textu & ab eodem Iosepho additur; Iudæorum timor. videbant diuinam iis opem præsentissimam adesse. videbant tam repentinam extremæ desperationis in tantum gaudium conuersionem, Amanis crucem, Mardochæi gloriam. & commouebantur non pauci. sed ex iis maximè, qui pessima quæque Iudæis moliebantur. Etenim ne ab iis miserè trucidarentur; eorum cæremonias amplectebantur. vt discamus metum, esse interdum quibusdam bonam, ad sanctissimæ religionis initia, occasionem: vt explicat epistola 48. & 50. D. Augustinus, rursumque in bellis vbiumque direptionibus meritò iis parcendum, qui Christianæ Catholicæque fidei mysteriis initiati sint. Istiusmodi verò è Gentilibus ad Iudaismum accedentes dicebantur ab iis *hanmiluim* vt infrà v. 27. G. οἱ προσηλυτευκότες ἐπ' αὐτῶν. alibi *proselyti.* Aliorum verò, qui sua in perfidia pertinaces fuerunt; cædes consecuta est 75000. hominum cap. 9. vers. 16. non, vt in Septuaginta tantùm 15000. quibus ex Iosepho restituenda particula ἑκατόντε, hoc modo. ἐφονεύθησαν ἑκατόντε πεντακισχίλιοι. Meritò tamen quæratur, *an tum primùm Amanis filij occisi sint?* Cum enim iste; tota cum domo & prosapia, ex Assueri epistola & Iosephi sententia, suspensus narratus sit, quomodo ad hoc vsque tempus euasisse illi traduntur v. 6. Et verò tam Latinè, quàm Hebraicè & Græcè vers. 35. simul cruci affixi significantur Pater, & filij. Dicat fortè quis, hos anteà suspensos fuisse. sed hoc ipsum per hysterologiã modo narrari. & idcircò videri nostrum Interpretem dixisse, *extra 10 filios Aman*, qui scilicet aliàs interfecti iam fuerunt. At Hebræus Græcusque textus reclamant. qui hac ipsa communi clade illos obtruncatos diserte asserunt. eorumque cadauera, postridie, in crucem acta. nequis fortè, quod fieri nonnunquam solet; præteritum perfectum, per plusquamperfectum interpretandum contendat. cùm, eadem in epistola, dicantur Amanis domestici non occisi, sed cruci vnà cum ipso suffixi. Neque aliud voluit Interpres noster, quàm extra, seu, præter & supra istos 10. filios cecidisse, illa die, Susis, ex hostibus quingentos. Malo igitur cæteros domesticos & propinquos cum illo in crucem sublatos intelligere & filios ad hoc vsque tempus in vinculis reseruatos fuisse, vt ab iis tanquam primitiis cędendi initium fieret. Demum admonet contextus ter ver. 10. 15. & 16. hostilium facultatum nihil omnino attigisse Iudæos, licet iis, vt suprà dictum, facta potestas fuerit. A DEO scilicet, non opes, sed tanto in discrimine opem petierant: non pecunias, sed vitam & incolumitatem optabant. cumque propter aliquam alicuius pecuniæ spem, soleant nonnunquam etiam innocentes, tali tempore, occidi, ostenderunt Iudæi se non auaritia & cupiditate, sed iusto dolore necessariáque defensione ad tantam cędem accessisse. O quàm sæpè milites nostros nimium præda excæcat! Persimile verò mihi hoc videtur illi, quod in hęreticos à Catholicis, iubente Rege, in Franciæ regno factũ anno Domini 1572. In Septuaginta videtur excidisse particula ἐν ver. 10. cum postea Latinis & Hebręis conuenienter, v. 15. ἐν διηρπαγμένων, *nihil diripuerunt.*

QVÆSTIVNCVLA XXIX.

Quando & hæ litteræ missæ, & cædes admissa?

CAPITE 8. vers. 9. missæ dicuntur *die 23. mensis tertij.* & notat Lyranus duos inter priora edicta & ista postertora menses interfluisse. At quomodo fieri hoc potuit? Nonnè, post prioris edicti missionem factam, die 13. mensis primi cap. 3. vers. 12. statim Mardochæi & Estheris ad DEVM precationes, à Rege petitiones & impetrationes confectæ sunt? Dies, quibus omnia hæc facta dicuntur, numera, & vix decem inuenies. Mouit hæc ratio ipsos Septuaginta. ideoque aiunt ipsi litteras istas posteriores, scriptas eodem *mense primo* Nisan; *die 23.* Quia tamen Hebræa & Chaldaica Latino assentiuntur, mutare nihil ausim: sed tantummodo coniicere, cùm litteræ priores scriptæ dicantur mense primo & missæ; intelligendum ita, vt statim quidem id factum sit, non tamen ad omnes vrbes & regiones simul: sed ad remotiores citiùs, ad propiores tardiùs, amandati tabellarij fuerint: ita vt, eodem propemodum tempore, in omnibus exponę litteræ fuerint & Susis. Hic enim tantisper silentio rem totam Amanus texit, donec, aliis in locis, promulgata eam existimauit. Erant verò locorum interualla, temporumque rationes diligenter initæ & perfectæ, prout, in Principum Cancellis, cernimus hodie scirì accuratè, quonam tempore possint Principis alicuius, ad suis ditionis loca omnia, litteræ peruenire. ficque lib. 5. Herodotus ait, *ab Epheso, Susa vsque, trium mensium, dierumque septem iter fuisse.* Cædes verò admissa, omnibus in locis anni eiusdem mense vltimo, die 13. cap. 9. ver. 1. & 17. in vrbe verò Susana die adhuc secuto. vers 13. & 18. Neque hi dies, à Iudæis, suæ huic libertati forte quæsiti sunt, sed ex diuino quodam nutu; eundem Rex diem constituit, quem, captiosa forte, Aman delegerat vers. 24. & maximè in Hebræo. Intueri verò par est in tam mirabilem rerum omnium metamorphosin.

I. Exaltatus suprà omnes Principes erat Aman: infrà omnes postea deiectus est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. Alterum à Rege thronum habebat, Mardochæo equum sternere postea debuit, vt eius veluti stator, & à pedibus esset.

III. Minacissima in eum verba plurima iecerat: & eum laudare, præconis instar, debuit.

IV. Patera à Rege vocabatur, & ab eodem postea læsæ maiestatis reus, perduellis, proditor nominatus est.

V. Indignans, oculis quàm infestissimis & toruissimis, Mardochæum intuebatur: & Regis postea vultum ferre non potuit.

VI. Non contentus vnius Mardochæi cæde, omnium Iudæorum sanguinem haurire volebat. & ipse non solus, sed tota cum domo, cum decem carissimis filiis, in crucem actus est. plurimisque, eiusdem cum ipso animi, gentilium millia contrucidata.

VII. Quod lignum, quemque diem Mardochæo, Iudæisque cæteris ad necem præscripserat: iis ipse, cum suis, miserrimè periit.

Est verò, apud Diuum Thomam initio Commentariorum in Canonicas epistolas, luculenta quædam harum Assueri Regis epistolarum allegorica expositio. sed ne à litterario, qui mihi iam propositus vnus est, sensu euager longius, eam modo præteruehi consilium est.

QVARTA PARS DE IIS, QVÆ LIBERATIONEM CONSECVTA.

E CAPITE NONO RESIDVA

17 *Dies autem tertiusdecimus mensis Adar primus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cadere desierunt. Quę constituerunt esse solennem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis gaudio atque conuiuiis.*

18 *At hi qui in vrbe Susan eadem exercuerant, tertiodecimo & quartodecimo die eiusdem mensis in cade versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eundem diem constituerunt sollennem epularum atque letitiæ.*

19 *Hi verò Iudæi qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem mensis Adar conuiuiorum & gaudij decreuerunt, ita vt exultent in eo, & mittãt sibi mutuò partes epularum & ciborũ.*

20 *Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literas comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus regis prouinciis morabantur, tam in vicino positis, quàm procul.*

21 *Vt quartamdecimam & quintamdecimam diem mensis Adar profestis susciperent, & reuertente semper anno sollenni celebrarent honore.*

22 *Quia in ipsis diebus se vlti sunt Iudæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumq; conuersa sunt, essentq; dies isti epularum atque letitiæ, & mitterent sibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur.*

23 *Susceperunt que Iudæi in sollennem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus literis faciendа mandauerat.*

24 *Aman enim, filius Amadathi stirpis Agag, hostis & aduersarius Iudæorum, cogitauit contra eos malum, vt occideret illos, atque deleret: & misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem.*

25 *Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans, vt conatus eius literis regis irritè fierent, & malum quod contra Iudæos cogitauerat, reuerteretur in caput eius. denique & ipsum & filios eius affixerunt cruci.*

26 *Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est, sortium: eo quod phur, id est sors, in vrna missa fuerit. Et cuncta, quæ gesta sunt, epistolæ id est, libri huius volumine continentur.*

27 *Quæq; sustinuerunt, & quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Iudæi super se & semen suum, & super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies absq; sollennitate transigere, quos scriptura testatur, & cetera expetunt tempora, annis sibi iugiter succedentibus.*

28 *Isti sunt dies, quos nulla vnquam delebit obliuio: & per singulas generationes cunctæ in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec est vlla ciuitas, in qua dies phurim, id est sortium, non obseruentur à Iudæis, & ab eorũ progenie, quæ his cæremoniis obligata est.*

29 *Scripseruntq; Esther regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam secundam epistolam, vt omni studio dies ista sollennis sanciretur in posterum.*

30 *Et miserunt ad omnes Iudæos, qui in centum*

tum vigintiseptem prouinciis regis Assueri versabantur, vt haberent pacem, & susciperent veritatem,

31 *Obseruantes Dies sortium, & suo tempore cum gaudio celebrarent: sicut constituerat Mardocheus & Esther, & illi obseruanda susceperunt à se, & à semine suo ieiunia, & clamores, et Sortium dies,*

32 *Et omnia quæ libri huius, qui vocatur Esther, historia continentur.*

CAPVT X.

1 *REx verò Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias:*

2 *Cuius fortitudo & imperium, & dignitas atque sublimitas, qua exaltauit Mardocheum, scripta sunt in libris Medorum, atque Persarum:*

3 *Et quomodo Mardocheus Iudaici generis secundus à rege Assuero fuerit: & magnus apud Iudæos & acceptabilis plebi fratrum suorũ, quærens bona populo suo, & loquens ea, quæ ad pacem seminis pertinerent.*

SANCTVS HIERONIMVS; *Quæ habentur in Hebræo plena fide expressit.*

QVÆSTIVNCVLA II.

Qui festi dies instituti?

PLVRIMA eximiæ lætitiæ signa ediderunt Iudæi: sed tantæ liberationis, diuiniq́ue beneficij memoria sempiterna vt esset, Esther & Mardochæus versicul. 21. 22. 27. 28. exemplo ipsius DEI, qui ad Ægyptiacæ liberationis recordationem perpetuam, diem festum anniuersarium constituerat; annuum festum diem præscripserunt. illum scilicet ipsum, quo, deletis funditus hostibus, omnium primò tàm à metu & periculo, quàm à delendorum illorum labore, conquierunt. Is extra Susa vbique fuit vltimi mensis *dies quartusdecimus*: Susis verò, vbi cædes biduana fuerat; *quintusdecimus*. Ideoque vers. 19. Iudæi qui in oppidis ac villis non muratis morabantur, festum agebant diem 14 Illi dicuntur *haperazim*, habitantes in vrbibus *haperazoth*. quæ sine muro traduntur etiam Deut. 3. v. 5. Iud. 3. vers. 7. Ezech. 28. Zach. 2. vers. 4. Abacuc. 3. v. 14. Septuaginta verterunt διεσπαρμένες ἐν πάσῃ χώρᾳ τῇ ἔξω. *dispersos in omni regione, quæ extra est*. Sed istud *extra* intelligi potest, vel extra Susa, vel extra omnes vrbes mœnibus obseptas. Eũ sensum confirmant, quę iam dicta sunt aliiq; libri Græci, quos notatio in Septuaginta, monet hìc addere. οἱ δὲ κατοικοῦντες ἐν ταῖς μητροπόλεσι, καὶ τῶν πεντεκαιδεκάτων ἡμέραν ἄγουσι μετὰ εὐφροσύνης ἀγαθὴν ἄγειν. *Qui habitant in metropolibus etiam decimumquintum diem Adaris lætum bonum agunt*. Vnde videntur, qui in vrbibus præcipuis erant, etsi, (præterquam Susis) cum pagorum, & non mœnitorum oppidorum Iudæis, à cędendis hostibus die 14. cessărant, duos tamẽ dies obseruasse, sicuti & Susani, diẽ 14. & 15. hoc enim illa partícula καὶ etiam significat. *Si dicas*, oportuisse omnibus dies festos duos esse ex versu 27. *Respondeo*, nulli licuisse duos illos dies absq; solemnitate transigere: sed cum quadam accommodatione, *pro locorum diuersitate*, vt alij tenerentur diem priorem, alij posteriorem seruare. quemadmodum omnibus seruandus dies Dominicus, sed quando nobis est dies ille, fieri potest vt iis qui ad orientem magis vergunt; iam is præterierit: & omnibus dies Paschæ celebrandus. sed iis, quibus correctum Calendarium iam promulgatum; tali die: aliis alio. Videntur verò, qui Susis erant, cum tantùm tenerentur diem decimũquintum celebrare, pietatis ergò, etiam decimumquartum sumpsisse: & cõtrà qui in metropolibus aliis, cùm ad decimumquartum tantùm astringerentur, sponte decimumquintum adiunxisse.

QVÆSTIVNCVLA I.

Quid iis festis agendum?

QVATVOR, quæ agenda sint, numerantur vers. 22. *Primum*, vt epularentur. & Septuaginta vocant hìc epulas, seu conuiuia, γάμους *nuptias*: vt Matth. 22. *Alterum*, vt lætarentur. *Tertium*, vt mitterent alij aliis partes, quas in Græco & Hebræo vniuersè positas. Interpres noster ad ciborum partes restrinxit. & quidem rectè. quia ea Iudæorum consuetudo est. & quia Græci textus eodem modo partes & proximis & egentibus dari volunt. Vide Nehemię c. 9. ver. 10. *demum pauperibus*, (in Græco τοῖς πλουσίοις *mendicis*) *munuscula* (Hebraicè, nõ necessariò diminutiuum est) *largirentur*. quod à Iosepho male omittitur. Nihil ergo aliud? Cætera nimirum, quæ festi dici sanctitati per sese conueniunt, quorumque causa, præcipue ij decernuntur; intelligenda sunt; DEO gratias Hymnis & Psalmis agere, cumque liceret, sacrificiis etiam salutaribus, historiam ipsam, animo & sermone commemorare, posterisque tradere. εὐχαριστοῦντες τῷ θεῷ inquit Iosephus, eos dies agere debebant. Et idcirco factum, vt iam ab eo tempore, in toto terrarum orbe, hi dies Iudæis festi sint. vt idem Iosephus monet. soleantque etiamnum hodie, suis in synagogis, tunc historiam illam legere. Olim, vt ait Iosephus Athanasius; *Amanem incendebant*. id est, vti quidem reor, aliquam Amanis effigiem, vel eo in synopsi

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo, quo sceleratorum hodie nonnullorum imagines in Gallia & Italia comburuntur, vel statuam quam piam stramine aliisue materia, quę ignem facile conciperet: refertam comburendo. Solent verò etiam nunc, hoc tempore magnum in Synagogis, dum historia hæc legitur; strepitum excitare, malleolis & manibus scamna & pulpita feriendo. inscriptumque Amanis nomen delendo & contundendo, prout notat Antonius Margarita lib. de ritib. Iudæorum, & Gregorius Tolosas Syntag. lib. 2. c. 16. n. 10. Vnde fortasse noster ille mos, vt dum liberationis nostræ memoria, dominique cruciatus quotannis repetuntur, modestus (talis enim esse debet) strepitus in Ecclesia, post eas, quæ tenebrosę dicuntur, matutinas excitetur. Olim verò, in crucifixi Amanis memoriam, crucem ligneam, contumeliæ causa, in ambarualibus quibusdam, præferebant, eamque postea exurebant. Quia verò Iudæi, ea occasione, ficta veluti comœdia Domini nostri sanctissimam crucem & passionem irridebant; eum totum ritum aliosque omnes, qui Christianæ legis contemtum aliquem haberent, vetuerunt Cod. *de Iudæis & Cœlicolis l. Iudæos* Honorius & Theodosius hisce verbis: *Iudæos quosdam festivitatis suæ solemni, Aman, ad pœnæ quondam sumptæ recordationem, incendere, & sanctæ crucis adsimulatam speciem in contemptum Christianæ fidei sacrilega mente exurere, provinciarum rectores prohibebant: neve locis suis fidei nostræ signum immisceant, sed ritus suos citra contemptum Christianæ legis retineant, amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperarint. Dat. IV. Kalend. Iun. Constantin. Basso & Philippo conss. 408.* Etsi enim paulo aliter in vsitatis hodie libris legitur: esse tamē ita legendum patet è Theodosiano Codice, titulo eodem *de Iudæis*. Hodie verò, in quibusdam Germaniæ locis, duratas fumo carnes coquunt, puerisque suis diuerberandas & bacillis contundendas tradunt, dicentes: **Dat ist der dürre Homan**, quod eorum plerique de CHRISTO Domino, per contemptum intelligunt, quasi is **der dürre Man**, sit, id est, *homo exsuccus, aridus, illiberalis, inops & ineptus*. Seruant verò & hodie iidē Iudæi die 13. Adar, *ieiunium*: quod *Thaanith Esther* vocant. Id, etsi non aperte, præscripsit tamen Mardochæus, vti colligitur ex vers. 31. & 32. Non tamen Iudæi vetustiores semper obseruarunt. quia id antiquauit Iudas Machabæus, secundi Machabæorum cap. vltimo, v. 37. Fuit enim ab Iuda dies ille 13. festus indictus, ob nobilissimam de Nicatore victoriam. Cęterum, festo diei ieiunium cōuenire non solet, Nehemię 9. v. 10. Erant ieiunio coniunctæ tristes. humilitatisque plenæ orationes & clamores. vt eodem v. 32. indicatur: ob fletus & eiulatus olim, ante liberationem, fusos: & ob præsentiū, si qua sint; malorum depulsionem.

QVÆSTIVNCVLA III.

Quod eorum dierum nomen?

DIES *phurim* vel *happurim* vers. 26. ob sortes, de quibus suprà; immutatas. Græc. *αἱ ἡμέραι Φυρὶ* vel *Φυρεὶ* non, vt in Græcis hodie legitur, *Φεργὶ*, neque vt in Iosepho, & Synopsi *Φεργεῖοι*, nisi quis non Hebraicam vim exprimere, sed in verbo ludere velit, quasi ij dies, verè Iudęis *Φεργεῖοι*, id est, ad custodiam præsidiumque dati essent. quem admodum in *theriace & teriace*, quæ *conseruatrix* est; iucunda nonnunquam allusio fieri solet. Possent ab iisdem sortibus nominari *τὰ κληρωτήρια*. Fuerunt & ab eorum auctore, dicti *dies Mardochæi*, maxime dies decimusquartus. 2. Machab. vltimo. In Hebræorum Calendariis dies Adar 14 inscribitur, *sortium festum minus*, dies 15. *sortium maius*, vt ex eorum bono interprete Genebrardo discere est, apud quem tamen illa è Machabæis nomenclatio dum diei decimoquinto tribuitur, non existimandum, diei etiam decimoquarto non cōuenire, cum, vt dixi, textus ei signatè tribuat. Dici tamen etiam potest, auctorem Libri Machabæorū hosce duos dies, quia, vna de re, vnam ob causam, festum vnum efficiunt; considerasse instar vnius. ita vt vterque *Mardochæi dies sit*. Generatim porro dies hi dicuntur vers. 22. Hebraicè *dies bonus*, id est, lætus, & festus, prout Galli etiam hodie aiunt, *vn bon iour*. de qua appellatione Elias Thisbi. Nos, alio paulùm sensu, quotidie diem bonum, id est; faustum felicemque aliis precamur. de quo Diuus Augustinus lib. 4. de Musica.

Bonum videre qui cepit diem.
Bonus sit hic, videbit & DEVM.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Eorum dierum auctor quis?

GENTILIBVS eos *Rex* imperauit cap. 16. vers. 22. Mardochæo dictante. Iudæis verò ipsis idem *Mardochæus*. Sed primo visus fuit quasi dies eo tantùm anno agendus, postea verò eum, vt esset perpetuus, *confirmauit* & sanxit idem Mardochæus, vers. 21. in Latino & Græco, apertiùs tamen in Hebraico, ipsi verò Iudæi confirmarunt & accepertunt tam pro se, quam pro posteris & proselytis in æternum v. 27. 28. 31. Accessit v. 29. in Hebræo. *Secunda* ab Estheris & Mardochæi litteris aliis *confirmatio*, quæ Hebraicè *thoceph* vti scilicet capite primo, versu primo, & Danielis vndecimo vers. septimo, *fortitudo*. dicitur, à Septuaginta hic *ἰσχὺς*. Ideoque huius festi auctoritas & perpetuationis principium Estheri & Mardochæo ascribitur vers. 31. & cap. 10. vers. 13. Suprà vero iam admonui, Gentilibus etiam id genus festos dies vsitatos fuisse. idque natura ipsa duce. quanto nobis magis, quibus &

bus & natura, & DEVS, eiusque sancti prælucent? hinc *festum Iudith*, de quo in Iudith cap. 16. quæst. 9. *recuperatorum* ab inuictissimo Lotharingo Duce *Hierosolymorum festum* olim dies apud Guilielmum Tyrium lib. 8. belli sacri cap. vlt. & in Wirciburgensi vrbe, ipso S. Cyriaci, *processio solennis*, ob victoriam contra Hermannum Comitem Hennebergensem, eiusque sororum Comitem in Kassel, anno Domini 1266. sub S. Kiliani vexillo, in campis prope *Kitzingen*, vt habent M. Michaelis de lecne manuscripta Chronica. Quæ hic in Septuaginta vsq; ad c. 10. sunt, ea in Hebræo & Latino aliter.

QVÆSTIVNCVLA V.

Quæ de Rege Assuero & Mardochæo conclusio?

CAP. X. ponitur. sed in Græco est ab Hebræo, & Latino magnum satis discrimen, cum pro *ἐπὶ τοῦτο* scriptum sit *ἔγραψε* & similia. Latinus ab Hebræo tantum differt quod addat vniuersitatis signa *omnem & cunctus*. videlicet prout suprà expositum ex cap. 13. vers. 2. Reliqua initio dicta. Mardochæus verò *magnus Iudæi*, seu, *apud Iudæos* v. 3. & *acceptabilis plebi fratrum suorum*. id est, multitudini etiam infimæ, cui se affabilem, comem, beneficumque præbebat. *quærens bona populo suo. & loquens pacem omni semini suo*. seu Israëliticæ genti.

E Capite decimo residua.

SANCTVS HIERONYMVS; *Hæc autem, quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua & litteris continentur: & interim post finem libri hoc capitulum ferebatur: quod iuxta consuetudinem nostram obelo, id est veru prænotauimus.*

4 5 DIXITQ; Mardochæus: *A Deo facta sunt ista. Recordatus sum somnij, quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quicquam irritum fuit.*
6 *Parvus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem solemq; conuersus est, & in aquas plurimas redundauit: Esther est, quam rex accepit vxorem, & voluit esse reginam.*
7 *Duo autem dracones: ego sum, & Aman.*
8 *Gentes, quæ conuenerant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Iudæorum.*
9 *Gens autem mea: Israël est, quæ clamauit ad Dominum, & saluum fecit Dominus populum suum. liberauitq; nos ab omnibus malis, & fecit signa magna atque portenta inter Gentes.*
10 *Et duas sortes esse præcepit, vnam Populi Dei, & alteram cunctarum Gentium.*
11 *Venitq; vtraque sors in statutum ex illo tam tempore diem coram Deo vniuersis Gentibus.*
12 *Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hereditati suæ.*
13 *Et obseruabuntur dies isti in mense Adar quartadecima, & quintadecima die eiusdem mensis, cum omni studio, & gaudio in vnum cœtum populi congregati, in conspectu Dei deinceps generationes populi Israël.*

CAPVT XI.

ANno quarto regnantibus Ptolemæo, & Cleopatra, attulerunt Dositheus, qui se Sacerdotem & Leuitici generis fore-bat, & Ptolemæus filius eius hanc epistolam phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Ierusalem.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Ad Hebraicum textum, quænam è Græcis addit D. Hieronymus, quæ ad libri finem pertineant?

EA, quæ de somnio sunt cap. 10. vers. 4. de *diebus phurim*, vers. 13. de interpretatione epistolę Phurim c. 11. v. 1. vbi sciendum Hebraicè c. 9. bis memorari *egereth*, id est, *epistolam phurim*. cuius ibi summa posita est. & integra, quod sciam; hodie non extat. Sed fuisse videtur in Græcis exemplaribus, cùm dicat interpres, *hanc*, seu, vt in Græco, *τὴν προκειμένην*, id est, *quæ proponitur*, videlicet legenda. Hanc ergo, cum Ægypti Rex Ptolemæus, vel Epiphanes, vel Philometor (vtriq; siquidē, sicuti & Ptolemæo Euergetæ apud Iosephum c. 4. l. 12. vxor *Cleopatra* nomine fuit, Iosepho teste l. 12. c. 3.) regnaret, attulerunt in Ægyptum; vt ex Regis nomine & anno intelligitur; Sacerdotes *Dositheus, eiusq; filius Ptolemæus*. quam & ex Hebræo Græcè conuertisse affirmarunt Lysimachum huius ipsius Ptolemęi filium, Hierosolymis cōmorantem. De eo autem id isti fortè memorarunt, vt & Iudęis prodesset, & iste filij sui, ille sui nepotis doctrinam & industriam commēdarent, qui vertere illam potuisset, aut verò, vt maiorē fidem facerent, cum esset ille notus, & ipsi eius quodāmodo auctores, ratione illius, viderētur. Apud Iosephū l. 19. c. 4. *Alexander Alabarches*, quē lib. 18. c. 8. prędiuitē ostenderat, &c. 10. Philonis illius doctissimi fratrem scripserat, & de cuius filio Tiberio Alexādro Phadi, in Iudęę procuratione, successore l. 20. c. 3. vocatur etiā *Lysimachus*. An nostri huius Lysimachi familia?

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA VII.

Quando mortui, & vbi sepulti Mardochæus & Esther?

DE priori non liquet: de posteriori auctor est Beniaminus in Itinerario; eorum sepulchrum fuisse in Mediæ vrbe principe *Hamda magna*, in qua *Israelitarum*, suo tempore fuerint *millia* circiter *quinquaginta* & paulò antè dixerat inter vrbis Elam ruinas, visam adhuc fuisse Susam Habiram, vt suprà dixi cap. 1. Possit forte videri ab eo dicta regio, quæ inter Babyloniam & sinum Persicum est, *Mardochæa*, vti quidem in veteribus Ptolemæi libris legitur, Geogr. lib. 5. cap. 20. & Asiæ tabula quarta. In Græco tamen textu ἀμορδαχία est, præposito scilicet. α. Sed hoc per pleonasmum in multis fieri docet Eustathius Iliad. ν, vt in ἄτιτος, ἄσπιλος, aliis.

QVAESTIVNCVLA VIII.

De Esthere & Iudith, quæ apud veterum, recentiorumque nonnullos encomia?

CLEMENS Alexandrinus Stromate 4. cap. 6. post laudatam Iudith:

RVRSVS, ait, perfecta illa fide Esther, Israhelem à tyrannica potestate liberans, & à crudelitate Satrapæ sola mulier afflicta ieiuniis, restitit, armatis copiis innumerabilibus, tyrannicum per fidem soluens decretum, & tyrannum quidem mitigauit: Aman verò repressit, & Israhelem perfecta ad Deum oratione illæsum conseruauit.

D. Chrysostomus homil. 9. ex variis in Matthæum: & Chromatius in Matth. 6. post ipsius etiam Iudith encomium.

SIMILITER Hester sanctissima, dum lota facie, & capite vncto, post triduanum ieiunium, intelligi à rege non potuit, Aman illum populi sui inimicum iniquissimum interemit.

D. AMBROSIVS epist. LXXXVIII.

IVDITH luxurioso Holpherni haudquaquam inflexa conuiuio, solo titulo sobrietatis desperatum lacertis viribus reportauit triumphum, patriam obsidione exuit, ducem militiæ suis manibus occidit. Exemplum eniteo, quod & illum terribilem popu is bellatorem virum luxuria emollinit, & hanc fœminam temperanti ciebi fortiorem virtus fecit. Non hic in sexu suo victa est natura, sed in cibo suo vicit. Hester regem superbum suæ imitauit ieiunio. Et, post ipsius Iudith commendationem, libro de Elia & ieiunio; Hester quoq; ait, pulchrior facta est ieiunio. Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat. Omne genus suum, id est, totum populum Iudæorum à persecutionis acerbitate liberauit, ita vt Regẽ sibi faceret esse subiectum, nõ libidinis amore flammatum sed cœlesti miseratione conuersum, ita vt pœna retorqueretur in impium, & honor sacris redderetur altaribus. Itaque illa, quæ triduo ieiunauit continuo, & corpus suum aqua lauit, plus placuit, & vindictã retulit. Aman autem dum se regali iactat conuiuio, inter ipsa vina pœnam suæ sobrietatis exsoluit. Est ergo ieiunium, reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores augmento gratiæ.

S. Prosper libro de promissionibus & prædictionibus parte II. c. 38.

QVID fortius muliere? quæ prima præ omnibus viris excurrens, videre meruit resurgentem. Quæ cum in typo Ecclesiæ hæc Esdras scripserit, subsecuta est etiam actio figurata. Hester enim, quæ à Mardochæo fuerat in filiam educata, dum aulam regiam Mardochæus curaret, a Deo, qui exaltat humiles, ad regiam Hester perducta est dignitatem. Hæc cum populum suum, agente amico regis Aman, causâ Mardochæi, damnatum intelligeret morti, gladiusque eorum ceruicibus imminere, animam suam Hester pro populo suo ponens, innocato diuino auxilio penetralia regis ingressa est, quo mulieri non vocatæ accedere non licebat. Quam cum rex indignatus aspiceret, illa quoque tacuisset: Conuertit, dictum est, cor eius Deus in lenitatem, eique rex multa bona promittens, dum eius salutem reparare contenderet, ad conuiuium cum Aman vẽturum se, vt regina poposcerat, non negauit. Illic narrans quæ secum, & cum populo acta erant, Aman eo ligno crucifigi rex statuit, quo Mardochæum idem Aman suspendere statuerat innocentem. Vt qui cogitant in me nequissima, sicut ait Propheta, super ipsos volvantur. Sic Ecclesia sancta crucis perimit inimicos. Sic se pro suis, periculis huiusmodi opponit. Sic datu in morte, suis laboribus, vitam conferendo ministrat: vt potè regina, quæ à suo rege sponso & domino admoneatur, eiq; dicitur: Libera eos qui ducuntur ad mortem: & redime eos, qui occiduntur. Cuius beneficiorum refugia, ipsi quoque eius appetunt inimici. Pergit verò & subdit.

IVDITH sancta, ordine subsequente ponitur, quæ etiam ipsa figuram sanctæ ecclesiæ personamque suscipiat. Nam

Nam cum dux militiæ regis Babylonis Bethuliam Holofernes obsidione cinxisset, sublatisque aquis sitit totam affligeret ciuitatem, primores eius in deditionem statuerunt tradere Holopherni. Hæc disponentibus Iudith obstitit, paucorum dierum inducias poscens. Quibus ieiuniis orationibusque supplex, regem regum, & dominum dominorum exoranit. Exuta igitur veste viduali, sese omni ex parte, mente, corpore, moribusque componens, mirabilem cunctis exhibuit: eo vsa consilio, quo custode Deo, credebat pulchritudine capti hostem posse permere, suam pudicitiam illo seruante, qui dator & custos est castitatis. Quæ cum illæsa caput hostis asseret, quam viri non valuerant, fœmina patria reddidit libertatem. Nostram, vt diximus, cuius hæc figuram gestabat, si agnoscas ecclesiam, videre quemadmodum posteaquam eius vir CHRISTVS Dominus passus resurgens ascendit in cœlum, omni mœstitia & veste viduali depulsa, sit indutæ pulchritudine ab eo, de quo in Esaia Propheta dicit: Induit me vestimento salutari, & stola iucunditatis circumdedit me, sicut sponsam ornatam monilibus suis. Missa est enim & hæc in vulnere capitis inimicorum, quoniam corpus illius est, qui confregit caput draconis magni. Non pepercit & hæc animæ suæ sicut illa, quoniam ipsa est quæ dicit per Ioannem Apostolum: Sicut CHRISTVS pro nobis animam suam posuit, ita & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quod fecisse in sanctis martyribus constat, quæ est benedicta apud omnipotentem Deum.

Rodolphus Agricola in Carmine de S. Anna.

ESTHER quod populum scelerati fraudibus Aman
Eruit, & regis mitior ira fuit,
IVDITH & Hebrais ferrum flammasq; minantem
Hostem tartareas fecit adire domos
Laudibus & colitur IVDITH & laudibus ESTHER
Semper & æternum nomina clara tenent.

QVÆSTIVNCVLA IX.

De sensu mystico.

ESTHEREM Ecclesiæ Christianæ typum gerere quæst. 12. in caput Iudith vltimum ex D. Hieronymo dictum est. & quemadmodum per Iudith, ita & per Estheream quidam B. Virginem tradunt significatam, vti, si libeat, videbis apud Canisium nostrum lib. 1. de B. Virgine, cap. 2. & lib. 5. cap. 23. Ideoque & in Marianis floridis, *Del Rio* noster, panegyrico in festo Assumptionis; *Quis*, ait, *nescit Estheram Deiparæ typum fuisse? Hodie non ad Assuerum, hoc est, summum Principem, terrenum tamen; sed ad cœli terræque Principem atque Dominum: non ad Artaxerxem, (id est lumen & gloriam Persarum) sed ad claram visionẽ æterni luminis illius, in quo solo posita beatitudo sempiterna, fuit erecta verior Esthera; occulta quidem & abscondita per humilitatem; sed nunc gloriosa & illustris per retributionem, duabus ancillulis comitata meritorum, actione & contemplatione; sed vni innixa, vt præstantiori & gratiori, illi quam Maria partem optimam delegit, mentis in Deum elevationi.* Et pulchrè iam olim D. Thomas prologo suorum in Canonicas epistolas Commentariorum, prout monui sub finem partis libri tertiæ. Sed, quę tum præteruehebar; eius verba non incommodè iam legere liceat. Ita verò illa se habent.

Missæ sunt epistolæ ex regis nomine per veredarios, qui per omnes prouincias discurrentes, veteres litteras nouis nunciis præuenirent. Verba ista scripta sunt Hester. 8. ca. & satis spiritualiter intellecta competunt proposito nostro. Et vt melius videamus sensum spiritualem, primo videamus litteralem. Narrat hæc historia ad litteram, quomodò à Rege Assuero, per falsam suggestionem Aman proditoris, lata fuit sententia condemnationis & interfectionis totius populi in regno suo existentis. Iam sententia erat lata, iam erat annulo Regis obsignata, iam per nuncios publicata, iam dies erat assignata: non restabat nisi quod interficerentur. Sed sicut narrat eadem historia, per reginam Hester fuit reuocata, scilicet per eius intercessionem, per virgæ aureæ extensionem, & osculum summitatis eiusdem. Nec solum sententia fuit reuocata, immò ipsa reuocatio per veredarios ad hoc specialiter missos fuit promulgata, hoc est quod dicitur in verbis propositis, *Missæ sunt epistolæ* &c. Sicut dicitur 1. Corinth. 10. *Omnia contingebant illis in figura.* Veritas autem respondens huic figuræ, hæc est. Per peccatum enim primorum parentum, per falsam suggestionem Aman proditoris perpetratam, *à Rege Assuero*, scilicet DEO, sententia damnationis totius generis fuit lata. Genesis 2. *Quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* quod dictum est Adæ non solum pro se, sed & pro sua tota posteritate. & dicit. *Quacunque die comederis, morte morieris*, innuens triplicem mortem. Nam ipsa comestio fuit mortifera. Statim ergo cum comedit lignum vetitum, mortuus fuit spiritualiter, sed habuit necessitatem moriendi corporaliter, & quantum est de se, æternaliter.

Iam ergò sententia erat lata, iam erat in sacra scriptura obsignata. Gen. 2. iam erat per nuncios, scilicet prophetas promulgata. Iam dies erat assignata. Statim enim, cum moriebamur, ad inferos descendebamus. Sed *per Hester reginam*, id est, *virginem beatam* fuit reuocata, per eius, scilicet intercessionem, per virgæ aureæ extensionem, & osculum summitatis eiusdem. De hoc habetur Hester 8. vbi dicitur, q. *placuit Hester regina in oculis regis, & extendit contra eã virgam auream, quæ accedens osculata est summitatẽ virgæ. Et dixit ei Rex, Quid vis Hester, & quæ est petitio tua, etsi dimidiã partẽ regni mei*

petieris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

petieris, impetrabis. Quæ respondit, Si inueni gratiam in oculis tuis & placet tibi. Dona mihi animam meam pro quâ rogo, & populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus, vt conteramur & iugulemur, & pereamus per peccatum originale contractum, & per peccata nostra actualia superaddita. Traditi enim eramus, vt iugulareinur, in corpore periremus, & in anima contereremur, id est, simul tereremur in vtroque, vt iugularemur corporaliter, periremus spiritualiter: contereremur, id est, continuè tereremur æternaliter. Sed Hesther regina, id est, virgo beata placuit in oculis regis ad restaurationē generis humani, inuenitque gratiam coram eo non solum pro se, sed pro toto humano genere, extenditque Rex virgam auream. Ista *virga aurea* secundum Glossam, fuit *crux*, siue *passio Dominica*, quæ tota fuit aurea, id est, charitatiua. Nihil enim fuit maculæ in ipso CHRISTO contractum, nec passibilitas contracta est, nec originale contractum. Nihil fuit in ipso actu, quia nec veniale nec mortale, imò purè pro salute generis humani passus fuit. Nullius sancti, cuiuscunque conditionis; passio fuit tota aurea, quia in omnibus fuit passibilitas contracta per originale contractum, & aliquod peccatum actu, saltem veniale. Hanc virgam auream Dominus DEVS Pater nobis extendit; quando ex charitate maxima, quam ad nos habebat, filium suum passioni exposuit. *Summitatē* eius *virgæ beata virgo tetigit*, quando filium DEI in vtero concepit, & postmodum peperit, & sic dimidiam partem regni DEI impetrauit (*impropriè scilicet, & per quandam accommodationem sanè intelligendam, vt ex iis, quæ de regno postea subduntur, & ex re ipsa nimis quam patet.*) Et *per veredarios*, id est, apostolos ad hoc specialiter missos, reuocatio fuit promulgata, hoc est, quod dicitur in verbis propositis, *Missæ sunt epistolæ ex Regis nomine*, id est, auctoritate, per veredarios, id est, apostolos, qui per omnes prouincias discurrentes. Glossa. *Per prædicatores summi Regis cursores veteres litteras, scilicet damnationis nostræ nouis nunciis, scilicet apostolis præuenirent.* In verbis istis *notantur tria*, secundum tria cuilibet missioni solenni necessaria. Quælibet enim missio solennis requirit in mittēte auctoritatem, in misso celerem adimpletionem, in eo cui fit missio, vtilitatem. In verbis autem propositis, notantur ista tria. In mittente authoritas, cum dicitur; *Missæ sunt epistolæ ex Regis nomine.* In misso adimplēdi celeritas, cum dicitur *per veredarios, per omnes prouincias discurrentes.* In illis in quibus facta est missio, vtilitas; cum sequitur, *vt veteres litteras nouis præuenirent nunciis.*

Iste Rex Assuerus significat Christum. Interpretatur enim *arrium* siue *beatitudo*. Christus verò est atrium bonorum, qui sunt in statu viæ. Beatitudo quantum ad illos, qui sunt in statu patriæ. Excellit autem omnes alios reges. *Primò* in naturali regiæ maiestatis dignitate. Fuit enim Rex quando natus est ex Deo Patre æternaliter, & rex antequam natus ex virgine temporaliter. Ideò sapienter quærebant illum Magi, Matth. 2. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum*, non dicunt, *vbi est?* sed *vbi est qui natus est Rex?* Rex n. Franciæ natus, sed non est natus Rex. Christus autē fuit Rex in ipsa natiuitate, imò antequam nasceretur ex virgine. Psal. 73. *Deus autem Rex noster ante sæcula. Secundo* excellit eos in aliorum regum institutione. Ipse enim omnes alios Reges instituit, quod nullus alius potest. Rex enim Franciæ nō instituit Regem Angliæ. Prou. 8. *Per me Reges regnant.* Vnde omnes Reges alij, sunt eius serui & tributarij. Psal. 71. *Omnes Reges seruient ei*, id est, *seruire debent.* Vel vt sit distributio accommoda, quasi dicat; quotquot seruient ei, erunt Reges: quia ei seruire regnare est, secundum Gregorium in glossa super illud; *Paulus seruus Iesu Christi*, &c. ad Rom, 1. *Tertiò* excellit eos in regni sui æternitate, siue æterna duratione. Caret enim principio, & fine. Psal. 144. *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum*, Dan. 7. *Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod nō corrumpetur.* Omnia aliorum regna sunt temporalia, corruptibilia ac per hoc momētanea. Eccl. 1. *Hodie est Rex & cras morietur.* Vnde Reges mundi sunt, quorum regnum nō durat, fortè nisi per vnum diem, & postea sunt similis, vel forte deterioris conditionis. *Quartò* excellit, in regni sui liberali & totali distributione. Omnibus enim illis, qui sunt de regno suo, liberaliter totum regnum suum distribuit, quod nullus alius Rex facit. Luc. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Non dicit partē regni, sed regnum. Legitur 1. Macha. 1. quod *Alexāder, cū moreretur vocauit pueros suos cum quibus nutritus fuerat, à pueritia sua, & diuisit illis regnum suum.* Aliter est enim de regno Dei, & mūdi. Videre enim regnum mundi, non est habere. Matth. 4. Ostendit illi omnia regna mundi, & dixit ei, *Hæc omnia tibi dabo*, non dicit, *tibi do.* Sed videre regnum Dei est habere iuxta illud Sapient. 10. *Iustū deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei*, id est, dedit. Scitus autem quod eadem res simul, & semel, & tota à pluribus, imò ab omnibus potest videri. Rex igitur Assuerus est Christus, ex cuius nomine, id est, auctoritate, epistolę illæ missę sunt. Ille enim facit, cui⁹ authoritate fit. Apostoli verò authoritate Christi illas epistolas scripserunt, & miserunt. & ideò possunt dici à Christo missæ. Ecce ergo primum. scilicet in mittente authoritas, quæ significata est. 2. Paralip. 30. Vbi dicitur, quod *Ezechias Rex misit nuncios ad omnem Israel & Iudam. & scripsit epistolas ad Ephraim & Manassem, vt venirent in domum Domini in Ierusalem, & facerent Phasē Domino Deo suo.* Rex ecce Christus, qui misit nuncios, id est. Apostolos, & scripsit epistolas. scilicet Canonicas.

Hæc, & his plura D. Thomas, à quo cætera eodem modo interpretari discet, cui animus. Nunc, per ipsam Esthērem, sit GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITVI SANCTO: SICVT ERAT IN PRINCIPIO, ET NVNC, ET SEMPER, ET IN SÆCVLA SÆCVLORVM, AMEN.

INDEX

RERVM ET VERBORVM IN ESTHERIS COMMENTARIVM,

copiosus & accuratus, iuxta seriem alphabeticam perspicuè congestus.

A.

Abstinentia à vetitorum ciborum esu. 231
Aditus in aulam regiam absq; Regis iussu apud Persas nemini patebat. 332
Adoratio duplex: Ciuilis vna, religiosa altera. 325
Alexander Magnus Philosophum quendam diuinum ipsi honorem negantem, interficit. 327
Alexander moriens vocauit pueros suos, illuq; regnū suum diuisit. 358
Aman quis? 322
Aman & Mardochæus quando dicantur dracones. 290
Aman à Rege exaltatur. 324
Aman super omnes Principes exaltatur. ibid.
Aman coniurationis in Assuerum particeps. 320
Aman Mardochæo totiq; Iudæorū genti infestus. 325
Aman duas ob causas Iudæis infestus. 325
Aman Mardochæo à pedibus eiusq; strator esse cogitur. 344
Aman cum suis suspenditur. 349
Amanis vestis Deorum imaginibus decorata. 325
Amanis interitus à Sapientibus siue Magis prædicitur. 344
Amani cur annulum dedit Rex. 328
Amans honorem Deum imitatur. 499
Angli Reginam prætereuntem genibus flexis nixi, venerantur. 326
Ambitio timida & suspiciosa. 388
Amicitias gentium expetere Iudæis non fuit tutum, neque lege concessum. 526
Argumentum pro posterioribus huius libri partibus proponitur. 286
Arma Iudæis Sabbatho gestare an liceat. 424
Assuerus in hoc libro fuit Artaxerxes Ochus. 292. & 293
Assuerus grande conuiuium principibus ac pueris suis parat. 298
Assuerus de repudiata Vasthi dolet. 312
Assuerus an ex Esthere Iceberos procreârit. 319
Assuerus quomodo ab Esthera quasi angelus Dei visus. 340
Assuerus dimidium regni promittit Reginæ. 341
Assuerus ferox & truculentus. 339
Assuerus Rex Christi typum gerit. 358
Assueri imperium. 297
Atrium Regis Assueri duplex. 332
Auctor libri huius quis? 283
Auxillum diuinum ingruentibus periculis solum implorandum. 169

B.

Babylone puellæ in vxores vendi solebant. 312
Bellorum gerendorum duo instrumenta præclara. 449
Beneficia in Persarum Reges collata semper viridi memoriæ inhærebant. 343
Beneficiorum largissimus remunerator Deus. 343
Brentzius Reginam Vasthi superbiæ & contumaciæ accusat. 306.
Brentius arrogantiæ & contumaciæ accusatur. 306.
Brentius Luthero tacitè patrocinatur. ibid.

C.

Cædes maxima in Gentiles admittitur. 351
Calamitates diuinitus immissæ æquo animo ferendæ. 217
Cassandra vates crines vellit. 335
Catholica fide recens initiatis, in bellis vrbiumq; direptionibus parcendum. 351
Childeberti Francorum Regis in horto colendo labor & cura 301
Chosroës Persarū Rex in templum S. Sergij aureum discum mittit. 317
Christus draco maximus, & Christiani dracones quomodo dicantur? 290
Christianos, auctores obscœnos legere, maximè dedecet. 343
Ciliciorum apud omnium hominum ordines vsus olim frequens. 203. & 204
Clamor publicus apud Persas magnis in malis vsitatus. 330
Compotatio Regis & Amanis. 329
Concubinæ tantum, non coniuges in conuiuia à Parthis inducebantur. 306
Consideratio malorum quæ ex ebrietate nascuntur. 254
Constantini Magni laus. 343
Conuiuium ab Assuero paratum duplex fuit. 298
Conuiuium Assueri vera omnium huius mundi voluptatum effigies. 310
Conuiuij in cibo & potu apparatus splendidus. 303
Conuiuij causa qua? 299
Conuiuij exitus quis? 305
Consiuio isti omnes principes ac Satrapæ simul affuerunt. 299
Conuiualis loci ornatus maximus. 302
Crocus ebrietati obsistere putatur. ibid.
Crux lignea in crucifixi Amanis memoriam contumeliæ causa olim in ambarualibus quibusdam præferebatur, posteaq; exurebatur. 354
Crucem Mardochæo paratam Aman ipse conscendit. 346

D.

Dedicationum festi dies tres apud Iudæos. 436
Deus in somnio bifariam loquitur. 288
Diademate regio apud Persas absq; Regis priuilegio vti, capitale. 344

Universidad de Deusto
Biblioteca

Difficultas & periculum adeundi Persarum Reges. 332
Dona à Deo accepta in eius laudem exponenda. 267
Draconibus sibilus non clamor tribuitur. 290

E.

EBrietatis remedia complura. 254
S. Elisabethæ insignis humilitas animiq; demissio. 337
Encomia de Esthere & Iudith. quæ apud veterum recentiorumq; nonnullos, multa & præclara. 356. & seqq.
Equorum Medorum, quos Niseus Mediæ campus alit, præstantia. 343
Esther quænam? 312
Esther quomodo fons parvus & flumen magnum dicatur? 290
Esther in captivitate nata. 336
Esther à Mardochæo educata, & in filiam per adoptionem suscepta. 313
Esther quomodo ad Regem adducta? 312
Esther spretis mundi huius ludibriis, in solo Deo gaudium querit. 338
Esther cibis paucis contenta. ibid.
Esther insigne virginibus & coniugibus est exemplar. 337
Esther Ecclesiæ Christianæ typum gerit. 357
Esther quando mortua & ubi sepulta. 356
Estheris convivium, prouerbium. 318
Estheris precatio quæ? 335
Estheris ad Regem supplex petitio. 340
Estheris responsum per Eunuchum ad Mardochæum delatum. 331
Estheri non nisi vocatæ Regem accedere licebat. 332

F.

FOeminam vocari, apud Persas summa ignominia. 337
Fœmina Persica speciosissima. 308
Felicitatis caduceæ exemplum. 374
Festi dies Iudæorum, duplices constituuntur. 273
Festi dies pro liberatione Israëlis ab Esthera & Mardochæo præscripti. 353. quid iis festis agendum. ibid. iisdem festis etiamnum hodie Historia Estheri in Iudæorum Synagoga legitur, & inter legendum magnus à Iudæis excitatur strepitus. 353. & 354. eorum dierum nomen. 354
Fibula aurea in mulieribus, pectoris ornamentum. 490
Filiæ patribus apud Persas nubebant. 306
Forma gratiosa virorum animos expugnat. 338
Fragilitatis humanæ exemplum. 374
Frugalitatis insigne in Esthere exemplum. 338

G.

GEldria vnde dicta? 290
Gentilium Dij maiores & minores. 327.
Gentilium plurimi circumcisi. 351
Gentilium multa millia trucidati. ibid.
Gerlachius Tubingensis Theologus simbriam Turcici Sultani osculatur. 326
Gloria humanæ exemplum. 374
Godofredi Regis insignis humilitas. 337

H.

HEroica Estheris virtus animique magnitudo. 338
D. Hieronymus ad Hebraicum textum quænam è Græcis addit, quæ ad libri finem pertineant. 355
Historia Estheris sensus mysticus. 357
Historicorum librorum vtilitas. 342
Homo ad laudem & seruitutem Dei est creatus. 194
Homunciones infelicissimi Dij quandoq; haberi voluerunt. 446
Hominum genera duo. 337
Honor omnis, quatenus summi honoris Dei symbolū est, creaturis fieri non potest. 333
Honorem diuinum Amani negat Mardochæus. ibid.
Honores ex meritis apud Persas distribuebantur. 324

I.

IEiunium simulatum coram Deo nihil valet. 331
Inscriptio huius libri vnde ducta. 283
Insidiæ Assuero Regi per Eunuchos struuntur. 320
Insidiæ per Mardochæum patefiunt. 321
Insidiarum istarum causa multiplex. 320
Insomnia duplici ex causa homini euenire solet. 342
Interpretes huius libri quinam? 284
Interpretatio nominis Esther, varia. 283
Inuocatio sanctorum contra hæreticos astruitur. 218
Iudæi in captivitate certa loca precibus & cultui diuino deputata habebant. 331
Iudæi internecionem suam lugent. 330. & 331
Iudæorum liberatio quomodo à Rege concessa. 348
Iudæorum odium in Amalecitas. 325. & 326
Iudæorum Synagoga siue ecclesia quæ? 331

K.

Κληρομαντεία fit multis modis. 328

L.

LAcedæmoniorum legati Persarum Regem adorare noluerunt. 307
Lectorum ad epulandum vsus olim frequens. 302
Leges ciuitatum vincula sunt. 379
Liberationem populi ab imminente malo precatur Mardochæus. 334
Liber Estheris in quatuor partes diuiditur. 287
Liber hic maximam in Ecclesia authoritatem tenet. 284
Libri huius vtilitas quæ? 287. eius in Bibliacis ordo quis? ibid.
Litera Regis de Iudæorum internecione. 329
Litera Regis alia de Iudæorum liberatione. 349. per quos missæ. 350
Literarum istarum auctor non tantum Rex, sed & Mardochæus. 349. earum effectum quod? 351
Literis istis præcepta egregia insunt. 349
Lutherus Libri Estheri authoritatem extenuat. 284
Lutherus causas iusti repudij tres esse statuit. 307

M.

MAchiauelliſta pissimum Christianorum genus. 334
Magi de prodigiis futurisq; rebus olim consulebantur. 344

Malum non tantum, sed & scandalum mali fugiendum. 333
Mala grauissima ob vnius noxam Reipp. sæpe immittuntur. 222
Malitiam ociositas docet. 342
Mardochæus quis? 313
Mardochæus Estheri patruus. ibid.
Mardochæus an recte somnij intelligentiam scire cupierit. 288
Mardochæus quando voti compos factus. 289
Mardochæus omnium Iudæorum excidium deplorat. 330
Mardochæus Amani adorationem recte negat. 325
Mardochæus ad summum peneq; regium honorem euehitur. 343
Mardochæus Assueri Vicarius. 347
Mardochæus Regis soter & perpetuus Euergetes. 349
Mardochæus apud Iudæos magnus. 355
Mardochæus quando mortuus & vbi sepultus. 365
Mardochæi somnium à Deone an à Dæmone fuerit. 288
Mardochæi somnium supernaturale. ibid.
Mardochæi ad Deum precatio quæ? 333
Mardochæi insignis humilitas & animi demissio. 334
Mardochæo cur somnium diuinitus immissum. 288
Mardochæo somnium quando fuit obiectum. 290
Mardochæo somnij significatio non statim fuit cognita. 288
Matrimonium cum sororibus contrahere apud Persas olim licebat. 306
Metamorphosis rerum inter Amanem & Mardochæum gestarum, mirabilis. 351. & 352
Metus ad religionis initia interdum occasionem præbet. 351
Militis Christiani pugnam ineuntis officium. 192
Milites apud Persas ferociores & instrucliores, dracones dicti. 290
in Missione qualibet solemni quænam consideranda? 358
Mors triplex. 357
Muli velociores equis. 350
Mulierum genus valde Φιλόσωμον. 306
Mysticus huius historiæ sensus. 357. & seqq.

N.

NAtales Regum dies agitare perantiquum est. 395
Noxa vnius toti apud Persas propinquitati imputabatur. 350
Nuptiæ apud Persas verno tempore fiebant. 300
Nuptiarum solemnitates apud Persas verno tempore maxime vigebant. 316

O.

OPera charitatis sabbatho fieri licitum est. 423
Orantes non debent Deo modum aut tempus præscribere. 216
Oratio maximè in arduis negotiis adhibenda. 218. & 219
Ornamentorum varia genera. 224
Otij detestatio. 343

P.

PEriculorum auertendorum modus obseruandus. 379
Perillus in suo tauro primus mugit. 346
Persæ verno tempore nuptias celebrare solebant. 300
Persæ poti & ebrij de rebus grauissimis consultant. 307
Persæ in vxores feri. ibid.
Persæ certos dies festos habebant. 350
Persarum Reges nunquam otiosi. 343
Persarum Regum vestes pictæ & bellatæ. 326
Persarum Regibus diuinus honor deferebatur. ibid.
Persarum acta in pelles olim referebantur. 343
Persici apparatus, mensa Modica in prouerbiis celebrata. 303
Persici Reges semel in die cibum capiebant. 341
Persicæ leges non nisi vocatis aditum ad Regem concedebant. 332
Persicæ mulieres rerum ad ornatum pertinentium plus æquo studiosæ. 316
Potatorum imitationes commodè eludendæ. 254. quid inuitantibus respondendum. 256
Prædæ inhiant milites. 351
Prædicantis cuiusdam in Stiria scelus nefandum. 307
Præmeditatio sobrietatis ante conuiuium. 254
Præparatio ad magnas res gerendas. 331
Præsidia diuina humanis sint coniungenda. 176
Processio solennis in vrbe Wirceburgensi, die S. Cyriaci cur instituta. 355
Pulchritudo ad expugnandum virorum animos, plurimum valet. 338
Pulchritudinem à Deo petit Esther. ibid.

R.

REgi Persarum semel in anno, ipso scilicet Solis festo, ebrium esse licebat. 305
Reges, Principes & potentes dicuntur Dij. 336
Reges Persarum ante prælium de fortitudine, ante potum de temperantia olim disserebant. 254
Regum Persarum in hortis & nemoribus suis excolendis, labor assiduus. 301
Reges Persarum aquâ è fluuio Choaspe ad potum vtebantur. 303
Regina aut regia concubina lectisam propius accedere, ipsamq; videre, apud Persas Capitale. 306
Repudij Regina Vasthi causa triplex. 305
Res secundæ fragilitatis humanæ oblitionem inducunt. 168
Rerum omnium magnarum primordia à Deo expetenda. 222

S.

SAlus Reipublicæ multò magis est obseruanda, quam salus corporalis vnius hominis. 444
Sapientes Regis Assueri qui dicantur. 306

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sapientum vltimus quamodo primo loco sententiam dixit. 307
Sapientis huius vltimi sententia ab omnibus approbatur. 307
Sapientes Amanis qui? 344
Somnium Mardochæo obiectum, interpretatur. 290
Somnia naturalia & supernaturalia. 288
Somnia interdum inuestigare, reprehendendum non est. 289
Somniorum interpretes apud Iudæos fuerunt. ibid.
Sortitio varia. 328
Speculum vitæ humanæ illustre. 440
Sperchij & Bulis Lacedæmoniorum laudabile factum. 327
Spes nostra in armis hominumq; adiumentis nunquam collocanda. 222
Susa vrbs ad Choaspen fluuium sita. 300
Syculus Dionysius nonaginta dies ebrietati indulsit. 300
Synagogæ Iudæorum quæ? 331

T.

Tempora & loca perquam infelicia, in quibus diuinarum legum neglectio est. 504
Thrasij supplicium triste. 346
Tentatione veri Dei amici innotescunt. 215
Tribulationum tolerantia. 217
Truculentia & feritas naturalis in Assuero. 339
Turcarum ieiunium. 331

V.

Vasthi regina quæ? 305
Vasthi repudiatur. ibid.
Vasthi an rectè sub conuiuarum oculos venire noluerit? 306
Veneratio quæ homini aliquo corporis gesta sit, bona & mala esse potest. 333
Vestes regiæ apud Persas, absq; Regis permissu vti, capitale. 343
Vestes fœmineæ apud Persas amiciri supplicij quoddam genus. 337
Vestium laceratio magni doloris signum. 330
Vinculum pietatis indissolubile. 415
Vinum in terram effundere præstat quam eo abuti. 256
B. Virginem per Iudith & Estherem significatam, quidam tradunt. 357
Voluptates huius vitæ maximas, dies vnus aliquis terminare solet. 310
Wittakeri argumenta quatuor contra posteriores huius libri partes proponuntur & soluuntur. 285

X.

Xerxes Demarati Lacedæmoniorum Regis petitionem indigne fert. 343.

SERENIS-

SERENISSIMO PRINCIPI CAROLO III. CALABRIÆ LOTHARINGIÆ, GELDRIÆQVE DVCI &c.

NICOLAVS SERARIVS.

SACRA *Reuerendissimi & Serenissimi Filij Tui Cardinalis manu, meos Tibi,* SERENISSIME DVX, *Machabæos offero. Machabæorum enim, in perantiquo, & nobilissimo Lotharingico stemmate, tot & tam præclara, prisca & recentia, exempla video, vt pæne maiores omnes, suis, clarissima voce, posteris,* MATHATHIAE *illud acclamare videantur.* Nunc, ô filii, æmulatores estote legis, & date animas vestras, pro testaméto Patrum vestrorum: & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. *E veteribus quidem, in ipso Commentarij huius decursu, adduxi Lotharingum illum Hierosolymorum Regem, in cuius mausoleo illustrissimum hoc Machabæi nomen incisum. E recentioribus vero, liceat quidē auum Tuum* ANTONIVM *cognomento* BONVM, *magnumque patruum* CLAVDIVM, *Patrem, patruos, cognatosque, & in primis, duo fulmina belli, & belli, quod pro Regum, religionisque incolumitate & dignitate, gereretur; Franciscum & Henricum nominare: sed meam ab vno Te orationem euagari, nihil necessum. Iam enim ab ineunte ætate, pro viribus, & pænè supra vires, curasti, vt cū è Germania Lutherus, è Gebennensi lacu Caluinus in Tuam sese Lotharingiā, variis creberrimè aut fossis, aut cuniculis, imo & aperta violentaq; armorum inundatione, effundere conarentur, nihil tamen omnino profecerint, sed insigni tua sapiētia, cura, & heroica virtute in tuis vicis, arcibus, vrbibus, ditionibusque vna stet, vigeat, floreatque sancta, vetus, Catholica religio. Et, hoc nomine, quam immanes pecuniarū sumptus libēs feciſti! Quot & q̄ difficilia bella toleraſti! quot & quātis Tua omnia, liberos etiā ipsos, Tuumq; adeo ipsius caput periculis obieciſti. Sed tam præclarè gestorū laudet Homeros Alexāder alios. Ego, ad Dei O. M. gloriam, non possum non admirabilem illam ani-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mi Tui magnitudinem tacitus mecum ſuſpicere, aliiſq; loquens enũciare, quod cum Argentoratenſis Eccleſia filiũ à Te Tuũ, Reuerẽdiſſimum & Sereniſſimũ Cardinalem poſceret, eoq; iam res loco eſſet, vt eſſent vindiciæ armis agendæ, Tu vero alio tũ bello, eoq; graui & periculoſo, contra hoſtes minime vel imperitos, vel ignauos & ſegnes, implicareris, dicerẽtq; Conſiliariorũ Tuorum pleriq; omnes id, quod prudẽtia & ratio tunc humana, edita quaſi voce, loq videbatur, ne Herculem quidẽ contra duos: hoſtem vnũ, acrem præſertim attentũque adeo, ſatis eſſe: diſtractas: ſparſaſq; contra duos vires minui debilitariq; nimium: altiſſimo tamen generoſiſſimoq; animo reſpondiſti. Quia de Catholica Religione, in vicina iſta regione, agitur, volo, vt delatũ illum Epiſcopatum filius meus admittat. Ego, vt ei, &, per eum, ſacroſanctæ religioni opituler, vel principatũ hunc meum totũ, vitamq; ipſam & ſanguinẽ profudero. *An non Machabai alicuius iſta vox? niſi diſcrimẽ forſan ſit, quod fuerint Sacerdotes, Machabæi omnes. At ſacerdotum Tu amator, cuſtos, & propugnator: Epiſcoporũ etiam & Cardinaliũ Cognatus, Patruus, & Pater. Quamq; & illo ipſo Argentoratenſis naufragij tẽpore, dixiſſe aliquando Te audio.* Viduus ſum, religionis tutãdæ cauſa, poſſem adhuc fieri Epiſcopus. *Accipe igitur, ô magni Machabaici zeli zelotes, per Reuerẽdiſſimi & Sereniſſimi Epiſcopi, Cardinalis, Apoſtolicique Legati Tui manũ, Machabæos iſtos: & q à maioribus Tuis aut vocẽ aut hæreditatẽ accepiſti, eã ſicuti hactenus; verbis factiſq; Sereniſſimis Filiis Tuis relinque.* Vos filii confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipſa glorioſi eritis, *& gloria quidẽ illa, q exſtructæ in cœlis pyramides perpetuã conſeruabunt, & vero ẽt in terris, vbi, q hodie graſſantur, in eodẽ, quo veteres & obſoletæ, ſepulchro cõtumulatæ fuerint hæreſes omnes. Ita n. futurum eſt luxa & inconſtante mendacij natura, multiplici & ſumma inter ipſas diſſẽſione, præteritarũ deniq; omniũ exemplis, etiãſi ſummos, acerrimos, potentiſſimos quandoq; patronos habuerint; augurari & ſperare omnino conſentaneũ eſt.* Non vos, *ait in Pſalmũ 75. B. Auguſtinus,* terreant, fratres, quidã fluuij, qui dicuntur torrentes. hiemalibus aquis implentur. Nolite timere. Poſt paululum tranſit, decurrit aqua. Ad tẽpus perſtrepit. mox ceſſabit. Diu ſtare non poſſunt. Multæ hæreſes iã emortuæ ſunt. Cucurrerunt in riuis ſuis: quãtum potuerunt, decurrerũt. Siccati ſunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint. Spernentur tamq; aqua decurrens. *Maguntiaci poſtridie Natiuit. B. Virg. Anno Domini.* CIↃ.IↃ.IC.

IN LIBROS MACHABÆORVM

PRÆLOQVIVM PRIMVM.

QVÆ LIBRORVM ISTORVM INSCRIPTIO? ET VNDE MACHABÆI NOMEN?

APVD Euſebium lib. 6. cap. 25. dicit Origenes, Hebraicam inſcriptionem fuiſſe Σαρβηθ σαρβανε ελ. Quamuis enim poſtremum hoc verbum ελ in Latinis, etiam vltimæ verſionis, exemplaribus deſit, in Græcis tamen eſt. Poſſumus verò eius inſcriptionis variam ſententiam accipere. Prima eſt; *Princeps domus: princeps filiorum* DEI. Altera; *Princeps in angustia filiorum* DEI. vt (quod alibi fit) diſiungantur literæ ſic: σαρ βη δομ βανε ελ. Tertia; *Sceptrum rebellium* DEI. Nam primum nomen *pro ſceptro*, in Eſther ſæpius eſt: medium Chaldæis *rebelles* ſignificat. Quarta; *flagellum rebellium* DEI. quo videlicet ipſi populum DEI flagellarunt: aut quo ipſi tandem ab eo flagellati ſunt. Nam priore modo, Attila *Chriſtianorum flagellum* fuit: poſteriore, libri quidam ſunt, qui, *demonum, Iudæorumq; flagellum*, inſcribuntur. Quinta demum ſententia eſſe queat, *Sceptrum Principis filiorum* DEI. His enim libris monſtratur, quemadmodum è Iudæis vir princeps arma contra impios ſumpſerit, eiusque filij fortiſſimè dimicando, Iſraëlitis libertatem, ſuæque familiæ regiam dignitatem pepererint. Hodie verò apud Græcos Latinosque ſimpliciter *Machabæorum libri* vocantur. & putat hunc in locum Diuus Thomas fieri ob ſeptem Machabæos, eorumque matrem, quæ nomine proprio Machabæa dicta fuerit. Sed hoc infrà cap. 7. lib. 2. improbabitur: ideoque vt Prologus ait Hieronymianus, quem citat & explicat ipſe Diuus Thomas; à præcipuo ſcilicet ſanctiſſimæ religionis vindice, ſacrorumque bellorum duce præſtantiſſimo, inſcriptio ſumpta eſt. Is enim, cum *Iudas* vocaretur, *Machabæi* cognomen habuit, vt infrà eſt lib. 1. cap. 2. De eo verò maxima horum librorum pars agit; prioris quidem caput 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. poſterioris verò caput quartum, & cætera omnia vſque ad finem. Deinde, ab ipſo, ad eius fratres, & alios, qui, hiſce, in libris, fortiter ac piè ſeſe geſſerunt, appellatio eadem permanauit, vti monet Nicetas in 22. orationem Gregorij Nazianzeni. *In Machabæorum*, ait, *libris vir quidam deſcribitur, Iudas nomine, cognomento Machabæus, qui pro ciuitate Hieſolymitana, Legisque Moſaicæ cultu, ac contribulibus ſuis, multa præclarè & ſtrenuè geſſit. Propter quem cæteris quoque hiſtoriæ partibus Machabæorum nomen inſcriptum eſt. Quoniam igitur in eodem volumine, Eleazari, ſeptemq; filiorum, & matris concertatio continetur, Machabæi etiam ipſi nominati ſunt. Neque enim qui hiſtoriam conſcripſit, eos à Iuda Machabæo genus duxiſſe tradit.* Quia verò id aliis, de quibus in hiſce libris agitur, nomen communicatum, ideo non illius tantum vnius *Machabæi* ſed *Machabæorum*, quia ij plures, inſcriptio facta eſt. Solet verò nomen iſtud apud veteres tripliciter ſcribi. vel vnico *b*, cum aſpiratione *h*, vel duplici *cc*, idque cum aſpiratione vel ſine, veterè apud Græcos

Sed vnde hoc Iudæ illi cognomen obuenerit, *duplex* opinio eſt. *Vna* Ioſephi Gorionis lib. 3. cap. 9. *à robore*, quo præditus fuit, dum hoſtes Iſraëlitarum proſtrauit & extinxit, vt ſic à *Caba*, id eſt, extinxit, *Machabi*, quaſi extinctor, quemadmodum apud Herodotum lib. 1. à coërcendo, Darius dicitur, à bellando, Xerxes, à valde bellando, Artaxerxes. Capite illo nono Matathiæ verba ſunt; *O fili mi Iuda, qui ob robur vocaris Machabæus. Secunda* opinio R. Iſaac Benhole, Renchlini lib. 3. Cabalæ, Merceri de abbreuiaturis Hebræis. Sixti Senenſis lib. 1. Bibliothecæ, Genebrardi in Chronologia, Ariæ Montani in Iſaiæ cap. 20. eſſe vocem ex quatuor ſymbolicis literis, יהוה M. C. B. I. quod eſſent in Hebræo, initia illius ſententiæ Exod. 15. 7. מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה. *Mi camocah baelim* IEHOVAH? Quis ſimilis tui in fortibus Domine? Solebant enim quoddam vi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctoriæ quasi cœlitus sperandæ ac obtinendæ omen, hasce quatuor litteras, pulchræ huius sententiæ indices, suis in vexillis inscribete, quemadmodum apud nos quidam illud Constantini: IN HOC SIGNO VINCES. Idque fratres eius imitati posteà videntur. Sed quod libro 3. de occulta philosophia cap. 29. ab Angelo verba hæc Iudam accepisse. ipsorumque characterum vi hostes pertertu. isse tradit Cornelius Agrippa, id verò à Cabalistis est, totumque nugatorum, sicuti & causa ista, quòd eo nomine aut symbolo significentur septuaginta DEI nomina. quia scilicet

מ	40
כ	20
ב	2
ר	10
	72

Posset etiam dici, quatuor istas literas per *rosse teuoth*, seu curtationem Hebræis vsitatam, MOBI, significare hoc, *Milchamath Coach bihuda*, id est, *belli virtus eius robur in Iuda*. Ita enim post suprà citata verba, innuit, apud eundem Gorionem, pater Mathathias; *Et nunc*, ait, *scio, fili mi, quia vir belli tu, & DEVS dedit in te vim & robur, & cor sicut cor leonis, quod non dissoluitur*. Hebraicè siquidem verba illa citata, iisque similia insunt. tuncque verissimum, quod ab eodem suprà dicebatur, hoc nomen *à robore* ipsi Iudæ impositum esse, quod, quomodo vetum esset, non constare, ibi affirmauit Munsterus. Sic igitur cap. 2. Iudas cognominabatur illo tempore, ab effectu isto secuto *Machabæus*, ita vt cognomen istud, bellorum tempore acceperit, vel forrè anteà, sed propheticè, vti nomina sua consecuti sunt, Abel, Noë, & alij multi. de quibus Isidorus Originum libro 7. cap. 6. *Nam*, vt ait in Epigram. Ausonius, *diuinare est, nomen componere, quod sit Fortunæ, morum, vel rei ex indicium*.

PRÆLOQVIVM II.

Quis eorundem librorum auctor?

AVCTOR à quibusdam Iosephus Flauius putatus est, fortè propter D. Hieronymi verba lib. 2. contra Pelagianos, vbi Iosephum ipsum, nominat *Machabæorum scriptorem historiæ*. Sed sciendum, alium esse in Iosephi operibus libellum, qui *In Machabæos* inscribitur, vel *de ratione imperatricet*. Et de hoc patet D. Hieronymam loqui, cum de animi perturbationibus disputat, quibus imperare ratio debeat. Quin hoc ipsum clare affirmat libro de Ecclesiast. scriptoribus, & ante ipsum Eusebius lib. 3. cap. 10. Græcè, ostendit. hunc libellum non à Iosepho, sed ab aliis quibusdam vocatum *Machabaicum*. Quam igitur ineptè Caluinista Wittakerus lib. 1. contra Bellarminum, c. 14. hanc de horum librorum authore sententiam, Hieronymi esse affirmat? Quam imperitè Reinecc[illegible] Lutheranus tomo 3. idem obtrudit? De iisdem verò Machabæis totus est Iosephi Gorionis liber 3. in editione Basileensi, liber quartus in Cracouiensi omnino Hebræa. Sed neq; is horum librorum author, cum & ordo, & oratio, & terum ipsarum explicatio sæpè varia sit, vti suis locis videbitur. Et verò idem Gorionides lib. 4. cap. 1. Basil. editionis, citat librum Machabæorum, & alium quendam librum Regum Romanorum; *Reliquum*, ait, *verborum Simeonis, & bella eius, & bella fratrum eius, nonne scripta sunt in libro Asbamonæorum, & in libro regum Romanorum?* Sunt verò *Asbamonæi* ipsi Machabæi, vti posteà docebitur.

Cæterum duorum istorum librorum duo sunt auctores diuersi, cum liber secundus eadem, quæ prior persequatur, sed paulò aliter, huiusque auctor sese dicat cap. 2. ex Iasonis cuiusdam libris, eam historiæ veluti Epitomen scripsisse. Et D. Hieronymus epistola 106. Hebraicè Machabæorum primum librum sese reperisse affirmat. Secundum verò Græcum esse dicit, *quod ex ipsa quoque*, inquit, *phrasi probari potest*. Originem vtrumque videtur Hebraicum vidisse, cum in psalmum 1. apud Eusebium lib. 6. cap. 25. Machabaica biblia, id est, *Hebraicos libros*, non *librum* nominet, quibus antè allatam inscriptionem Hebraicam tribuit. nisi fortè, ratione libri prioris, hæc vtrique communis inscriptio facta sit. Qui tamen isti auctores fuerint, non omnino liquet, vt fatetur Isidorus lib. 6. Originum, cap. 2. & libro de offic. cap 11. Sicuti neque quis Iosue, Iudicum, Regum, Paralipomenon libros scripserit, constat, vti suis locis dictum est. Rabanus posteriorem librum Hierosolymitanis scriptum ait. Eiusdem, ex Honorio Augustodunensi libro de Luminaribus Ecclesiæ, scriptor à quibusdam putatur Iosephus. Sed illi esse non possunt, quia, qui hunc scripsit, in singulari de seipso loquitur cap. vlt. vers. 38. *Ego in hoc finem faciam sermonis* & vers. 39. *Hæc & ipse velim, eo ut decet finem mihi*. & ipsa præfatione cap. 2. prout in prima Commentarij huius parte posteà patebit. Neque verò Iosephus eiusdem libri secundi auctor censendus. Nam, vt in secunda Commentarij eiusdem parte ad libri 2 cap. 4. ostendetur; alia quam hic liber, de Menelao aliisque tradit. Deinde cum sui semper citare opera soleat, huius sanè libri aliquam in opusculo de Machabæis mentionem fecisset: vel, in eodem libro, aliquam illius opusculi. Et fortè D. Hieronymum sequi voluit Honorius. Medina lib. 6. de fide, cap. 13. censet, totum librum secundum esse epistolam vnam: & assentitur Genebrardus Chronol. fol. 102. Sed de his disseram postea, & Iudam potius Essenum Auctorem laudabo. Dicit verò Annius lib. 2. Chronol. Philonis, fuisse tempora à Iosepho adiecta. Sed magna hæc est in affirmando temeritas, cum nullum eius rei argumentum aut vestigium sit.

PRÆLO-

PRÆLOQVIVM III.

Quæ horum librorum auctoritas?

QVI Machabæorum nomen gerant, libri sunt quatuor. quorum tertius Græcè etiam in Septuaginta interpretum correctarum editione Romana inuenitur, & citatur in Euseb. chronicis Olymp. 140. Si verò solius rationem temporis haberemus, primum is locum tenere deberet, cum ea, quæ quarti Ægyptiorum Regis Ptolemæi Philopatoris, & Antiochi Magni tempore, Iudæis cõtigerint, enarret. Quartus à Genebrardo duplex constituitur: vnus ille Iosephi in Machabæos, de quo suprà: alter, qui Ioannis Hyrcani, de quo lib. 1. Machab. c. vlt. v. 23. res prosequatur. Atque hic propriè quartus vocari solet, eumque se Græcè Lugduni, in Santis Pagnini Bibliotheca vidisse, refert Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ. Sed vterque iste quartus apocryphus est: Et verò tertius etiá, vt ex eo constat, quòd ij *à nullo probato Concilio*, nullisque Patribus in Canone recenseantur: imò ab eo interdum reiciantur, vti ab Athanasiana synopsi. OBIICIES; Apostolorum Canon 84. tertium librum canonicum pronunciat. Notat verò Wittakerus lib. cit. cap. 15. Pontificios, hic quod respõdeant, non habere. Sed turpe, tantoque in Caluiniana Cathedra Magistro indignum mendacium est, cum is ipse, quem oppugnat, Bellarminus libro 1. de verbo Dei, cap. vlt. clarè hunc ipsum Canonem, aliosque plures adiectitios esse responderit: idque multò etiam accuratius, posteà demonstrauit Ecclesiasticorum Annalium Tomo 2. anno Domini 120. Reuerendissimus atque Illustrissimus BARONIVS. Quia verò Canon iste à Synodo, quæ, vti ostendit idem Bellarminus libro 1. de Conciliis, cap. 7. improbata est, & Trullana, vel quinisexta vocari solet, laudatus erat, idcircò dixi, *à nullo Concilio probato*, libros istos approbari. Duo verò priores libri Canonici sunt, vti quæ sequũtur, docent.

Duos Machabæorum libros esse Canonicos.

DOCENT hoc, Concilium Carthaginiense III. Can. 47. Trident. sess. 4. Innocentius primus epistola 3. ad Exuperium, cap. vlt. Gelasius in Concil. 70. Episcoporum, decreto de libris Canonicis, vbi duo isti libri vocantur *vnus liber Machabæorum*, quia scilicet de vna eademque re agunt, eo modo, quo ibidem dicitur *Esdræ vnus* Nehemiæ librum etiam comprehendendo. Clemens Alexandrin. libro 1. Strom. de *sacrorum librorum* chronologia differens, Machabæorum etiam libros nominat: D. Cyprianus libro 1. epistola 3. ad Cornelium *scripturam diuinam* vocat, l. 4. epistola 1. libro de exhort. Martyrij, cap. 11. D. Augustinus rem istam vel solus meritissimò persuadeat. Quia tamen in eo tricantur nescio quid hæretici, differatur tantisper, & eius loco iam, qui eodem vixit sæculo, audiatur S. Bachatius, dum præclarè ait to. 1. bibliothecæ sacræ; *Medicum nostrum* CHRISTVM *hac* (de Machabæis) *esse voluisse inter librorum* SVORVM *loculos*, librorum inquam, non apocryphorum, sed eorum, quos SVOS CHRISTVS Dominus agnouit. Addantur, qui ex hisce libris tanquam Canonicis nonnulla citant, eosque valdè laudant, S. Chrysostomus orat. de septem Machabæis, D. Ambrosius lib. 1. officior. c. 40. 41. lib. 2. cap. penultimo, epist. 29. & libro de Patriarchis, vti loco citando monet Cassiodorus, B. Prosper de prædictionibus parte 2. cap. 40. Isidorus lib. 6. cap. 1. Victorinus tomo 5. Bibliothecæ sacræ. D. Bernardus epistola 313. Sulpitius lib. 2. D. Leo in natiuitate SS. Machabæorum, *sacræ historiæ lectionem* vocat. Origenes tomo 11. in Ioannem. licet loco suprà citato aliud statuisse videatur, prout infrà explicabitur. S. Antoninus, non ille recentior Florentinus, sed antiquus Constantinæ in Africa ciuitatis Episcopus epistola ad S. Arcadium martyrem. Rupertus libro 8. & 9. de vict. verbi. Iunilius lib. 1. de partibus diuinæ legis. Cassiodorus de diuinis lectionibus, cap. 6. Alcimus libro ad fratrem, Damascenus orat. pro defunctis. Otto Frisingensis lib. 1. cap. 16. & 42. lib. 8. in præfatione. Rabanus libro 3. de instit. Clericorum, qui & commentarium hos in libros edidit. Si quæras, quomodo ergo ait libro 2. comment. c. 2. *se ab apocryphis ad Canonicos libros pergere?* Respondeo, putare videtur, historiam istam ex apocryphis sumptam, licet canonica esset, vt in epistola S. Iudæ, ex apocrypho Enochi libro promitur quippiam, quod tamen canonicum est. Ipsos interim libros vocat *canonicos*, cum ad eorum textum pergit. Sed quomodo ibidem cap. 1. ait, *incertos horum librorum auctores*, ideoque non absurdè *in temporum computatione* discrepare? Respondeo, vult tantum significare, causam discrepantiæ iis aliquam esse, prout explicat similitudine textus Hebræi, & Septuagintæ Interpretum. licet idcirco textus isti apocryphi minimè sint. De Nazianzeno cuius pulcherrima extat de Machabæis oratio, nihil dico, quia etsi hosce libros legerat, Iosephi tamen librum illum citat, de quo suprà. Βίβλος, ait, ὁ περὶ αὐτοκρατοῦς τοῦ λογισμοῦ φιλοσοφῶν τῶν παθῶν τῶν λογισμῶν φιλοσοφῶν. *Liber, qui, qua modo rationem perturbationibus imperare debeat ratio, philosophatur*. Quin & si qui tertium & quartum Machabæorum librum laudant, huc pertinere possunt, quatenus eorum, de prioribus libris, calculus cum Ecclesiæ Patrumque aliorum sententia congruit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

S. Augustini de hisce libris testimonia.

NVNC, quem tantisper dimiseramus, S. Augustinum audiamus. Is ergo lib. 2. de doctrina CHRISTIANA c.8. canonicos pronunciat, vt Iudith Prolog. 4. fol. 143. citaui. Et li. 18. ciuit. c. 36. *Machabæorum*, inquit, *libros non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet propter quasdam Martyrum passiones, & hominum atque mirabiles.* Wittakerus respondet, pro canonicis haberi, quia *in Ecclesiæ legunt, & aliquo in pretio sunt*, non autem esse *propriè canonicos*, quia paulo ante dixerat Augustinus; *suppurationis tempora, non in scripturis sanctis, quæ canonicæ appellantur, sed in aliis inuenitur, in quibus sunt & Machabæorum libri*: At *scripturas canonicas* antè vocabat Augustinus, quæ, apud Iudæos etiam, in canone fuissent: *Alias* verò vocat, quæ sunt quidem in facto Ecclesiæ canone, licet non in Iudæorũ canone. Et in aliarum istarum numero sunt Euangelia ipsa, Apostolorum Acta & Epistolæ, quid mirum si & Machabæi? Nam si verè & propriè hi Machabæorum libri canonici non essent, quomodo pro canonicis eos Ecclesia haberet? An pro argento plumbum, pro auro aurichalcum habendum? Deinde ex verbis illis, *propter quorundam passiones*, vult Wittakerus Augustinum significare, ob vnicam particulam, totos libros haberi canonicos; ipsumque Augustinum velut imprudentem ipse prudentissimus reprehendit; *Cuiusmodi*, ait, *hoc est, propter hoc aut illud, Librum canonicum haberi?* Sed S. Augustinus iis verbis vnum scripturæ huius finem, eumque insignem ostendit, qui sub generalibus illis finibus comprehenditur, de quibus 2. Timo. 3. Vnde & loco iam citando apposuit particulam *maximè propter*. Rursum ergo idem S. Augustinus lib. 2. contra Epist. Gaudentii. cap. 23. *hanc*, inquit, *scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Iudæi, sicut legem & prophetas & psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet, tanquam testibus suis*, Lucæ 24. *Sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur.* Respondet Wittakerus *duo. Primum.* Si scripturam canonicam vellet Augustinus, dicendum non fuisset, *non inutiliter receptam, si sobriè legeretur.* Omnem enim scripturam non posse non vtiliter legi, & sobrietatem significari, vt reiiciantur, quæ fidei aduersantur, ideoque peculiariter istam, hunc librum legentibus, cautionem præscribi. Sed obseruandum, loqui Augustinum de Razia illo, qui seipsum interfecerat lib. 2. cap. 14. idque vult *sobriè* legi, id est, non temere intelligi, vt inde quis colligat licere sibi ipsi manus inferre. vti colligebant illi, contra quos disputat, *Circumcelliones*. Idque ostendit ibidem Augustinus sequentibus verbis; *Non itaque debemus, quicquid in scripturis, etiam Dei testimonio laudatos homines fecisse legerimus, consentiendo approbare sed considerando discernere, adhibentes iudicium non sane nostræ authoritatis, sed scripturarum diuinarum atque sanctarum, quæ nos nec illorum hominum, quibus illa bonum, atque præclarum testimonium perhibent, omnia vel imitari, vel laudare facta permittit, si quæ non recte ab eis facta sunt, vel huic tãtempori, non conueniunt.* Et epistola 61. factum idem ait *iudicandum iudicio doctrinæ sobriæ.* Imo verò & de tota scriptura dici solet, inutiliter legi, nisi *sobriè* legatur, prout loquitur S. Paulus Rõ. 12. Actor. 26. Idemque D. Augustinus lib. contra Secundinum c. 4 *Dicta*, inquit, *prophetica sobrio captu intelligentes, sublimi atque ineffabili maiestati apertissimè adiungunctur.* Et lib. 2. contra Cresconium Grammaticum cap. 2. *Dialectica satio sobriè docet, cum de re constat, non esse de nomine laborandum.* Sic & Orosius in Commonitorio ad S. Augustinum vocauit *scripturarum solutiones sobrias.* & ipse Wittakeri Magister Caluinus in Exodi 7. & Leuitici 8. & in D. Petri epist. 1. cap. 1. nec *sobriè sapiendum* ait? Ex sobrietatis ergo vocula ebrium planè responsum hausit Wittakerus. *Secundum*, quod ex Augustino idem respondet Wittakerus; est, CHRISTVM hisce libris non perhibere testimonium *vt testibus suis.* Respondeo, Augustini sententiam esse, Iudæos non habere istos libros, eo scilicet loco seu authoritate, qua habent legem, prophetas & psalmos, quibus testimonium CHRISTVS perhibuit, etiam presse sumptis, tanquam testibus suis Lucæ 24. Iohan. 5. Alioqui si prophetarum nomen latius sumatur, vt 2. Petri 1. illi libri prophetici etiam sunt, iisque omnibus testimonium perhibet Dominus Iohan. 5. v. 39. & quoties Ecclesiæ nobis iudicium auctoritatemque commendat. Potest & adduci B. Augustinus in Psal. 90. & 148. l. 1. de anima cap. 14. & lib. 3. cap. 12. Sed tria ista quæ attuli testimonia, ipsius, adeoque totius tunc Ecclesiæ mentem, clarissimè, absque vllis verborum ambagibus demonstrant.

Aliæ, pro eorundem librorum auctoritate, rationes.

PRIMA est, Ecclesia eo loco & tempore, quo non nisi diuinas scripturas proponit, vt est in Laodicensi Concil. can. 59. Carthaginiensi loc. cit. ex hisce libris non verbula tantum aliqua, vt de Esdræ 4. dixi, sed integras lectiones legit, vt in missa defunctorum, in missa Sabbathi quatuor temporum vernorum, seu ante secundam dominicam quadragesimæ inter prophetias, & toto mẽse Octobri in matutinis. Vide, si placet; Rupertum Tuitiensem lib. 12. de diu. off. cap. 25. & Petrum venerabilem cap. 16. contra Petrobrusianos. Ait quidem Rabanus præf. in hos libros ad Ludouicum Regem, *suo tempore* constituisse Apostolicam sedem, eos in Ecclesia legi. Sed iam antea etiam lectos, absque lege tamen istiusmodi vlla, testes S. Leo & Augustinus locis citatis, prout etiam Wittakerus fatetur.

Secunda

Secunda ratio. Aliæ scripturæ canonicæ res & verba hisce libris comprehensa citant, vt peste dicetur, verbi gratia, de Encœniis, Ioan. 10. & ex lib. 2. cap. 6. *in numeris Sinæi*, Hebr. 11. prout suo loco infrà magis explicabitur, sicuti & illud quod *de triginta argenteis* è Matthæi 27. affert Turrianus lib. 2. pro epistolis Pontificum cap. 13.

Tertia & postrema. Ipsi enim hæretici clarum hisce libris vel inuiti testimonium dant, idque *quadrupliciter. Primo*, quia cur tantopere horum librorum auctoritatem oppugnent, satis iudicant, tantum videlicet, vt preces pro mortuis negent. Alioquin fatetur Lutherus præfatione in librum primum, eum esse *dignum, qui in numerum sacrarum scripturarum relatus fuisset.* Itemque præfat. in lib. 2. Et Ioan. Drusius ad Scaligerum epist. 12. *Primus*, ait, *Machabæorum quem merito laudat; videtur esse is, qui apud Gorionidem compositorem historiæ Ebraicæ liber Hasmaneorum vocatur. Erat autem liber singularis.* An priuatis verò aut sermonibus aut litteris librum eum, apud Drusium, laudarit Scaliger, nescio: sed publicam eius laudationem in libro quinto de Emendatione temporum, fol. 406. hanc inuenio. *Prius Machabæorum volumen Hebraice scriptum fuit ab auctore, eximium opus, ex quo omnem Machabæorum historiam hausit Iosephus. Vtinam ipsum Hebraicum extaret!* Ita ille, & optime, nisi quòd septem Machabæorum historiam in libello supra nominato, non è priore isto volumine, sed è posteriore hauserit Iosephus. *Deinde* inter hosce duos libros, priorem maioris authoritatis quam posteriorem esse volunt, vt loco citato Lutherus, Wittakerus. ipseque etiam loco iam indicato Scaliger. At posterior, & ex eo partes variæ plura maioraque apud veteres Patres testimonia habent, quàm prioris partes vllæ. imò etiam ea ipsa, propter quam hosce libros hæretici extimescunt; ipsa inquam de defunctis pars, optimos authores habet, vti suo loco patebit. *Tertio*, Caluinus in 22. Matthæi, fatetur, se suosque ita *Ecclesiasticum & Machabæos istos* reiicere, *quem admodum Sadducæi olim omnes canonicos libros*, præter Moysis pentateuchon, *reiiciebant.* Testimonium hoc verum est, suntque hæretici nostri, scripturis arbitratu suo truncandis, verissimi Sadducæi. *Quarto*, verba Lutheri symposiacorum cap. 59. sunt: *Hunc librum secundo Machabæorum, & libro Esther adeo inimicus sum, vt eos omnino in rerum natura esse nollem.* Cum ergo Esther etiam apud Iudæos canonicus sit, vti ante librum illum ostendi; nonne, sicuti de eo, sic & de Machabæorum libris, audaciam temeritatemque suam ostendit? Sunt igitur Conciliorum, SS. Patrum rationum, ipsorumque aduersariorum testimonio hi libri canonici. Sed quædam obiiciuntur.

Obiectiones hæreticorum contra horum librorum auctoritatem.

OBIECTIO *prima*. Non sunt in Iudæorum canone. Respondit iam suprà Diuus Augustinus, non minus potest libros canonicos declarare Ecclesia, quam synagoga. Adde, Genebrardum, doctosque viros alios docere *duplicem* esse Iudæorum, *canonem*. *Vnum* priorem, qui Esdræ temporibus in synodo magna compositus fuit, & in hoc certum est, esse non potuisse libros istos, & alios qui posterius scripti sunt, vt Ecclesiasticus. *Alterum* posteriorem, in quo posteriores libri fuerunt licet non omnino tantam auctoritatem habuerint, quantam priores, vt ait lib. 1. contra Apionem Iosephus. Non igitur à canone simpliciter Iudaico isti etiam libri excluſi, sed à priore tantum, de quo & Augustinus loco citato. & hodierni etiam Iudæi loquuntur. Ne verò hæc de duplici scripturarum apud Iudæos canone coniectura vana omninò videatur, facit Iosephi eiusdem oratio, Nam lib. 2. contra Apionem, cum de legitimis nuptiis ageret, citat tamquam è scriptura, seu exlege sententiam, quæ alioqui paradoxa videri posset. videlicet *virorum malitiam esse meliorem mulierum benefactis.* At hæc in quo canonicarum scripturarum loco est? Nonne in Ecclesiastici 42. ver. 14. vbi noster ita textus habet? *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Græcus verò sic. κρεῖσσον γὰρ πονηρία ἀνδρὸς ἢ ἀγαθοποιὸς γυνή: Iosephus porrò γυνὴ δὲ χεῖρον φησὶν ἀνδρὸς εἰς τὸ πανοῦργον, κἂν ἡ πονηρία αὐτῆ ὑπερβάλλουσα γένηται. *Mulier vero ait pejus quiddam est viro ad omnia, & ipsius viri malitia, præ benefica fœmina est.* Istud verò φησὶν siue *ait*, habet, qui ante positus abeo fuit, nominatiuum è vicino *Lex*. Constat verò Esdræ temporibus nondum fuisse illum Ecclesiastici librum. *Adhæc*, docet lib. 1. de partibus diuinæ legis Iunilius Firmicus eodem auctoritatis gradu hosce Machabæorum libros apud Iudæos olim fuisse, quo erant Paralipomena Iob & Esdras. *Tertiò* D. Hieronymus, vt non multo inferius dicetur, ex hisce libris ita contra Iudæos argumentatur, quasi de eorum auctoritate nihil ij ambigerent.

OBIECTIO *Secunda*. Veterum & recentiorum quidam hos apocryphos & non canonicos dixerunt, Origenes apud Euseb. lib. 6. cap. 25. Diuus Hieronymus Prologo galeato. Diuus Gregorius lib. 19. moral. cap. 13. Rufinus expositione Symboli. Radulphus lib. 14. in Leuit. Richardus Victorinus lib. 2. cap. 9. Hugo Victorinus prologo de sacramentis cap. 7. lib. 4. didascalico cap. 8. Hugo Cardinalis prologo in Iosue. Lyranus in Esdræ primum, & primum horum lib. Occam tertia parte dialogi, tract. 1. lib. 3. cap. 16. Abulensis lib. 2. Regum cap. 23. q. 5. & lib. 3. cap. 16. q. 10. Carthusianus hic. *Respondeo*, veterum quosdam eos non canonicos pronunciasse, duplici de causa, vel quia id definitum nondum erat, vel quia in secundo canonicorum ordine huiusmodi libri sunt, cum in

priore

Universidad de Deusto
Biblioteca

priore sinctij, de quibus nunquam dubitatum, prout cap. 8. Bibliacorum proleg. difficultate quarta exposui. Recentiores verò, dum res controuersa non esset, simpliciter quod apud Hieronymum legerant, retulerunt. Et hic tamen S. Paret cum in Danielis cap. 11. & 12. contra Porphyrium ex hisce libris quædam cotradentem disputat, nunquam istorum auctoritatem vilipendit, licet Susannam, Tobiamq; non probet, rursumq; in c. 3. Galat. contra Iudæos hinc Eleazari & Machabæorum exempla profert.

Obiectio *tertia*. Horum librorum auctor incertus est: humano spiritu scribit, & quidem interdum vitiosa, dissona. Ergo: Antecedens probatur variis argumentis, sed omnia deinceps propriis locis explicanda. Est alioqui eiusmodi argumentum, cuiusmodi penè contra singulos scripturæ libros, maximè Regum, & Paralipomenon obiici potest, si videlicet omnia, quæ in iis videantur, licet non sint, vitiosa, falsa, dissona, colligerentur & obiicerentur. Et verò, nonne ad Hebræos epistolam, canonicam fatentur Illyricus, Bullingerus, Beza, Caluinus? Et tamen ipsius auctorem exploratè sibi cognitum, iidem ferè negant, & Arerius, & Wittakerus, & alij. Denique quod de duobus libris aliis contra Manichæos clamabat cap. 5. contra epistolam fundamenti D. Augustinus: idem & ego de hisce duobus Machabæorum libris, contra nostri æui nouatores omnes clamo. *Vtramque scripturam similiter mihi Catholica commendat. auctoritas.* Et in Speculo. *Non sunt omittendi & ni libri, quos quidem ante saluatoris aduentum constat esse conscriptos, sed eos non receptos a Iudæis, recipit tamen eiusdem saluatoris Ecclesia.*

PRAELOQVIVM IV.

Qui Interpretes?

INTERPRETES mihi tantùm visi, Rabanus, Hugo, Lyranus, Carthusianus, Gerardus Lorichius Hadamarius. At Cassiodorus de diuinis lectionib. c. 6. ait: *Libri Machabæorum ab amico nostro Bellatore, sedula dispositione cõfecti sunt, ne tam magna lectio inexplanata forsitan linqueretur, quæ nobis tot virtutum exempla declarat.* An verò Bellator iste temporum iniuria ceciderit, & vel cum blattis & tineis adhuc bellum gerat, ignoro. Si, quod optandum, prodiret, luculentas, opinor, plagas Machabæorum hostibus infligeret. Prodisse verò B. Thomæ commentarium Parisiis audieram, & qui legerat, referebat dilutiorem videri, quam vt auctori tanto tribuendum putaret. Posteaquam tamen perlegere mihi enm licuit, nihil ab ipsius stylo, & modo in scripturas, commentandi abhorrere visus est, nisi quod tot aliunde scripturas, quot alias solet, non proponeret. sed eam nimirum facultatem ei negabat ipsa, quæ historica est, materia. Quid, quod magnum Augustinianorum decus Ægidius Romanus lib. 4. sent. dist. 45. ita scribit? *Sicut in expositione Machabæorum reuerendus Præceptor noster Thomas tradidit?* Quid vetus eorundem. *Commentarierum inscripto*, quam cum M. Antonio Senensi citat, qui Parisiis illos edidit. R. P. F. Stephanus de Sampaio Lusitanus? Citatur etiam à Sixto Senensi lib. 4. Bibliothecæ, Simon quidam Anglus, & à Tritemio lib. de Ecclesiasticis scriptoribus, Albertus Magnus in duos libros.

PRAELOQVIVM V.

Quod horum librorum argumentum?

OSTENDVNT hi libri, quis in tertia Monarchia Ecclesiæ status, aliquot annis, post secundum templum, & Hierosolymam restauratam, fuerit, cum ad CHRISTI Domini tempora per Danielis hebdomadas propiùs accederetur. Fuit verò, vt ferè semper, status ille partim felix. lib. 2. cap. 3. vers. 1. 2. 3. partim calamitosissimus, libro eodem, à cap. 3. 4. deinceps.

PRAELOQVIVM VI.

Diuisio libri.

SVNT quidem duo, vt dixi, libri canonici, sed quia in posteriore penè omnia huiusmodi sunt, vt prioris libri rebus connectenda sint, quod vel eædem vel coniunctæ sint, faciam, quod in Euangeliorum concordia & coniunctione vtiliter quidam fecerunt: libros ambos coniungam, & eorum vnum quasi corpus, siue, vt in Estens proleg. 7. vocaui, *harmoniam* spectabo, cuius *tres* sint *partes*. *Prima* præfationem continet, *altera* historiam ipsam. *Postrema* nonnullas appendices & conclusionem.

PRIMA

PRIMA HARMONIÆ MACHABÆORVM PARS, QVÆ PRÆFATIONEM CONTINET.

E CAPITE SECVNDO LIBRI SECVNDI.

20 DE Iuda Machabæo, & fratribus eius, & de templi magni purificatione, & de aræ dedicatione.

21 Sed & de præliis, quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium eius Eupatorem

22 Et de illuminationibus, quæ de cœlo facta sunt ad eos, qui pro Iudaïs fortiter fecerũt, ita vt vniuersam regionem, cum pauci essent, vindicarent, & barbaram multitudinem fugarent.

23 Et famosissimum in toto orbe templum recuperarent, & ciuitatem liberarent, & leges, quæ abolitæ erant restituerẽtur, Domino cum omni tranquillitate propitio facto illis.

24 Itemque ab Iasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentauimus nos vno volumine breuiare.

25 Considerantes enim multitudinem librorum, & difficultatem volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinem rerum.

26 Curauimus volentibus quidem legere, vt esset animi oblectatio: studiosis vero, vt facilius possint memoriæ commendare: omnibus autem legentibus vtilitas conferatur.

27 Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breuiandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo verò negotium plenum vigiliarum, & sudoris assumpsimus.

28 Sicut hi, qui præparant conuiuium, & quærunt alterum voluptati parere, propter multorum gratiam, libenter laborem sustinemus.

29 Veritatem quidem de singulis authoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam breuitatis studentes.

30 Sicut enim noua domus architecto de vniuersa structura curandum est: ei vero, qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt: ita æstimandum est & in nobis.

31 Etenim intellectum colligere, & ordinare sermonem, & curiosius partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit authori.

32 Breuitatem vero dictionis sectari, & executiones rerum vitare, breuiauti concedendum est.

33 Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantum dixisse sufficiat. Stultum etenim est ante historiam effluere, in ipsa autem historia succingi.

COMMENTARIVS.

PRÆFATIO est libro 2. cap. 2. à vers. 20. ad finem. Nam quæ eodem libro antecedunt, eà, vt posteà dicam, ad historiam superiorem adiungendã sunt. A plerisque tamen ea sic legitur, quasi non libri præfatio, sed superiorum litterarum particula foret. Nihilominus in Latino vocatur *præfatio*, versicul. 33. & quæ in ea de labore, hoc in opus, collato, *de negotio vigiliarum, sudorisque pleno* versicul. 27. traduntur, quis eorum, qui superiores litteras dabant, id est, Hierosolymitanę ciuitatis vniuersę voces credat? Vnus quispiam sic loquatur, quem lucubratio istiusmodi fatiget. non tam multi, quibus operas dispertiri facilè. videmusque illud in Iosepho, capriuitatis præfatione, Floro & Iustino, quorum ille Liuium, Trogum iste summario astrinxit. *Deinde* versicul. 32. in *singulari numero* de se auctor loquitur, & in Græco versicul. 30. multo apertius. Pro nostro n. Latino, *æstimandum est*, ait, *δοκῶ, existimo, censeo*. & in libri huius fecundi fine *κατακλείσω, finem faciam*, licet plurali aliàs numero vtatur. Id enim etiam vnus facere potest, vt c. 6. v. 17. non autem vsurpare singularem multi. Neque obstat coniunctiua particula *verò* ver. 20. prout, cum de litteris ipsis agam, parte 3. dicetur. Licet vero posteriori tantum libro hæc ab auctore præfixa præfatio sit, rectè tamen hoc à me loco ponitur, cum liber ille secundus, priori ferè, quoad initia, præponendus sit, quemadmodum infra videbitur.

In ea porrò præfatione sunt hæc quatuor. *Primum* est propositio dicendorum, versicul. 20. 21. 22. 23. & modi, quo illa dicenda sunt, vers. 24. cum adiuncta causa, ver. 25. vbi à lectionis coinmodo variè Lector excitatur, dum ei proponitur *primò* ipsa oblectatio, quæ quod animum ducat, suauique sensu afficiat, ψυχαγωγία hic dicitur, vti apud Iosephum l. 15. c. 11. quo & quæ nobis iucunda valdeq; grata sunt, ea Epictetus c. 3. ψυχαγωγικὰ in vtilissima perceptione appellauit. *deinde* memoriæ adiumentũ, & *postremò* vtilitas. *Omne tulit punctũ, qui miscuit vtile dulci.* Sunt vero q

Festum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Festum, Iustinum, Iustinianum, aliosque compendiorum auctores, valdè reprehẽdant, & non nullas ipsi rationes habent. Vniuersè tamen epitomas damnare non licet, nisi & Regum, Paralipomenorumq; libros explodere velimus, qui ad fusiora sæpè rerum gestarum volumina Lectores ablegant. Quin & experientia ostendit, illas plurimis admodum vtiles fuisse. Vocabant eas *olim summaria, nunc breuiaria*, inquit Seneca epist. 39. Vnde in nostro Interprete, *breuiandi* verbũ, & in Ecclesiastico vsu *breuiarium*, quia diuinæ scripturæ, ipsiusque expositionum, & sanctorum martyriorum summam quandam continet. Videtur vero ad epitomen istam Egesippus respexisse, cum librorum suorum prologo scripsit: *Machabæorum res gestas* PROPHETICVS *sermo paucis absoluit*, vbi & *in prophetico* librum istum annumerari vides. *Alterum* benevolentiam & attentionem colligit, proponendo susceptos in scribendo labores, adhibita Conuiuatoris similitudine, vbi vers. 29. vti Græca τῶν συγγραφέων τὸν πρωτοποιήσαντα, docent, & sententia postulat; quemadmodum in vers. 31. legendum; *ac singulis auctori concedentem*, non *auctoribus*, nisi pro singulari, vt interdum fieri iam dixi; pluralis positus sit. Sed tum illud (*singulis*) non ad Auctores, sed ad res referendum. *Tertium* est, ipse breuis compendij modus, qui explicatur *duplici* adhibita *similitudine* & causa v. 31. *Altera* similitudo est Architecti, cui cum de omnibus laborandum sit, refert primum historiæ alicuius scriptorem accuratum & copiosum. *Altera* est pictoris, qui cum vna tãtum de re, vno sc. ædificii ornatu cogitet, similis est historiæ alicuius breuiatori & Metaphrastæ, qualem se auctor noster profitetur. Rectè vero Interpres ipsum pictoris genus posuit, licet in Græco duę ipsius species vel officia potius ponantur, *zographia* sc. & *encaustica*, de qua Plinius l. 35. ca. 4. 6. 11. Athenæus li. 5. Vitruuius l. 4 c. 2. *Quartum & postremum* est: cur præfatio tam breuis v. 33. Vbi nota elegantem sententiam, quæ ad omnes transferri potest, qui magnos rerum quarundam apparatus faciunt, neque illas tamen rectè perficiunt, magnis præmiis vruntur, vixque tandem boni quid aut canunt aut dicunt. Et sunt interdum, qui antequam Ecclesiasticum aut religiosum vitæ statum inierint, magno eius desiderio flagrant, multa piè admodum ardenterque faciunt, vt videantur mirabilia postmodum facturi. sed in illum vbi recepti sunt, intepescunt, vixque quod pristino feruori respondeat, quicq; agunt, quos ridet, q ait: *Parturiunt mõtes, nascetur ridiculus mus.*

Sed ex ista præfatione *duo* contra librorum istorum authoritatem, Caluinus in Antidoto, & post eum Wittakerus ca. 14. *argumenta* extundit. *Vnum* ex vers. 24. *Spiritus sanctus nunquam solitus est in Epitomen redigere prophani authoris historiam.* Respondeo, sunt in scriptura, verbi gratia Matth. 25. 26. plurimi impiorum sermones & orationes, quarum tamen epitomen & quasi summam Spiritus sanctus in scripturis posuit. Cur ergo pia minimè impiorũ authorum scripta, si velit, in breuiarium redigere, nobisque tradere non possit? Cur veritati etiam à profano prolatę diuinum testimonium dare non possit? quemadmodum per D. Paulum fecit Act. 17. ad Titum 1? Nonne & per Gentiles Sibyllas, per impium Caipham, per brutę asinę os Dominus locutus est. Quin & solo humano iudicio, Græcorum nonnullos testatur Iosephus in præfatione captiuitatis Iudæorum res Græcam in linguam vertisse, neque à veritate multum aberrasse. Si quid verò iste aberrasset, eum senatus Hierosolymitanus, qui mittebat, correxisset. Audiat suos saltem Magistros hæreticus. *Historiæ*, inquit Beza prolegom. in Apocalypsin, *veritas, aliunde potius, quam à scriptore pendet.* Lutherus vero in S. Iacobi epistolam, sed prout solet, vehementius, *Quidquid*, ait, CHRISTVM *docet Euangelicum est, etiamsi à Iuda, Anna, Pilato & Herode fiat.* Etiamsi ergo librorũ istorum auctor, Gentilis & prophanus nescio quis fuisset, vera tamen, quæ scripsisset, esse, & ab Hierosolymitana Ecclesia examinari, & tamquã vera commendari potuissent. *Verum*, qũo probat Wittakerus Iasonem istum Cyrenæum, fuisse scriptorem prophanum, cũ bonus & sanctus quispiam Iudæus fuisse videatur? Multi n. in Cyrene Iudæi, prout patet Act. 2. & 6. significatque Artemidorus l. 4. c. 26. & Iosephus crebrimè, vt lib. 14. c. 12. l. 16. c. 10. l. 7. ca. 38. & in vita sua. Etiam vero in illa Cyrene, de qua 4. Regum 16. Amos 1. & 9. Iudæi fuerunt. Plures enim Cyrenæ sunt, cum & apud Athenæum l. 8. à Stratonico alibi Cyrenæi vocentur Rhodij. Sed quia Cyrene ista inusitatior & Iosephus, aliiq; communiter de Libyæ Cyrene loquuntur, in eaq; maiorem Iudæorum partem Strabo apud Iosephum lib. 14. c. 12. constituit, ex Africana ista nostrum istum auctorem fuisse nullus dubito, è qua & fortunatissimus ille Marthæi 27. vers. 32. Simon qui Domini crucem tulit. Atque ita etiam pronunciat loco antea citato temporũ emendator. *Ex Hellenistis Cyrenes aut Ægypti Iudæit*, ait, *Iason Cyrenæus, qui quinque libris bella Iudæorum, cum Regib. Syriæ Græce complexus est: quorum librorum breuiariũ est posterius volumen Machabæorũ. Secundum* argumẽtum, ex v. 27. Nihil est tam difficile, vt Spiritui sancto molestum esse possit. *Respondeo* primò, nil quidem Spiritui sancto molestum: sed homini, qui à Spiritu sancto regitur, potest, quoad corpus & inferioris appetitus leges, laboriosum esse aliquid, quemadmodũ Dominus dixit, *Spiritus promtus est, caro autem infirma.* idemq; *fatigatus ex itinere sedebat supra fontem*, Ioan. 4. Deinde, sacri scriptores vel omnia simpliciter à Spiritu sancto accipiunt, vel ex aliorum scriptis, & sermonib. vt qui Regum libros & Paralipomena scripserunt, & his laborandum est, quemadmodum de seipso scribit S. Lucas, in præfatione. Addo *tertium* argumentũ. *Concedit* Auctor iste Iasoni *veritatem*, v. 29. Ergo ea ipsi curæ non est, quemadmodum *philosophandi scientiã & pronunciatione, sed aliis concedere*. dicit initio de officiis, & lib. de Orat. Cicero. *Respondeo*, non simpliciter veritatem, sed veritatem illam minutiorem, *de singulis* scilicet rebus, accuratissimamque scriptionem concedit. Est enim Græcè τὸ ἀκριβῶν περὶ ἑκάστων. id est, *de quibus best accuratè pertractare persequi exquisitè, minuteq; singula.* quemadmodum & vers. 13. vbi τὸ ἐμβαθύνειν est altius in rerum narrationem & explicationem ingredi. Ideoque noua in Vatablo versio vertit; *penetrare altius, omniaq; oratione pertractare, curioseq; rimari singula, ad auctorem historia peruenire*, ad auctorem inquam primum, non ad eius abbreuiatorem.

ALTERA MACHABÆORVM HARMONIÆ PARS, QVÆ IPSAM HISTORIAM CONTINET.

MACHABÆORVM historia *bipartita* est. *Primò* à tempore Monarchiæ tertiæ, seu ab Alexandro Magno, vsque ad bella ipsorum Machabæorum. *Deinde* ab his ad Ioannem Hyrcanum. Prioris partis quatuor rursum particulæ.

PRIMA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA.

CAPVT I.

1 ET factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, egressus de terra Cethim, Darium regem Persarum & Medorum.
2 Constituit prælia multa, & obtinuit omnium munitiones, & interfecit reges terræ,
3 & pertransiit vsque ad fines terræ: & accepit spolia multitudinis Gentium: & siluit terra in conspectu eius.
4 Et congregauit virtutem, & exercitum fortem nimis: Et exaltatum est, & elevatum cor eius:
5 & obtinuit regiones Gentium, & tyrannos: & facti sunt ei in tributum.
6 Et post hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur.
7 Et vocauit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a iuuentute, & diuisit illis regnum suum, cum adhuc viueret.
8 Et regnauit Alexander annis duodecim, & mortuus est,

COMMENTARIVS.

PRIMA primæ partis particula scripta est lib. 1. c. 1. vsque ad vers. 9. *Pardus.* Danielis cap. 7. alatus & quadriceps, itemque Occidentis ille *hircus*, qui bicornem Orientis arietem Danielis 8. deiecit & conculcauit, est *Alexander Magnus*, qui Darium regni duplicis, Persarum inquam & Medorum imperio, tituloque vehementius exultantem, triplici prælio superauit. Dicitur Alexander regnasse *primus in Græcia*, quia primus totius Græciæ regnum adeptus est, ipseque Monarchiam instituere cœpit anno ætatis suæ 20. Iustinus lib. 11. Plin. lib. 10. cap. 7. *De Cethim egressus est*, qui sunt Occidentales Insulæ, aut regiones maritimæ Italia, Græcia, Macedonia, Numer. 24. ver. 23. & infrà cap. 8. D. Hieronymus lib. 5. comment. in Isaiam cap. 23. *Terram Cethim, Cyprum quidam interpretantur. Vsq; hodie enim est apud eos vrbs Citium & Zeno Stoicæ sectæ hæresiarches fuit. Quanquam plerique nostrorum & maximè Machabæorũ principium Cethim Italiæ Macedoniæq; Insulas arbitrentur. Hoc enim scriptura commemorat quod Alexander Rex Macedonum egressus sit de terra Cethim.* Et in Ieremiæ c. 2. & 27. *Cethim, Italiam vertimus, & ea regione, quæ Græciæ propinquior est, omnes Occidentalium insularum partes intelligentes.* D. Epiphanius hær. 30. *Omnibus*, ait, *manifestum est, Citium Cypriorum Insulam appellari. Citij enim Cyprij sunt ac Rhodij. Sed & in Macedonia genus Cypriorum ac Rhodiorum habitauit, & ea de causa in Machabæis habetur, quod exiuit semen è terra Citiensium. Nam ex semine Græcorum est Alexander Macedo.* Menander etiam lib. de Tyri Regibus, misisse ait Salmanasarem ad *Citæos*. Suidas ab *Cethim*, per prosthesin, Macedonas dictos putat. Egressus est verò illinc Alexãder anno regni sui, *altero*, Diodorus lib. 17. tuncq; primum prælium cum Darij Ducibus gessit, Iosephus lib. 11. c. vlt. Anno *tertio* regni secundum prælium, Anno *quarto simulq; quinto*, Phœniciam, Ægyptum & Iudæã sibi subiecit: tumque *Iaddus* Pontifex, cum pontificalibus vestibus, ipsi, alioquin irato, venit obuiam, eum verò ipse Alexander *adorauit*. seu potius DEVM in ipso, vt ipsemet ait, apud Iosephum lib. 11. cap. vlt. & Danielis de se vaticinium libentissimè audiuit. Anno *sexto*. tertium prælium gessit, & Asiæ Imperator saluratus est. Sed sequentibus annis, ad Gangem vsque & Oceanum Indicum, *tyrannos*, vers. 6. id est, terrarum dominos, & principes deuicit, & cum *annos* 12 solidos regnasset,

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnasset, vt vers. 9. dicitur, siue 13. inchoatos, vt Liuius lib. 45. *mortuus est*, veneno, vt quidam putarunt, vel, vt fere omnes & certius, ebrietate. *Alexandrum*, ait Senecæ epistola 83. *tot funera, tot prælia, tot hyemes per quas victa temporum, locorumque difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit*: vt vel hinc vinolentiam detestari discere meritò debeamus. Annum ætatis suæ 32. confecerat, & quo ad menses octo, prout asserit lib. 7. Arrianus; inchoarat tricesimum tertium, quicquid alij auctores differant, contra quos Petrius noster lib. 9. in Danielem.

Sed quæritur, *Quomodo* vers. 7. *dicatur adhuc viuens pueris suis regnum diuisisse*, cum id negent Iustinus lib. 12. Diodorus lib. 17. Curtius lib. 10. Orosius lib. 3. cap. 23. *Duplex* responsio. *Prima*, per amicum id fecisse, quia viuens adhuc annulo suo summam Perdiccæ potestatem dedit, is verò postea Ducibus illis prouincias distribuit, vt ait Iustinus lib. 13. & diligenter Diodorus initio lib. 8. Curtius lib. 12. Et hoc voluisse videtur Diuus Thomas, cum ait: *Diuisit, idest, diuidendum iussit. Non enim ipse viuendo diuisit.* Sed idem eodem loco Curtius *secundam* responsionem indicat, ipsummet videlicet prouincias distribuisse, licet hanc ipse famam absque ratione reiiciat, cum affirmet etiam libro 3. hisce verbis Gotionides: *Postquam Darium vicit Alexander, dominatus est in totum Orientem, postea mortis suæ diem cognouit, & partitus est terram in quatuor Principes magnos è familia sua, & mortuus est.* Additque, diuisionem istam factam esse, *antequam vndecim ferreis septentrionales gentes includeret.* Illo verò mortuo, contritum est hirci huius cornu, de quo Daniel.

Operæ verò pretium fuerit humanæ fragilitatis, caducæ felicitatis, & gloriæ hic exemplum intueri. Et post hæc, ait textus v. 6 decidit in lectum, & cognouit, quia moreretur. O quanta vis est in illo: *Postha!* in illo, *decidit!* & præterea v. 8. *& mortuus est!* Bene satyra x. Iuuenalis:

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis.
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Vt Gyara clausus scopulus paruaque Seripho,
Cum tamen a figulis munitam intrauerit vrbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.

Et Alexandreidos decimo Gualterus:

Eece repentina, subitaq; occasio febris
Dissoluit toto quod vnquepararamus æuo.
Magnus in exemplo, cui non sufficerat orbis,
Sufficit excisa deiecta marmore terra
Quinque pedum fabricata domus, qua nobile corpus
Exigua requieuit humo.

Refert Petrus Alfonsus, cum è vita excessisset ille, plures confluxisse philosophos, eorumque vnum dixisse: *Heri totius terræ spatiositas Alexandro non sufficit: nunc trium quatuorue vlnarum spatium ipsi sufficit.* Aiebat alius: *Heri potuit Alexander a morte multos liberare: hodie seipsum non potest.* Alius, cum aureum eius loculum videret: *Heri Alexander ex auro fecit thesaurum, hodie aurum fecit ex ipso thesaurum.* Alius: *Heri Alexander terram oppressit: hodie a terra opprimitur.* Alij alia. quorum omnium nullam quidem apud Curtium, Arrianum, Plutarchum, mentionem inueni, video tamen, cum, vti Plutarchus sub Alexandri finem ait, eius cadauer ἀδιάφθορον, id est, *inuiolatum*, & *insepultum*, diu mansisse, aduenisse potuisse, qui talia dicerent, vel è Græcia philosophos, vel ex ipsa Chaldæa & Perside Magos, vel ex eo ipso Gymnosophistarum cœtu, qui tam admirabiles ab ipso Alexandro ipso positas quæstiones, vt apud eundem Plutarchum est; sapienter ac ingeniosè antea dissoluerant. præterrim, cum, eandem ob causam, eius mater Olympias lamentabunda exclamarit: *O fili, qui cœli partitus esse studebas, ne in quidem potiri iam vales, quæ mortalium omnium communia sunt; terra & sepultura.* vti habet Ælianus lib. 13. variæ historiæ, qui addit, illam sic fortunas suas deplorasse, & τὸ μηδὲν τῶν ἀνθρωπείων reprehendisse. Verè *vanitas vanitatum & omnia vanitas. Rex hodie est, & cras morietur. Eccles. 10.*

ALTERA PRIMÆ PARTIS PARTICVLA.

E CAPITE PRIMO LIBRI PRIMI.

9 ET obtinuerunt pueri eius regnum, vnusquisq; in regno suo.
10 Et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem eius, & filij eorum post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra.

COMMEN-

COMMENTARIVS.

SECVNDA particula cap. 1. vers. 9. & 10. Fracto illo cornu, *quatuor Reges* de gente eius consurrexerunt, vt cap. 9. prædixit Daniel. Erti enim Ducum ipsius alias alij prouincias occuparunt, præcipui tamen quatuor fuerunt, qui regna sibi amplissima excitarunt. *Primus* in Syria & Babylonia, Seleucus Nicator vel Nicanor. *Secundus* in Ægypto Ptolomæus Lagi. *Tertius* in Macedonia Philippus, qui & Aridæus (non *Iudæus*, vt in Diuo Thoma est) dicitur, ipsius Alexandri frater. *Quartus* in Asia Antigonus, vt ait lib. 12. cap. 1. Iosephus. Vtilissimè hic legi queat libro 3. capite vltim. Orosius. sed longior est, quam vt huc transcribi debeat: & qui ad libros istos maximè spectant, sunt Syriæ, qui etiam non multò pòst, Asiam acceperunt, & Ægypti Reges, quorum hæc series.

REGES SYRIÆ.

I. *Seleucus* Nicanor vel Nicator.
II. *Antiochus* Soter.
III. *Antiochus* Theos.
IV. *Seleucus* Callinicus.
V. *Seleucus* Ceraunus.
VI. *Antiochus* Magnus.
VII. *Seleucus* Philopator. fil. qui etiam à Iosepho lib. 12. cap. 4. Soter.
VIII. *Antiochus* Epiphanes, Antiochi Magni filius, Seleuci *frater*, vt in Syriacis docet Appianus; non *filius*, vt apud Cedrenum, & alios est.
IX. *Antiochus* Eupator fil. qui etiam simul dicitur Epiphanes à Gorionide lib. 3. cap. 14.
X. *Demetrius* Seleuci f. Soter.
XI. *Alexander* Bales.
XII. *Demetrius* Demetrij Soteris filius siue Secundus.
XIII. *Antiochus* Sedetes fil.
XIV. *Demetrius* Secundus iterum.
XV. *Antiochus* Grypus f.
XVI. *Antiochus* Cizycenus Grypi fr.
XVII. *Philippus*, de quo nec Iustinus nec Appianus.
XVIII. *Tigranes*, de quo Iustinus lib. 40.
XIX. *Antiochus* Antiochi Cizyceni filius, sed cum à Pompeio deiectus esset, redacta est Syria in prouinciæ formam.

REGES ÆGYPTI.

I. *Ptolemæus Lagi*, qui & Soter apud Iosephum.
II. Ptol. *Philadelphus* fil.
III. Ptol. *Euergetes.*
IV. Ptol. *Philopator* fil.
V. Ptol. *Epiphanes* fil.
VI. Ptol. *Philometor* fil.
VII. Ptol. *Euergetes* fil.
VIII. Ptol. *Physco.*
IX. Ptol. *Alexander.*
X. Ptol. *Lathyrus.*
XI. Ptol. *Auletes.*
XII. Ptol. *Dionysius.*
XIII. *Cleopatra* Auletæ filia, in qua, inquit Iliad. 17. Strabo, Ptolemæorum imperium dissolutum est, cum deliciis corrupti essent. ἅπαντες μὲν οἱ μετὰ τὸν τρίτον Πτολεμαῖον (sunt verba) διεφθαρμένοι, χεῖρον ἀπολιτεύσαντο. *Omnes præter Ptolemæum tertium a luxu corrupti, peius Rempublicam administrarunt.*

In his obseruanda *tria*. *Primum*, primum illum Ptolemæum, à quo id postea nominis alij Ægyptiorum Reges acceperunt; multa Iudæorum millia in Ægyptum captiua abduxisse, Ios. lib. 12. cap. 1. *Secundum*, eius filium Ptolemæum Philadelphum, eorundem centum & viginti millia libertate donasse cum LXXII. ad ipsum Interpretes venissent, & Bibla Græcè conuertissent, prout Proleg. Bibliacorum capite 4. dictum. *Tertium*, Alexandri Duces vocari vers. 9. *eius pueros*, quia ministri eius erant, vti Tobiæ cap. 9. expositi. Liuius lib. 25. *Pueri regij apud Macedonas*, inquit, *vocabantur Principum liberi ad ministerium electi Regis.* Rursum, pro, *in suo loco* explicari posset ex Græco, *in loco eius.* Denique *multiplicata in terra fuerunt mala.* quia suis inter se prælijs hi Principes terrarum penè orbem dilacerarunt, vt ex Plutarchi Eumene, Iustino, Iosepho & aliis colligitur. Liuius lib. 45 *Maximum in terris Macedonum regnum, nomenq;, morte Alexandri, dissipatum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt, lacerantes viribus à summo culmine fortunæ ad vltimum finem, 150 annos stetit.* Orosius lib. 3. cap. vltimo: *Macedonum*, ait, *duces, mortuo Alexandro, diuersas sortiri prouincias, mutuo se bello consumpserunt. quorum ego tumultuosissimum tempus ita mihi spectare videor, quasi aliqua immensa castra per noctem de specula montis aspectans, nihil in magni campi spatio præter tenuis meros focos cernam. Ita per totum Macedonia regnum, hoc est, per vniuersam Asiam, & plurimam Europæ partem, Lybiæq; vel maximam, horrendi subito bellorum globi coiluxerunt: quos cum ea præcipuè loca, in quibus exarsere, populati sunt, reliqua omnia terrore rumoris, quasi fumi caligine turbauerunt.* Et postea: *Ro sui fumi spectaculi erat, duos reges, quorum Lysimachus annos natus LXXIV. Seleucus autem LXXVII. de eripiendis alterutrum regnis concurrere, to acie stare, arma gerere. Vltimum hoc quidem bellum Alexandri commilitonum fuit, sed quod ad exemplum humanæ materiæ fuerit reseruatum: quippe cum orbem terrarum exercitu iam XXXIV. ducibus Alexandri, sola possiderent, & angustissimos sen. clutis ac vitæ suæ terminos, non aspicientes, angustiores esse imperio suo totius mundi se minus arbitrabantur.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

TERTIA PRIMÆ PARTIS MACHABÆORVM PARTICVLA.

CAPVT III. LIBRI II.

1 Igitur cùm sancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiã adhuc optime custodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, & animos odio habentes mala.

2 fiebat vt & ipsi reges, & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent:

3 Ita vt Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.

4 Simon autem de tribu Beniamin præpositus templi constitutus, contendebat, obsistente sibi principe sacerdotum inquũ aliquid in ciuitate meliri.

5 Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsæ filium, qui eo tempore erat dux Cœlesyriæ, & Phœnicis:

6 & nunciauit ei, pecunijs innumerabilibus plenum esse ærarium Hierosolymis, & communes copias immensas esse, quæ non pertineant ad rationem sacrificiorum: esse autem possibile, sub potestate regis cadere vniuersa.

7 Cumq; retulisset ad regem Apollonius de pecunia, quæ delata erant, ille accitum Heliodorum, qui erat super negotijs eius, misit cum mandatis, vt prædictam pecuniam transportaret.

8 Statimq; Heliodorus iter est aggressus, specie quidem quasi per Cœlesyriam, & Phœnicen ciuitates esset peregraturus, re vera autem regis propositum perfecturus.

9 Sed cum venisset Ierosolymam, & benignè à summo sacerdote in ciuitate esset exceptus, narrauit de dato indicio pecuniarum: & cuius rei gratia adesset, aperuit: interrogabat autem si verè hæc ita essent.

10 Tunc summus sacerdos ostendit deposita esse hæc, & viduarum, & pupillorum.

11 quædam verò esse Hircani Tobiæ viri valdè eminentis, ea hic, quæ detulerat impius Simon: vniuersa autem argenti talenta esse quadringenta, & auri ducenta:

12 decipi verò eos qui credidissent loco & templo quod per vniuersum mundum honoratur, pro sui veneratione & sanctitate omnino impossibile esse.

13 At ille pro his, quæ habebat in mandatis à rege, dicebat omni genere regi ea esse deferenda.

14 Constituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Non modica verò per vniuersam ciuitatem erat trepidatio.

15 Sacerdotes autem ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt se, & inuocabant de cœlo eum, qui de deposito legem posuit, vt his qui deposuerant ea, salua custodiret.

16 Iam verò qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim, & color immutatus declarabat internum animi dolorem.

17 Circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, & horror corporis, per quæ manifestus aspicientibus dolor cordis eius efficiebatur.

18 Alij etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quòd in contemptum loci esset venturus.

19 Accinctæq; mulieres cilicijs pectus, per plateas confluebant: sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam verò per fenestras aspiciebant:

20 Vniuersæ autem protendentes manus in cœlum deprecabantur.

21 erat enim misera commistæ multitudinis, & magni sacerdotij in agone statuti expectatio.

22 Ei hi quidem inuocabant omnipotentem Deum, vt credita sibi his qui crediderant, cum omni integritate conseruarentur.

23 Heliodorus autem, quod decreuerat, perficiebat eodem loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens.

24 Sed Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam, ita vt omnes qui ausi fuerant parère ei, ruentes Dei virtute, in dissolutionem, & formidinem conuerterentur.

25 Apparuit enim illis quidam equus, terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: hoq; cum impetu Heliodoro priores calces elisit, qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea.

26 Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosiq; amictu: qui circumsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes.

27 Subitò autem Heliodorus concidit in terram, eumq; multa caligine circumfusum rapuerunt, atq; in sella gestatoria posuerunt.

28 Et is, qui cum multis curribus, & satellitibus

satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferente, manifesta Dei cognita virtute:

29 & ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni spe & salute priuatus.

30 Hi autem Dominum benedicebant, quia magnificabat locum suum: & templum, quod paulò antè timore ac tumultu erat plenum, apparente omnipotente Domino, gaudio & lætitia impletum est.

31 Tunc verò ex amicis Heliodori quidam rogabant confestim Oniam, vt inuocaret Altissimum, vt vitam donaret ei, qui in supremo spiritu erat constitutus.

32 Considerans autem summus sacerdos ne forte rex suspicaretur malitiam aliquam ex Iudæis circa Heliodorum consummatam, obtulit pro salute viri hostiam salutarem.

33 Cumq; summus sacerdos exoraret, iidem iuuenes eisdem vestibus amicti, astãtes Heliodoro, dixerunt: Onia sacerdoti gratias age: nam propter eum Dominus tibi vitam donauit.

34 Tu autem à Deo flagellatus, nuncia omnibus magnalia Dei, & potestatem. Et his dictis, non comparuerunt.

35 Heliodorus autem hostia Deo oblata, & votis magnis promissis ei, qui viuere illi concessit, & Oniæ gratias agens, recepto exercitu, repedabat ad regem.

36 Testabatur autem omnia ea, quæ sub oculis viderat opera magna Dei.

37 Cùm autem rex interrogasset Heliodorũ, quis esset aptus adhuc semel Ierosolymam mitti, ait:

38 Si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit: eo quod in loco sit verè Dei quædam virtus.

39 Nam ipse, qui habet in cœlis habitationem, visitator & adiutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum, percutit, ac perdit.

40 Igitur de Heliodoro, & ararij custodia ita res se habet.

CAPVT IV. Eiusdem lib. 2.

1 Simon autem prædictus pecuniarum, & patriæ delator, malè loquebatur de Onia, tanquam ipse Heliodorum instigasset ad hæc, & ipse fuisset incentor malorum:

2 Prouisoremq; ciuitatis, ac defensorem gentis suæ, & æmulatorem legis Dei audebat inimicitiarum dicere.

3 Sed cum inimicitiæ intantum procederent, vt etiam per quosdam Simõnis necessarios homicidia fierent.

4 Considerans Onias periculum contentionis, & Apollonium insanire, vtpote ducem Cœlesyriæ, & Phœnicis, ad augendam malitiam Simõnis, ad regem se contulit.

5 Non vt ciuium accusator, sed communem vtilitatem apud semetipsum vniuersæ multitudinis considerans.

6 Videbat enim sine regali prouidentia impossibile esse pacẽ rebus dari, nec Simõnem posse cessare à stultitia sua.

COMMENTARIVS.

TERTIA particula est lib. 2. c. 3. vsque ad cap. 4. v. 7. qua felix tunc Iudæorum status, & nonnulla quæ incidit, perturbatio describitur. Felicitas verò ea Iudæorum tunc fuit, vt Seleucus ipse Philopator, Antiochi Magni filius, è regijs thesauris, omnes sacrificiorum sumptus DEI templo suppeditaret. *Notanda* verò hic plura.

Primum, Seleucum istum fuisse non primum, vt ait Gorionides, cap. 1. lib. 3. sed septimum. Nam hic lib. 2. cap. 4. vers. 7. dicitur, post Seleucum istum, regnum ab Antiocho Epiphane susceptum. & errat etiam Gorionides, dum ibidem ait, illum regnasse in Macedoniæ vrbe regia, nisi Syriam eo nomine significatam velit.

Alterum est, *Pontificum series* post Iaddum illum, de quo in libro Esdræ, & paulo ante dictum est. Ab ea verò aliquantulum discrepant Eusebius in Chron. Sigonius lib. 5. de Rep. Hebr. & lib. 2. contra Iudæos Petrus Venerabilis, sed ita, vt & ab eo, qui eum edidit, in margine meritò reprehendatur, quod Machabæos non ex Leui, sed ex tribu Iudæ affirmet, de quo infrà.

Pontifices ab Alexandro Magno vsque ad Machabæos.

I. IADDVS Pontifex, quem adorauit Hierosolymam accedens Alexander Magnus, apud Iosephum lib. 13. c. vlt. cuius frater Manasses Samaritanum in Garizim templum exstruxit, apud Iosephum lib. 11. c. 7. huius Iaddi duo filij, Onias & Manasses.

II. ONIAS fil. quibusdam Priscus & primus. à Cedreno Ionias, à Iosepho contra Apionem ex Hecatæo, Ezechias, nisi fortè in illo nomine mendum est, qui Lagi tempore vixerit, filios habuit Simonem & Eleazarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

III. SIMOM f. quibusdam Priscus, Iosepho lib. 12. c. 3. *Iustus*. Ab Eusebio præteritur.

IV. ELEAZARVS fr. à quo Septuaginta Interpretes missi ad Ptolemæum Philadelphum, & tutelæ nomine, fratri surrogatus. Ioseph. lib. 12. c. 2

V. MANASSES Iaddi filius, Oniæ 1. frater, Eleazari ὁμώνυμος. Ioseph. lib. 12. c. 5. Is ab Eusebio rursum præteritur.

VI. ONIAS secundus Simonis Iusti frater, qui iam senior tributum Ptolemæo Euergetæ negauit. Ioseph. lib. 12. cap. 3. Vnde mala grauia, ni ad Ptolemæum legatus iisset Iosephus Tobiæ & sororis Pontificis filius. ibid. cap. 4.

VII. SIMON SECVNDVS, Oniæ secundi fr. de quo Iosephus sub finem cap. 4. lib. 12. & huius Encomium est Ecclesiastici cap. 50. vt ex huius felicitate ibi descripta patet, cum Simon ille prior à Ptolemæo Lagi, vna cum Iudæorum populo vniuerso, vexatus fuerit, vt supra dictum. A Philone Simon Iustus vocatur, Antiocho Magno amicus. Et, Pontificis huius tempore fuit Iesus ille Sirac, qui Ecclesiasticum scripsit, de quo suprà Præloq. 3.

VIII. ONIAS tertius Simonis huius filius, de quo lib. 2. Machab. c. 3. 4. vlt. & lib. 1. c. 12.

IX. *Iason* impius, frater huius Oniæ, qui & *Jesus*.

X. *Menelaus* Beniamita impius, lib. 2. c. 4. v. 24. illegitimus Pontifex ab Antiocho, cõtra leges, obtrusus, & is à quibusdam dicitur *Onias 4*. Simon sq; secundi filius. Sed infrà refellentur.

Lysimachus Menelai frater impius, illius absentis vicarius.

XI. *Alcimus* impius impij huius successor, extra veram Pontificum seriem. qui à Iosepho lib. vlt. Ant. cap. pen. sacerdos tamen ex Aaronis stirpe fuisse dicitur, sed ex alia domo. & nomine ἰάκιμος. qui Pontificatum tenuerit annos 3. Inde inter & pontificium annos fuerit septem.

XII. MATATHIAS vt infrà probabitur.

XIIII. IVDAS Machabæus. à Iosepho lib. 20 c. penult. malè prætertitus.

Perturbatio verò quæ incidit, exponitur vers. 4. cap. 3. Excitauit nimirum grauem in templum & Oniam Pontificem tempestatem *Simon Beniamita*, Menelai, qui pontificatum postea inuasit, *frater*, dum pecuniam, qui in templo erat, sacrilegè auferri, Seleuco Regi per Apollonium cauæ Syriæ Phenicesq; Satrapam, persuasit. Eamque ad rem *Heliodorus* quidam regiorum negotiorum, redituumque procurator seu quæstor missus est. *Templi* verò *præfectus* dicitur militaris quidam magistratus, cui lictores, & milites ad templi custodiam essent, lib. 1. cap. 4. vers. 61. Matth. 27. Luc. 22. Act. 4. vbi στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ dicuntur, quasi plures fuerint, sed ita, vt eorum vnus summus foret. Videtur Sigonius lib. 7. cap. 13. Bertramus verè de politia Iudæorum, modo vrbis Hierosolymæ Præfectum facit, modo eius iurisdictionem templo concludit. Obseruandus *mos vetustus*, vt res inopum, pupillorum, & viduarum, opulentorum etiam in templo, tanquam loco tutissimo, deponerentur, idque pro loci veneratione & sanctitate, vt habet cap. 3. vers. 12. Huiusmodi enim depositores iniuria vlla afficere nefas erat, idque impune à DEO vel DEI zelum habentibus tolerati quodammodo impossibile, vt ibidem dicitur. Sic & apud nos CHRISTIANOS mos idem fuit, cap. *Grauis*, extra *de deposito*. S. Ambros. 2. officior. c. 29. & in Psalm. 40. Imò & apud gentiles mos idem viguit, à quibus non pecuniæ tantùm, sed pactiones etiam, fœdera, & testamenta in fanis deponebantur. Cicero lib. 5. Epist. 20. lib. 5. ad Articum, Epist. vltima, Herodianus lib. 1. Diodorus lib. 48. Tacitus primo annalium. Suetonius de Iulij testamento, Plutarchus in M. Antonio, Vlpianus lib. 3. de tab. exhib. Laërtius in Xenophonte. Plautus Bacchidib, Thucydidis verò scholiastes: *Is mos*, ait, *veteribus fuit, pecunias publicas in templis custodire*. Vnde 2. de legib. Cicero; *Sacrilego pœna est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam qui sacro commendatum*. Alexander apud Solos in Cilicia pecuniam in delubro deposuit: & filiarum suarum dotes Iunoni Samiæ commendauit ciuis egregius Clisthenes, suis rebus cum timeret. Atque hæc causa, cur bellico aliquo tumultu, quæ possent, in templa CHRISTIANI homines inferrent, quæ tamen hodie, nihilo ibi quam in prophanis locis, tutiora.

Tertium, quod hic notandum est, quantam in veri DEI religionem Gentilium etiam Principum magnificentia fuerit, vt Cyri, Darij, Artaxerxis, Esdræ 1. & 6. Nehem. 2. Antiochi Magni, & aliorum apud Iosephum lib. 12. cap. 3. lib. 6. cap. 10 libro. 2. cap. 31. & lib. 2. contra Apionem & apud Gorionidem loco cit. & copiosè lib. 4. cap. vlt. vbi de templo à Crasso spoliato agit. *Multi*, ait, *& magni Reges miserunt quos annis ad templum Dominimunera vasa argentea, & aurea, quibus Dominum sibi propitium facerent. Sed & multæ gentes dederunt tributa pro Domini nostri templo, vasa aurea & argẽtea. Erant præterea in diebus illis multi Iudæi valdè diuites, propter opimam loci sancti vbertatem. Et licet gentes venerint contra vrbem ipsam. vt perderent eam, cum tamen sanctuarij nostri sanctitatem & sublimitatem agnoscerent, cæperunt tandem honorare templum & offerre munera aurea, & lapides pretiosos, & multi scriptores id testantur, sicut ego. Et sic Nicolaus Damascenus, & sic dicit Strabo Cappadox* (sic enim vertendum, non vt habet Latina illa versio, quæ habet; *testantur*, nempe ego *Nicolaus Damascenus*, quasi is horum librorum auctor esset.) *de opulentia Iudæorum ita dicens. Transmittens autẽ Mithridates Rex Armeniæ in vrbem, quæ Coum dicitur, quæ in Asianæ terræ finibus est, accepit inde aurum, quod illuc deposuerat Regina Ægypti. Accepit præterea aurum, quod sanctificauerant Iudæi & destinare decreuerant in templum* DEI *nostri cuius pondus*

fuit

fuit octingenta tantũ talenta argenti & auri. Lapidis quoq; pretiosi erat. Quæ omnia sanctificauerãt Iudæi habitantes in Asia minore. Nec fuit aurũ illud de terra Iuda, neq; de terra Alexandriæ, sed de Asia fuit aurũ illud.

Quartum. Tam felicis verò status *causa* omnibus qui publicas res & ciuitates florere volunt, diligenter considerandæ: & significantur in contextu *tres*, quarũ vna ex alia pendet. *Prima*, quia summa Hierosolymis inter proceres & ciues pax & concordia tum erat. Ea Simonis Pontificis tempore cæperat; aliquantulum tamen à Iosephi, qui Oniæ secundi, ex sorore nepos, Tobiæ filius, liberis interturbata, dum omnium maximè iuuenem Hyrcanum è medio sublatum vellent, vti narrat lib. 12. Iosephus cap. 4. & 5. *Altera*, legum accuratissima obseruatio. Eæ ciuitatum vincula sunt, quæ si disrumpantur, pessum ire omnia necesse est. *Tertia* est Pontificis ipsius Oniæ tertij virtus, quæ duobus nominibus hic eximia significatur. Alterum est ἡ εὐσέβεια, *pietas & religio in Deum*, prout dictum Iudith 8. quæst. 5. alterum ἡ μισοπονηρία, id est, *malitiæ odium & detestatio*, seu animus odio habens mala: vel, vt Interpres noster; *animi odio habentes mala*. Sic infrà μισοπονηροῦντες cap. 4. vers. 49. vbi noster tantum ait, *indignati*. & cap. 8. vers. 4 itemque in Esther, cap. 16. par. 3. quæst. 26. Et Iosephus in vita sua verbo eodem vtitur. μισοπονηροῦντες ὑπὲρ τούτων, πεμφθῆναι τὸν τοιαῦτα σπουδάζοντα. *Malitiam odio habentes, istorum causa, supplicio cum assumite, qui talia ausus est*. Et cap. 4. vers. 37. commendatur eiusdem Oniæ σωφροσύνη, ἡ πολιτικὴ ἐντέλεια, temperantia, & multa modestia. Eodem cap. 4 vers. 2. triplici admodum præclaro elogio afficitur, dum nominatur ὁ εὐεργέτης τῆς πόλεως, ὁ κηδεμὼν τῶν ὁμοεθνῶν, ὁ ζηλωτὴς τῶν νόμων. Distinctius infrà cap. 15. vers. 12. *vir bonus, & benignus, verecundus visu*, seu, vt Græca etiam verti possunt; *ipso occursu verendus, modestus* seu *mitũ moribus, eloquio decorus*, seu *sermonem decenter emittens*. Hinc igitur fiebat vt & *ipsi Reges & Principes locum summo dignum honore ducerent & templum maximis muneribus*, quæ à mittendo hic ἀπόστολοι nominantur, *illustrarent*. Scilicet hoc Regum, nobiliumque & copiosorum hominum ad locupletandas Ecclesias munificentiam excitabat, cum religiosos homines, clericos, Episcoposque sanctos, Deoque deuotos viderent. Rectissimè, post recitatam à Fortunato historiolam, id annotauit Annalium Tomo septimo Reuerendissimus & Illustrissimus Baronius. *Quadam vice præcellentissimus Childebertus Rex, cum Germano Episcopo Parisiensi direxisset sex millia solidorum pauperibus eroganda: expendens ea millia, reuertitur ad palatium. Interrogatusque à Rege, si adhuc resideret quod egenis tribueret: respondit residisse medietatem, nec inuenisse se inopes, quibus mox totum expenderet. Erat ergo spectanda contentio inter sacerdotem & principem: faciebant apud se ad misericordiæ pugnam, & de pietate certamen. Hæc Fortunatus de Childeberti Regis, sub sancto Germano, erga pauperes amore, atque munificentia: vt planè illud fuerit certo experimento cognitum, vbi sacerdotes sancti dignè numeros explent suos, Reges sponte se illis suaque bona subiicere, secundum vulgatum illud Machabæorum: propter Oniæ pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat. vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis honoribus illustrarent*. Ita Baronius. Videatur & Euagrius lib. 6. ca. 20. Nicephorus lib. 18. cap. 21. de Cosroe. de quo etiam in Esther c. 6. quæst. 2. Quia verò hi Onias insigne omnium, qui aliquam in Ecclesia dignitatem obtinent; exemplar est; quæ prima eius principia fuerint, non prætereundum, vt quibus eorum, qui ad magna quædam contendunt, tenerior ætas exerceri artibus debeat; perspectum sit. *A puero*. ait idem caput lib. 2. vltimum ver. 12. *in virtutibus exercuatus fuit*. Vel, vt Græcus ait, *a puero ea omnia, quæ virtutis propria sunt; meditatus est*, seu *exercuit*.

Quintum, *Hyrcanus* verò *Tobias*, cuius aliqua deposita erant; dicitur *vir valdè eminens*, verficul. 11. sanctitate quidem, vt existimat S. Ambrosius loco citato, & Lyranus, aut certè tantum opibus & dignitate. Videtur enim ille Tobias esse, qui Oniæ secundi sororem duxerat, apud Ioseph. lib. 12. cap. 4. cuius filij, id est, posteri, ad Antiochum profugerunt, lib. 1. Capt. cap. 1. Nam ipsius ex filio nepos, Hyrcanus vocabatur, de quo Iosephus lib. 2. cap. 4. Idem verò Lyranus legit versu 10. *depositæ ad victualia*. Et notat duplicia pro pauperibus in templo deposita, decimarum scilicet tertij anni pretium, & aliquid pecuniæ à diuitibus hinc inde collectum. Sed *victualia* in Græco non sunt, rectè tamen à correctis Bibliis & D. Ambrosio ponuntur, sed ita, vt pro *ad* legatur &, sitque appositio, quemadmodum Marci 12 *minutum illud* dicitur, *totus victus vitæ victus*. Ideoq; D. Ambrosius vocat *depositæ viduarum victualia & pupillorum*. Deinde illa tertij anni decima domi suæ à quolibet seruabatur; Deut. 14. Et Iosephus Gorion Oniam loquentem facit; *Non est in templo auri quicquam præter illud, quod dederunt Medorum & Persarum Reges his diebus, quodque similiter dedit Seleucus, & alij Reges in thesaurum Domini, ad sustentationẽ orphanorum & viduarum, propter quod nos Dominũ pro Regũ filiorumq; ipsius vita oramus*. Postea verò dicit omnes orasse, vt Deus custodiret primò *thesaurũ* suum, de quo iam. Deinde הפקדון, id est, *depositum*, qp in domo eius depositum erat. *Thesaurũ* verò Domini vocat, in quo erant δημόσια χρήματα *publica pecunia*, quæ partim ex donariis, partim ex Iudæorum omnium, vbicumq; tandem locorum essent; capitatione colligebantur. de quibus Iosephus lib. 14. c. 8. lib. 16. c. 4. 5. 10. lib. 18. c. 4 lib 7. Capt 27. Et vocabatur thesaurus iste *corbonas*, vt idem Iosephus tradit lib. 2. Capt. 14 & 17. & patet Matthæi 27. & sæpe vertitur *gazophylacium*. in quo cum Hierosolymam veniret Pompeius Magnus, erant 2000. talenta, neque tamen quidquam abstulit, vt ait lib. 14. c. 8. Iosephus. longè aliter quam Antiochus infrà lib. 2. c. 5. vers. 21. & postea Crassus, qui *trabem* etiam *auream* abstulit apud Iosephum eodem lib. 14. c. 12.

Sextum, modus etiam obseruandus *auertendorum periculorum* hoc loco insignis, vt in Iudith c. 8. &

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud Iosephum lib.11. cap.7. Fuit autem modus iste. *Primò* per Sacerdotes tanto studio & humilitate orantes, quorum Pontifex dicitur versicul.21. *in agone*, quemadmodum Luc.22. Esther cap. 14.p.3.quæst.7. & apud Iosephum lib.11.ca. vlt. *Deinde* per ciues publica obsecratione supplicantes versicul.19. quæ dicitur πάνδημος ἱκετεία, *totius populi supplicatio.* Quemadmodum quandoque & hodie sunt illi ad Turcam, pestem, similesque calamitates anertendas publici conuentus, Missæ, processiones, XL. horarum precationes. *Tertiò*, per fœminas saccis seu ciliciis succinctas. *Quartò*, per virgines, quæ à Lyrano & Gorionide putantur eæ; quæ domi suæ clausæ aut custoditæ erant. Sed verius videtur, in templi quodam domicilio, vbi & piæ viduæ morabantur, virgines clausas fuisse. Primò enim ideo dicuntur cucurrisse ad *portas muros & fenestras* templi, scilicet in quo morabantur, non autem ad vrbis mœnia, vel portas. Quam etiam ob causam videtur Ambrosius loco cit. muros & fenestras istas viris potius tribuere; virgines verò ait ianuas pulsasse. *Deinde*, quia Græcus textus vocat τὰς κατακλείστους τῶν παρθένων, id est, *clausas virginum*, siue, *è virginibus eas, quæ conclusæ essent.* quali duo virginum genera significentur. Vnum earum, quæ conclusæ forent. alterum earum, quæ ἀκατάκλειστοι non conclusæ manerent. *Tertiò*, quia apud Iosephum lib.5. Capt.cap.12.in templo γυναικεῖοι πύργοι *fœminæ turres* quædam collocantur. *Quartò*, quia Exodi 28.v.8. & 1.Reg. 2. versc.22. vna & eadem Hebræa phrasi, dicuntur fœminæ *Hatsobeoth, ascher tsabeou petach obel moed*, quæ variè quidem exponuntur, sed ita vt ab omnibus tradatur, fuisse fœminas istas adeo pias & religiosas, vt magno numero, & quorundam veluti exercituum instar, versarentur ad tabernaculi ostium, illic DEO cultum honoremque facerent precando & ieiunando. Nam Septuaginta, licet in libro Regum, harum non meminerint, eas tamen in Exodo τὰς νηστευούσας vocant, id est, *ieiunantes.* *Quintò*, quia & in eodem Exodi loco significantur sese in DEI cultu totas defixisse, ei vni placere studuisse: ideoque & operas & muliebria ornamenta religioni dicasse. Numerantur enim illic *specula*, quę pari postea modo, vt sibi à Gentilibus offerrentur, effecit Diabolus. In syluarum siquidem tertio, Papinij hæc verba sunt. *Earinus Germanici* DEI *nostri libertus scit, quamdiu desiderium eius moratus sim, cum petissem, vt capillos suos quos cum gemmata pyxide & speculo ad Pergameum Asclepium mitte-bat, sibi dedicarem.* Et in Ausoniano Epigrammate.

Lais anus Veneri Speculum *dico. Dignum habeat se*
Æterna aternum forma ministerium.

Sextò, idem existimarunt veterum non pauci vt D. Ambr. lib.1. de Virg. vbi sic: Etiam templo Hierosolymis fuisse legimus virgines deputatas. Nyssenus orat. de CHRISTI natiuit. Euodius apud Niceph. lib.2. cap.3. Damascenus lib.4. ca.13. alij. *Septimò*, denique hæc multorum, doctissimorumque hominum de istiusmodi piis in templi loco aliquo commorantibus viduis & virginibus sententia est, Canisij lib.1. de B. Virgin. cap.12. Soarez Tom.2. disput.7. initio, Espencæi lib.3. de continentia cap.7. Reuerendissimi Baronij in Annalium Apparatu. Et licet Beza in Lucæ 2. quæ de fœminarum istarum pietate traduntur, ad viduas tantum libentius astringat, Caluinus tamen in Exodi 28. de Virginibus etiam negaturus haud videtur, iis modo postea, quod concedimus, nubere licuerit. *Mihi*, ait, *simplex illa sententia maximè probatur*, specula, *donaria* scilicet *fuisse, quibus piæ fœminæ sanctuarium decorari statuerant. & verbum* tsabaoth *non quaslibet designat. sed quæ militarent, vel turmatim conuenirent ad ostium tabernaculi. & hæc metaphora excubiis & assiduis precibus non male conuenit.* Transfertur etiam ad Leuitas, qui dicuntur Num.4. versc.23. & cap 8.versc.24. militare militiam in sanctuario, dum operam sibi iniunctam impendunt. Atque hoc de hisce Virginibus promiseram Iudith.8. quæst.3. Plenior tamen expositio hic forsan fuerit, si virgines conclusas accipiamus, tam eas, quæ in templi claustro sese continebant, quam eas quæ domi, καὶ τοῖς ἀνεφώτοις, vt eodem illo capite quæst 4. dixi; custodiebantur. Addit verò hîc etiam Gorionides, *ieiunatum ab omnibus, etiam à pueruli & infantibus, adeo vt lactentibus lac negaretur.*

Septimum. Pœna porro sacrilegij per Angelos inflicta est, quorum vnus equi corpus exactè conformârat, equitemque agebat, prout 4. Reg.2. & 6. Alij duo, quasi apparitores doryphori erant. In iuuenum istorum manibus erant flagella seu scuticæ, quæ ad Hebraicum, quo Gorion ipse vtitur, accedunt, שוט. Narrat verò idem Gorion, miserum illum à Sacerdotum pueris, humeris è sanctuario elatum, & Satellitibus, qui fugerant, traditum, suo in hospitio, seu tabernaculo, mutum lecto decubuisse, absque omni sermone & cibo: venisse ad Oniam Macedonum seniores, *professos verum* DEVM *& fortem*: sicque impetrasse valetudinem. Hasce verò formas Angeli sumpserunt primò, quia ei, quam agere debebant, actioni congruebant, vt terrerent, punirent, præsertim cum officium suum ipse templi Præfectus prodidisset. Secundò, quia in equo sublimis magno cum fastu & satellitio Heliodorus aduenerat. Tertiò, vt præstantiam, celeritatem, roburque suum monstrarent, & vt cælites intelligerentur, cum alioqui mortalium nullus templum eques ingrederetur. Horreant', quicunque nefarias hodie templis, sacrisque altaribus & sacramentis manus iniiciunt. Experientur olim angelos illos tortores, de quibus Matth. 25. Sed præfatio Caluinistarum Gallica in hunc librum 2. historiam istam quasi dubiam & incertam vellicat, cum pari tamen ratione Eliæ & Elisæi equi & equites reiici possent. Itemque Zachariæ 1. Isti scilicet libentius Castorē & Pollucē candidis in equis pro Romanis pugnantes admitterent, ex Liuio dec.1. Obsequente cap.10. Sanè

D. Am-

D. Ambrosius in psal.40. istam historiam facit maximi. *Hic*, ait, *equus* (de quo Apoc.6.) *in figura, & iste demonstratus est tempore Machabæorum, super quem sedebat Dux virtutis ille cælestis, qui Heliodorum depeculatorem depositi vidualis cæterorumque quæ iacere seruarant commendata custodiæ, & stranit & percussit, & postratum Onia sacerdoti precibus viuali visus reformauit. Vnde verè in eo arma aurea refulserunt, quia* Solius (filius hominis) *equum bunè sedit, & vicit, in quo nullus culpæ immunis exstitit.* Et copiosè totam commemorat libro 2. cap.29. offic. Imò, huius historiæ lectione (quam seriem vocat) & Heliodori periculo, ait, Ticinensem Ecclesiam viduæ depositum contra Imperatoris rescriptum conseruasse, deque seipso ibidem loquitur. Egregia verò tanti viri verba sunt. *Illud sanè*, ait, *diligenter tuendum est, vt deposita viduarum integra maneant, sine vlla seruientur offensione: nec solùm viduarum, sed etiam omnium. Fides enim exhibenda omnibus, sed maior est viduarum causa & pupillorum.* Denique hoc solo viduæ dicium factum esset pecuniarum, quas in templo Hiero, clymas maximas repertri posse Simon nefarius Antiocho regi prodidit, missus in Hierusalem Heliodorus, ad illum venit, & summi sacerdoti aperuit indicij inuidiā, & aduentus sui causam. Tunc sacerdos deposita esse dicit viduarum viduatia & pupillorum, quædam autem Hyrcani Tobiæ viri sancti: eaque demonstrant. Argenti talenta quadringenta erant, auri verò ducenta. Quæ sum Heliodorus ereptum ire vellet, & regis vindictæ commodis. Sacerdotes ante aleare cœptarunt se, indutis sacerdotalibus stolis, & Deum vinum, qui de depositis legem dederat, flentes inuocabant. custodem se præceptorum præstaret suorum. Vultus verò & color summi sacerdotis immutatus, declarabat dolorem animi, & mentis intentæ sollicitudinem. Flebant omnes, quod in contemptum locus venturus foret, si nec in Dei templo tuta fides seruaretur custodia: accinctæque mulieres pectus, & clausa virgines pulsabant ianuas. ad muros aliæ currebant, per fenestras aliæ prospectabant, omnes ad cœlum tendebant manus, orantes. vt suus dominus adesset legibus. Heliodorus autem nec his territus, quod intenderat, vrgebat. & satellitibus sitis erarium ingrediebatur. Tum subitò apparuit illi terribilis eques armis præfulgens aureis: equus tamen eius erat insigni ornatus operturio. Alij quoque duo iuuenes apparuerunt in virtute inclyta, decore grato, cum splendore gloriæ, spectosi amictu qui circumsteterunt eum, & vtraque ex parte flagellabant sacrilegum, sine vlla intermissione continuato verbere. Quid multa? Circumfusus caligine in terram concidit, & euidenti diuinæ operationis indicio exanimatus iacebat, nec vlla spes in eo residebat salutis. Obortæ est hinc & metu tantibus, metus superbis deiectique ex amicis Heliodori quidam rogabant Oniam, vt vitam posceret ei, quoniam supremum agebat spiritum. Rogante itaque sacerdote summo, iidem iuuenes iterum Heliodoro apparuerunt, iisdem amicis vestibus, & dixerunt ad eum: Onia summo sacerdoti gratias age: propter quem tibi vita est reddita. Tu autem expertus flagella Dei, vade & nuncia tuis omnibus, quantam cognouerit templi religionem, & Dei potestatem. His dictis non comparuerunt. Heliodorus itaq; recepto spiritu, hostiam Domino obtulit, Onię sacerdoti gratias egit, & cum exercitu ad Regem reuertitur, dicens: Si quem habes hostem, aut insidiatorem rerum tuarum, illuc eum dirige, & flagellatum recipies eum. Seruanda est igitur filij depositi fides, adhibenda diligentia. Egregie hinc vestium emicuit ministerium, si susceptæ impressio potentis, quam vel vidua vel orphani tolerare non queant. Ecclesiæ subsidio cohibeatur: si offendatis plus apud vos mandatum Domini, quam diuitis valere gratiam. Manifestus ipse quotiens aduersus regales impetus pro viduarum, imo omnium depositis certamen subiremus. Commune hoc vobiscum mihi, recens exemplum Ecclesiæ Ticinensis proferam, quæ vidua depositum quod susceperat, amittere periclitabatur. Interpellante enim eo, qui sibi illud imperiali rescripto vindicare supplicabat, clerici non tenebant authoritatem, honorati quoque & intercessores dati non posse præceptis Imperatoris obuiari ferebant. Legebatur rescripti forma, directo Magistri officiorum statuta, Agens in rebus imminebat. Quid plura? Traditum erat. Tamen communicato mecum consilio, obsedi Sanctum Episcopum ex conclauia, ad quæ translatum illud depositum vidua cognouerat. Quod ibi nō potuit auferri, receptum sub chirographo est. Postea iterum flagitabatur ex chirographo: Præceptum Imperator iteraverat vt ipse per semetipsum nos conueniret. Negatum est: & expositā diuinæ legis authoritate, & serie lectionis, & Heliodore periculo, vix tandem rationem Imperator accepit. Postea iam tentata fuerat obreptio, sed præuenit sanctus Episcopus, vt redderet viduæ quod acceperat. Fides interim salua est, oppressio non est formidini, quia tam res non fides periclitatur.

Liberatio istius iam castigati per preces & sacrificia Pontificis facta est versc.32. 33. Christianæ hostiæ num vis dignitasque nunc? Eiusdem Heliodori fuit gratissimus in DEVM animus: contrà verò incredibilis pertinacia Simonis illius, cap.4. ver.1. cum tamen Iudæus esset, dum miraculo tanto ad malitiam non deponendam, sed augendam abutitur, quem & olim & hodie, qui à vera fide abhorrent, hæretici imitati, etiam certissima & clarissima obscurare semper, & malè interpretari cauillarique solent. Neque hos ineptè Simoni huic persimiles dixeris, qui ad templorum opes diripiendas Principum animos inflectunt; Ecclesiasticorum reditus in mundiam vocant; gazophylacia & thesauros exaggerant, calumniantur, Principum potestati subijciunt. Plena exemplorum nostra ætas. Videtur verò is *Heliodorus* esse, quem ait in Syriacis Appianus, ex insidiis necem Seleuco attulisse, regnumq. affectantem ab Attalo & Eumene, qui Epiphani Antiocho Roma redeunti studuerunt, eiectum.

QVAR-

Universidad de Deusto
Biblioteca

MACHABÆORVM HARMONIA
QVARTA PRIMAE PARTIS PARTICVLA.

De Antiocho Epiphane.

E CAPITE PRIMO LIBRI PRIMI.

11 ET exiit ex eis radix peccatrix Antiochus illustris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obses: & regnauit in anno centesimo tricesimoseptimo regni Græcorũ.
12 In diebus illis exierunt ex Israël filij iniqui, et suaserunt multis, dicentes: Eamus, & disponamus testamentũ cum Gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala.
13 Et bonus visus est sermo in oculis eorum.
14 Et festinauerunt aliqui de populo, & abierunt ad regem: & dedit illis potestatem vt facerent iustitiam Gentium.
15 Et ædificauerunt gymnasium in Ierosolymis secundum leges Nationum:
16 Et fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt Nationibus & venundati sunt vt facerẽt malum.

E CAPITE QVARTO LIBRI SECVNDI.

7 SEd post Seleuci vitæ excessum cum suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason frater Oniæ summum sacerdotium.
8 Adito rege promittens ei argẽti talenta trecenta sexaginta, & ex reditibus alia talenta octoginta,
9 Super hoc promittebat & alia cẽtum quinquaginta si potestati eius cõcederetur gymnasium, & ephebiã sibi constituere, & eos q̃ in Ierosolymis erãt, Antiochenos scribere.
10 Quod cum rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad Gentilem ritum contribules suos transferre cœpit.
11 & amotis his quæ humanitatis causa Iudæis à regibus fuerãt constituta, & per Iohannem patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia, & societate sanctus est legatione legitima, ciuium iura destituẽs, prauainstituta sanciebat.
12 Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque epheborũ in lupanaribus ponere.
13 Erat autem hoc non initium, sed incremẽtum quoddam, & profectus Gentilis, & alienigenæ conuersationis, propter impij, & non sacerdotis Iasonis nefarium, & inauditum scelus:
14 ita vt sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo, & sacrificiis neglectis festinarent participes fieri palestræ, & prohibitionis eius iniustæ, & in exercitijs disci.
15 Et patrios quidem honores nihili habẽtes, Græcas gloriãs optimas arbitrabantur:
16 quarũ gratia periculosa eos contentio habebat, & eorum instituta æmulabantur, ac per omnia his consimiles esse cupiebant, quos hostes, & peremptores habuerant.
17 In leges enim diuinas impie agere, impune non cedit, sed hoc tempus sequens declarabit.
18 Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, & rex præsens esset,
19 misit Iason facinorosus ab Ierosolymis viros peccatores, portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificiũ Herculi, quas postulauerunt hi, qui asportauerant ne in sacrificijs erogarentur, quia non oporteret, sed in alios sumptus eas deputari.
20 Sed hæ oblatæ quidem ab eo, qui miserat in sacrificium Herculis: propter præsentes autem datæ sunt in fabricam nauium triremium.

COMMENTARIVS.

POST Seleuci fratris mortem, cum obses Roma reuerteretur Antiochus, eius regnum accepit. Dictus verò est Ἐπιφανὴς, id est, Illustris seu nobilis, quod cum ab alienis regnum raperetur, ipse proprius & quasi domesticus Rex illico apparuerit, vti loco citato ait Appianus, & ob insanum in veros Dei cultores furorem, sordidissimasque cum quibuslibet helluationes & scortationem, non alludere, dum lib. 3. cap. 6. appellat eum חכסיל & משגע *stultum* & *insanum*. At lib. 1 cap. 1. vers. 3. *radix peccatrix* nominatur, quia quemadmodum arbor mala fructus grauissimorum peccatorum edidit quam plurimos. Sic enim legendum cum Græcis, Rabano, & correctis Bibliis, non *radix peccati*. Romæ obses pro patre victo, Antiocho Magno, fuerat. Iustinus lib. 34. Liuius lib. 42. & 44. Appianus Syriacis.

Regnare cœpit *anno 137. regni Græcorum*, vt hic dicitur. Lyranus ab Alexandro annos istos inciendos putat, quia primus, vti dictum est, Græcorum Rex fuit. Et confirmari posset, quia etiamnũ hodie Syrogræcis & Antiochenis dicuntur hi *anni Alexandrei*, Arabibus verò *Epocha Alexandri*, Albategnio *æra ait carnaim*, id est, arietis duorum cornuum. Ipse verò Alexãder, vt ex Abul. Hassu Sarraceno, & Alphragano, cognoscitur, vocatus est, *Dilcarnaim*, id est, *habens duo cornua*, quod regnum Orientis

Orientis & Occidentis teneret, vel bicornem illum, de quo Daniel. cap. 8. arietem superasset. Annius cap. 1. libro. 1. dicit, annos istos à Iosepho additos, & legendum hic *anno 153.* ab Alexandri regni principio inchoando. Verum iam suprà Prælog. 2. valere is iussus.

Dico *primò*. Anni Græcorum viuente Alexandro, & maximè mortuo, vsque ad Seleuci regnum, nominati sunt Philippici vel Philippei, non ab illius fratre, sed patre, à quo ante Alexandri mortem numerari solebant. Ita Alphraganus, Albategnius, Theon, Cabasilla comment. 6. in Ptolemæum, & Censorinus.

Secundò. Seleucus primus suum Asiæ regnum incepit anno duodecimo post Alexandri mortem anno primo Olympiadis 117. vt iidem ostendunt, & Ptolem. lib. 11. cap. 7. lib. 9. cap. 7. Ab hoc tempore, seu regni Seleuci principio, numerantur anni regni Græcorum, his in libris, & apud citatos scriptores, idque testantur Iosephus lib. 12. cap. 7. lib. 13. cap. 10. Eusebius in Chronol. & lib. 8. demonstrationis, D. Hieron. in Daniel. 9. Otho Frisingensis lib. 1. cap. 42. Rabanus hic. Alioqui multò plures anni, quam 137. ab Alexandro ad Epiphanem numerandi forent, vt ex singulorum Regum Syriæ diuturnitate patet.

Tertiò. Hi verò anni vocantur etiam *Macedonici & Alexandrei*, quia Asiæ regni à Græcis occupandi author fuit Alexander, *anni carnaim*, id est, *duorum cornuum*, vel ob causam antè dictam, vel quia Seleucus, Appiano in Syriacis teste, adeò fortis & robustus fuit, vt taurum verum cornibus apprehenderet, apprehensumq; teneret, adeò vt in ipsius statua cornua apponerentur. Denique vocantur ob eundem Seleucum, à quo, vt vidimus, Syriæ Reges extiterunt, *anni Seleucidarum*.

Quarto. Sunt ij verò *hu in libris duplices*, vel enim incipiunt à Nisan, & dicuntur Iudaici, vel ab Elul, qui Nisan illum sequitur, aut à Tisri priore, qui eundem similiter Nisan sequitur, & dicuntur Syrogræci, aut Chaldaici anni Seleucidarum. Hos verò Iudaici illi anno & sex mensibus antecedunt. Vnde interdum fit, vt annorum numerum Syrochaldaice putatum, anno vno Iudaicus calculus superet. indeque multa, quæ vti dissona hæretici obiiciunt; valdè consonant. Nam, quemadmodum etiam notat Scaliger libro V. *author libri prioris Machabæorum vtitur Iudaicis annis, Author posterioris, Chaldaicis*. Dixi, *hu in libris duplices*. quia tertium Seleucidarum annorum genus, idem Scaliger notat, quod incipit ab Elul vel Tisri, qui Iudaicum Nisan sex mensibus antecedit. & annos huiusce modi nominat, vel simpliciter Alexandreos, vel Antiochenos, quod iis adhuc hodie Antiochia vtatur; iisque vsa sit vetus Ecclesia, & Synodi nonnullæ, sed, nomine Macedonico, ab *hyperbereteo* scilicet incipiendo. Ideoque, si annorum istorum inchoationis ratio habeatur, possunt simpliciter dici *triplices*. Nam vel primo statim Seleuci anno, ab Septẽbri aut Octobri inchoati sunt; vel à secuto Martio aut Aprili, vel rursum ab Septembri aut Octobri, non eius anni, cuius Martius iste fuit; sed sequentis. Causas inchoationis adeò variæ tradit loco citato Scaliger. Primo genere vtuntur hodie Antiocheni: secundo liber iste Machabæorum prior: tertio liber posterior.

MENSES.

	Hebræorum & Babyloniorum.			*Syrorum vel Syrochaldæorum.*	
I.	Nisan	Martius.	I.	Adar dierum	XXXI.
II.	Iiar	Aprilis.	II.	Nisan	XXX.
III.	Siuan	Maius.	III.	Iiar.	XXXI.
IV.	Tamuz	Iunius.	IV.	Haztram	XXX.
V.	Ab	Iulius.	V.	Tamuz	XXXI.
VI.	Elul	Augustus.	VI.	Ab	XXXI.
VII.	Tisri	September.	VII.	Elul	XXX.
VIII.	Marcheſuan	October.	VIII.	Thisrin prior	XXXI.
IX.	Kisleu	Nouember.	IX.	Thisrin posterior	XXX.
X.	Tebeth	December.	X.	Canum prior	XXXI.
XI.	Schebat	Ianuarius.	XI.	Canum posterior	XXXI.
XII.	Adar	Februarius.	XII.	Scheber XXVIIJ.	
				XXIX. Anno intercalari.	

MENSES.

	Macedonum.			*Atticorum.*	
I.	Πάνεμος	Iulius	} ὁμώνυμοι	I. Ἑκατομβαιών	Iunius.
II.	Λῶος	Augustus		II. Μεταγειτνιών	Iulius.
III.	Γορπιαῖος	September		III. Βοηδρομιών	Augustus.
IV.	Ὑπερβερεταῖος	October	} ἑτερώνυμοι	IV. Πυανεψιών	September.
V.	Δῖος	Nouember		V. Μαιμακτηριών	October.
VI.	Ἀπελλαῖος	December		VI. Ποσιδεών	Nouember.

VII.

Universidad de Deusto Biblioteca

VII.	αὐδυναῖος	Ianuarius	χειμερινοί	VII.	γαμηλιών	December.
VIII.	περίτιος	Februarius		VIII.	ἀνθεστηριών	Ianuarius.
IX.	δύστρος	Martius		IX.	ἐλαφηβολιών	Februarius.
X.	ξανθικός	Aprilis	ἐαρινοί	X.	μουνυχιών	Martius.
XI.	ἀρτεμίσιος	Maius		XI.	θαργηλιών	Aprilis.
XII.	δαίσιος στρατι-ος καὶ δεύτερος	Iunius		XII.	σκιρροφοριών	Maius.

Fuit & διόσπαρος embolimæus.q. *Thebeth* ab Andrea Masio, id est, *desultor* dicitur, de quo postea.

Deinceps verò multa Iudæis acerba extiterunt. Nam ipsorum nonnulli, de quibus Danielis 11. vers.141. vero DEI cultu abiecto, ad Gentilium superstitiones sponte abierunt, in quibus Oniæ Pontificis frater *Iesus* ambitiosissimus, vt hoc modo regis gratiam & Pontificatum assequeretur. Vnde & Regi plurima promisit, & vna cum superstitione gentili, gentile *Iasonis* nomen accepit, vt ait lib. 12. cap.4. Iosephus. Amouit verò, penitusque irrita fecit Iudæorum priuilegia & omnia, quæ mitiora & humaniora ipsis à Syriæ superioribus Regibus constituta fuerant, quæque per insignem virum Iohannem Eupolemi patrem impetrata. Hæc enim sunt τὰ φιλάνθρωπα βασιλικά, de quibus hoc c.4. vers.11. & Iosephus lib.7. captiu. c.9. In his verò Apostatis, & meritò, numerat etiam Gorion c.3. lib.3. Menelaum, Alcimum, Simonem, de quo suprà. Et subdit Iosephus, eos occasionem sumpsisse ex prodigiis. de quibus lib. 2. cap.5. & 6. Verum tunc eos non multo ante secundam in Ægyptum expeditionem defecisse oporteret. Initio verò lib.1. Captiuitatis ca.1. refert, Oniam eiusdem Oniæ tertij filium, prout idem ostendit lib.13. cap.6. Hierosolymis Tobiæ filios exegisse, istosque ad Antiochum sese contulisse & rogasse, vt Iudæam inuaderet. *seque* ad eam rem *ducibus* vterentur. Isti verò Apostatæ sceleratissimi, eiusdem impietatis & apostasiæ quam & plurimis authores fuerunt, quorum *oratio* est lib.1. cap.1. vers.12. non dissimilis ei, quæ Hieremiæ 44. vers.17.18. ab impiis habetur. Hinc Hierosolymis in vrbe sancta, in DEI populo *Gentilium instituta* & mores inualescere cœperunt, in quibus sunt hæc.

Primum, *ædificatio gymnasij* D. Thomas, Lyranus, & Genebrardus putant esse scholas, in quibus profanæ ac superstitiosæ litteræ docerentur. Sed liber iste secundus cap.4. satis significat vers.12. (propter adiunctas ganeas, popinas & lustra, quæ ipsi ἡβητήρια, ἐφηβεῖα, καὶ ἐφηβῶνα vocabant, interdum etiam honestis verbis *scholasteria*, *grammatea*) fuisse impuras libidinis officinas, de quibus lib.4. Regum, vbi de effæminatis actum, & Tacitus lib.14. annal. Lampridius in Alexandro, D. Hieronymus in Esa.2. omnium diligentissimè Petrus Faber lib.3. Agonisticon. cap.27. & 28. Vbi etiam quod hoc libro 2. c.4. vers.12. Græcè dicitur, ὑπὸ τὸν πέτασον ἦγεν, rectè à D. Hieronymo versum, *in Lupanaribus ponere*, probat contra Pithæum in annotat. ad tit.11. collationis legum Romanarum cum Mosaicis, & agnoscit etiam D. Thomas cap.1. li.1. & hic dum *Ephebiam* interpretatur *lupanar iuuenum*. Certè Athenæo lib.12. prostituti pueri dicuntur *Ephebi*, & Strabo lib.5. in Neapolitano gymnasio ἐφηβικὰ φρατρία collocat. *Petasus* verò hoc loco, vel ephebotum istorum insigne fuit, vt ait lib.10. cap.38. Pollux: vel cortina, de qua in Iosia dixi, lib.4. Reg. cap.23. Narrat verò Iosephus lib.15. cap 11. & lib.14. cap.9. quemadmodum impius Rex Herodes peregrina id genus gymnasia, magno cum bonorum luctu, inuexerit.

Secundum, *suppressa* in præputiatis *circumcisio*, & *præputij* in circumcisis *reductio*. D. Hieronymus lib.14. in Isa. cap.52. censet eos, de quibus hoc loco fecisse sibi præputia, non in suis ipsorum corporibus, sed in nascentium filiorum. *Neque enim*, ait, *potestatis nostræ est*, *præputium adducere post circumcisionem*, *iuxta eos*, *qui Machabæorum libris dicuntur sibi fecisse præputia*, *quod de filiis nascentibus & non de patribus dicitur*. Eum secutus est Rupertus lib.9. de victoria, c.18 ideoque istos ait tantùm in gymnasio cum essent, circumcisionem ipsam, ne videretur, velasse. Posse tamen fieri, vt præputium attractione quadam & medicamentis reducatur, docui Genes.17. ex Celso l.7. c.25. & S. Epiphanio l. de mensuris, vbi & impij huius artificij auctorem docet Esau fuisse. Cæterum ea repræputiatio dicebatur ἐπισπασμός, ipsi repræputiati ἐπισπασθαι. Ideoque & Apostolus 1. Corinth.7. v.18. *Circumcisus aliquis vocatus est, nō adducat præputiū*: μὴ ἐπισπάσθω *ne protrahatur, ne præputietur*. Instrumentum, quo sensim, vt glans tegeretur; pellis trahebatur: Sixtus Senensis lib. 4. in Symmacho, vocari ait *spatisterem*. Sed *spaster* potius vocandus. Et Iosephus lib.12. cap.7. eam pellis attractionem significare voluit per τὸ, τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπικαλύπτειν. Quemadmodum verò circumcisio veræ religionis symbolum & professio erat: ita hic epispasmus, apostasiæ.

Tertium. Nominatio Hierosolymitanorum noua, vt etiam Antiocheni dicerentur, cap.4. vers. 9. lib. 2. partim in Antiochi honorem, partim in Græcorum rituum commendationem, Gymnasia, ludi & similia prout etiam monuit Panegyricus decimus, vocantur Grecè *gloria*, quasi in his maximè Græci exultarint. & apud Romanos, ante Neronem, gymnasia non fuisse, censet Petrus Faber, lib.5. Agon. c.15. Circa vrbis conditæ annum sexcentesimum narrat ista Orosius li. 4. c. 21. *Eodem tempore censores theatrum lapideum in vrbe construi censuerunt: quod ne tunc fieret, Scipio Nasica grauissima oratione obstitit dicens, inimicissimum hoc fore bellatori populo ad nutriendam desidiam, lasciuiamq; commentum: adeoq; mouit senatū, vt non solum vendi omnia theatro comparata iusserit, sed etiam subsellia ludis poni ꝓhibuerit.* Quam-

Quamobrem intelligant nostri (*quibus quicquid extra oblectamentum libidinis occurrit, offensio est, propter hoc, quod se infirmiores esse hostibus suis ipsi sentiunt & fatentur, theatra incusanda, non tempora: nec blasphemandum* DEVM *verum, qui vsque ad nunc ea prohibet, sed abominandos deos vel dæmones suos, qui ista petierunt, profundo quidem satis malignitatis suæ argumento tale sacrificium flagitantes, quo non magis fuso cruore pecudum, quàm profligata virtute hominum pascerentur*. Sanè verò Atheniensis impubes Demoeles cognomento Pulcher, cum suam tueri pudicitiam vellet, palæstras theatraque omnia declinabat. vt ait in Demetrio Plutarchus. Sed vide quæ de his Tertullianus lib. de spectaculis & in Scorpiaco, vbi *superstitiosa* vocat *certamina Græcarum & religionum & voluptatum*, Saluianus lib.5. & 6. D. Cyprianus & Augustinus sæpe, Iosephus locis antea indicatis.

Quartum ibidem. *Sacerdotes* sacerdotali officio prorsus neglecto, *palæstram sectabantur, & præbitionem iniustam*, quæ Græcè χορηγία dicitur, qua choris suppeditabantur vestes, coronæ aureæ, victus & similia. His enim vanitatibus gloriabantur gentiles, vt ostendit lib.4. de Repub. Atheniensi cap. 4. Sigonius, vbi etiam *de hierarchia*, qua nauibus dabantur armamenta, remigibus victus, ad quam respicitur hic vers.19. Sed quod vers.14. *& in exercitijs disci*, vertitur; Græcè legimus, μετὰ τὴν τοῦ δίσκου πρόσκλησιν. quod Petrus Faber lib.1. Agonisticon cap.22. vertendum monet, *post disci prouocationem*, id est, post eam, quæ disco fit. In eo enim corona & præmia victoribus cessura, medio stadio proferebantur, sicque à Gymnasiarchis & Agonothetis, agonistæ, qui Gentilium deorum, vel potius dæmoniorum honori deuotis corporibus; decertarent, prouocabantur. Gymnasiarchæ verò isti, deorum sacra itidem, vt sacerdotes curabant, quemadmodum ad sua vsque tempora factum, ait libro primo Eliacon Pausanias. Viden quò miseri isti Apostatæ progressi sunt? Tristissima sanè, loco isto, Cleri, dum Gentilium, hæreticorum, aut impiorum hominum vitia, fastum, ludos, vinolentiam imitatur, effigies. *Vbi erant*, inquit Rupertus lib.9. de vict. cap.19. *tales sacerdotes, qualis, putas, erat populus?* Extat apud Iustinianum Cod. *de Episcopali audientia* pulchrum de Ecclesiasticis bene se gerentibus elogium, & grauis de iisdem male se gerentibus querela. *Certissimè*, ait, *credimus, quia sacerdotum puritas, & decus & ad Dominum* DEVM *& saluatorem nostrum* IESVM CHRISTVM *feruor & ab ipsis missæ perpetuæ preces, multum fauorem nostræ reipublicæ & incrementum præbet. Per quas datur nobis & barbaros subiugare, & in Dominum redigere illos, quæ antea non obtinuimus. Et quanto plus rebus illorum accedit honestatis & decoris, tanto magis & nostram rempublicam augeri credimus. Si enim hi prætulerint vitā honestam, & vndique irreprehensibilem, & reliquum populum instruxerint: vt is ad illorum honestatem respiciens multis peccatis abstineat: planum est, quod inde & animæ omnibus meliores erunt, & facile nobis tribuetur à maximo* DEO *& saluatore nostro* IESV CHRISTO *clementia conueniens. Hæc igitur nobis spectantibus nunciatum est, præter communem rerum fidem, quosdam ex reuerendissimis diaconis, itemque presbyteris (nam eo amplius etiam dicere erubescemus,* DEO *amantissimos nempe Episcopos) quosdam, inquā, ex his non verentur alij quidem per se ipsos cubos seu tesseras contrectare. & adeo pudendum atque ipsis etiam Idiotis à malo frequenter interdictum spectaculum participare: alij verò talem ludum non accusant: sed vel communicant facientibus: aut sedent spectatores actus indecori Et spectant quidem cum auiditate omnimoda res omnium rerum importunissimos: sermones verò audiunt blasphemias, quos in talibus necesse est fieri: polluūt etiam suas manus, & oculos, & aures, sic damnatis & prohibitis ludis.* Vide igitur Concilium Tridentinū sess.22. de reformatione ca.1. & audi S. Bernardum ad Innocentium Pontificem epist.152. *Insolentia*, inquit, *Clericorum, cuius mater est negligentia Episcoporum, vbique terrarum turbat & molestat Ecclesiam.*

Quintum. Dona in Herculis sacrificia & honorem collata. & ad exteros ludos seu agones olympiacos profectio vers.18. Athletæ se Herculis imitatores profitebantur, vt ex Galeno in proteptico, & Hadriani decreto apud Lipsium in Auctario veterum scriptorum patet. Ideoque & illius erant in Gymnasiis statuæ & sacella, vt ostendit in Corinthiacis & Arcadicis Pausanias, Dio. lib.1. in Melancoma, Athenæus lib.6. vbi de parasitis. Faber lib.1. agon. cap.16. & 17. lib.3. cap.27. lib.2. Semest. cap. 2. Interuallum, quod inter olympicos ludos erat, quadriennium fuit & dicebatur *olympias*. Caput verò habendorum ludorum quinquennium seu pentaeteris, vt in Censorinum notat Pithæus, & sic *pentaetericum agonem* in Cæsaris honorem instituit Herodes apud Iosephum lib.15. cap.11. & alios alibi, vt suprà notatum. De Hercule dictum in Samsone. Sed pro *didrachmis* v.19. Græcus habet *drachmas* tantum. At pro *peccatores* eodem versu 19. videtur legendum *Precatores*, cum Grecè vocentur θεωροί. Hi autem erant, qui ad sacros ludos vel oracula extra fines mitti solebant, vt explicat lib. 3. de Atheniensium Repub. cap. vlt, Sigonius & in Demetrio Plutarchus. Sic etiam legendum videtur ca.4. vers.16. *habuerunt*, non *habuerant*, vti sententia sequens indicat, quæ notatu dignissima est, cum qua conuenit illa Valerij lib.1. cap.2. *Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat.* Iasonem istum narrat lib. 12. ca. 6. Iosephus Oniæ sancto Pontifici iam mortuo successisse. At verò hic ipsum Oniam adhuc viuentem, quasi spurium & nothum, fraude Pontificatu deiecit, sibique ab ipso Antiocho sacerdotium impetrauit. Vtitur enim Græcus cap. 4. vers.7. & 26. verbo ὑπονοθεύειν, quod quasi *adulterinum & supposititium facere, decipere ac supplātare* significat. Et hæc quidem sub Antiochi regni principium, ante bella eius Ægyptiaca, quæ duplici expeditione gessit, vt ostendit lib.2. Machab. cap.5. vers. 1. Liuius lib. 44. & 45.

Universidad de Deusto
Biblioteca

E CAPITE PRIMO LIBRI PRIMI.

17 ET paratum est regnum in conspectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Ægypti vt regnaret super duo regna.
18 Et intrauit in Ægyptum in multitudine graui, in curribus, & elephantis, & equitibus, & copiosa nauium multitudine:
19 & constituit bellum aduersus Ptolemæum regem Ægypti, & veritus est Ptolemæus a facie eius, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi.
20 Et comprehendit ciuitates munitas in Terra Ægypti: & accepit spolia Terræ Ægypti.

E CAPITE QVARTO LIBRI SECVNDI.

21 MIsso autem in Ægyptum Apollonio Mnesthei filio, propter primates Ptolemæi Philometoris regis, cum cognouisset Antiochus, alienum se à negotijs regni effectum, proprijs vtilitatibus consulens, profectus inde venit Ioppen, & inde Hierosolymam.
22 Et magnifice ab Iasone, & ciuitate susceptus, cum facularum luminibus, & laudibus ingressus est: & inde in Phœnicen exercitum conuertit.
23 Et post triennij tempus misit Iason Menelaum supradicti Simonis fratrem portantem pecunias regi, & de negotijs necessarijs responsa perlaturum.
24 At ille commendatus regi, cum magnificasset faciem potestatis eius, in semetipsum retorsit summum sacerdotium, superponens Iasoni talenta argenti trecenta.
25 Acceptisque à rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio: animos verò crudelis tyranni, & feræ belua iam gerens:
26 Et Iason quidem, qui proprium fratrem captiuauerat, ipse deceptus profugus, in Ammanitem expulsus est regionem.
27 Menelaus autem principatum quidem obtinuit: de pecunijs vero regi promissis, nihil agebat, cum exactionem faceret Sostratus, qui arci præpositus.
28 Nam ad hùc exactio vectigalium pertinebat: quam ob causam vtrique ad regem sunt euocati.
29 Et Menelaus amotus est à sacerdotio, succedente Lysimacho fratre suo: Sostratus autem prælatus est Cyprijs.
30 Et cum hæc agerentur, contigit, Tharsenses, & Mallotas seditionem mouere, eo quod Antiochidi regis concubinæ dono essent dati.
31 Festinanter itaq; rex venit sedare illos, relicto suffecto vno ex comitibus suis Andronico.
32 Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa è templo, furatus donauit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas ciuitates.
33 Quod cum certissimè cognouisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnem.
34 Vnde Menelaus accedens ad Andronicum, rogabat vt Oniam interficeret. Qui cum venisset ad Oniam, & datis dextris cum iureiurando (quamuis esset eis suspectus) suasisset de asylo procedere, statim eum peremit, non veritus iustitiam.
35 Ob quam causam non solum Iudæi, sed alia quoque nationes indignabantur, & molestè ferebant de nece tanti viri iniusta.
36 Sed regressum regem de Cilicia locis adierunt Iudæi apud Antiochiam simul & Græci: conquerentes de iniqua nece Oniæ.
37 Contristatus itaque animo Antiochus propter Oniam, & flexus ad misericordiam, lacrymas fudit, recordatus defuncti sobrietatem, & modestiam.
38 Accensisque animis Andronicum purpura exutum, per totam ciuitatem iubet circumduci: & in eodem loco, in quo in Oniam impietatem commiserat, sacrilegum vita priuari, Domino illi condignam retribuente pœnam.
39 Multis autem sacrilegijs in templo à Lysimacho commissis Menelai consilio, & diuulgata fama, congregata est multitudo iã auro exportato.
40 Turbis autem insurgentibus, & animis ira repletis, Lysimachus armatis fere tribus millibus iniquis manibus vti cœpit, duce quodam tyranno, ætate pariter, & dementia prouecto.
41 Sed, vt intellexerunt conatum Lysimachi, alij lapides, alij fustes validos, arripuere: quidam vero cinerem in Lysimachum iecere.
42 Et multi quidem vulnerati, quidam autem & prostrati, omnes vero in fugam conuersi sunt: ipsum etiam sacrilegum secus aerarium interfecerunt.
43 De his ergo cœpit iudicium aduersus Menelaum agitari.
44 Et cum venisset rex Tyrum, ad ipsum negotiũ detulerũt missi tres viri à senioribus.
45 Et cũ superaretur Menelaus, promisit Ptolemæo multas pecunias dare ad suadendum regi.

46 Itaque Ptolemæus in quodam atrio positum, quasi refrigerãdi gratia, regem adijt, & deduxit à sententia:
47 Et Menelaum quidem vniuersæ malitiæ reum criminibus absoluit: miseros autem, qui, etiamsi apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, hos morte damnauit.
48 Cito ergo iniustam pœnam dederunt, qui pro ciuitate & populo, & sacris vasis causam prosecuti sunt.
49 Quamobrem Tyrij quoque indignati, ergà sepulturam eorum liberalissimi exiterunt.
50 Menelaus autem propter eorum, qui in potentia erant, auaritiam, permanebat in potestate, crescens in malitia ad insidias ciuium.

CAPVT V. LIBRI II.

1 EOdem tempore Antiochus secundam profectionem parauit in Ægyptum.
2 Contigit autem per vniuersam Ierosolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aëra equites discurrentes, auratas stolas habentes, & hastis, quasi cohortes, armatos.
3 & cursus equorum per ordines digestos, & congressiones fieri comminus, & scutorum motus, & galeatorum multitudine gladijs districtis, & telorum iactus, & aureorum armorum splendorem, omnisque generis loricarum.
4 Quapropter omnes rogabant in bonum monstra conuerti,
5 Sed cùm falsus rumor exisset, tanquam vita excessisset Antiochus, assumptis Iason non minus mille viris, repente aggressus est ciuitatem: & ciuibus ad murum conuolantibus, ad vltimum apprehensa ciuitate, Menelaus fugit in arcem:
6 Iason verò non parcebat in cede ciuibus suis, nec cogitabat prosperitatem aduersum cognatos malum esse maximum, arbitrans hostium & non ciuium se trophæa captauum.
7 Et principatum quidem non obtinuit, finem verò insidiarum suarum confusionem accepit, & profugus iterum abijt in Ammaniten.
8 Ad vltimum, in exitum sui conclusus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de ciuitate in ciuitatem, omnibus odiosus vt refuga legum & execrabilis, vt patriæ & ciuium hostis, in Ægyptum extrusus est:
9 & qui multos de patria sua expulerat, peregre periit, Lacedæmonas profectus, quasi pro cognatione ibi refugium habiturus:
10 & qui insepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus, & insepultus abijcitur, sepultura neque peregrina vsus, neque patrio sepulcro participans.

COMMENTARIVS.

De Antiochi priore in Ægyptum expeditione.

IN priore Antiochi Ægyptiaca expeditione consideranda sunt quinque eius, nimirum *causa, tempus, iter, progressus & exitus.*

Primum. Causa duplex traditur, *vna* speciosa & falsa, vt maiorem Ptolemæum Philometorem, cui mater fuerat ipsius Antiochi soror, Cleopatra, in regnum reduceret, vti apud Liuium lib. 44. narrant Alexandrini legati. Et hoc est, quod narrari videtur hic lib. 2. cap. 4. vers. 21. *propter primates Philometoris* missum ab Antiocho Apollonium. Illi enim videntur adhæsisse Ptolemæo alteri fratri minori, eiusque sorori Cleopatræ, & alterum istum Ptolemæum regno eiecisse. & vocantur ipsi τὰ πρωτοκλίσια, id est, *qui primos accubitus* seu sellas primi honoris indices tenerent, prout in Esther notaui. Quanquam posset eodem versu legi; *propter primatum Philometoris*, vt sententia foret, inter fratres Regis, de præstantia & primo accubitu dissensionem exortam. prout ferè apud Sallustium Iugurtham & fratres; indeque bellum & Ptolemæi maioris expulsionem consecutam. Illi ergo, vt restitueretur, opem se velle ferre simulabat Antiochus, cum vel *se*, vel *illum* (vtrumque lectionem admittit Græcus.) *à negotijs ipsis gerendis alienum intelligeret. Maiori Ptolemæo*, ait Liuius lib. 45. *regnum quæri suis viribus, simulabat. Et hoc pretioso titulo, ad omnes Asiæ & Græciæ ciuitates, legationibus recipiendis, litterisque dimittendis, vsus erat.* Altera causa vera est, lib. 1. vers. 17. quod *iam Syriæ regnum sibi paratum* seu firmatum videret, ad Ægypti regnum oculos adiecerit. Nam quod illic dicitur, *cæpit regnare*, fortè legendum, *cæpit velle regnare*, vel certè, *cæpit regnare, desiderio & cupiditate.* Græcè liquidem est, ὑπὲρ λαβὼν βασιλεύειν, & apud Iosephum lib. 12. cap. 6. *Statuit contra Ægyptum exercitum ducere, cum illius desiderium cepisset.* Idque posset ex lib. 2. cap. 4. vers. 21. accipi, dum *proprijs vtilitatibus consulere* dicitur. licet Græcè possint etiam ad superiorem factam causam accommodari. τῆς κατ' αὐτὸν ἀσφαλείας ἐφρόντιζεν, id est, *curam de ipsius securitate faciebat.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alcimum. Prioris porro eiusdem expeditionis nullum vsquam certum tempus inuenio. Videtur tamen, vbi Syriam constituisset Antiochus, statim bellum hoc Ægyptiacum cœpisse. Constituit autem illam breui, propter Syrorum erga ipsum beneuolentiam, & Eumenis Regis societatem, vt est in Appiano. statimque vel tanquam legatum cum mandatis, vel tanquam ducem cum copiis in Ægyptum misit Apollonium lib. 2. c. 4. vers. 21.

Tertium. Tandem ipsemet Antiochus magnis cum copiis *venit Ioppen*, & quia ex ea videre Hierosolymam poterat, quemadmodum refert li. 16. Strabo, ad hanc accessit, anno, vt videtur, ipsius regni secundo, seu Græcorum 138. Eam verò pacatè tum ingressus est, multisque honoribus affectus. in quibus numerantur cap. 4. vers. 22. faculæ & lumina, de quibus in Iudith egi cap. 3. fol. 168. Deinde laudes seu faustæ acclamationes, quæ βοαὶ dicuntur, vt *viuat Rex*; ne quis ex Græco βοὸν fingat, boues ipsi, tanquam DEO mactatos. Licet enim simile quid Actorum 14. legamus, sitque ipse Antiochus apud Iosephum lib. 12. ca. 7. à Samaritanis DEVS appellatus, nihil hic tamen, præter εἰκονικὰς vociferationes, accipiendum. Hierosolymis in Phœnicen exercitum conuertit Antiochus, eodem li. 2. cap. 4. vers. 22. siue, infesto illam exercitu petiit. Hoc enim importat Græcum καπεςχρωπίδευσε. præsertim cum ea prouincia Prolemæorum esset, Iosepho indice, lib. 11. cap. 3.

Quartum. Nauali prælio ad Pelusium pugnatum. Fugit victus Prolemæus Iunior Alexandriam, quam obsedit quidem, sed non cepit Antiochus; Mamphi alioqui cæteraque tota Ægypto potitus est, auctore Liuio lib. 44. & 45. Iof. lib. 12. cap. 6. idque significatur hic lib. 1. cap. 1. vers. 19. & 20. & apud Egesippum lib. 1. cap. 1. Gorionidem lib 3. cap. 3.

Quintum. Tum in Syriam redit, valido Pelusij relicto præsidio, vt Ægypti scilicet claustra teneret; rursumque cum vellet, exercitum induceret, inquit Liuius lib. 45. Atque his in rebus triennium consumtum videtur, vt anno Seleucidarum 140. reuerterit Rex. & tunc ea contigerunt, quæ toto cap. 4. è vers. 23. traduntur. Post triennale, ab initio Ægyptiaci belli, priorisque Hierosolymitani accessus, tempus, misit ad Antiochum Regem cum pecuniis & hypomnematismis, Iason Menelaum. Is verò eodem, quo fratrem circumscripserat & deceperat scelere (id Interpres vers. 26. vertit *captiuare*) circumscriptus & deceptus à Menelao est, vt qui ab illo ad se Pontificatum auertit. Scribit vero Iosephus lib. 12. cap. 6. Oniæ sancto duos fratres fuisse, Iasonem & Oniam. hunc que vult esse Menelaum istum, qui, proprio nomine abiecto, ethnicam Menelai appellationem, ficuti & Iason fecerat, impiè asciuerit, idemque repetit lib. 15. cap. 3. lib. 20. c. penultimo. eiusque auctoritatem secuti Zonaras Tomo 1. fol. 146. Scholastica historia, Glossa, & D. Thomas. Sed clarè c. 4. v. 23. non ex Aaronica stirpe, sed ex Beniaminia, *Simonis*, de quo suprà ca. 3. v. 4. *frater* esse affirmatur. *Misit Iason Menelaum supradicti Simonis fratrem*. Si Simonis frater est, & Simō de tribu Beniamin, quomodo Pontificis maximi, qui è tribu Leui, ex Aaronis familia erat, frater etiam extitit? Respondet tamen D. Thomas, *cum hic dicitur frater Simonis, intelligitur non carne, sed moribus. Vnde Glossa ait, fratrem, id est, scelere parem*. At sanè multo magis dixisset textus: *Misit Iason Menelaum fratrem suum*. Nā vterq; nequitia & impietate, quàm ouum ouo, similior. Imo dixisset; *Misit Iason Simonis frater*. Vterque siquidem in sanctum Oniam odio & scelere infestissimus. Et quorsum iam hæc improbitatis fraternitas tam seriò inculcaretur? An ipsa Menelai malitia, eiusdemq; & cum Iasone & cū Simone similitudo, è pessimis eius facinoribus, parum manifesta? Iam ver. 26. cum dixisset, *Iason quidem qui proprium fratrem captiuauerat*. non simpliciter subiunxisset, *ipse deceptus*, sed *ipse à proprio etiam fratre deceptus profugus in Ammaniten expulsus est regionem*. Quia verò & timida & suspiciosa valdè ambitio est, quomodo astutissima vulpes, Iason iste, qui se à sacerdotio fratrem, eo alioqui gradu dignissimū, astu deiecisse sciret, fratri alteri, qui eandem illam valdè dignitatem optabat, eamq; ab eodem Rege, per genus & largitionem, captare facillime poterat, ita fideret, vt ad istū eo vti legato vellet? Est præterea omnino ista sententia contra laudatam illam D. Augustini regulam, quæ iubet, vt, nisi grauis quædam causa vrgeat, à propria verbi significatione, in scripturis numquam discedamus. Et cum de Iasone Menelaoque isto mentio tories incidat, mirum esset, eos, nullâ vnquam literulâ, fratres monstrari, sed solum Iasonem sancti Oniæ fratrem, eodem isto cap. 4. vers. 7. 26. & Lysimachum etiam Menelai fratrem v. 29. sicuti & Simō erat eiusdem frater. Adiiciatur demū & illud; Iosephū hac in historia, de aliis etiam rebus, neq; cum libro isto, neq; cum semetipso satis consentire. Nam lib. 12. cap. 6. ait tum primò Pontificatum Iasoni ab Antiocho datum, cum mortuus esset Onias. At viuebat adhuc Onias, cum ipsemet Iason, ab eodem Antiocho, ea dignitate priuaretur. & Pontifex Menelaus crearetur. vti patet hoc ipso cap. vers. 26. 27. 33. & sequentibus. Rursum ait ibidē Iosephus Manelaum istum, cum ab Antiocho iam Pontificatu donatus esset, ad Regem iisse, petiisseque vt Hierosolymis ædificare gymnasium, aliaque impia & Genrilia peragere liceret. At hoc Iasoni tribuendum tota superior iam narratio monstrauit vers. 9. 10. 12. 13. Tertiò, narrat in eodem illo capite Iosephus, quemadmodum Oniæ Boni filio, qui eodem etiam nomine, & interdum etiam *Ananias*, vt apud eundem auctorem est lib. 2. cap. penult. vocabatur, sacerdotium traditum non sit, quia puer admodum erat. νέῳ ὄντι τὴν ἡλικίαν. *Adhuc*, ait, *infans erat*. & tamen lib. 1. Capt. 1. eū tradit de Pontificatu contendisse, Tobięq; filios, quos contra Iasonē Menelao adhæsisse cap. 6. lib. 12. dixe-

dixerat; Hierosolymis expulisse, sicque sacerdotio & vrbe potitum esse, quoad iratus Hierosolymam veniret Antiochus, eamque vi occuparet: ipse verò Pontifex Onias in Ægyptum profugeret, nouumque ibi templum excitaret. Atque in Ægyptum quidem ille profugit, ibique templum excitauit, sed non quod Hierosolymis Pontificatum gessisset, indeque Menelaum expulisset, vti patet infrà vers. 50. & cap. 5. huius eiusdem lib. 2. vers. 5. & 6. Idem etiam Iosephus l. 15. c. 3. ait, Antiochum omnium primum fuisse, qui Iudæorum eam legem violarit, qua Pontificatus viuo nemini auferebatur, quia ab Iasone adhuc superstite illum in Oniam siue Menelaum transtulerit. Ar dicēdum fuit, ab Onia illo sancto, cum, vt dictum est, in vitis adhuc esset, translatam in Iasonem fuisse illam dignitatem. Rursum lib. 20. cap. penult. Antiochum primum fuisse memorat, qui legitimas Pontificum successiones interruperit, quia, Onia siue Menelao isto interfecto, Iacimum siue *Alcimum* Pontificem constituerit, qui esset quidem ex Aaronis genere, sed non è Pontificum familia. Multo magis dicendum erat, ab eodem Tyranno constitutum Pontificem Menelaum hunc, qui ne ex Aaronis quidem prosapia erat, imò ne ex ipsa quidem tribu Leui. Cum igitur Menelaum istum verum Beniamitæ Simonis fratrem extitisse doceat contextus perspicuè, Iosephi verò multis in rebus vacillet narratio, cum illo potius, quàm cum isto quidni sentiamus? Atque hic etiam vides, quod Præloquio 2. dicebatur; *secundi* huius *libri auctorem nequaquam Iosephum* putandum, quod & ex similibus aliis partim suprà iam notatis; partim infrà notandis intelligitur. Simul præterea *illud* D. Thomæ in lib. 1. caput 1. reiicitur. ideo fratres Oniæ Iesum & Menelaum, Pontificatum adeò ambitiosè venatos, quòd ipsi *Oniæ nullus* esset *filius*. Nam & contra Iosephum ipsum affirmatio ea est, & contra D. Hieronymum Danielis 11. Isaiæ 19. imò & contra ipsummet D. Thomam in lib. 1. c. 7. fol. 141. vbi paruulum eidem Oniæ filium dat.

Pactas verò pecunias cum non penderet Regi Menelaus, ipse, & Hierosolymitanæ arcis præfectus, idemque regius Quæstor Sostratus euocati sunt. & iste quidem in Græco textu reliquisse suo loco dicitur Craterem Cypriorum præfectum, seu, vt à nostro Interprete dicitur, *qui prælatus erat Cyprijs*: Menelaus verò, sua in pontificali dignitate *vicarium*, fratrem suum Lysimachum. Quem enim Interpres vertit vers. 29 *succedentem*, Græcè διάδοχον dicitur, id est, *Vicarium*. Nam διαδέχεσθαι significat interdum, alicui succedere in officio & dignitate aliqua. non tamen simpliciter, sed certo tantùm modo, vel ad tempus aliquod. Et sic in Esther parte 3. quæst. 22. dictum, *Assuerum successorem, siue vicarium* fuisse Mardochæum, & hic, absente Rege Antiocho, Andronicus vt διαδέχεται, vers. 31. quem Interpres noster, *suffectum vocat*.

Interea duæ insignes Ciliciæ vrbes *Tarsus & Mallus*, de quibus lib. 14. Strabo, tumultū excitarūt, quod in regiæ pellicis quam Græcus *Antiochidē* nominat, sumptum datæ essent. Hoc n. donationis genus apud Orientis Reges vsitatum fuisse, docent Cicero Verrina 5. Plato Alcibiade, Plutarchus Themistocle, Athenæus lib. 1. & alij, prout in Salomonis peccato tradidi. Rex tumultum vt tedaret, illò se contulit. Nefaria interim Menelai sacrilegia sanctus Onias zelo magno prout Pontificē, etiam Principatu, per nefas, deturbatus iamprídem esset, decuit, insectabatur. cū in Daphnes, q̄ iuxta Antiochiam est, *asylum locum* secessisset, prout in Græco est, licet, quod Latinus vers. 33. dicit, *Antiochiam sacrum Daphnen* esse, reprehendendum non sit, cum eodem sententia reuoluatur. Nam vt apud Strabonem est, vicus *Daphne* stadius tantum 40. ab Antiochia distabat, adeo vt eius suburbium à Dione lib. 51. vocetur. Vnde *Antiochia epidaphne* vel *epidaphnes* apud Plinium & Strabonem. Locus verò is sacer, & augustus, planeque inuiolabilis habebatur, quod ibi esset Dianæ Apollinisque locus & fanum. cuius in Apostatæ Iuliani & S. Babylæ historia mentio est, itemque in Cod. *de cupressus ex luco Daphnensi*, lib. XI. Hinc Menelai, Andronicique nequitia eductus Onias consceleratè ocisus est, vers. 34. Lysimachus ob immania, quæ fratris Menelai auctoritate, consilio, & voluntate, admittebat; sacrilegia, iuxta gazophylacium interemptus est. Menelaus sacrilegij apud Regem postulatus, corrupto multa pecunia Prolemæo Dorymenis filio, vti Græcè nominatur, absolutus est. Accusatores verò innocentissimi, qui, vt Verrina vltima etiam Cicero dicebat, & pænè in Epicedio Statius; vel apud Barbaros mali nihil accepissent, morte affecti sunt iniustissima. Ipsis etiam Gentilibus *Tyrijs* (neque enim ver. 49. Tyri legendum, sed Tyrij) *indignantibus*, tantumque scelus detestantibus. Licet verò multa his in rebus notare: quo scilicet hominum ambitio prorumpat: quomodo ad dignitates omnium sacerrimas nefarie grassetur, templa depeculetur, turbis cædibusque omnia compleat. Rursum, quomodo impiorum etiam & Gentilium animi veram solidāque virtutem admirentur, vers. 35. cum & Antiochus ipse ad Oniæ cædem illachrymauerit vers. 37. & supremum insontium cæsorum cadaueribus honorem Tyrij habuerint, vers. 49. Denique, calamitosissimo tempore, ad tempus aliquod, verus ex Aaronica sobole Pontifex aliquantisper deesse incepit. Nam Oniæ sancti filius Onias, è sacerdotibus quidem magnis, quoad genus, erat, prout suprà Iosephum audiimus. is tamen iam, quoad vsum & functionem, Pontifex non erat. Iason verò in Ammonitidem fugerat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De posteriore Antiochi in Ægyptum expeditione.

SVNT in ista expeditione consimiliter hęc intuenda, causa, tempus, iter, progressus, exitus.

Primum. Quæ prioris belli causa vera fuit, eadem secundum istud excitaunt. Cum enim inter Ptolemæos fratres conuenisset, eoque ipso Antiochum lætari conueniens esset, si quidem Ptolemæo alterius reducendi causa, exercitum Ægyptum induxisset, *adeo*, inquit lib. 45. Liuius, *est offensus, vt multo acrius infestiusque aduersus duos, quam antè aduersus vnum, pararet bellum.*

Alterum. Tempus apparati belli huius confertur à Liuio lib. 5. decad. in exitum anni, quo, Æmylio consule, Macedonum Rex *Perseus* victus fuit. Tempus verò belli eiusdem finitum sequentis anni ver adultum, aut æstatem certè ineuntem. Erat verò, ex Sigonianis fastis, annus ille vrbis 585 & respondet ille Seleucidarum anno 143. iste 144. Caput verò primum libri prioris Machabæorum nostrorum vers. 21. dicit Græcè paulò clariùs, *post Ægyptum percussam anno 143.* redisse, & Hierosolymam, iteratò scilicet, ascendisse. Si annorum hic numerus ad percussionem referretur, hoc modo, *post percussum anno 143. Ægyptum*, benè cum scriptura conspiraret Liuius, quia initium Romani anni vrbis 586. quoad duos menses & amplius, incurrebat in Iudaicum Seleucidarum exeuntem 143. Si verò ad reditum pertineat, hoc modo, *post quam percussit Ægyptum, rediit anno 143, & ascendit ad Israel*, vnius ferè anni dissensio fuerit. quæ ita non magna videbitur, qui norunt de Vrbis & Consulum annis perpetuam ferè apud scriptores eiusmodi litem esse. Atne hanc quidem esse velim, mihique posse ostendere videor, Liuium anno vno seriùs, Ægyptiaci belli finem referre. qui non in annum post deuictum Persen, sed in eum, quo ille deuictus est, inciderit. Recta siquidem Popilius Romanorum legatus, homo & seuerus & serius, in Ægyptum contendit, Antiocho, vt excederet, si iam incessisset, aut ne omninò incederet, quemadmodum refert Iustinus lib. 34 imperaturus. Quia verò Liuij studiosis paradoxum hoc videbitur, & Iosephus, Appianus, Iustinus, Eusebij chronica minùs distincte de duobus hisce bellis loquuntur, ex solo ipso Liuio, eius, quod dixi, fidem mutuabor.

Narrat ille lib. 44. Æmylio consule, Idib. Martij, Alexandrinos legatos valdè senatum obtestatos, vt citra cunctationem ab Alexandriæ mœnibus abscedere iuberetur, quem illam obsidere aiebant; Antiochus. Visum omninò senatui, properandum. homo admodum nauus & impiger, cum alus, legatus decernitur Lænas Popilius. Is, tantum ad iter, ita subitò sese parauit, vt intra triduum, cum legatis illis Roma profectus sit. At ecce subitò, cum ad celeritatem neque remi neque venti satis vlli esse viderentur; si Liuium audimus, non tempestate aliqua iactati, sed sponte ipsi sua mira in itinere moras nectunt. Delum nauigarunt, & quidem cum hostilem ibi 40. lembotum classem scirent. Inde verò, quasi nihil in Ægypto periculi, nulla ipsis imposita legatio, non soluunt, sed hærent; morantur, non dies vel hebdomadas aliquot, sed mentes plures, æstatem totam, autumnum totum, denique donec de Perseo debellatum esset. Si hoc Popilius agebat, Consulis ex vrbe discessum, qui secuto Aprili factus, expectare potuisset. At præsidio Romanorum nauibus fuit. Non erat ipse ad Macedonicum bellum Dux aut Prætor missus, sed in Ægyptum legatus. Et quod ipsius præsidium? cum regiæ classis Præfectus Antenor, naues, præter quam si quæ Macedoniam peterent, omnes aut supprimeret aut spoliaret. At ex Ægypto Antiochum discessisse inaudierat. Romam ergo redeundum erat, aut certè, subacto Perseo in Ægyptum iterum non properandum. Et tamen *ad susceptam*, ait Liuius, *legationem peragendam nauigare Ægyptum pergit, vt prius occurrere Antiocho posset, quam ad Alexandriæ mœnia accederet.* Iam fortè intellexerat, bellum ab Antiocho alterum parari. Hyems tamen cum adesset, Antiochusque in Syria versaretur, non satis videbat, se, si vellet, multò illum citiùs conuenire posse, quam Alexandriam Rex idem veniret. Nihilominus tamen apud eundem Liuium, quasi veterno excitati, tanto rursum opere legati isti festinant, vt cum Rhodiorum Principes occurrerent, imisque precibus, vt Rhodum illi deuocherentur, orarent, pertinacissimè negarent, donec tandem perpulsi sunt, vt pro socię vrbis salute, moram nauigationis breuem paterentur. Rhodi tamen, non vltra quinque dies, morati sunt. Quanquam Rhodios ipsos miror à legatis illis videri optare, quæ Romæ illi referrent, cum hi non Romam, sed in Ægyptum pergerent: & antre ipsorum reditum, de negotiis omnibus cum Romanis agendum esset. Miror etiam horum postea legatos in Senatu non referre, quid iidem illi Romanorum legati apud se viderint, censuerint: sed Popilij tantum illud, quod cum Antiocho egisset, quasi iam præteritum, attingere. Sed pergamus. Alexandriam legati veniunt. At iussi erant, prius Antiochum, dein Ptolemæum adire. Tandem Romam redeunt: sed Ptolemæi & Antiochi legatis, qui Macedonicam victoriam Senatui gratularentur, comitati. Sera gratulatio, si, anno pene toto, post victoriam. Quid quod idem Liuius ait, inuitatum ad belli societatem à Perseo Antiochum, cum ei diceret, *una gens fuimus, Antiochum victorem, præmio belli, ab Ægypto arcere?* Iam ergo eum Popilius arcuerat, vel vt arceret, proximè aberat. Quis ergo aptè satis hanc à Liuio legationem narrari censeat? Nec verò inter priorem & posteriorem expeditionem temporis tantum interponit, quantum non modo ius, qua ex c. 4. lib. 2. mihi iam dicta, necessarium, sed quantum iis, quæ ab ipso etiam referuntur, abcessisse scilicet ab Alexandrinæ mœnibus, in Syriam remigrasse, bellum nouum coquere, classem instruere, Cyprum mittere, cum Ptolemæi legatis disceptare, certas & pacis conditiones, & dierum inducias præscribere. Hæc igitur, ad hoc vsque tempus, chronologia sit.

Mundi.	Olympiadis.		Vrbis cond.	ANNO Seleucidarum.	
3983	151	2	579	137	Cœpit regnare Antiochus Epiphanes. lib. 1. cap. ver. 11.
3984		3	580	138	Bellum prius in Ægyptum suscepit, lib. 2. cap. 4. Hierosolymam pacatus init, ibid. ver. 21.
3985		4	581	139	Gerit bellum in Ægypto susceptum.
3986	152	1	582	140	Redit ex Ægypto Antiochus. & Menelaus ab Iasone Pontificatum sibi aufert. lib. 2. cap. 4.
3987		2	583	141	
3988		3	584	142	Ciliciâ tumultus cõponit Rex & S. Onias interficitur, ibi. v. 30. 34. innocentes Menelai accusatores trucidantur. c. 4. ver. 48.
3989		4	585	143	

Bellum in Ægyptum posterius instruitur, lib. 2 cap. 5. ver. 1.
Conficit 1. auctoritate Popilii legati Romani, & Hierosolyma capitur, crudelissimeque vastatur. lib. 1. c. 1. v. 21. 22. li. 2. c. 5. v. 11. 12

Nam lib. 1. cap. 1. vtriusque belli summa tangitur, sed solius posterioris finiti tempus adscribitur, quemadmodum idem ferè solo à Iosepho, Iustino, Appiano, Eusebio chronol. narratur: At hic lib. 2. cap. 4. bellum, vt dixi, prius ostenditur: posterius verò cap. 5. incipitur & absoluitur.

Tertium Iter Antiochi in Ægyptum secundò euntis à Liuio lib. 45. describitur per Cœlesyriam, & Nili Peluſiacum ostium, Alexandriam versus.

Quartum Progressus eius is fuit, vt, eodem narratore Liuio, omnes per Arabiæ deserta sese populi dederent: ipseque ab iis, qui ad Memphim incolebant, & à cæteris Ægyptiis, partim voluntate, partim metu receptus sit. Duo interim Hierosolymæ acciderunt, meteorologica scilicet ostenta, lib. 2. cap. 5. ver. 2. & subita barbaraque Iasonis ex Ammonitide irruptio. cui augurio ex ostentis illis falsa, fallisque de Antiochi morte rumores imposuerant. Vertuntur verò ea ab Interprete ver. 4. *monstra* quia futurum quia monstrare videbantur, cum Græcè ὀνείρατα, *visio* vocentur. Ideoque rectè illi, qui, vt benè verteret, DEVM rogabant. Cum anno Domini 814. cometam Carolus Magnus vidisset, quidnam ille portenderet ab Eginardo philosopho scisciatus est. Ille, vt omni Impratorem solicitudine liberaret, A cœli signis formidandum non esse, respondit. Subiecit verò, Vt temporum Fasciculus refert, *deuotus Imperator: Non aliud timere debemus, nisi illum, qui nostri & siderum illius Creator est: Sed eius clementiam laudare tenemur, qui nostram mortem, cum peccatores simus, talibus admonere dignatur indicijs. Quia igitur talia portenta, cum apparent, omnes communiter tangunt, omnes pro viribus ad meliora festinare debemus, vt misericordiam in illo dominante consequi valeamus.* Hæc ille sanè quam sapienter. Vellicantur verò vitia hæc ab iisdem illis, de quibus cap. 3. Calumistis, cum tamen huiusmodi plurima sæpè cõtigerint, vti videre est apud Plinium lib. 2. cap. 56. Senecam quæstionibus naturalibus, Iulium Obsequentem cap. 9. & 76. Niphum in meteorologica, Gemmam Cosmocritica, Lycosthenem de prodigijs & ostentis, fol. 189. 210. 228. qui tandem istud etiam refert fol. 158. & addit fol. 566. *Anno 1538. in Germania in aere passim visi sunt viri armati funera, gladij.* Subiicitur vers. 8. infelicissimus infelicissimi Apostatæ Iasonis exitus, pastor, & fuga veluti Cainica, qui ne humari quidem apud eos potuit, apud quos sibi, ob propinquitatem, de qua postea, refugium putabat. Qui facta imitantur, supplicia perhorrescant.

Quintum. Exitum belli huius posteriores, eodem ferè modo exponunt Appianus, Iustinus, Cicero Philip. 8. Liuius, cuius hæc lib. 45. verba sunt; *Antiocho ad Leusinem transgresso flumen, qui locus quatuor millia ab Alexandria abest; legati Romani occurrerunt. Quos cum adulantes salutasset, dextram, quam Popilio porrigeret, tabellas ei Popilius scriptum habentes tradit, ac omnium primum id legere iubet. Quibus perlectis, cum se consideraturum, adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset, dixisset: Populus pro cetera asperitate ingenij, cum se considerare vellet, circumscripsit Regem, ac priusquam hoc circulo excedas, inquit, redde mihi responsum Senatui, quod referam. Obstupefactus tam violento imperio, paulumper cum hæsitasset, Faciam inquit, quod censet Senatus. Tum demum Popilius dextra Regi tanquam amico atque socio porrexit. Die deinde finium excessit Ægypto Antiochus.*

E CAPITE PRIMO LIBRI PRIMI.

21 ET conuertit Antiochus, postquam percussit Ægyptum in centesimo & quadragesimo tertio anno: & ascendit de Israel,
22 & ascendit Ierosolymam in multitudine grauis:
23 Et intrauit in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phiales, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum, quod in facie templi erat: & comminuit omnia.
24 Et accepit argentum, & aurum, & vasa concupiscibilia: & accepit thesauros occultos, quos inuenit: & sublatis omnibus abiit in terram suam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

25 Et fecit eadem hominum, & locutus est in superbia magna.
26 Et factus est planctus magnus in Israel, & in omni loco eorum:
27 & ingemuerũt principes, & seniores, virgines & iuuenes infirmati sunt: & speciositas mulierum immutata est.
28 Omnis maritus sumpsit lamentum: & quæ sedebant in thoro maritali lugebant:
29 & commota est terra super habitantes in ea, & vniuersa domus Iacob induit confusionem.
30 Et post duos annos dierum misit rex principem tributorum in ciuitates Iuda, & venit Ierusalem cum turba magna.
31 Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo: & crediderunt ei.
32 Et irruit super ciuitatem repente, & percussit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Israel.
33 Et accepit spolia ciuitatis: & succẽdit eam igni, & destruxit domus eius, & muros eius in circuitu.
34 & captiuas duxerunt mulieres: & natos, & pecora possederunt.
35 Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno, & firmo, & turribus firmis, & facta est illis in arcem:
36 Et posuerunt illic gentem peccatricem viros iniquos, & conualuerunt in ea. & posuerunt arma, & escas, & congregauerunt spolia Ierusalem:
37 & reposuerunt illic: & facti sunt in laqueũ magnum.
38 Et fuit hoc ad insidias sanctificationi, & in diabolum malum in Israel:
39 & effuderunt sanguinem innocentem per circuitum sanctificationis, & contaminauerunt sanctificationem.
40 Et fugerunt habitatores Ierusalem propter eos, & facta est habitatio exterorum, & facta est extera semini suo, & nati eius reliquerunt eam.
Tobiæ 2.6. Amos 8.10. 41 Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo, dies festi eius conuersi sunt in luctum, sabbatha eius in opprobrium, honores eius in nihilum.
42 Secundum gloriam eius multiplicata est ignominia eius: & sublimitas eius conuersa est in luctum.
43 Et scripsit rex Antiochus omni regno suo vt esset omnis populus, vnus: & relinqueret vnusquisque legem suam.
44 Et consenserunt omnes Gentes secundum verbum regis Antiochi:
45 & multi ex Israel consenserunt seruituti eius, & sacrificauerunt idolis, & coinquinauerunt sabbathum.
46 Et misit rex libros per manus nunciorum in Ierusalem, & in omnes ciuitates Iuda: vt sequerentur leges gentium terræ.
47 & prohiberent holocausta, & sacrificia, & placationes fieri in templo Dei,
48 & prohiberent celebrari sabbathum, & dies solennes.
49 Et iussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israel.
50 Et iussit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia,
51 & relinquere filios suos incircumcisos, & coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus, ita vt obliuiscerentur legem, & immutarent omnes iustificationes Dei.
52 Et quicunque non fecissent secundum verbum regis Antiochi, morerentur.
53 Secundum omnia verba hæc scripsit omni regno suo: & præposuit principes populo, qui hæc fieri cogerent.
54 Et iusserunt ciuitatibus Iudæ sacrificare.
55 Et congregati sunt multi de populo ad eos, qui dereliquerant legem Domini: & fecerunt mala super terram:
56 & effugauerunt populum Israel in abditis, & in absconditis fugitiuorum locis.
57 Die quintadecima mensis Casleu, quinto & quadragesimo & centesimo anno ædificauit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, & per vniuersas ciuitates Iudæ in circuitu ædificauerunt aras:
58 Et ante ianuas domorum, & in plateis incendebant thura, & sacrificabant:
59 Et libros legis Dei combusserunt igni, scindentes eos:
60 & apud quemcunque inueniebantur libri testamenti Domini, & quicunque obseruabat legem Domini, secũdum edictum regis, trucidabant eum.
61 In virtute sua faciebant hæc populo Israel, qui inueniebatur in omni mense & mense in ciuitatibus.
62 Et quinta & vicesima die mensis sacrificabant super aram, quæ erat contra altare.
63 Et mulieres, quæ circumcidebãt filios suos, trucidabantur secundum iussum regis Antiochi.
64 & suspendebant pueros à ceruicibus per vniuersas domos eorum: & eos, qui circumciderant illos, trucidabant.
65 Et multi de populo Israel definierunt apud se, vt non manducarent immunda: Et elegerunt magis mori, quam cibis coinquinari immundis:
66 & noluerunt infringere legem Dei sanctã, & trucidati sunt:
67 & facta est ira magna super populũ valdè.

ECA-

E CAPITE V. LIBRI II.

11 His itaque gestis suspicatus est rex societatem deserturos Iudæos: & ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis, ciuitatem quidem armis cœpit:
12 Jussit autem militibus interficere, nec parcere occurrentibus, & per domos ascendentes trucidare.
13 Fiebant ergo cædes iuuenum, ac seniorum, & mulierum & natorum exterminia, virginumque & paruulorum neces.
14 Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.
15 Sed nec ista sufficiunt: ausus est etiam intrare templum. vniuersa terrâ sanctius, Menelao ductore, qui legum & patriæ fuit proditor:
16 & scelestis manibus sumens sancta vasa, quæ ab aliis regibus & ciuitatibus erant posita ad ornatum loci, & gloriam, contrectabat indigne & contaminabat.
17 Ita alienatus mente Antiochus, non considerabat, quod propter peccata habitantium ciuitatem, modicum Deus fuerat iratus: propter quod & accidit circa locum effectio.
Sup. 3. 1525. 18 Alioquin, nisi contigisset eos multis peccatis esse inuolutos: sicut Heliodorus qui missus est à Seleuco rege ad expolidũdum erarium, etiam hic statim aduenies flagellatus, & repulsus vtique fuisset ab audacia.
19 Verum non propter locum, gentem: sed propter gentem, locum Deus elegit.
20 Ideoque & ipse locus particeps factus est populi malorum. postea autem fiet socius bonorum: & qui derelictus in ira Dei omnipotentis est: iterum in magni Domini reconciliatione cum summa gloria exaltabitur.
21 Igitur Antiochus mille & octingentis ablatis de templo talentis, velociter Antiochiam regressus est, existimans se præsuperbia terram ad nauigandum deducturum, propter mentis elationem.
22 Reliquit autem & præpositos ad affligendam gentem: Jerosolymis quidem Philippum genere Phrygem, moribus crudeliorem eo ipso, à quo constitutus est:
23 in Garizim autem Andronicum & Menelaum, qui grauius quam cæteri imminebant ciuibus.
24 Cumque appositus esset contra Iudæos, misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti & duobus millibus, præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere, mulieres ac iuuenes vendere.
25 Qui cum venisset Ierosolymam, pacem simulans, quieuit vsque ad diem sanctum sabbathi: & tunc, feriatis Iudæis, arma capere suis præcepit.
26 Omnesque simul, qui ad spectaculum processerant, trucidauit: & ciuitatem cum armatis discurrens, ingentem multitudinem peremit.
27 Iudas autem Machabæus, qui decimus fuerat, successerat in desertum locum, ibique inter feras vitam in montibus cum suis agebat: & fœni cibo vescentes, demorabantur, ne participes essent coinquinationis.

CAPVT VI. eiusdem libri II.

1 SEd non post multum temporis misit rex senem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudæos vt se transferrent à patrijs, & Dei legibus:
2 contaminare etiam quod in Ierosolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij: & in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant Iouis hospitalis.
3 Pessima autẽ & vniuersis grauis erat malorum incursio:
4 nam templum luxuria & commessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratisque ædibus mulieres se vltro ingerebant, intrò inferentes ea, quæ non licebat.
5 Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur.
6 Neque autem sabbatha custodiebantur, neque dies solennes patrij seruabantur, nec simpliciter Iudæum se esse quisquam confitebatur.
7 Ducebantur autem cum amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia: & cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire.
8 Decretum autem exijt in proximas Gentilium ciuitates, suggerentibus Ptolemæis, vt pari modo & ipsi aduersus Iudæos agerent, vt sacrificarent:
9 eos autem, qui nollent transire ad instituta Gentium, interficerẽt: erat ergo videre miseriam.
10 Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circumcidisse: quas, infantibus ad vbera suspensis, cùm publicè per ciuitatem circumduxissent, per muros præcipitauerunt.
11 Alij verò, ad proximas coeuntes speluncas, & latenter sabbatha diem celebrantes, cùm indicati essent Philippo, flammis succensi sunt: eo quod verebantur propter religionem & obseruantiam, manus sibimet auxilium ferre.

12 Obse-

Universidad de Deusto
Biblioteca

12 *Obsecro autem eos qui hunc librum lecturi*
sunt, ne abhorrescant propter aduersos casus,
sed reputent ea, quæ acciderunt non ad
interitum, sed ad correptionem esse generis
nostri.
13 *Etenim multo tempore non sinere pecca-*
toribus ex sententia agere, sed statim vl-
tiones adhibere, magni beneficij est indi-
cium.
14 *Non enim, sicut in alijs nationibus, Do-*
minus patienter expectat, vt eas cum iudi-
cij dies aduenerit, in plenitudine peccato-
rum puniat:
15 *ita & in nobis statuit, vt peccatis nostris*
in finē deuolutis, ita demū in nos vindicet.
16 *Propter quod nunquam quidem à nobis*
misericordiam suam amouet: corripiens
vero in aduersis populum suum non dere-
linquit.
17 *Sed hæc nobis ad commonitionem legen-*
tium dicta sint paucis. Iam autem venien-
dum est ad narrationem.

COMMENTARIVS.

De ijs, quæ post Ægyptiaci belli finem apud Iudæos gesta.

SVNT ea omnia peracerba. Nam primo Hierosolymam cepit; deindè plurimis eam maximisque incommodis affecit. Cepit verò illam armis, vt dicitur lib.2. cap.1. vers.11. Id enim etiam Græcè est ἑλαβε τὴν πόλιν δορυάλωτον: vti & c.10. lib.2. hoc, in Græco, nomen. Iosephus tamen lib.12. cap.7. ἀμαχητὶ, *absque pugna* cepisse tradit. Enimuerò confundit secundum istum Antiochi ad Hierosolymam accessum, cum priore, annosque turbat, & quando anno 145. è suis tantum quendam misit, cummet venisse affirmat. sed seipsum lib.1. Capt.1. corrigit. vbi Antiochum Hierosolymam κατακοσμήτορα, id est, *vi* cepisse fatetur. rursumque lib.7. cap.9. περὶ βίας. *Causæ* verò, vim cur adhibuerit, *duplex* in textu innuitur: *Una*, quod ira æstuaret, animoque totus effœtatus esset. *Altera* quòd vereretur, ne à se Iudæa deficeret. Vtraque verò, propter importunam ipsius Antiochi naturam, habuit & causam, quam verba ista continent, cap.5. vers.11. *his itaque gestis*; πρὸ γὰρ τούτων τῶν βασιλῖ περὶ τῶν γενόντων. id est, *cum Regi incidissent* vel homines loquentes, vel cogitationes molestæ, de iis quæ accidissent. videlicet, quòd à Romano legato penè iam victor, Ægyptique Dominus excedere iussus esset, quod in Hierosolymitana vrbe dissidentium inter se ciuium factiones, turbæque essent, quòd mortuus à Iudæis dictus, creditusque esset. *Venerunt*, ait Gorionides, lib.3. cap.3. *è gente nostra impij ad Regem & dixerunt, Ecce visa sunt Hierosolymis ostenta quædam, & dixerunt tuus mortuus est Antiochus, idemque de Domini nostri Regis exitio gauisi sunt.* Hæc ergo Antiochi furorem accenderunt, simulque meliores Hierosolymorum incolas excitarunt, vt à factione, quæ Antiocho studebat, cauerent, portas occluderent, defensionem pararent. Sed vicit improbitas, variaque Iudæis incommoda ferox Rex inflixit *præsens, absens.* Quæ *præsens* inflixit, sunt cap.1. vers.23. ad 30. lib.2. cap.5. vers.17. ad 22. scilicet cædes immensa, templi profanatio, dum in ipsum sanctum, & vti etiam videtur, in sanctum sanctorum ingredi ausus est; ipsumque templum, quoad sacra vasa, omnisque generis pecuniam, spoliare. Quæ *absens* inflixit, ea *per præfectos* omnia fecit, eosque *duplices*. Vel enim ab ipso Hierosolymis abeunte *relicti* erant, vt Philippus Hierosolymæ cap.5. vers.22. lib.2. in Garizin monte Andronicus, alius ab eo, de quo cap.4. quibus vtrisque pseudopontificem Menelaum adiunxit; vel ab eodem *missi* fuerunt, vt Appollonius cap.1. vers.30. c.5. vers.24. & senex quidam, qui eodem anno 145. sed paulo post, Hierosolymam venit cum literis Regis, cap.6. vers.1. cap.1. vers.43. & 46. vbi hæ literæ vocantur *biblia*, vti cap.1 Bibliacorum Prolegnotaui. *Apollonius* videtur ille esse de quo suprà ca.4. vers.21. & qui apud Liuium lib.37. Antiochi magni classis dextrum cornu ducebat, cum læuum duceret Annibal. *Senex* verò ille non nominatus, dicitur cap.6. *Antiochenus*, sed in Græco *Athenæus*, quasi *Athenensis*. Fortè tamen cum Rex Antiochiæ tum versaretur, Antiochenum misisse verisimilius est. nisi forte *Athenæus* proprium seni huic nomen fuit.

Multa verò duo isti peracerba Iudæis intulerunt. Nam Apollonius Hierosolymam vastauit, arcem, in vrbe inferiore Hierusalem, vt ait Iosephus, extruxit, in qua Macedonicum præsidium collocauit, cum alioqui iam arx ante foret aliqua, suprà lib.1. cap.4. vers.27. cap.5. & apud D. Hieronymum in Danielis 11. Die Sabbathi, cum Iudæos otium agentes vidisset, militibus immissis, quam plurimos trucidauit, præsertim qui ad spectacula & theatra confluxerant. Id enim etiam postea Iudæis moris fuisse docet Socrates lib.7. cap.13. Iosephus lib.2. Capt.41. ideoque & postea in spectaculis dederunt Iudæi pœnas, cum feris obiecti fuerunt, apud eundem libro 7. Captiuitat. 8. & 13. Tum verò optimorum quorundam in solitudines & speluncas fuga extitit, vers.40. capite primo, & capite quinto ver.27. vbi *Iudas* ipse *Machabæus* in istis ponitur. Iosephus Gorion cap.3. lib.3. ita de Antiocho scribit; *dispersit vniuersum cœtum* seu *collegium & congregationem Hasidæorum, qui erãt humanissimi, & fugerant Hasidæi in syluas, & comederunt herbas, veluti pecudes, & latuerunt bestiarũ instar in syluis.* De Hasidæis postea lib.2. cap.7. & 14. Et notanda, summa rerum inedia & vitæ asperitas, addi-

additurque causa, *ne participes essent coinquinationis.* Vocatur porrò ibidem *Decimus*, vel quia iã inde ab Alexandri temporibus, Pontifex erat decimus legitimus, vt ex superiore Pontificum serie perspicitur: vel quia cum nouem sociis tunc delitescebat: vel quia δέκατος & ponitur, pro *decadarcho* seu *decarcho*, id est, *decano, decurione*, vt Exod.18. Deut.1. vel deniq; ob causam in Asidæis tangendam. Quæ verò decurionum dignitas fuerit, ex Iosepho in Vita patet, de quo Iudith ca.8. q.2. & ex eodem lib.4. Capt.4. & libro 2. cap.42.

Ea verò, quæ senex iste intulit *mala*, dupliciter commemorantur. primò *generatim*, dum omnis verę Religionis actio & professio seuerissimè vetita ostenditur cap.6. vt sacrificia, festi dies, circumcisio, & contraria omnia præcepta, vt veritarum carnium esus, sacrorum librorum exustio, idolorũ & templorum variorum constructio, gentilium festorum celebratio, & pomparum, quemadmodum erant ipsa Dionysia seu Bacchi festa, de quibus Gyraldus, quæ dicebantur à furore ὀργια: vel à tempore ἀνθιστήρια, νυκτίλια, λαμπτήρια, τελεσπελικά: vel à vasis & instrumentis χόες, κύτροι, λαγηνοφόρια, πιθοίγια: vel ab ebrietate, quæ in ipsis summa ὠμοφάγια, φαγησιώνια, φαγησιώνια; vel denique Θεοίνια, ληναια, *Bacchanalia & Liberalia*, de quibus P. Pithœus, lib.1. Aduers. cap.9. Tertullianus lib. de spectaculis, *Duo*, inquit, *ista dæmonia, Venus & Liber, coniuncta & conspirata inter se sunt, ebrietatis & libidinis. Itaque theatrum Veneru, Liberi quoq; domus est.* Arnobius lib.5. *Bacchanalia etiam prætermittemus insania, quibus nomen Omophagys Græcum est in quibus furore mentito, & sequestrata posteritatis circumplicatu vos anguibus: atque vt vos plenos* DEI *numine ac maiestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentis orbibus dissipatis.* Plutarchus in Alexandro, verba de Olympiade, quæ Bacchi sacris addicta erat & dracones alebat; faciens, addit. οἱ πολλοὶ περιελίττομενι θύρσοις τῶν γυναικῶν, καὶ τοῖς στεφάνοις ἐξέπληττον τοὺς ἀνδρας. *Multi circumuoluti thyrsis mulierum & coronis terrefacieb ant viros.* Valdè verò in Oriente cultum fuisse Bacchum, idque quia iis in partibus è Iouis femore natus crederetur, narrat in Orbis Periegesi Dionysius. *Coronati* verò *hedera*, siue vt Græcus ait κισσοὺς ἔχοντες hederas habentes Baccho pompam ducere miseri cogebantur Iudæi, quia ea arbor, quæ vt ait Plinius lib.16. cap.34. *inimica satis omnibus est, sepulchraque ac muros rumpens, serpentium fœtori gratissima*, ipsi Baccho sacra erat. Vnde & *Alexandrum coronato* hedera *exercitu victorem ex India reduxisse, exemplo Liberi Patris*, ait ibidè Plinius. Eandem tamen vi illa sua frigorifica ebrietate obstare tradit lib.14. ca. 49. Rhodiginus. *Erãnt*, inquit Tertullianus lib. de corona militis cap.7. *supplices coronarij apud veteres Liberum, eundè apud Ægyptios Osirin, Harpocration industriâ hederatum argumentatur, quod hedera natura sit cerebrum ab helleco defensare.* Quemadmodũ verò apud Romanos, vt ait Cicero, *Terrea* sublata, sic apud nos *Bacchanalia* quorũ & res & nomen prophanũ; tolli penitus oporteret. Neq; enim sunt ἰσοτιμα, vt ait Athenæus, neq; terriculamenta illa, de quibus in Demetrio Plutarchus, formidanda: sed eorũ & apparatus omnis, de quo in Adriano Dio, Eustathius Iliad. ξ. Clemens in Protreptico, & nomen ipsum explodendum. Si diem Solis, Lunę & Martis cæteraque id genus nomina in Christianis ferre noluit Ecclesia, Bacchanalia cur ferantur? Aiebat Nouella 28. cap.1. Iustinianus Imperator. *Vetus illud nomen Polemonis, quo plerique in Ponto tyranni vsi fuerunt, dehinc quieuit: quia tyranni extitit: tum etiam quia pulchrius fuerit regiones Christianorum & regum nominibus designare, quam hoc, quæ Polemi, hoc est belli, & tumultus præ se notionem ferrent.* Quantò verò magis conuenit, dies deorum turpissimorum bacchantiumque nominibus non appellare?

Natales verò Regum *dies* agitare perantiquum est, vti patet Genes.40. vers.20. Matth.14. vers.6. & ex Platone in Alcibiade, Plutarcho 9. Sympos. Iosepho lib.15. cap.14. & lib.7. Capt.8. & Ammiano lib.24. Herod. lib.1. Athenæo lib.4. Quo verò ait Interpres noster v.7. *ductos ad sacrificia*. Græcus ait ἐπὶ σπλαγχνισμὸν quasi *ad visceration em* dicas. quòd viscenbus ea sacrificia fierent, & ea sequerentur epulæ ad visceraliones. & hic sequente vers.8. ἄγειν καὶ σπλαγχνίζειν *agere*, & *visceration*ẽ seu *epulum celebrare*, in quo sacrificatorum animalium viscera comederentur. vbi etiam obseruandum in Græcis quibusdam libris vnum tantùm, qui Antiocho hæc suggesserit. *Ptolemæum* nominari. Sed quid, quod in Græco est, natalitium Regis diem κατὰ μῆνα celebrandum? An singulis mensibus, id est, in anno duodecies celebrari debuit? Ita quibusdam videtur. sed fortè intelligitur, *quolibet mense* scilicet, *in quem natiuitas illius incidisset*, ita vt non nisi semel anno quolibet, celebraretur. quemadmodum etiam à Christianis Regibus & Consulibus factum constat. Sed dolendum, Calumnanorum hodie Reginæ natalicia, tanto ab illis apparatu, celebrari, cum Beatissimæ DEI matris, cœlorum Reginæ, natalem ipsi diem sustulerint, & suis in Synodis egerint, ne CHRISTI etiam Domini festa esset natiuitas, vt ex ea quam anno 1574. Dordraci habuerunt; patet, canone 53.

Iam cap.1. vers.43. volebat Antiochus, *vt esset vnus populus*, iisdem scilicet moribus & institutis. Quod in sancta, vera, Catholicaque religione, curandum, vti libello de S. Athanasij symbolo mõstraui, & egregiè comprobat D. Augustinus epist. 48. & 50. non autem prophana, falsa, Gentili vel hæretica, prout olim tamen elaboratum à Constantiis, Geisericis, Hunericis, & ab eadem illa Regina hodie.

Fuit autem Iudæis ea quæ cap.1. vers.59. describitur, *sacrorum librorum combustio* grauissima. Nam, dum Cumani temporibus, miles quidam legis librum laceraſſet, in ignemque coniecisset: *Iudæi*, ait lib.2. Cap.20. Iosephus, *quasi tota ipsi regio incensa fuisset, confluxerunt, & religione, tamquam*

instru-

Universidad de Deusto
Biblioteca

instrumento quodam, excitati, Cæsarem simul omnes, ad vnam denunciationem, concurrerunt, Cumanum obsecrantes, ne eum, qui in DEVM, *ipsiusque Legem contumeliosus adeo fuisset, impunè esse sineret. Ipse verò videns non conquieturum populum, ni, quod petebat assequeretur, voluit militem illum produci, & per eorum, qui eum accusabant; medium, ad mortem duci iussit.* Quam verò *religionem* vocaui, vertit vetus Iosephi versio *superstitionem*, cum vt alio loco suprà notaui, bonam etiam in partem accipi soleat *deisidæmonia* vti quoque apud eundem Iosephum lib. 4. Ant. 17. lib. 19. cap. 4. lib. 2. Capt. 32. l. 5. cap. 34. Huiusmodi porrò diuinorum, optimorumque librorum combustio & vastatio iterata etiam postea est à Diocletiano vt est apud Eusebium lib. 8. hist. cap. 1. Arnobium lib. 4. aduersus gentes, D. Augustinum lib. 7. de bapt. cap. 2. & à nostri temporis hæreticis, dum tot sanctorum Patrum Codices in Gallia, Belgio, toraque Germania & alibi conscelleratissimè inflammarunt & diripuerunt, prout iustissima querela est Io. Garetij præfatione in librum de Eucharistia, imò & Plateani, licet etiam hæretici, epistola de Anabaptistis Monasterienssibus. Sed omnium maximè verum se Antiochum præstitit Lutherus, dum Wittembergæ anno Domini 1520. sacrorum Canonum volumina publicè combussit, vt ipsemet de hoc insigni facto suo, edito postea libro, gloriatur. Mihi verò videntur iis isti similes, qui ne iustos alioqui census, aut debita soluere cogantur, syngraphas, tabulasque omnes, eorum quibus debent; aut surripiunt, aut iniecto igne succendunt, apud Iosephum l. 2. Capt. 31. & l. 7. c. 9. similes item Herodi, qui ne ignobilis & alienigena videretur, Iudaicæ nobilitatis tabularia & genealogias incendit apud Eusebium l. 1. hist. c. 7. Putarunt enim isti futurum, vt si veterum nobis Patrum monumenta eripuissent, horum nos de scriptura interpretanda sententias deinceps ignoraremus, religionis, cæremoniarumque nostrarum antiquitatem & vsum probare non possemus. ipsi verò à doctrinæ nouitate, interpretationumque suarum commentis reprehendi minimè valerent. Sed nihil profecit Antiochus. Viuunt Biblia: supersunt Patres: magis magisque in dies horum temeritas & apostasia tenetur: prisca religio comprobatur & corroboratur.

Est verò Hebræorum traditio, quam in verbo *pitar* notat Elias Thisbi, voluisse etiam Antiochum, ne suam ipsi legem publicè vsquam legerent. Ipsi verò, ne scripturæ sacræ lectione omnino carerent, solebant ex Isaia capitula quædam legere. Vnde factum, vti etiamnum hodie, suis in synagogis, post legis lectionem, legant prophetarum sectiones aliquas: eamque consuetudinem vocant *haphtarah* à cessando seu finiendo. & qui ad legis lectionem postremus in sabbato accedit, vocat *maphtir*, quia finem facit, populumque dimittit dicendo *hahaphtarah*. quasi vetus quoddam *licet*, vel, *fit emissa est*. Mihi tamen, qui legi legem vetuit Antiochus, prophetarum lectionem nequaquam permisisse videtur. quin potius, quicquid doctrinæ diuinæ fuit, siue à Moyse, siue à prophetis scripta ea esset, sublatam voluisse. Non enim ei diuinorum librorum parti tantum, quæ propriè *lex* dicitur, sed vniuersè diuinis libris, veræque pietati hostis infestissimus erat. Nec dubito, quin earum quas *petoroth* Hebræi vocant, origo alia sit, eaque ipso forte Antiocho vetustior.

Idem verò Antiochus Hierosolymitani populi multitudinem maximam commigrare fecit, plurimosque Antiochiam secum abduxit, vt ait li. 7. Capt. 9. Iosephus. *Multi* ait hæresi 30. S. Epiphanius, *temporibus Antiochi Epiphanis dispersi sunt*. Rursum cap. 1. ver. 38. *in diabolum malum* esse, est agere calumniatorem & aduersarium, vt 2. Reg. 19. vers. 22. *effici in Satan*. Itaque tria hic mala significantur, *esse in laqueum*, esse *ad insidiæ ipsi sanctificationi*, siue *sanctificationis*. id est, templi, & esse *in calumniam* vel *in aduersarium ipsi Israeli*. In templum porrò inferebantur suillæ carnes cap. 1. vers. 59. & alia quæ intulisse nefas, sicuti & aliquando ossa in tulisse Samaritanos, prodit Iosephus, Cæsareenses quosdam ad ipsorum synagogam aues mactasse lib. 2. Captiuit. 25. Et eodem vers. 50. vocantur *pecora communia*, quæ legis decreto polluta censebantur. Quia enim quæ promiscuo vsu ab omnibus tractantur, facile inquinantur, ideo quod apud Iudæos inquinatum habebatur, id *commune* vocari solet Matth. 15. Marc. 7. Act. 10. Apoc. 21. vers. vltim. Vnde apud Iosephum κοινοφαγία vel μιαροφαγία nominatur *vetitarum rerum esus*. Eodem versu, quæ noster ait templa, Græcus dicit τεμένη *lucos*, quæ idola, εἰδωλεῖα *idolorum delubra*. & forte in Latino scriptum fuit *idolia*, cum ab Interprete vox eadem, 1. Corinth. 8. vers. 10. retineatur. *Si quis viderit eum, qui scientiam habet in idolio recumbentem*. Cæterum quod eodem cap. 1. vers. 58. de suffimentis & thuribus ante domorum ianuas incensis traditur, illustrari potest ex Tertulliano lib. de idololatria ca. 15. Obuciens enim sibi, Ergo *honor* DEI *est, lucernæ pro foribus, & lauri in postibus* respondet; *Non vtique quod* DEI *honor est sed quod eius qui pro* DEO *huiusmodi officijs honoratur, quantum in manifesto est, salua operatione quæ est in occulto, ad dæmonia peruenient. Certi enim esse debemus, si quos latet per ignorantiam literatura secularis, etiam ostiorum deos apud Romanos, Cardeam a cardinibus appellatam & Forculum a foribus, & Limentinum à limine, & ipsum Ianū à ianua: & vtiq; scimus, licet nomina inania atq; conficta sunt, cum tamen in superstitionem deducuntur, rapere ad se dæmonia & omnem spiritum immundum per consecrationis obligamentum. Alioquin dæmonia nullum nomen habent singulatim, sed ibi nomen inueniunt, vbi & pignus. Etiam apud Græcos Apollinem θυραῖον, & Antelios dæmonias ostiorum præsides legimus. Hæc igitur ab initio prouidens Spiritus sanctus, etiam ostia in superstitionem uentura, præcecinit per antiquissimum propheten Enoch. Nam & alia ostia in balneis adorari videmus. Si autem eorum sunt, quæ in ostijs adorentur, ad eos lucerna & Laureæ pertinebunt, Idolo feceris, quicquid ostio feceris. Hoc in loco ex auctoritate quoque* DEI *conteslor, quia nec tutum est subtrahere, quodcunque vni*

vni fuerit ostensum, vtique omnium causa. Scio fratrem per visionem eadem nocte castigatum grauiter quod ianuam eius subito annunciatis gaudijs publicis serui coronassent. Et tamen non ipse coronauerat, aut præceperat, nam ante professerat, & regressus reprehenderat factum, adeo apud Dominum in huiusmodi etiam, disciplina familiæ nostræ æstimatur. Hæc ille, Dum verò cap. 6. ver. 4. dicuntur *mulieres se vltro ingessisse*. videtur legendum. *sacratisque in ædibus ad mulieres se vltro ingerebant*, vti Græca ostendunt. In templo siquidem & luxuriosissimæ comessationes & stupra flagitiosissima admittebantur, vti explicat Tertullianus in Apolog. Rupertus cap. 1. Naum, Cyrillus lib. 7. contra Iulianum. *Alia*, inquit, *mala impune faciunt Gentiles, vipore impostura, & masculorum concubitus, idque intra templa, Dijs testibus.* Quod certè & nostris temporibus attentatum, rerum experientia monstrauit.

Speciatim verò commemorantur hæc, templi ipsius summa prophanatio quia & iuge sacrificium ablatum, & noua templi illius inaugurario & nominatio facta est, vt esset *Iouis Olympii*, sicuti & Garizitanum, de quo in Esdra dixi, factum est *Iouis Hospitalis*, prout ipsimet Samaritani se hospites, & à Persis & à Medis aduenas, epistola etiam ad Antiochum data, quæ apud Iosephum est lib. 12. cap. 9. profitebantur. Videatur etiam Iosephus lib. 18. cap. 5. vbi sanctissimum apud Samaritanos, Garizim mentem ostendit, & S. Epiphanius hæresi 9. vbi tradit, hæreticos eodem Samaritanorum nomine vocatos, adorasse quædam in monte illo abscondita simulachra, & vbicunque ipsi locorum essent, ad illum sese, cum orare vellent, semper conuertisse, eo scilicet modo, quo sese ad Mahometi sepulchrum hodie conuertunt Turcæ. Fuit verò in B. Virginis honorem à Zenone Imperatore templum in eiusdem montis vertice olim excitatum, vt explicat lib. 5. de ædificiis Iustiniani Procopius, & de eo monte Samaritana illa dicebat Iohan. 4. ver. 20. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt.* Atque ex hoc tempore, cœpit in Hierosolymitano Dei templo esse *idolum desolationis* cap. 1. ver. 57. *Fatentur enim omnes*, vt ait Rabanus, Antiochum, *ipsum Antichristi figuram gessisse*. Et De eo loquitur Daniel cap. 11. indeque *idolum desolationis* sumptum est, non autem ex Danielis 9. vti Caietanus in cap. 24. Matth. putauit, dum temere de libri huius authore loquitur, quemadmodum contra ipsum notat Catharinus, qui etiam dicit, fieri posse, vt ca. 9. tam de Antiocho, quam de aliis postea secutis Ecclesiæ hostibus & Tyrannis agatur, de illo inquam, quasi de typo & figura respectu figuratorum. D. Hieronymus contra Porphyrium, quæ à Daniele dicuntur, non soli Antiocho tribuenda valde pugnauit, tandemque in cap. XI. concludit. *Sicut Saluator habet & Salomonem, & cæteros sanctos in typum aduentus sui: Sic & Antechristus pessimum Regem Antiochum, qui sanctos persecutus est, templumque violauit, recte typum sui habuisse credendus est.* Erat vero idolum illud abominabile & detestandum, seu, quod merito quemlibet obstupescere faceret, desolationisque causam daret, eratque *statua Iouis Olympii*, quæ in templo, quod ipsi tum dedicabatur, vt iam dictum, posita fuit. Serenus apud Cassianum coll. 8. cap. 4. docens esse quasdam scripturarum expositiones, quarum neutra fidei inueniatur obsistere, subdit, *quale est illud quod Helias veniret in Ioanne, & iterum sit ante aduentum Christi venturus, & de abominatione desolationis, quod steterit in loco sancto, per illud simulachrum Iouis, quod Hierosolymis in templo positum legimus: & iterum stare habeat in Ecclesia ante aduentum Christi.* D. Cyprianus de exhortatione martyrii. *Rex Antiochus fuit, imo in Antiocho Antichristus expressus*: Augustinus serm. 10. de diuersis, *Nabuchodonosor meruit conuerti, Antiochus meruit obdurari. ille inuenit misericordiam, ille auxit superbiam, sed quantum & quousq;?* Vide cap. 3. & 4. ibidem, & Cedrenum. Non veretur vero D. Athanasius epistola ad solitanos, Constantinum Imperatorem, quod hæreticus esset, Ecclesiasticasque causas diiudicare vellet, vocare *idolum abominationis, Herodem & Antiochum.*

Accesserunt porro sacrificia profana, suum videlicet, seu porcorum, quos in templum inferre nullo modo licuisset, sicuti neque alia, quæ iam inferebantur, non modo *contra Dei legem*, sed *contra Magni Antiochi programma*, de quo Ioseph. lib. 12. cap. 3. & lib. 13. cap. 16. in Græco.

Tandem sunt acerbissima, quæ pius omnibus illata sunt, supplicia, quorum *genera quatuor* breuiter narrantur. *Primum* c. 1. ver. 63. l. 2. cap. 6. ver. 10. *de mulieribus*, quæ filios circumcidi curassent, & de iis, quæ earum hostiarum instar, quas apud Cyraldum Syntag. 17. gentilitas Romana dicebat vel *ambiguas*, vel *abigenas*, suos non vtrimque agnos, sed chariissimos secum liberos habebant. Et de his Gorion lib. 3. ca. 4. *Alterum* genus lib. 2. cap. 6. ver. 11. *de iis, qui Sabbathum custodissent*, & ideirco flammis exusti fuerant. Vbi nota insignem & perutilem de calamitatibus & pœnis diuinitus inflictis admonitionem, ver. 12. 13. 14. 15. 16. sicut Hebr. 12. Apoc. 3. *Tertium* genus est *in Eleazaro* sene nonagenario. *Quartum in septem Machabæis* fratribus.

E CAPITE VI. LIBRI II.

18 IGitur *Eleazarus vnus de primoribus scribarum, vir ætate prouectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare.*

19 *At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium.*

20 *Intuenti autem, quemadmodum oporteret*

Universidad de Deusto
Biblioteca

accedere, patienter sustinens, destinauit non admittere illicita propter vitæ authorem.

21 Hi autem, qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secretò rogabant asferri carnes, quibus vesci ei licebat, vt simularetur manducasse, sicut rex imperauerat de sacrificiis carnibus.

22 Vt hoc facto à morte liberaretur: & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem.

23 At ille excogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conuersationis actus: & secundum sanctæ & à Deo conditæ legis constitutiones, respondit citò dicens, præmitti se velle in infernum.

24 Non enim ætatis nostræ dignum est, inquit, fingere: vt multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum:

25 & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectuti conquiram.

26 Nam, etsi in præsenti tempore supplicijs hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam.

27 Quam ob rem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo:

28 adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honestæ morti perfungar. Hæc dicta, confestim ad supplicium trahebatur.

29 Hi autem, qui eum ducebant, & paulò antè fuerant mitiores, in iram conuersi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur.

30 Sed, cum plagis premeretur, ingemuit, & dixit, Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quia cùm à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.

31 Et iste quidem hoc modo vita decessit, non solum iuuentibus, sed & vniuersæ genti memoriam mortis sua ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.

COMMENTARIVS.

De Eleazaro, sene, martyre, & sanctissimo.

FVIT Eleazarus iste, Sacerdos, diuinarum litterarum scientia valdè insignis, ita vt hic dicatur *de primoribus scribarum*, & testatur Iosephus lib. de Machabæis cap. 5. vbi τὸν ἐπιφανῆ γεραιὸν dicitur, & cap. 6. Iosephus verò Gorion lib. 3. cap. 2. & 4. scribit, eum inter Septuaginta Interpretes fuisse, & quidem præcipuum. Nam ille בראשי *bereschai*, id est, *in capite ipsorum*, hinc *præcipuum*, hic verò מהו ראשי הכהנים *Sacerdotem Principem Sacerdotum* vocat, additque omnibus in reuerentia fuisse dignitatem ipsius excellentiæ & sanctitatem. Videtur Nazianzenus oratione 22. eum significare, *patrem* esse puerorum, de quibus infrà, Machabæorum. Sed clarè seipsum postea explicat, patrem talem, quali apud Laertium plusquam genitoribus deberi docet Aristoteles, qualem item Patrem vocabat S. Paulinus in epistolis Ausonium, & Panegyricus nonus & decimus eos qui Galliarum iuuentutem erudiebant. Quia scilicet eorum Magister & Doctor fuerat. Vnde illos inducit loquentes: *Eleazari discipuli sumus: pater prius decertauit, filii postea certabunt.* Et D. Ambrosius lib. de Iacob. cap. 11. *sequimur Patrem filii, discipuli Doctorem.* Sicque vocatur in Græcorum Calendario, die Augusti primo. Legendus verò de eo, inprimis D. Ambrosius lib. 2 de Iacob. cap. 10. vbi ait; *si sacerdotum sacerdotem*, id est, Episcopum, *sacerdotis huius oratu* (id est precibus) *iuuari oportere*; & cum illi obiceretur suillas carnes esse bonam creaturam, respondisse: *Nos non intentione ducimur; sed reuerentia legis tenemur, quæ suilla carne abstinendum præcipit. Quòd si hoc leue putas, vt carne vescamur suilla qui in minimis legem contempserit, quomodo in parvis tenebit? Abstinentia nostra disciplina est castimoniæ. Non sum ita senex, vt non iuuenescat animi fortitudo. Senectus portus esse debet, non naufragium vitæ superioris. Non te negabo lex patria non abiurabo vos sancta instituta maiorum, non deformabo vos insula sacerdotales: non te perfidis pulsare turpabo canities.* Itaque ne simulare quidem voluit, cum aliæ carnes proponerentur, & sic, ait Ambrosius, *immoriendo tormentis, factus est cæteris magisterium perseuerantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplum.* Apud Gorionidem loco citato; *Iam quidem animam meam è manibus vestris liberarem, sed à Dei conspectu effugere non potero, quod ab eius conspectu effugere, & ab eius manu se eripere, neq; viuus neq; mortuus quisquã possit. cum ipsius potestas & in viuos & in mortuos sit, & ad viuificandum & ad mortificandum.* D. Cyprianus hoc tanti sacerdotis exemplo valdè Clericos exhortatur libro de singularitate Clericorum. *Peccantes*, ait, *in fratres, & percutientes conscientiã eorum infirmã, in Christum peccatis: & quidẽ hoc non iuuenibus tantũ, sed & senibus congruit fratrũ imbecillitatis consulere, ne senectus perire prouocet iuuentutẽ, ex qua deberent omnia salutaria documenta procedere: sicut Eleazarus in libro Machabæorũ profitetur, & dicit: Præmitti malo in infernũ, quam patrias leges deserere. Non enim ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentiũ arbitrat. Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationẽ, & propter modicũ & corruptibile*

pribile tempus vitæ per me seducantur, & odium ac maculam senectuti meæ acquiram: Ille maluit vitam suam tormentis obscurare, quam cuiquam magister perditionis existere: & nos vbi nulla tormenta sunt, fluxibus solis nolumus saluandos fratres anteponere: nec contenti sumus sine vllis cruciatibus tam nobis prodesse, quam cæteris, cum ille noluit viuere moriturus: sicut infernus profectus est dicens: quamobrem vita fortiter quam cæteris, cum ille noluit viuere moriturus: sicut infernus profectus est dicens: quamobrem vita fortiter excedens senectute dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum forte relinquam, vt prompto animo ac fortiter pro grauibus & sanctis legibus honestæ morti succedant. Cum hoc etiam laicos doceat, ne aut extraneis occasionem blasphemandi, aut fraternitati opportunitatem fornicationis opponant, tum maxime clericos vehementer necessitatis ista constringat, quibus aut religio blasphemata, aut fraternitas perdita pœnas ducibus irrogabit. Nec inuenient in iudicio domini vllum omnino solatium, qui alienigenis & fratribus peccandi fomitem ministrarunt. S. Ephrem parænes. 25. tom. 2. *Si senex Eleazarus, dum incendit supplicium toleraret, non est mutatus mente: (Vnde & iuuenes ætate, huius patientiam respicientes, contempserunt tormenta quæ videbant, vicerunt q; tyrannum septem sancti pueri) Quid igitur ego?* vocatur verò Eleazarus à Nazianzeno loco citato, *primitiæ martyrum veteris testamenti*, quemadmodum Stephanus *primitiæ noui.* Sed cum Abel à D. Cypriano de orat. Dominica, *protomartyr* vocaretur, & Zacharias & Isaias, aliique Martyres fuerint, intelligendus est Nazianzenus, *non simpliciter primus* Martyr, sed *in causa*, cum id videlicet ageretur, vt religio, Deique cultus reciperetur. Alius enim de causis alii cæsi: Et addendum, esse *protomartyrem*, de quo *nominatim* quidem prodicum sit. Hanc enim ob causam rectè ab Ecclesia *Machabæorum festum* agi docet epist. 98. & 313. S. Bernardus, à quibus hic eorum Magister non disiungendus.

Sed nota, ver. 19. & 28. pro *supplicio*, Græcè legi. *tympanum*, vnde & illud Hebr. 11. de quo supra Præloq. 3. τύμπανα ἔκλασαν. Iam ver. 19. *per infernum*, intelligitur *mori*, quia via & veluti quasi ostium ad infernum esse soleat. Licet enim de hoc non loquatur, tropo tamen vtitato, *mortem* vocauit *infernum.* Imitatus nostrum hoc tympanum est loco citato Apostolus, vt ait eum locum explicans Theodoretus. Et fatetur etiam Benedictus Aretius hæreticus ibidem. Caluinusque & Beza, qui tamen hosce libros, quos Apostolus sequitur, sequi ipsi recusant. *Non dubito*, ait Caluinus, *illic, quin sæuas illas persecutiones designet autor epistolæ, quibus grassatus est Antiochus in populum D. i, & quæ præterea secutæ sunt.* Beza verò. *Non dubium, quin eam Paulus designet persecutionem, quam Antiochus exercuit.* Et patet etiam ex liberatione seu apolytrosi, quam Apostolus addit, eos de quibus ibidem agit, potuisse consequi. Optimè siquidem ea Eleazaro nostro, qui, si voluisset, liberari poterat, conuenit.

Quod verò supplicii genus sit *tympanum*, cum etiam à Pollucе lib. 8. inter carnificis instrumenta numeretur, si quæ alii tradiderunt, colligamus, intelligeretur. Ac primò quidem *sustinentia* videtur, cum baculis & fustibus ita immaniter nonnulli quandoque pulsarentur, vt plagis omnibus misceri, eum baculo & *trunco* propriè obtruncatio dicta est. Sic Polybius, τὸ ξύλον minùs conficerentur. Nam à baculo & *trunco* propriè obtruncatio dicta est. Sic Polybius, τὸ ξύλον καὶ τὸν τύμπανον vocat τυμπανίζειν. Suidas, & Aristophanis in Pluto Scoliastes τύμπανα exponunt ligna, quibus in carceribus fontes diuerberabantur, & quidem, vt addit Hesychius ἰσχυρῶς *fortiter*, aut vt ait Oecumenius Heb. 11. & Theophylactus ibidem ἐν ξύλοις *claus.* Gesnerus de Elephanto, qui apud Plutarchum, puerum à quo irritatus erat, videbatur ἀποτυμπανίσων, cum lib. 1. de quadrupedibus differit, *vtetur*, ait τυμπανίζειν *non simpliciter & semel tantum, sed aliquoties. Iterum atque iterum in terram illidere significare, instar eorum, qui tympana bacillis feriunt.* Aliis videtur esse *palus* quispiam, ad quem deligati fontes baculis contunderentur. Postremo alius potius *crux & patibulum*, in quo cæderentur, excoriarentur, suspenderentur. Nam tria hæc Hesychius & Suidas coniungunt. Et de Astrologis quibusdam impostoribus dictum lib. 2. Epigram. Græcorum. ἄξιοι ἐπὶ τύμπανα πάντες ἑνὸς *Digni quos omnes crux simul vna ferat.* D. Chrysostomus in Hebræam hom. 27. ἀποτυμπανίζειν. *Digni quos omnes crux simul vna ferat.* D. Chrysostomus in Hebræam hom. 27. ἀποτυμπανίζειν, inquit, λέγει δὲ ἀπὸ τοῦ φαλλίζεσθαι, vt sit *tympanismus, capitis amputatio.* Quemadmodum eruditè docet Varinus, Oecumenius & Theophylactus loco citato.

Mea verò sententiâ. & cruces & fustes Eleazarus noster, quoad animum efflaret, passus est, ita vt acerbissimè, tympani instar, distenteretur, & rursum grauissimè, tympani instar, pulsaretur. Id enim & verbi ratio significat, & textus, dum subditur μέσων τοῖς πλήγαις τελευτᾶν, rursumque, σκληροῖς ὑποφέρων καὶ ἀβασάνιστα ἀλγηδόνας, & ad ipsum, qui crux esset, vinciri, extendique potuit. Vnde loco cit. D. Ambrosius eum ait, *distentum, suspensumq;* fuisse, ita vt ipsius extensores fatigarentur. Et vetus Interpres Heb. 11. τὸν τυμπανισθέντας *distentos* vertit, approbantque eam versionem illius etiam Momi, Erasmus, Beza, Caluinus. Varia verò quibus homines in cruciatibus extenderentur & suspenderentur, fuere tormenta. Primo *equuleus* apud Isidorum lib. 5. Cyprianum de lapsis, Ammianum lib. 14. D. Hieronymum epist. 49. vbi vocat τὰς ἐν τῷ ξύλῳ τῶν ποδῶν. Denique apud Prudentium, hymno D. Vincentii.

Vinctum retortis brachiis
Sursum ac deorsum extendit,
Compago donec ossium
Diuulsa membratim crepet.

Et hymno S. Romani.

Miserum putatis, quod retortis pendet
Extentis vlnis, quod reuelluntur pedes,
Compago nexus quod sonet crepantibus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Secundò, *Trochlea*. Greg. Turon. lib. 5. cap. 49. *extensus ad trochleas cædebatur fustibus, virgis ac loris duplicibus.* lib. 6. cap 8. *In terra extenditur ad trochleas, virgis & fustibus cæditur.* Sic caput 35. & lib. 7. cap. 37. De gloria confess. cap. 85 Ado in S. Symphorosæ actis die 17. Iunii Tertiò. *Fidiculæ* apud Suetonium in Tyberio. *excogitauerat*, inquit, *genera cruciatus etiam, vt larga meri potione per fallaciam oneratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul vrinæq; tormento distenderet.* Addi posset quartò *catasta*, quam cum equuleo confundit Sigonius lib. 3. de iudiciis cap. 18. contra quem Ianuarii 22. & Martii 16. doctissimè, vti solet, Reuerendissimus BARONIVS. In equuleo verò fit *spiritus mentio* apud Prudentium qui eum *noxialem* vocat, & D. Hieronymum epist. 49. fit *ligni* cuiam, in quo sublimes tollantur, mentio apud Sozomenum libro 5. Imò & *crux* dicitur in S. Theophili & S. Dorothea conuersi Martyrio apud Surium tom. 1. die 6. Februarii. Et non malè, si quæ humanissimus Lipsius aureolo de cruce libello, scripsit, expendas, dum eam facit *simplicem*, in qua vel affixio fiat *& compactam*, quæ decussata, commissa, immissa. *Tympanum* igitur *omnia hæc cruciamentorum genera complectis videtur.* An ad tot & tanta Eleazari tormenta capitis accesserit abscissio, de qua suprà, non constat. Iosephus certe lib. 1. c. 6. dicit, eum Διὰ κακοτέχνων ὀργάνων, *per immania*, inquam, *instrumenta*, cuiusmodi faces & lamiæ, in eculeorum suppliciis crebrò leguntur, *vstulatum fuisse, & protectum.* teterrimisque ad ipsius nares admotis odoribus grauiter cruciatum, sicque ad ossa vsque iam exustum, orasse, vt Israelitis DEVS propitiaretur, vt *sanguis*, quem funderet *illis purgatorius esset.* (καθάρσιον αἷμα) *vt pro ipsorum animabus suam hanc animam sumeret, tamq; mortuum esse.* ferè vt 2. Reg. 21. & 24. ver. 7. 1. Iohan. 3. ver. 16. Idem verò Iosephus lib. 1. contra Apionem ex Berosо refert, Laborosardum, de quo dixi lib. 1. Esdræ; ab amicis ἀπατυμπανισθέντα.

Videtur Eleazarum nostro hoc æuo in Anglia retulisse doctrina & genere clarus ille *Vindamus*, qui ad templum hæreticorum, vt se tantùm velle ire diceret, rogatus, negauit dicens: *Et si tam doctus non esset, doctum se tamen haberet: & exemplum adeo prauum, aliis dare nolle.* Huiusmodi & alii sunt in eadem insula complures, de quibus Sanderus, & liber de iustitia Anglicana. Legitur hoc sancti Eleazari martyrium in Matutino dominicæ quintæ Octobris. cum D. Nazianzeni homilia, in qua dicitur, *& capillis & prudentia canus*, quomodo & ipse Nazianzeni pater dictus πολιὸς τε νέων, πολιὸς τε λόγων. *Canus mente, canus & capite.* non, vt bonus dormitans vertit Manutius, *canitatisq; mens, ciuitatisq; caput.* Legi potest Adriani de coma Commentarius cap. 10. Qui verò in Euangelio *Lazarus* vocatur, cum præclaro isto *Eleazari* nomine vocat Tertullia. lib. 3. de anima c 32. & ibid. de idolatria. Concludat verò senis laudatissimi palmas cygnea Nazianzeni, loco citato, vox. Ἐλεάζαρ ἐντεῦθα τῶν πρὸ Χριστοῦ πατέρων ἡ ἀπαρχή. ὥσπερ τῶν μετὰ Χριστὸν στέφανος. ἀνὴρ ἱερεὺς, καὶ πρεσβύτης, πολιὸς τὴν τρίχα, πολιὸς τὴν φρόνησιν. πρόπερσι μὲν καὶ πρόηνεγκε θ' ὁ λαὸς καὶ προσηυξάμεθ', νυνὶ δὲ καὶ τελειότατον θῦμα προσήνεγκεν ἑαυτὸν τῷ θεῷ, πάντες δ' ὁ λαὸς καθάρσιον. πρόσημον ἀθλήσεως δεξιὸν ἡ φθεγγομένη καὶ σιωπῶσα παραίνεσις. προσάγων καὶ τοὺς ἑπτὰ παῖδας τὰ τῆς ἑαυτοῦ παιδείας ἀπαρτίσματα, θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ θεῷ, πάσης νομικῆς ἱερουργίας λαμπροτέραν τε καὶ καθαρωτέραν. τὰ γὰρ τῶν παίδων, τῷ πατρὶ λογίζεσθαι, τῶν ἐνομωτάτων τε καὶ δικαιοτάτων. Hic Eleazarus primitiæ eorum, qui ante Christum passi sunt, quemadmodum Stephanus eorum qui post Christum, vir sacerdos & natu grandis, tum capillis tum prudentia canus: prius qui deum pro populo sacrificia & preces adhibens, nunc autem seipsum quoq; Deo offerens, perfectissimam hostiam, ac totius populi expiatricem, faustum certaminis præludium, loquens pariter ac tacens exhortatio: septemq; insuper filios offerens, institutionis suæ fructum, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, omni legali sacrificio clariorem & puriorem. Filiorũ enim virtutes parentibus ascribere, æquissimum ac iustissimum est. Iam ad eximios tanti Magistri discipulos pergamus. Nam vt suprà dicebat S. Ephrem. *Huius patientiam respicientes, tormenta contempserunt, tyrannumq; vicerunt.*

De septem Machabæis, pueris, martyribusque sanctissimis.

CAPVT VII. LIBRI II.

1 COnrigit autem septem fratres vnà cum matre sua apprehensos, compelli a rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos.

2 *Vnus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis discere à nobis? parati sumus mori, magis, quam patrias Dei legei prauaricari.*

3 *Iratus itaq; iussit sartagines, & ollas æneas succendi:*

4 *quibus flatim succensis, iussit ei, qui prior fuerat loquutus, amputari linguam: & cutem capitis abstractam, summas quoque manus & pedes ei præcidi, cæteris eius fratribus: & matre inspicientibus.*

5 *Et cum iam per omnia inutilis factus esset, iussit ignem admoueri. & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua cum diu cruciaretur, ceteri vnà cum matre inuicẽ se hortabantur mori fortiter, dicentes:*

6 *Dominus Deus aspicit veritatem, & consolatur in nobis, quemadmodum in protestatione cantici declarauit Moyses. Et in seruis suis consolabitur.*

7 *Mor-*

7 *Motuo itaq; illo primo, hoc modo, sequentem deducebant ad illudendum: & cute capitis eius cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret prius, quàm toto corpore per membra singula puniretur.*

8 *At ille, respondens patria voce, dixit: Non faciam.*

9 *Propter quod & iste, sequenti loco primi tormenta susceperat: & in vltimo spiritu cõstitutus, sic ait: Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectionem suscitabit.*

10 *Post hunc tertius illudebatur, & linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit:*

11 *& cum fiducia ait: E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero:*

12 *Ita vt rex, & qui cum ipso erant, mirarentur adolescentis animum, quòd tanquam nihilum duceret cruciatus.*

13 *Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes.*

14 *Et, cum iam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos spem expectare à Deo, iterum ab ipso resuscitandos: tibi enim resurrectio ad vitam non erit.*

15 *Et cùm admonuissent quintum, vexabant eum: At ille respiciens in eum, dixit:*

16 *Potestatem inter homines habens, cùm sis corruptibilis, satis quod vis: noli autem putare genus nostrum à Deo esse derelictũ.*

17 *Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem ipsius, qualiter te, & semen tuum torquebit.*

18 *Post hunc ducebant sextum, & is, morti incipiens, sic ait: Noli frustrà errare: nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis:*

19 *tu autem ne existimes tibi impunè futurum, quod contra Deũ pugnare tentaueris.*

20 *Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ perenntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deo habebat.*

21 *Singulos eorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœminea cogitationi masculinum animum inferens, dixit ad eos:*

22 *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, neq; enim ego spiritum & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi:*

23 *sed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quiq; omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius.*

24 *Antiochus autem, contemni se arbitratus, simul & exprobrantis voce despecta, cùm adhuc adolescentior supereffet, non solùm verbis hortabatur, sed & cum iuramento affirmabat se diuitem & beatũ facturum, & translatum à patriis legibus amicũ habiturum, & res necessarias et præbiturum.*

25 *Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocauit rex matrem, & suadebat ei, vt adolescenti fieret in salutem.*

26 *Cum autem multis eam verbis esset hortatus promisit se diuitem & beatum facturum, & amicum regium habiturum, & res necessarias et præbiturum, si filio suo assentiret.*

27 *Ita, inclinata ad illum, irridens crudelem tyrannum, ait patria voce: Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi & alui, & in ætatem istam perduxi.*

28 *Peto: nate, vt aspicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus:*

29 *ita fiet vt non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus particeps, suscipe mortem, vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam.*

30 *Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: Quem sustinetis? non obedio præcepto regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen.*

31 *Tu verò, qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manũ Dei.*

32 *Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur.*

33 *Et si nobis propter increpationem, & correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est: sed iterum reconciliabitur seruis suis.*

34 *Tu autem, ô scelestè & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanis spebus in seruos eius inflammatus.*

35 *Nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis iudicium effugisti.*

36 *Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu verò iudicio Dei iustas superbiæ tuæ pœnas exolues.*

37 *Ego autem, sicut & fratres mei, animam, & corpus meum trado pro patriis legibus, inuocãs Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teq; cum tormentis & verberibus confiteri quòd ipse est Deus solus.*

38 *In me verò, & in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum iustè superducta est.*

39 *Tunc rex accensus ira, in hunc super omnes crudelius desæuit, indignè ferens, se deridsum.*

40 *Et hic itaque mundus obiit, per omnia in Domino confidens.*

41 *Nouissimè autem, post filios & mater consumpta est.*

42 *Igitur de sacrificiis, & de nimiis crudelitatibus satis dictum est.*

Universidad de Deusto Biblioteca

COMMENTARIVS.

PLVRIMA & pulcherrima de ſeptem iſtis pueris, præter Ioſephum Flauium loco citato, tradiderunt ſancti Patres, de quibus infrà, & Ioſephus Gorion l.3.c.5.& 6. vbi ſuillam carnem, quæ his Machabæis appoſita eſt, fuiſſe ſignificat *petaſones*, aut ſimile quid, dum *ſuillam ſalſam & ſine humore* vocat, additque *fœtentem*, quod acriorem ſalſugo illa odorem afflare ſoleat. Ioſippus verò eorum tam omnibus eſſe notam ait hiſtoriam, vt ne referre quidem velit. In vetere Ioſephici de Machabæis iſtis libelli verſione Latina, dicuntur è Suſandro caſtello, quod ipſorũ fuerit, ad Antio. adducti, ſimulq; ſua ſingulis ꝓpria nomina tribuũtur. Primus vocabatur MACHABÆVS: ſecundus, ABER: tertius, MACHIR: quartus, IVDAS: quintus ACHAS: ſextus, ARETH: ſeptimus, IACOB. Sed neq; caſtellum illud, neque nomina hæc in hodiernis, quæ typis edita ſunt, Græcis inueniuntur. Cur verò ipſi appellentur Machabæi, non omnium vna opinio eſt. Eos ab ipſo Machabæi Iudæ genere ita vocatos putarunt nonnulli. Sed eorum ſententiam improbauit Prælo-quio primo Nicetas, & quidem meritò. Sunt enim iſti ante Iudæ ipſius principatum, imò & ante coniugium, vt infrà loco illo patebit, è medio ſublati. Meginhardus in S. Ferrutii Martyris hiſtoria videtur hanc eorum appellationem ducere ἀπὸ τοῦ μάχεσθαι, *à pugnando & certando*, quaſi Machabæi ſint μάχιμοι *pugnaces fortesq́ certatores*. Ita enim loquitur *Hebræi Dei olim in tribulationis camino per Chaldæos examinantur; filii Iſrael per Ægyptios affliguntur: per apoſtatantem populum Domini prophetæ ſancti mortificantur: cruentiſſimo genere mortis per Antiochum Machabæi trucidantur. Etſi quidem vocabulo tali merito videntur inſigniri, qui certamine forti, cum antiquo ſerpente congreſſi, glorioſiſſimè reportauerunt inſignia triumphi.* Sed eſt hæc ſuauis potius alluſio, quàm vera originatio, vt ex Prælo-quio primo perſpicuum quemadmodum cum à quibuſdam Cephas dicitur quaſi κεφαλή. D. Thomas in principio à matre Machabæa, ſed de hac ſuo loco poſtea. Scaliger li. 5. omnes, qui religionis causâ, quidpiam perpeterentur, tam ab Helleniſtis Iudæis, quàm à primis Chriſtianis *Machabæos* vocatos putat ideoque cum tam multis iſti ob religionem, cruciatibus diuexati fuerint, eo quoque nomine inſignirentur. Potius equidem reor, *Machabæi* nomen tunc quoddam fuiſſe, quod iſtorum ſeptem primo impoſitum fuit, & Iudæ ipſi *cognomen* erat, vti c.2 patebit. A primo igitur iſto ſex alii Machabæi, & etiamſi hoc non eſſet; omnes, qui piè fortiterque tum temporis aliquid pertulerunt, & de quibus libri iſti tractant, *Machabæi* appellati ſunt. *Pueri* etiam dicuntur & *adoleſcentes*, qui à Ioſepho νέοι, νεανίσκοι, μείρακες, μειράκια & μειρακίσκοι vocantur & verò cœlibes erant adhuc vel omnes, vel plures, vt infrà dicetur, & eorum minimus crebrò *adoleſcens* dicitur v.24.25.30. Erant item *genere* illuſtres, *corpore* formoſiſſimi omnes, ita vt eos videns obſtupeſceret Tyrannus apud Ioſephum cap. 8. illius libelli: animo autem multò formoſiores. Nam & optimè inſtitutos fuiſſe docent pulcherrimæ ipſorum iam moriturorum orationes, & eximia ipſorum tolerantia & fortitudo. Sunt verò tam iſti quàm eorum Doctor Eleazarus non Hieroſolymis, vti Cedrenus putat, ſed *Antiochiæ* paſſi, cum ad tyrannum eò perducti eſſent, vt teſtantur eorum ſermones, ſimulque Ioſephus libello de ipſis, & Gorionides loco citato. Ambroſius c.10. lib.2. de Iacob. Martyrologium Rom. primo Auguſti. D. Auguſt ſerm.109. ca.6. *Sanctorum*, inquit, *Machabæorum baſilica, etiam in Antiochia prædicatur. In illa ſcilicet ciuitate, quæ Regis ipſius perſecutoris nomine vocitatur. Antiochum quippe Regem perſecutorem impium pertulerunt, & memoria martyrii eorum in Antiochia celebratur, vt ſimul ſonet & nomen perſecutoris, & memoria coronatoris. Hæc Baſilica à Chriſtianis tenetur, & à Chriſtianis ædificata eſt.*

Varia iis ſupplicia illata textus explicat clarè. Sed verſ.11. apertior apud Gorionidem, tertii oratio eſt. *E cœlo*, inquit, *exſpectabimus gloriam, & ibi reddetur nobis merces noſtra.* Vide, vt ſeſe mercedis ſpè ſancti corroborant. In quarto v.13. & ex Græco βασανίζειν colligit D. Ambroſius, eum in *rota poſitum eſſe & ſic tortum & circumactum*, velut in trochlea ſcilicet, quam deſcribit Reuerendiſſimus Baronius die 7. Decemb. D. Ambro. eodẽ loco & Victorinus, *omnes igne* periiſſe tradunt, idemque frequenter inſinuat, vt infrà ex eius verbis patebit. D. Auguſtinus, quia omnibus adhibiti videntur eſſe ignes, licet quibuſdam magis obiter. Quintus apud Gorionidem: *Noli*, ait, *in corde tuo cogitare, quaſi me Deus reliquerit quia ex ſuo in me amore, ad iſtam me gloriam duxit. Tu verò impius, blaſphemus & rabidus es, ideoq; te odio proſequens, te excitat ad omnia iſta in nos facienda, quaſi ipſe paratus ad vindictam de te, tuoq; ſemine ſumendam, & ſuum contra te, totamq; domum tuam furorem accendet.* Sextus verò ait, *Affligimur (fatemur) quia contra Deum peccauimus, & nunc nos dedimus animas noſtras in mortem, & pro vniuerſo populo noſtro morimur.* Notant iidem auctores ordinem, quia tyrãnus à maximo & primogenito ad natu minimum perrexit. Vbi ver.27. quod *de triennali lactatione* dicitur, explicat Valleſius c.83. philoſophiæ ſacræ docens optimam & perfectam lactationem diuturniorem eſſe, trienniōq; ex veterum Medicorum præſcripto, abſolui, Auguſtinus in Pſal.30. qui diutius vbera ſugerent, notat olim μαμμόθρεπτους vocatos. Quæ verò ſequuntur verba ver.28. *ex nihilo fecit illa* DEVS, citat etiam Tertullianus lib. de præſcriptionibus aduerſus hæreticos c. 13. & D. Auguſtinus aduerſus Manichæos lib. de natura boni. c.26. *Quia*, inquit, *Deus omnia, quæ de ſe non genuit, ſed per verbum ſuum fecit, non de his rebus, quæ iam erant, ſed de his, quæ omnino non erant, hoc eſt, de nihilo fecit, ita dicit Apoſtolus* Rom.4. *Qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Apertius autem in libro Machabæorum ſcriptum

eſt; *Oro te fili, reſpice ad cœlum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt. Vide, & ſcito, quia non erant, ex quibus nos fecit Dominus* DEVS.

Additur apud Gorionidem poſt ætatis mentionem, eodem verſ.27. *Ego te Creatoris timorem docui*, & verſ.29. poſt *recipiam*; *Et ſim*, ait, *in die deſponſationis veſtræ vobiſcum*, ביום התנתכם quaſi omnes adhuc abſq; matrimonio fuerint. Alter tamen Ioſephus videtur ſignificare, vnum vel alterum ſponſos iam fuiſſe, ſed ita recens, vt liberos adhuc nullos accepiſſent. Nam cap.16. *meorum*, ait, *filiorum*, οἱ μὲν ἄγαμοι, οἱ δὲ γήμαντες, *hi cœlibes & nuptiarum* adhuc *expertes, iſti verò nupti iam alligati*, & ſubdit, *ſe auiam* nondum eſſe, ita vt inter eos fuerint puerulí, adoleſcentuli, adoleſcentes vel iuuenes. Licet enim propriè non ſint hæc eorum matris verba, eſt tamen oratio à Ioſepho cõfecta, quæ, circumſtantiarum iſtarum ratione, illi, ſi effœminatiore animo fuiſſet, accommodata eſſe poterat. Sed quæ verſ.22. eſt oratio, ab eodem Gorionide ſic traditur; *Filii, ego mater veſtra. Deus creauit vos, & ſpiritum animæ dedit in vos, & idem ipſe vos magnos & excelſos, oſſaq; veſtra fecit & neruos texuit, & pelle deſuper texit, & inſpirauit in animam veſtram ſpiritum ceu animam vel anhelitum vitæ, ipſe, inquam eſt, qui omnia hæc vobis dedit, & ipſe paratus eſt vobis redhibere & reddere mercede laboris veſtri. Beati vos filii mei propter hoc.* Agnoſcit verò eandem matris huius orationem ex verſu 22. & 23. pro grauiori diuinæ ſcripturæ teſtimonio D. Auguſtinus lib. de anima, cap.14. & 15. ſed cum ea ipſa oratione minus firmè probari putaret, quod de animæ origine probare conabatur Vincentius Victor, ita ei reſpondet, vt quanti librum hunc Machabæorum ſecundum faciat, ſatis oſtendat, ſimulque nos doceat, in arduis & difficilibus, quæ interdum occurrunt quæſtionibus, cum Eccleſiæ nondum audita ſententia eſt, inſcitiam ignorationemq; noſtram agnoſcere ac profiteri. *Nouimus etiam Machabæorum iuuenum matrem, fœcundiorem virtutibus, quando filii paſſi ſunt, quam fœtibus, quando nati ſunt, eos ſic fuiſſe adhortatam, vt diceret, filii; Neſcio quomodo apparuiſtis in ventre meo. Neq; enim ego ſpiritum & animam donaui vobis, nec ſingulis vobis vultus & membra formaui; ſed Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, fecitq; hominum genus, & omnium inquirit actum, ipſe vobis ſpiritum & animam reddet cum magna miſericordia. Nouimus hæc quidem, ſed huic quomodo ſuffragentur ad id, quod aſſeris, non videmus. Quis enim Chriſtianorum neget, Deum donare hominibus animam & ſpiritum?*

D. AVGVSTINVS Tom 7. lib. 1. de Anima & eius orig. cap. 15.

QVi vtinam in tanta profunditate quæſtionis, quamdiu quid dicat ignorat, imitaretur Machabæorũ matrem. Quæ cum ſciret de viro ſe filios concepiſſe, & à creatore omnium, ſiue ſecundum corpus, ſiue ſecundum animam & ſpiritum ſibi creatos eſſe, ait tamen; Neſcio quomodo apparuiſtis in ventre meo. Vellem iſte diceret, quid iſta neſciebat. Hæc enim quæ dixi, vtiq; ſciebat, quomodo ſecundum corpus in eius vterum venerint, quæ de viro eos ſe concepiſſe dubitare non poterat. Confitebatur etiam, quia & hoc vtique ſciebat, quod Deus illis animam & ſpiritum dederit, quod ipſe illis vultus & membra formauerit. Quid ergo neſciebat? An fortè quod neſcimus & nos, vtrum animã & ſpiritũ, quem Deus illis ſine dubio dedit, de parentibus traxerit; an nouam ſicut homini primo inſufflauerit? Sed ſiue hoc, ſiue aliud aliquid de naturæ humanæ inſtitutione neſciebat, neſcire ſe dicebat; non quod neſciebat, temerè defendebat. Nec tamen iſte huic diceret, quod nobis dicere non erubuit: Homo in honore poſitus non intellexit; comparatus eſt pecoribus inſenſatis, & ſimilis factus eſt illis. Ecce iſta mulier dixit de filiis ſuis: Neſcio quomodo peruениſtis in ventrem meum: nec tamẽ comparatur corporibus inſenſatis. Neſcio, dixit, & quaſi quærerent ab ea, cur neſciret, adiunxit. Neq; enim ego ſpiritũ & animã donaui vobis. Ille ergo qui donauit, ſcit vnde fecerit quod donauit, vtrum ex propagine attraxerit, an nouum inſufflauerit. Quod ego, inquit, neſcio, nec ſingulis vobis vultus & membra formaui; ille ſcit qui formauit, vtrum ſimul cum anima formauerit, an verò iam formatis animam dederit. Quo ergo modo? vtrum illo, an iſto, in eius ventrem venerint filii, neſciebat; totum quod dedit, redditurum eſſe eum, qui dedit. Sed eligat iſte in naturæ humanæ tam profundo, abditoq; ſecreto, quid mulier iſta neſcierit; tantum non iudicet mentientem, nec pecoribus inſenſatis comparet neſcientem. Quicquid erat quod illa neſciebat, profectò ad naturã hominis pertinebat, quod tamen ſine culpa homo neſciebat. Quapropter dico etiam ego de anima mea, neſcio quo modo venerit in corpus meum. Neq; enim ego illam mihi donaui, ſcit ille qui donauit, vtrum illam de patre modo traxerit, an ſicut primo homini nouam creauerit. Sciam ego, ſi ipſe docuerit, quandocunq; voluerit. Nunc autem NESCIO, NEC ME PVDET, VT ISTVD FATEAR NESCIRE, QVOD NESCIO. Idemque in epiſtola de eadem iſta quæſtione ad D. Hieronymum profitetur. Nondum ſcilicet tunc planum, quod poſt tot tandem diſputationes, in Eccleſia explanatum, vt oſtendit lib. 1. de anima, in propoſitionibus fide tenendis, propoſit. 4. & lib.3. quæſt. 17. Toletus.

Oratio verò ſeptimi ver.30. apud eundem Gorionidem ſic eſt: *Quid me tardas, & pergere non ſinis vnà cum ſanctis fratribus meis? Mihi haud perſuaſeris, vt vanitates tuas complectar. Non recedam à Domino, & ſancta eius ac immaculata lege, quam Moyſis ſerui ſui opera dedit Iſraeli populo ſuo & filiis ſeruorum ſuorum. Et tu, ô Belial peſſime, malorum inuentor, Antioche, homo iniurioſe, oſor veritatis, quam blaſphemas & calumniaris, quò ibis & quò fugies à facie Domini noſtri, cuius eſt terra & plenitudo orbis, & qui habitant in ea? Adhuc viuificabit nos, & exaltabit & magnificabit præ omnibus gentibus, vel, ſuper omnem gentem. Tu verò, qui ſuperbè egiſti, vt populo eius malum faceres, & in ſeruos eius manum mitteres, ab eius manu*

Universidad de Deusto Biblioteca

non liberaberis, neque ab ira furoris eius fugies. Bonum tibi foret, è stultæ matris tuæ spurcitia, natum non esse, quæ vecordem peperit Antiochum istum, furentem seu insanum, qui ad hoc incumbit, vt suæ ipsius animæ mala inferat. Nam nobis quidem ea bona sunt, Si enim parumper toleremus & feramus afflictionem hanc in hoc sæculo, ecce nos ad vitam futuri sæculi tendimus: Tu verò morte multiplici magnis in plagis seu cruciatibus, moriere, & ad infernũ imum (שואיל תחתית) *descendes. & ad tenebras gehẽnalis* (מחשבי תפתה) *vbi neq; vita, neq; lux, sed tenebræ & vmbra mortis. Non erit tibi illic requies, neque lucrum: sed angustia & tribulatio, & ignis & sulphur, hæc pars tua à* DEO *nostro, ô vir sanguinum & Belial. Et* DEVS *noster miserebitur super populo suo. & consolabitur super Hasideis eius. Ex hoc verò tempore non adiiciet, vt irascatur super populo suo, quia consolatus est in nobis, propter omnia, quæ euenerunt nobis à principio, quæ in veritate & iustitia fecit, quia nos peccauimus, & ipse conuertetur, miserebitur nostri & viuificabit nos vita æterna; seu viuere faciet vitam æternam.*

Quomodo in ipsorum honorem fuit Antiochiæ *templum* excitatum, iam ex D. Augustino serm. 109. audiimus, *festos* etiam iisdem *dies* fuisse, qui maxima hominum religione, frequentiaq; celebrarentur, locupletes è veteribus testes sunt, D. Ambrosius Tomo 1. oratione de ipsis, S. Gaudentius & S. Maximus in sermonibus de ipsis. &, hoc etiam tempore, anniuersaria eorum in Ecclesia Catholica memoratio est primo die Augusti. Cur verò è tot veteris Testamenti sanctissimis hominibus, vnos istos festa istiusmodi celebritate Christiani honestare voluerint, vetus multorum iam olim fuit admiratio. ideoq; plures eius rei causas Patres attulerunt. de quibus etiam posteà. *Eorum reliquiæ*, ait die illo citato Romanum Martyrologium, *Romam translatæ, in Ecclesia S. Petri ad vincula conditæ fuerunt.* Sed Coloniæ Agrippinæ Virginum cœnobium est, & ecclesia, quæ olim B. *Magdalenæ*, nunc ab annis iam 400. *Machabæorum* dicitur. in cuius altari summo capsa deaurata, & in ea septem istorum Machabæorũ & Matris capita visuntur, quæ quidem eius loci liber (ab Helia illo Marcæo, qui anno Domini 1504. templũ illud ea forma & venustate, qua hodie stat; restituit, cuiq; correctũ à se Iosephi de Machabæis libellũ Erasmus dedicauit; è Patribus & Annalibus variis concinnatus) refert, Antiochia primũ translata Constantinopolin, deinde ab Eustorgio Mediolanensi Episcopo Mediolanũ, hinc verò ab Archiepiscopo Coloniensi Reginoldo Coloniã. cum scilicet anno 1160. Mediolanũ iterum obsedisset Fridericus Imp. Et narrat eadẽ pluribus F. Meissæus Cratepolius in Archiepiscoporum Coloniensium Annalibus fol. 9. & sequentibus, iterumq; fol. 63. Hinc enim istæ ad Heliã illum Erasmi voces; *Equidem isti Collegio, multis aliis quoq; nominibus celebri, tamen hoc præcipuè gratulor, quòd illi tam insigni thesauro locupletari contigit. Quin magis vniuersæ Coloniæ Agrippinæ magnopere censeo gratulandũ, vrbi tot modis felici: verùm haud alio titulo feliciori, quàm quòd vna tam multa, tamq; eximia pietatis pignora gremio suo cõplectitur: felicior etiã futura si quorũ seruat reliquias, eorũ virtutes exprimat: & quorũ possidet corpora, ab horum morib. non sit aliena. nimirũ, si trium Regum pietatem, synceritate religionis, imitetur: si vndecim millium virginum martyrio dignam puritatẽ, vitæ sobrietate æmuletur: si fortissimos adolescentes Machabæos, & inuicti pectoris Viraginem, animi infracti constantiã, referat.* Et in libello de comparatione Virginis & Martyris, quem anno 1514. ad eiusdem loci sacratarum virginum cœtum scripsit. *Hæc, ait, eo repeto, charissimæ virgines, vt perspiciatis quàm felix sit vestrum Collegiũ, cui contigit vtrumq; possidere, quod diues illa Christi sponsa Ecclesia præcipuum habet in suo mundo. Seruatis enim fragrantissimas illas rosas septem fratrũ Machabæorũ, ac matris, cuius fœcunditas non marito genuit, sed Deo. Feliciter illa quidem sarsit virginitatis iacturã, tot filiorum virginum martyrio. Non genuit virgo, nam id vni fœminarum datum est, sed virgines genuit & martyres. Virginitatis exemplum ex se præbere non potuit, sed quod potuit magno studio præstitit. Ad virginitatem instituit filios, ad martyrium cohortata est, præcessura quoq; ni metuisset teneræ suorum ætati. Itaq; virginitatis gloria non contigit matri cum filiis; sed in martyrii negotio, tanto maior est laus matris, quod spectatrix crudelium suppliciorum, in singulis filiis passa est, quicquid in illorum corpora potuit carnificum crudelitas, hoc fortius est, quàm semel suppliciis finire dolorem. Parentes atrocius torquentur in liberis, quàm in seipsis. Nouit & Tyrannorum ingeniosa crudelitas, quæ quod tormentis extorquere non possunt à parentibus, extorquent tortis in eorum cõspectu filiis. Toties videt dilacerari sua viscera, & mulier & mater. vbi hic sexus imbecillitas? vbi pietatis affectus, qui in matribus solet esse, quàm in viris impotentior? Nimirum pietas in* DEVM *superauit pietatem humanam, & sexus imbecillitate vicit ardor fidei. Salue felicissima Virago, quæ viris omnibus fortitudinis exemplum dedisti. Saluete flosculi bellissimi Ecclesiæ, qui veluti præcoces præuenistis ver Euangelicũ, & ante proditum Euangelium præstitistis euangelicam virtutem. Nondum erat audita vox eius, qui virgo natus est ex virgine; Beati qui se castrauerunt propter regnum Dei; Et tamen hanc laudem vos occupastis. Nondũ erat auditum; Qui vult meus esse discipulus, tollat crucẽ suam, & sequatur me. Vos tanquã prodromi Christum passurum adumbrastis, atq; animæ quidẽ vestræ nunc in cœlis sequuntur agnum quocunq; ierit. Cæterum illibata vestra corpora, quæ vt habuistis socia suppliciorum, ita recipietis olim in æternæ felicitatis consortium, non decuit alibi seruari magis, quàm in sancto virginũ collegio. Nunc ad vos, ô virgines, huius tanti thesauri custodes, mea sese vertet oratio. Habetis in eisdem adolescentibus, & castitatis exemplũ, quod imitemini; & martyrii laureã, quam prædicetis, glorificantes sponsum vestrum, qui certauit in illis, qui vicit in illis, qui triumphat in illis. Habetis in eodẽ calatho lilia mixta rosis. vtrũq; decus cum altero certat, nec alterũ tamen ab altero obscuratur; sed vtrũq; alterius accessione fit illustrius: veluti cũ ebur, vt ait ille, corrũpitur ostro aut cũ gẽma cãdẽs includitur fuluo auro.*

Quod

Quod verò libro de locis Hebraicis miratur D. Hieronymus, fuisse Machabæorum *reliquias* Antiochiæ aliquando ostensas, id non ad istos Machabæos, sed ad Iudam, eiusque patrem & fratres, de quibus posteà; pertinet.

Sunt porrò è Scholasticis nonnulli, quibus visum, licuisse tam Eleazaro quàm Machabæis istis suilla carne vesci, famis extremæ periculum si fuisset: iam tamen non licuisse, cum vrgeret Antiochus, quòd extrinsecùs incussus alicui metus à culpa nunquam excuset. Sed bene iis respondet 4. sent. d.22. quæst.1. ar.4 sub finem Sotus, eum, *qui extrinsecus infertur metum* esse distinguendum. Vel enim *in* ipsius DEI. *Ecclesiæq; contemptum*, metus hic à quopiam adhibetur: vel *non in contemptum*. Posteriore isto modo posset adhuc interdum metus extrinsecùs adueniens, omnẽ, dum quod positiua quæpiam aut iubeat aut vetabat lex, violatur, culpam depellere: non autem priore modo. qui quidem huc pertinet. Ideò enim mortem istis minitabatur & inferebat Antiochus, quia despicatui veram DEI religionem habebat, ab eaque ipsos deducere cupiebat. milliesq; potius moriendum, quàm vllo ei modo annuendum fuit. Atque hæc eadem etiam sententia est Soti eiusdem lib. 1. de iustitia quæst.6. art.4. Caietani 1.2. quæst.96. art.4. 2.2. quæst.176. art.9. Nauarri Manual. prælud 6. n. 7. & 11. Couarruuiæ in cap. *alma mater* 1. §. 5. num. 9. Nunc quàm sanctissimos istos Martyres sancta suspexerit antiquitas, quàm imitatione dignos duxerit, Christianisque imitandos proposuerit, suis ipsi verbis Patrum nobis aliqui edisserant.

THEOPHILVS Alexandrinus epist. 3. Paschali.

QVID *memorem insignes Machabæorum victorias, qui ne illicitis carnibus vescerentur, & communes tangerent cibos, corpora obtulere cruciatibus, totiusq; orbis in Ecclesiis* CHRISTI, *laudibus prædicantur. fortiores pœnis. ardentiores quibus comburebantur, ignibus? Victa sunt in eis omnia crudelitatis ingenia, & quidquid ira persecutoris inuenerat, patientium fortitudo superauit: inter pœnas, magis paternæ legis, quã dolorum memores. Lacerabantur viscera, tabo, & sanie artus diffluebant, & tamen sententia perseuerabat immobilis: liber erat animus, & mala præsentia, futurorum spe despiciebant. Lassabantur tortores, & non lassabatur fides: frangebantur ossa, & volubili rota omnis compago neruorum atq; artuum soluebatur & in immensum spirantia mortem incendia consurgebant: plenæ erant feruentis olei sartagines, & ad frigenda sanctorum corpora terrore incredibili personabant, & tamen inter hæc omnia, paradisum animo deambulantes, non sentiebant quod patiebantur, sed quod videre cupiebant. Mens enim* DEI *timore vallata flammas superat victor tormentorum spreuerunt dolores, cumq; semel virtuti se tradiderit, quidquid aduersi euenerit, calcat, & despicit. Qualis fuit Paulus scribens: in iis omnibus superamus, per eum qui nos dilexit.*

S. CYPRIANVS epistola 6. lib. 4.

QVid in Machabæis beatorum martyrũ grauia tormenta, & multiformes septem fratrum pœnæ, & confortans liberos suos mater in pœnis & moriens ipsa quoq; cum liberis? Nonne magnæ virtutis & fidei documenta testantur, & nos ad martyrii triumphum suis passionibus adhortantur? Et libro de exhortatione martyrii cap. IX. *Quid verò in Machabæis septem fratres natalium pariter & virtutum sorte consimiles, septenarium numerum sacramento perfectæ consummationis implentes? sic septem fratres in martyrio cohærentes, vt primi in dispositione diuina septem dies, annorum septem millia continentes, vt septem spiritus & angeli septem, qui assistunt & conuersantur ante faciem domini. & lucerna septiformis in tabernaculo martyrii, & in Apocalypsi septem candelabra aurea, & apud Salomonem columnæ septem, super quas ædificauit domum sapientia: ita & istic septem fratrum numerus, ecclesiarum septem numerum sui quantitate complexus secundum quod in primo Regum libro legimus, sterilem septem peperisse. Et apud Esaiam: septem mulieres vnum hominem apprehendunt, cuius inuocari super se nomen exposcunt. Et Apostolus Paulus, qui huius legitimi numeri & certi meminit, ad septem Ecclesias scribit. Et in Apocalypsi Dominus mandata sua diuina & præcepta cœlestia ad septem ecclesias & earundem angelos dirigit, qui nunc istic in fratribus numerus inuenitur, vt consummatio legitima impleatur. Cum septem liberis plane copulatur & mater origo & radix, quæ ecclesias septem postmodum peperit, ipsa prima & vna super petram Domini voce fundata. Nec vacat quod in passionibus, sola cum liberis mater est. Martyres enim qui se* DEI *filios in passione testantur, iam non nisi* DEO *Patre censentur, sicut in euangelio docet dicens: Ne vocaueritis vobis patrem super terram, vnus est enim Pater vester qui in cœlis est. Quæ verò ediderunt confessionum præconia, quàm præclara quàm magna documenta fidei præbuerunt? Rex Antiochus infestus, imò in Antiocho Antichristus expressus, ora martyrũ gloriosa & spiritu confessionis inuicta contagio suillæ carnis maculare quærebat, & cum flagellis grauiter verberasset, ac nihil promouere potuisset, sartagines iussit igniri: quibus ignitis & accensis, eum qui primus locutus fuerat, & magis regẽ virtutis & fidei constãtia prouocauerat, admoueri præcepit & frigi. productã & excisã prius linguã, quæ confessa Deum fuerat, quod martyri gloriosius contigit. Lingua enim confessa nomen Dei prior ad Deũ debuit ipsa proficisci. Post in secundo excogitatis acrioribus pœnis, antequã cætera membra torqueret, cutẽ capitis cum capillis detraxit, odio scilicet certo. Nam cum caput viri Christus sit, & caput Christi Deus, qui caput laniabat in martyre, Deum & Christum persequebatur in capite. At ille in martyrio suo fidens, & resurrectionis sibi præmium de Dei remuneratione promittens exclamauit & dixit. Tu quidem impotens, ex hac præsenti vita nos perdis, sed mundi rex defunctos nos pro suis legibus, in æternã vitæ surrectionem suscitabit. Tertius linguã postulatus, citò protulit. Nam pœnã linguæ explicandæ iam didicerat à fratre contẽnere, manus*

quoque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque amputandas constanter extendit, multum beatus genere isto suppl cii, cuius contigit extensis ad pœnam manibus passionis Dominicæ instar imitari. Necnon & quartus pari virtute tormenta contemnens & adretundendum regem cœlesti voce respondens, exclamauit & dixit. Potius est ab hominibus morti datos expectare spem a Deo, iterum suscitandos, ab eo in vitam æternam. Tibi enim resurrectio ad vitam non erit. Quintus, præter quod carnificinam regis & duros variosq; cruciatus fidei vigore calcabat, ad præscientiam quoque & nequitiam futurorum spiritu diuinitatis animatus, prophetauit regi & indignationem Dei & vltionem velociter prosecuturam. Potestatem inquit, inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis. Noli autem putare genus nostrum a Deo derelictum esse. Sustine & vide magnam potestatem eius, qualiter te & semen tuũ torquebit. Quale illud leuamentum fuit martyri, quam grande solatium? In cruciatibus suis non tormenta propria cogitare, sed tortoris sui supplicia prædicare; In sexto vero non virtus sola, sed & humilitas prædicanda est, nihil sibi martyrem vindicasse, nec confessionis suæ honorem superbis vocibus ventilasse peccatis potius suis ascripsisse, quod persecutionem à rege pateretur, Deo vero dedisse, quod postmodum vindicaretur. Docuit esse martyres verecundos, de vltione fidere, & nihil in passione iactare. Noli, inquit, frustra errare. nos enim propter nosmetipsos hæc patimur peccantes in Deum nostrum. Tu autem ne existimes impune futurum, aggressus pugnare cum Deo.

Admirabilis quoq; Mater, quæ nec sexus infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos spectauit libenter, nec pœnas illu pignorum, sed & glorias computauit, tam grande martyrium DEO præbens virtute oculorum suorum, quam præbuerant filii eius tormentis & passione membrorum. Cum sex puniti & occisis superesset vnus ex fratribus, cui rex diuitias, & potestatus & multa pollicebatur, vt crudelitas eius acferitas vel vnius subacti solatio foueretur, & peteret, vt ad filium deuiciendum secum deprecaretur & mater. Deprecata est illa, sed vt decebat martyrum matrem, vt decebat legis & DEI memorem, vt decebat filios suos non delicate sed fortiter diligentem. Deprecata est enim sed vt DEVM confiteretur. deprecata est ne a fratribus suis frater in consortio laudis & gloriæ separaretur. tunc se septem filiorum computans matrem, si sibi contingeret filios septem DEO potius peperisse, non sæculo. Armans itaq; eum & corroborans, & feliciore tum partu filium generans: Fili, inquit, miserere mei, quæ te in vtero mensibus nouem portaui, & lac triennio dedi & alui & in ætatem istam perduxi. Oro fi, aspicias cœlum & terram, & omnibus, quæ in eis sunt aspectis, intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Itaq;, fili, ne timeas carnificem istum sed dignus fratribus efficius, excipias mortem, vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam. Magna laus matris in exhortatione virtutis, sed maior in Dei timore & in fidei veritate, quod nihil sibi aut filio de sex martyrum honore promisit, nec fratrum precem profuturam credidit ad negantis salutem. Persuasit potius participem fieri passionis, vt in iudicii die posset cum fratribus inueniri. Post hæc liberis suis commoritur & mater, neq; enim aliud tam decebat, quam vt quæ martyres pepererat & fecerat, in consortio illis gloriæ iungeretur, & quos ad Deum præmiserat, ipsa quoq; sequeretur.

At ne quis, vel libidi, vel alicuius rei oblata sibi occasione, qua fallat, amplectatur decipientium malum munus, nec Eleazarus tacendus est, qui, cum sibi à ministris regis offerretur facultas, vt accepta carne, quæ liceret sibi vesci, ad circumueniendum regem simularet se edere, quæ de sacrificiis atq; illicitis cibis ingerebantur, consentire ad hanc fallaciam noluit, dicens nec ætati suæ, nec nobilitati conuenire id fingere, quo cæteri scandali tarentur, & in errorem inducerentur, existimantes & Eleazarum nonagintà annos natum ad alienigenarum morem relicta & prodita Dei lege: transisse: nec tanti esse lucrari breuia vitæ momenta, vt offenso Deo incurreret æterna supplicia. Atq; illic excruciatus diu & in extremo iam constitutus, cum inter verbera & tormenta moreretur, ingemiscens ait: Domine, qui sanctam habes scientiam, manifestum est, quia cum possim à morte liberari, duriss mos dolores corporis tolero flagellis vapulans, animo autem propter tui ipsius metum libenter hæc patior. Syncera prorsus fides & virtus integra ac satis pura, non regem Antiochum cogitasse, sed DEVM iudicem & scisse profitere sibi ad salutem non posse, si hominem derideret ac falleret, quando DEVS qui conscientia nostra iudex est, & solus timendus est, nec derideri possit omnino nec falli. Si igitur & nos dicati DEO ac deuoti viuimus, si supra ipsa iustorum antiqua & sancta vestigia iter facimus, per eadem documenta pœnarum, per eadem passionum martyria pergamus, hoc ampliorem gloriam computantis temporis nostri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante postmodum virtutis ac fidei copia, numerari non possunt martyres Christiani.

S. CHRYSOSTOMVS homilia de natiuitate septem Machabæorum.

SÆCVLARIVM spectaculorum præsides, siue arbitri, quos Græci agonothetas vocant, proponentes certamina, magnum muneris ambitum esse existimant, quando iuuenes, & robustos luctatores in stadium produxerint, vnde prima ostentatione miraculum spectatoribus præbeant. Hoc verò spirituali in agone non ita est, sed omnia è contrario. agonem enim proponens CHRISTVS non iuuenes exercitatos ad certamina athletas, sed primæuos adolescentulos & cum ipsis senem ELEAZARVM, simulq; mulierem anum, matrem septem adolescentium vult considerari. Non est insensibilis hæc pugna, neq; sensibile certamen. Noli ergo istos athletas extrinsecus considerare. sed ingredere sensa rationabili ad interiore eorum habitudinem: conspice fidei eorum fortitudinem, vt intelligas, quoniam qui contra dæmones pugnat, non robore corporali, neq; valida compage membrorum indiget, nec de ætate iuuenili fiduciam sumit: sed & tener adhuc adolescentulus in flore primæuo agit,

agit, & si senex ad extremas ætatis suæ metas peruenerit, animam verò fortem habeat, & corroboratã fidem nihil de ætate, vel immodica, vel extrema ab effectu certaminis impediturr. Et sub finem. Hæc ergo omnia cogitantes, & mulieres, & viri, & iuuenes & senes exemplum Agonis huius, tantorumq;, in filiis, in matre luctaminum sicut in tabula, ita in corde vestro describite assidua vobiscum exercitatione meditamini. Contra omnem spem spiritualium inimicorum armaturam illius patientiam preponamus ad inuictæ virtutis exemplum, vt istic amulantes fortitudinẽ sanctorũ illorum, similiter illic eorum coronam possimus adipisci. Quantam illi patientiam in periculis corporalibus ostenderunt, tantam nos in passionibus irrationabilibus continentiam demonstremus: id est, contra iram, & anaritiam, vel inanis gloriæ concupiscentiam diuino timore moniti, sensibus repugnantes, & consilia diaboli destruentes in nobis. Si enim cupiditatum ignes vicerimus, sicut illi tyrannidis ignem vicerunt, poterimus iuxta ipsos, & matrem eorum, puri gloria constituti similes haberi.

S. AMBROSIVS lib. 1. Officiorum cap. 41.

QVID autem de martyrum dicam passionibus? Et ne longius euagemur, non minorẽ de superbo rege Antiocho Machabæi pueri reuexerunt triumphum, quam parentes proprii: siquidem illi armati, isti sine armis vicerunt? Stetit inuicta septem puerorum cohors regias cuncta legionibus: defecerunt supplicia, cessarunt tortores, non defecerunt martyres. Alius coria capitis exuitus, speciem mutauerat, virtutem auxerat. Alius linguam iussus amputandam promere, respondit: Non solos Dominus audit loquentes, qui audiebat Moysen tacentem. Plus audit tacitas cogitationes suorum, quam voces omnium: Linguæ flagellum times, flagellum sanguinis non times? Habet & sanguis vocem suam qua clamat ad DEVM, sicut clamauit in Abel.

Et libro 11. epist. 7. *Haud degener Abrahamidarum & Maccabæorum concertatus puerorum, quorum alii super flammas canebant, alii cum exurerentur non rogabant vt parceretur, sed inuehebantur, vt amplius persecutor inflammaretur.*

Et lib. 11. de Iacob. & vita beata, cap. 11. *Post ipsum statutis sunt pueri septem cum matre. Insultare licet tyranno, qui dum callide a sene ineipiendũ putat, magistrum eligit, quo discipulos faceret fortiores, quorum velut pueride ætatem præmiis prouocabat ad culpam, arguebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duci respondent: Quid contemnis vel circumscribis vt pueros? sed fides cana est, sed valida disciplina. Experire certa, subisce quibus placet pœnis puerilia viscera, non inuenies corda puerilia, nec potentiores erunt tormentorum machinæ, quam legitima obseruationis excubia. Quem vicit senectus, superabit amula senectutis puerilitas. Sequimur patrem filii, discipuli doctorem. Colligis supplicium instrumenta proposita: mediationem patientiæ non terrorem insciis asserunt dum videntur. Iussit maximum natu eligi. At ille ridens, Recte, inquit, natura ordinem seruas. Sed cur DEI legem temerandam putas? Et pro pietate quidem omnes maximi sumus, sed tamen à me inchoatum gaudeo. Quod quæru tyranne, confiteor, nos summo DEO seruire, & doces quid agere debeamus? Si tu tanta pertinacia vis extorquere veritatem, cur non omni virtute nos eam tenendam putemus? Quid plura? Adhibentur barbarum genera pœnarum. Sed vicit pietas immanitatem furoremexclusa est anima, non religio. Secundus accessit, nec degener fratris munia pie confessionis implevit. Et cum detraheretur membrana capitis, respondit: Auferris quidem membranam, sed habeo galeam spiritualem, quam non potestis auferre. Et vere hanc galeam nemo auferre potest, sicut postea Apostolus docuit in Ecclesia Domini, quia ipse vir CHRISTVS est, & eius sumus membra. Recte puer istam diuino capitis doctrinam Apostoliam præsidebat. Exuebant immanes bestiæ eorum capitis & pari ultus ferit atibus seuiebant. At ille deficiens; Quam dulce est, inquit, mors pro religione, quam suauis omni acerbitas mortis propietate quia manet horum remuneratio laborum. Tua sunt rex grauiora tormenta, tu tuis vehementius torquere supplicis, quia vides vincere potestate. Et hoc defuncto tertium statui sibi iussit. Et cum eum partim tentaret insidiis, partim cuperet terrore percellere, respondit ad eum: Non faciam voluntatem tuam, non succumbam imperio tuo. Per beatam illam fratrum passionem, & nobilem vitam, non negabo piam germinitatem. Quæris adhibeto supplicia, quibus magis vrgeas: hoc proficies asperitate pœnarum, vt maiorà testimonia nostra germanitatis accipias. Iussit itaq; ei linguam amputari. Et ille exclamans, victus es, inquit, Antioche, qui organum vocis abscindis tubes. Confessus es te respondere non posse rationi, maioraq; probas lingua nostra flagella, quam tua verbera. Non enim tua verbera non timemus, tu nostræ voci flagella non potes sustinere. Sed hæc pietatis flagella sunt, tua flagella perfidia. Sed etiam lingua subsecta, grauius te suo cadens murmure flagellabit. Euadere te putas Antioche si vocem eripias? Et tacentes DEVS audit, & magis audit. Ecce aperui os meum, laxaui linguã meam, abscinde linguam: sed non abscindes constantiã, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, non eripies testimonium veritatis, non eripies cordis clamorem. Si lingua amputatur, sanguis clamabit & dicet tibi: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Audis enim sanguinis vocem, qui audit interna cogitationes. Tenebræ licet operiant, & pariet am septa circumdent, non dicat impius quia nullus sibi testis assistat, explorat vniuersa: videt omnia DEVS: nec est aliquid facimus quod possit latere omnium iudicem DEVM, qui cognouit vniuersa antequã fiant. Quid verba damus? Loquacitora sunt vulnera, etsi vulnera tegantur, etsi abscondatur cicatrix, nõ abscinditur fides nec tamen plaudas quia auferendo linguã, confessionẽ laudis eripias. Satisfiam Deũ sermone laudauit, nunc passione laudemus. Et hoc peremptis iussit quartum vincire ad rotam, vt eius vertigine membris omnib. solueretur. At ille cum torqueretur immaniter, crebris, inquit, corporis membra, sed adiungit gratiã passioni, nec eripis solatium morti. Est enim vox tonitrui in rota quam bono & mansueto vitæ istius cursu cœlestẽ resultat oraculũ, sicut in Ioane & in Iacobo filii tonitrui resultabat. Itaq; illud quod legi, nunc manifestius recognosco, quia rota intra rotã currit, nec impedit tur. Versatur in rota sine vllæ offensione quamis passione versatur, & intra hanc quoq; rotam currit. Currit lex intra gratiã, & obseruatio legis intra diuinæ circulum misericordiæ est. Nã quo magis voluitur, plus probatur. Post hic est ab impiis aduersa tolerare, vt sibi a Domino conse-

Universidad de Deusto
Biblioteca

consolationem inuenire possimus. Et iste consummans cursum suum abrupit spiritum, animamque victor effudit. Quintus cum sisteretur caso prius, eidem iussit ignes admoueri, subitos, incendi. Manabat è vulneribus cruor, & effossis vlcerib⁹ sanguis effus⁹ ipsos flamarū extinguebat globos. At ille inter flamarum crepit⁹ audiebatur dicens: Gratias tibi Domine qꝰ dedisti nobis dicere: Transibim⁹ per ignē. Et sicut alibi idē tu⁹ dicit propheta, igne nos examinasti, sicut igne examinatur argentū. Asta bo tibi, sicut aurū purgat⁹ incendio: & si quid fuit culpæ, ignis excussit. Itaque & iste transfigurat⁹ a corruptela ad incorruptionē, vitā exhalauit. Sexto quoque admota tormenta sunt. At ille: Nobis inquit, frustra errare, & tuæ hoc ascribere potestati, quod ista aduersum nos exerceas. Nostrorum hoc debitorum est pretium, vt peccantes puniamur. Et gratias Domino, quod hic à nobis duplicia peccata exiguntur, vt tibi nobis consolatio deferatur. Gratias autem & tibi, quod tam durus & immitis es, vt alibi nostris suppliciis Dominus in quem peccauimus, genti nostræ propitius fiat. Nos quoque ableuamus erumnam, dum fidei passionibus delectamur. Et iste duris & asperis laceratus supplicijs, appositus est ad fratres suos. Superarat iunior ex fratribus & iam pudebat Antiochum immature ætati se ita fuisse ludibrio. Itaque dolis eum desiderans circumscribere pollicitabatur honores, diuitias, amicitiam suam, consortium secretorum. At vero pia mater monebat filium suum, dicens & huic sicut cæteris. Nescio quemadmodum in vterum meum introisti, neque ego spiritum donaui vobis, neque membra formaui, sed hæc omnipotentis Dei munera sunt. Putauit Antiochus videns matrem sollicitam, quod salutem eius timeret, ipsi quoque suadere cœpit, vt filium ab intentione sua reuocaret. At illa voce patria dicebat filio: Tu solus superes fili, summa votorum meorum, tu postremus conclude gaudia mea. Miserere mei, quæ te in vtero toi mensium curriculo portaui, ne vno momento confundas senectutem meam, ne dolores toi fratrum tuorum trophæa, nec sacrum eorum comitatum relinquas, ne consortium deseras. Te adhuc ista exspectant triumphi. Aspice in cœlum vnde hausisti spiritum, ad patrem omnium: assice in terram quæ tibi antecedentium ministrauit, assice ad fratres, qui collegam requirunt, assice ad matrem, quæ tibi lac dedit, redde mercedem pij sanguinis, noli à fratribus, noli a matre deuelli. Temporales opes sunt, quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona quæ à Deo omnipotente defertur. Vos mihi septem dierum lumina dedit Dominus, sextum iam diem clausi, & omnium opera bona valde. Debes mihi fili, vt quæ in illis sex laborauit, in te requiescam septimo, tanquam à seculi operibus iam feriata. Itaque proripiens se iuuenis ait: Quid fusti inertis? Et multa vociferans, quod nequaquam diuelli posset a fratrum consortijs, quorum multo beatiora essent funera, quam regis imperia, cum argueret conuitijs regem, & ipse acerbis excruciatus tormentorum generibus, vita huius inuius absoluit. Nouissima mater oblata est neci. Quis hanc beatam neget, quæ quasi septem vallata mœnibus inter corpora filiorum nullum sensit mortis incursum? Quis vnquam dubitet de eius beatitudine, quæ septem turribus circumdata, in paradisi sedem caput exiuit: quæ septem filijs cincta, sactatissimum Deo chorum, non solum canorum vocibus, sed etiam passionibus ad concinendas Domini laudes cœlestibus inuexit altaribus? Quam bonus fidei partus, quam tutus portus iste pietatis, quam splendida lucerna ecclesiæ, septeno fulgens lumine, & octauo vtero cunctis luminibus oleum subministrans. De quibus pulchre dicitur: Date partem illis septem, & illis quidem octo: eo quod in vtroque numero consortium gratia consequantur, in lege nutriti, per gratiam coronati, septem tanquam in sabbato, octo tanquam in Euangelio. Pia mater supplemento passionu adiuncta, quæ in talibus filijs integram pieratu formam & parturiuit, & peperit.

S. AVGVSTINVS in primam epistolam Iohannis tractatu VIII.

Quid martyres, qui ad bestias pugnauerunt & ferarum morsibus laniati sunt? Non erant sub Deo? aut erant serui Dei tres viri, & non erant serui Dei Machabæi? Agnouit Machabæos fratres, agnouit & istos. Sed opus erat quodam flagello permittente Deo, qui dixit in scriptura; Flagellat omnem filium quem recipit. Similia in Psalmum 148. Quibus exitibus martyres exire meruerunt? Nunquid febribus? Quomodo multi optant, vt febribus soluantur? Alij vno ictu gladij, alij ignibus, alij bestijs? Et deuorauerunt bestiæ corpora martyrum & non timuerunt ne perirent corpora ipsorum. Vndique enim Deus reducet corpora sanctorum suorum, cui capilli capitis nostri numerati sunt. Et quando voluit tres pueros ab igne liberauit. Nunquid ideo Machabæos in igne deseruit? illos aperte liberauit, istos occulte coronauit. Nouit igitur Deus, quid agat. Tu time & esto bonus. Et in Psalmum. 90. Sed ideo putas te deseri, quia non quando vis eripit: eripuit tres pueros de igne: qui eripuit tres pueros, deseruit Machabæos? absit. Et illos eripuit, & illos: illos corporaliter, vt infideles confunderentur, istos spiritualiter, vt fideles imitarentur.

Et toto pœnè sermone 109. de diuersis: Istum diem nobis solennem gloria Machabæorum fecit: quorum mirabiles passiones cum legerentur, non solum audiuimus, sed etiam vidimus & spectauimus. Olim ista gesta sunt, ante incarnationem, ante passionem Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi. In primo populo illo extiterunt, in quo prophetæ extiterunt, qui hæc præsentia prædixerunt. Ne quisquam arbitretur antequam esset Christianus, nullum fuisse populum Deo. Imo vero, vt sic loquar, quemadmodum se veritas habet, non nominum consuetudo, Christianus etiam ille tunc populus fuit. Vnde, sicut dixi, extiterunt prophetæ, vnde isti martyres floruerunt? Nondum quidem erat mortuus Christus: sed eos martyres fecit moriturus Christus.

Et capite 2. Hos ergo in primis commendandum est charitati vestræ, ne, cum illis martyres admiremini

puteris non fuisse Christianos. Christiani fuerunt: sed nomen Christianorum postea diuulgatum est, facilis antecesserunt. Sed videlicet quasi non eis erat confessio CHRISTI a rege impio & persecutore, non cogebantur negare CHRISTVM, quod postea martyres, cum cogerentur, facerent, similem gloriam consecuti sunt. Posteriores enim persecutores populi Christiani, ad negandum nomen CHRISTI compellebant eos quos persequebantur. Illi in CHRISTI nomine perseuerantissime consistentes, patiebantur talia, qualia, illos perpessos esse cum legerentur, audiuimus. Istis ergo martyribus recentioribus, quorum millibus terra purpurata est, imperabatur & dicebatur a persecutoribus; negate CHRISTVM: Quod si non facientes, patiebantur talia, qualia & isti perpessi sunt. Istis verò dicebatur; Negate legem Moysi. Non faciebant: patiebantur pro lege Moysi. Isti pro nomine CHRISTI: illi pro lege Moysi.

Et cap. 3. Existit aliquis Iudæus & dicit nobis, quomodo istos nostros, vestros martyres computatis? Quæ impudentia eorum memoriam celebratis? legite confessiones eorum: attendite si confessi sunt CHRISTVM. Cui respondemus: Verè quia vnus es ex eis qui in CHRISTVM non crediderunt, & fracto de oliua, electo succedente, foris aridi remanserunt: quid dicturus es vnus ex perfidis? Non confitebantur illi aperte CHRISTVM: quia adhuc velabatur CHRISTI mysterium. Testamentum enim vetus velatio noui Testamenti, & Testamentum nouum reuelatio est veteris Testamenti.

Et cap. 5. Cœpit ergo ex illo CHRISTVS post resurrectionem apertissime prædicari. Cœperunt in eo quæ prædicta erant prophetica manifestissime impleri: cœperunt eum martyres confiteri. Ipsum martyres in quæ prædicta erant prophetica manifestissime impleri: cœperunt eum martyres confiteri. Ipsum martyres in manifesto confessi sunt: quem tunc Machabæi in occulto confessi sunt. Mortui sunt isti pro CHRISTO in Euangelio reuelato: mortui sunt illi pro CHRISTI nomine in lege velato. CHRISTVS habet vtrosque, CHRISTVS pugnantes adiuuat vtrosque, CHRISTVS coronauit vtrosq; CHRISTVS habet in martyrio suo tanquam quidam potentissimus incedens cum agmine obsequentium: alios præcedentibus, alios sequentibus. Ipsum ergo potius intuere in carnis vehiculo præsidentem: & qui præcedunt illi obsequuntur, & qui sequuntur, illi ducuntur.

Et cap. 6. Machabæi ergo martyres CHRISTI sunt. Idcò non incongrue neq; importune, imo conuenientissime dies eorum, & solennitas eorum, a Christianis potius celebratur. Quid tale Iudæi celebrare nouerint? Sanctorum Machabæorum Basilica esse in Antiochia prædicatur in illa scilicet ciuitate, quæ regis ipsum persecutoris nomine vocitatur. Antiochum quippe regem persecutorem impium pertulerunt, & memoria martyrij eorum in Antiochia celebratur: vt simul sonet & nomen persecutoris, & memoria coronatorum. Hæc Basilica à Christianis tenetur, a Christianis ædificata est. Eorum ergo memoriam celebrandam nos habemus, nos tenemur, apud nos passiones eorum millia per orbem terrarum, sanctorum martyrum sunt imitata. Nemo ergo dubitet, fratres mei, imitari Machabæos: ne cum imitatur Machabæos, putet se nō imitari Christianos. Prædicatur ergo illorum tanta patientia, mes abili virtute: quæ nouerat conseruare filios suos. Habere nouerat, quæ pateretur non timebat. Isti in se singuli sentiendo: illa videndo in omnibus passa est. Facta mater septem martyrum, septies martyr: à filijs non separata spectando, & filijs addita moriendo. Videbat omnes amabat omnes. Ferebat in oculis quod in carne omnes; nec solum non terrebatur, sed etiam exhortabatur. Hanc Antiochus persecutor vetuit matrem de cæteris matribus computauit. Persuade, inquit filio tuo, ne pereat. Et illa: Planè filio meo viam persuadebo, ad mortem cohortando: tu vis mortem persuadere parcendo.

Et cap. 7. Qualis autem collocutio, quam pia, quam materna, quam inter spirituales & carnalis in ambiguo suspensa. Feli miserere mei. Fili, inquit, miserere mei, quæ te nouem mensibus in vtero portaui, eus lac triennio dedi, atq; ad hanc ætatem perduxi: miserere mei. Omnes exspectabant verba consequentia: consensit Antiocho, nolo deserere matrem tuam. Illa è contra, consensit DEO, nolo deserere fratres tuos. Si me quasi deseris, tunc me non deseris. Ibi te habebo, vbi ne perdam vlterius non timebo. Ibi te mihi seruabit CHRISTVS, vnde non tollet Antiochus. DEVM timuit, matrem audiuit, regi respondit, fratribus adhæsit, matrem traxit.

PRVDENTIVS hymno de S. Romano martyre.

Narraui & illud nobile, ac memorabile
Certamen, vna matre quod septem editi
Gessere pueri, sed tamen facilis viri,
Hortante eadem matre, in ancipiti exitu
Pœna & corona, sanguini vt ne parcerent.
Videbat ipsos apparatus funerum
Præsens suorum, nec mouebatur parum:
Latata quoties aut olino stridula
Sartago frixum torruisset pulmen on,
Dira aut cremasset laminarum impressio.
Comam cutemque verticis reuulserat
A fronte tortor, nuda testa vt tegmine
Ceruicem aduſque deboneſtaret caput,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Clamabat illa: patere, gemmis vestiet
Apicem corona regio ex diademate.
Linguam tyrannus amputari iusserat,
Vni ex ephebis. mater aiebat: satis
Iam parta nobis gloria est, pars optima
DEO immolatur, ecce nostri corporis
Digna est fidelis lingua quæ sit hostia,
Interpres animi, enunciatrix sensuum,
Cordis ministra, præco operti pectoris,
Prima offeratur in sacramentum necis,
Et sit redemptrix prima membrorum omnium.
Ducem dicatam mox sequentur cætera.
His Machabæis incitans stimulis parens,
Hostem subegit subiugatum septies,
Quot fœta natis, tot triumphis inclyta,
Me partus vnus vt feracem gloriæ
Mea vita præstet, in tua est situm manu.
Per huius alui fida conceptacula
Per hospitalem mense bisquino larem,
Si dulce nostri pectoris nectar tibi,
Si molle gremium, grata sunt crepundia,
Persiste, & horum munerum autorem adsere.
Quanam arte nobis viuere intus cœperis,
Nihilumq; & illud, vnde corpus, nescio,
Nouit animator solus, & fictor tui,
Impendere ipsi, cuius ortus munere es,
Bene in datorem, quod dedit, refuderis.

Meminit idem eorundem S. Machabæorum in hymno S. Vincentij.

S. GAVDENTIVS Brixianus tractatu de Machabæis.

SI quis vestrum, fratres dilectissimi, fortassè miratur, Iudæos viros supplicia pro legis præcepto perpessos, nunc à Christiana inter sanctos martyres honorari: is profectò, si omnem sanctæ religionis causam rationemque cognouerit, intelliget, probabili ac summo iudicio id fuisse à nostris maioribus constitutum. Iudæi erant isti ante aduentum Domini Saluatoris sub lege tantùm veteri conuersantes, quique cognomentorum vocabula, quæ stirpem nobilitatis vsurpent ex diuitiarum terrestrium cumulo descendentem, cum vera nobilitas non subsistat ex diuitiis: sed cognoscatur in moribus. Quando enim nobiliores isti septem pueri rege Antiocho, quinimò quam clara in istis nobilitas DEI, & quam ignobilis in illo ac pœnalis nota perfidiæ? isti DEVM Patrem colunt, iste diabolum: isti venerantur legem patriam, ille contra DEVM rebellans, filium fatetur se esse diaboli. Congebat enim contra præceptum diuinæ legis, vt suillas carnes comederent, non dubium, quod sacrificio profano pollutas. Coinquinatis enim & infidelibus nihil mundum. Sedesto (vt quidam volunt) sacrificatæ diabolo carnes illæ non fuerint, quia hoc ipso scribentis historia manifestius non depromsit: attamen grauissimi erat extremique delicti, præceptum diuinum vel blandientibus premiis, vel supplicijs cruciantibus temerare. Præceperat Iudæis DEVS, ne porcum, cæteraq; illi similia manducarent, & erat hoc duplici de causa, fratres charissimi, siue vt luxuriosus populus flammam carnalium vitiorum calidis carnibus non nutriret. (Perhibentur enim calorem nimium præstare corporibus) siue, vt porcorum more non viuerent. Nam sues semper immundi sunt, & de fonte, vel de fluuio exeuntes, iterum volunturi in cœnum, nec vnquam intuentur cœlum, sed prono semper ad terram capite ventri deseruiunt. Et idcirco Dominus legionem dæmonum in gregem permisit ire porcorum. Idem in eorum gregem, qui tantum ventris sunt animalia qui nunquam cœlestia intuentur, sed immunditiis semper dediti, & cœno sunt obliti vitiorum. Salubriter ergo DEVS vel abstinentiam gulæ, vel continentiam immundarum actionum imperauit. Lex enim sancta mandatum sanctum, & iustum & bonum. Salutaria videntur, mandata diuina sunt. Nam qui fecerit ea homo, viuet in illis: sed finge nihil noxietatis inesse suillis carnibus, nec vllum fomentum illecebris augeri corporeis, quoniam sunt hodie omnia munda mundis, sanctificata per verbum DEI, & orationem: præcipientis tamen DEI erat potestas, & auctoritas cogitanda qui istud iusserat, tunc temporis obseruari. Nemo enim imperantem Dominum, aut sine pœna sui sacrilegij discussit, aut impune contemnit: Nam neque in illa arbore inesse malum potuit, quam inter cæteras arbores paradisi bonus creator plantauerat cuius fructus ita erat speciosus ac dulcis, vt concupiscentiam præstaret oculis, gulæ conciliaret illecebram. Scriptum est enim: Et vidit

vidit mulier fructum ligni, quia gratus est ad aspectum, & dulcis ad escam, & accepit & manducauit, & dedit viro suo, sed si forte dixeris. Non omne quod gratum videtur & dulce, bonum quoque esse, quia sint etiam aliqua mala quæ grata videantur & dulcia. Cedo acquiesco, consentio. Mel enim distillat (vt ait scriptura) à labijs mulieris meretricis, quæ ad tempus impingunt fauces tuas, nouissimum autem amarius felle inuenies, & acutius gladio, vtroque parte acuto. Et certè malum nihil est, vel in specie, vel in sexu mulieris, sed est vtique malum in voluntate peccantis, & per intemperantiam concupiscentiæ transgredientis, à legitimo iure coniugij: Nam & vini natura cum bona sit, recte tamen damnatur ebrietas. Audi modo generalem de creatu omnibus diuinæ scripturæ sententiam. Et vidit DEVS omnia, quæ fecit, & ecce bona valde: tamen quia veritatis ratio postulabat & seruilis humana conditio legem DEI dominantis acceperat proprij arbitrij libertati permissa vnam DEVS elegit arborem de omnibus lignis paradisi non vtiq; malam, sed in qua esse scientia boni & mali videtur, in qua seruorum suorum obedientiam pertentaret, vt libertas arbitrij vel immortalis præmium possideret obediens, vel contemnens exciperet mortis interminatæ sententiam: manducauit homo, quia voluit, mandatum non custodiuit, quia noluit, morte mulctatur, quia mandatum seruare potuit & noluit. Arbor quidem bona, & fructus quidem bonus, sed prænaricatio mandati mala, & contemptus DEI malus, atque ita malum non in fœtu arboris eius, sed in voluntate hominis transgressoris. Igitur si vnius arbusculæ fructus contra DEI mandatum temere, & protoplastus degustatus, mortem generi acquisiuit humano: Potuit & Machabæis tunc sub lege positis interitum parare mandati transgressio, quibus nunc honorem & gloriam præcepti eius custodia comparauit, fidem DEI in ipso viriliter constanter seruantibus. Nam fidem DEI seruat, qui mandata eius tuta non violat, quoniam idcirco non illi manducare illicita, quod horrorem paterentur in specie, sed contumeliam facere prohibenti DEO, iustissimè formidarunt. Qui in modico fidelis est, ait Dominus, & in magno fidelis est. In magno fuerunt isti fideles, idolothyta inter supplicia respuerunt: in paruo fuerunt fideles, si carnes solum prohibitas non comederint, sua potius deuorando supplicia tradiderunt. Insignior fides est, quæ nec in modicis violatur. Formam tolerantiæ præbuerunt isti beatissimi fratres futuris post passionem CHRISTI martyribus, vt intelligant quanta animi magnitudine & constantia pro Redemptoris nomine dimicare debeant, pro cuius mandato tam pertinaciter certassent. Nemini absurdum videatur, quod eos paulo ante Anicios comparauit. Anicij quippe ex Græco sermone à nobis nuncupantur muticti. Exercuit enim varia supplicitorum genera in eorum corporibus crudelissimi tyranni feritas, & cum non valuisset, constantiam fidei in sex fratribus atrocitate supplicij superare callidus persecutor, in septimo, quia esset iunior, ad blandimentorum sese tormenta conuertit, dignitatum præmijs, & bonorum promissionibus puerum torquens, quem tamen detorquere non potuit. Erat enim fratrum suorum frater, & illius situs matris, quæ cum singulos filios pro DEI nomine puniri iussa, & assistit & hortatur, tot martyria pertulit, quod pignora consecrauit, septies in propriis passa visceribus. Octaua & ipsa accessit numero ad octauum CHRISTI Resurrectionis diem, cum suis pignoribus occursura. Vnde non immeritò præsumitur ista mater beatissima, Ecclesiæ sanctæ imaginem præmonstrasse, quæ spirituales DEO filios parere consuevit, nihil de carne & sanguine cogitantes.

S. LEO sermone in Natiuitate sanctorum septem fratrum Martyrum Machabæorum.

GRATIAS (dilectissimi) agamus Domino DEO nostro, quòd quanta sit huius diei solennitas, etiamsi ego taceam, conuentus vester ostendit. Tam enim conspiranti studio, & deuoto animo conuenistis, vt festiuitatis magnificentiam, etsi sermo non indicet, congregatio tamen ipsa testetur: & rectè. Duplex enim causa lætitiæ est, in qua & natalem Ecclesiæ colimus, & martyrum passione gaudemus. Nec immeritò dignè Ecclesia horum exultat martyrio, quorum ornatur exemplo. Causam ergo solennitatis hodiernæ (dilectissimi) plenissimè SACRÆ HISTORIÆ lectione didicistis, nec latere vos potuit, quem in tanto rerum gestarum ordine exceperitis auditum, cum gloriosam septem martyrum matrem exultanti, & non tacito honoraretis affectu, in singulis quidem filijs passam, sed in omnibus coronatam. Subsecuta est enim felici exitu, quos inuicto præmisit hortatu. Beata genitrix, beata progenies, memorabilis præcedentium fortitudo. Nam cum in illo ordine mortium, & in illa dispositione pœnarum, id sæuissimi regis excogitasset impietas, vt victoriam sibi & de primis promitteret, quos sine eo erantia cruciaret exemplo: & de postremo, quos in supplicio torqueret alieno, multiplicatæ sunt martyrum palmæ, & dum singuli in omnibus vincunt, præter coronas proprias, omnes acquisiuêre septenas.

Possunt & alia pura, eaque perpulchra ex Iosepho, Nazianzeno, Victorino Afro, cuius præclarum de Machabæis carmen supereſt, Victore Vticensi lib. 3. de persecutione Wandalica sub finem, Isidoro, Ruperto, Rabano, aliis. sed quæ attuli, multa satis existimo. & si quid requiritur, commodiore alio fortè loco afferetur. maximè, cum non multò posterius de horum Martyrum sermo tulerit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De feliciſsima ſeptem Machabæorum martyrum matre.

FIERI quidem non potuit, vt cum de beatiſſimis hiſce filiis ageretur, non multa etiam de beatiſſima eorum matre diceretur: ſunt tamen adhuc addenda nonnulla. Et primò quidem eius *nomen* Eraſmo, in ſua Vidua, viſum eſt eſſe *Carteria* vel *Euſebia*. Videlicet ipſa eius fortitudo & religio eiuſcemodi ei nomen meritò dare poteſt, præſertim cum apud Græcum toties iiſdem hiſce nominibus eius laudetur ἡ καρδερία καὶ εὐσέβεια. Sed putat Eſpencæus lib. 3. de Continentia cap. 7. veri eius nomine oblitum fuiſſe tunc Eraſmum, cum eum ipſe Ioſephi libellum recognouiſſet, in eoque aliud eius nomen ſit, *Salomona* ſcilicet. In Græco tamen exemplari non legitur id hodie. D. Thomas in præfatione; *Suo*, inquit, *nomine, Machabæa vocabatur*. & confirmari poſſe videtur ex Venantio infrà citando. Sed Machabæa interdum ab auctoribus dicitur, quia Machabæorum mater fuit. Hi verò, ob cauſam antea expoſitam, hoc nominis adepti ſunt. Videri poſſet à Ioſepho Græco vocati *Abraa*, quia cap. 15. ait: ἐκ γὰρ τοῦ Ἀβραὰμ ὁμόψυχον τῶν νεανίσκων μίσος μετεκίνησε συμπάθεια τέκνων. At eo loco Ἀβραὰμ Abrahamum ſignificat, vt dicatur ἡ Ἀβραὰμ ὁμόψυχος & ea quæ eiuſdem cum Abrahamo animi eſt. Nam eodem capite dicit poſtea; τῆς Ἰσαὰκ δὲ Ἀβραὰμ καρτερίας ἡ μνήμη, *pia Abrahami tolerantiæ filia recordata eſt*. In Græcorum Calendario *Salome* nuncupatur. Demùm verò à Genebrardo in Chronologia, ex Ioſepho *Anna* dicitur. At Ioſephus intelligendus non Flauius, ſed Gorionides, qui ita vocat, ipſiuſque breuiator Ioſippus. *Ætas* verò ab iiſdem Ioſephis omnibus, à Chryſoſtomo, cæterisque omnibus *grandæua & ſenilis* traditur. Iam quod de eadem hoc lib. 2. cap. 7. verſ. 41. traditur, ſic ab eodem Gorionide vberius traditur: *Et virago*, id eſt, *mulier fortis ſtans ſuper eorum cadaueribus, palmas ſuas in cœlum expandit & dixit*: O DEVS *excelſe*, DEVS *ſæculi, abeam quæſo cum filiis meis, ego ancilla tua in locum, quem paraſti eis. Et cum hæc dixiſſet, reddidit animam ſuam, & exiit Spiritus eius, & cecidit ipſa ſuper filios ſuos, & cum ipſis abiit, ſicq; fœliciſſimus filiu fœliciſſima tandem mater adiuncta eſt*. Et hiſce quidem verbis exprimitur ſatis noſtrum illud verſ. 41. ἐτελεύτησε, *conſumpta eſt*: non tamen ipſe mortis eius modus. *Sunt* enim, vt ait Sixtus Senenſis lib. 5. bibliothec. ſub finem, *qui gaudij magnitudinem mortuam velint*, quemadmodum de matribus nonnullis poſt nobilem ad Thraſymenum lacum pugnam refert Liuius, alia tamen longè cauſa. Nam hæ, quod inſperatò filios viuos reciperent, ſeipſos non ceperunt: hæc verò, quod generosè, ſanctèque ſublatos ſuos videret. Victorinus ſuprà citatus:

Dum, ait, puer iſta gerit, ſoluerunt gaudia matrem,
Iamq; vt erat laxata malis, iam voce negata
Suſpirans, interque manus collapſa ſuorum
Concidit exanimis, reſolutaq; membra quierunt.
Sic ipſa & nati Sanctorum, in pace recepta eſt.

Ioſephus tamen Flauius, cui alij penè omnes aſſentiuntur, libro de Machabæis, in vetere Latina verſione, *raptatam, nudatam, laceratam, manibus in altum ligatu, vberibus ſaucio, flagellatam, flammisque tandem ſartagini addictam* ſcribit, &, *pro grauidis mulieribus ſuſa prece, ſpiritum cœlibem effudiſſe*. In Græco tamen Ioſephi eiuſdem contextu dicitur, ipſammet, ne *virorum forte quiſpiam eius corpus attingeret, in extructum ſeſe rogum abiecisſe*, ἵνα μὴ φανεὶς τις ἅψηται σώματος αὐτῆς, ἑαυτὴν ἐρρίψε κατὰ τοῦ πυρός: plurибus deinde modis eam delaudat, ἐκ ὅτου σελήνη καλὸν ἐν οὐρανῷ ἄστρον ἐστερέωσεν, ὡς σὺ τοὺς ἑπτὰ παῖδας φωταγωγήσασα πρὸς τὴν θεοσέβειαν ἐλάμπρυνας, καθίσασα θεῷ, ἐν ἑπτὰ χοροῖς ἐν οὐρανῷ ζῶα αὐτοῦ. *Non ita Luna in cœlo clarum aſtrum venuſtat ſtat, quemadmodum tu, qua ſtellas ſeptem filios ad pietatem illuminaſti, gloriosa coram* DEO *ſtas, & in cœlo vnà cum illis inſixa es*. Et cap. 15. vocat eam ἔθνους ἐκδικον *populi vindicem*, & νόμου καὶ τῆς θεοσεβείας ὑπερμάχησαν, *legis & religionis propugnatricem*, & ἀγῶνα πολλάγχυνον ἀγῶνι ἀθλοφόρον, *quæ in certamine, quod viſceribus ipſis agitur, præmium tulerit*, & exclamat, ὦ ἀρρένων θῆλυ καρτερίαν γυναικὸς, καὶ ἀνδρῶν θῆλυ στόμαχον ἀνδρικὸν. O *maſculis omnibus ad toleratiam generoſior! & viris ipſis ad patientiam virilior*. tandemq; ipſam cum *Noæ arca* confert, quòd, in tanto ſacroſanctæ religionis cataclyſmo, ventos tempeſtatesq; omnes fortiter feliciterque pertulerit. Sed ad ea, quæ de ipſa noſtri dixerunt, fuerit animum aduertere ſatius. Eorum verò iam non pauca ſunt ſuperiùs præcepta. quæ reſtant, carpamus modo.

S. EPHREM ſermone de morte.

IMITARE *Machabæorum matrem, quæ quamuis ſeptem filios morte deletos vidiſſet, non tamen lacrymis ac luctui ſeſe tradidit, neque vocem emiſit muliebrem: ſed* DEO *egit gratias, quod illos igne, ferro, aliis moleſtiſſimis vinculorum ſuppliciis ab hac carne diſſoluiſſet; quam etiam ob cauſam, & à* DEO *probata eſt, & ab hominibus in hunc vſque diem celebratur.*

S. CHRY-

S. CHRYSOSTOMVS homilia pænè tota de ſeptem Machabæis:

VT plenius appareat, quia infirmitas athletarum noſtrorum, quæ in exteriori eſt, clariores facit eſſe victoros, & ſenem, & pueros relinquentes, infirmiorem ipſis producamus in medium mulierem, illam annum, & ſeptem puerorum matrem. Nam labores partuum non vel modicè huic certamini impedimento ſunt. Quid ergo eius prius aut potius mirabimur? an ex natura infirmũ, aut quod de ætate habuit præliis inutile, & immaturum, aut neceſſaria compaßionis affectum? Mater enim erat, vnde facile eam potuiſſet in tormentis viſcerum ſuorum vincere materna pietas, niſi diuinæ pietatis altior virtus virili fide anile pectus armaret. Magna etenim hæc impedimenta ſunt ad eum curſum, cuius intentio ſumma indiget patientia. Ego vero & aliud his maius habeo dicere, quo & virilem mulieris fortitudinem, & callidam diaboli verſutiam conſideretis. Quid autem hoc eſt, diligenter inſpicere debetis. Immundi dæmonis maligna calliditas non primum eam traxit in agonem, ſed poſt filios, eam duxit in prælium. Qua cauſa hoc? Ob hoc vtique, vt præuenientibus ſeptem filiorum ſupplicijs deiceret ſenſum eius, cum virtutem mẽtis in matre fregiſſet, varia crudelitate propoſitis et ſpectaculis orbitatis ſuæ, cum iam enervatam & conſumptam maternis doloribus facilè vinceret, & in ruinam mentis impelleret. Ne ergo hoc conſideres, quod illata ſibi tormenta tolerabat: ſed magis illud contemplare, quod mater, per ſingulos eorum, duriores ſuſtinebat dolores. Et hoc quod dicitur, bene norunt, quæcumq; parturiendi dolores experta ſunt mulieres, & matres factæ ſunt. Nam ſæpè & mater ſi videat filium ſuum fœribus æſtuare, ita perturbatur, vt ardores illius in ſua cupiat membra transferri: & mutata in ſe, ſi poſſit, ægritudinis vice, transfundere in filium ſanitatem ſuam. Ita omnibus domeſticus malus eas, quæ de filiis malis acciderint, ærumnas graviores exiſtimant, & intolerabiles fiant, quæ matres ſunt. Sicut ergo vera in cunctis matribus talis affectio, ita profectò manifeſtum eſt, quia mater illa grauius in ſupplicijs filiorum punichatur, quam ſi ipſa pateretur: & maior erat paſſio in viſceribus matris, quam in corporibus filiorum. Si ergo vnius filij nunciata eſt ægritudo: auditu ſola viſcera materna turbantur: Hic autem non vnum tantum, ſed filiorum chorum vno tempore pariter interfici videns mater, nec abſens per auditum ſuſcipiens paſſiones eorum, ſed præſens oculis hauriens vulnera omnium, quos pepererat, quid non patiebatur? Quomodo non excidit mente, vnumquemque horum ſpectans horribilius, & diuerſis pœnarum ingeniis cruciari, & per inciſiones membrorum tam crudeli, quam lenta morte conſumi? quomodo tam ferali ſpectaculo non diſſilierunt viſcera eius, & deſumpto corpore anima excuſſa eſt? Quomodo non & prima filij paſſione in ipſos ignes, quibus filius cremebatur, inſiluit, vt ſimile, vel deterius filiorum ſpectaculum compendio mortis euaderet? Nam etſi ſapiens eſſet, tamen mater erat: etſi amans DEVM, *tamen carnem portabat: etſi prompta eſſet fide, attamen fœmineum ſexum gerebat: etſi zelo diuinæ pietatis prompta ferueret, ſed & maternæ affectionis vinculo memor partuum tenebatur. Si enim nos qui viri ſumus, frequenter cum videmus reum per forum duci reſtricto ore in mortis damnationem, & eum trahente carnifice, de ſolo eius aſpectu frangimur, cum tamen ſuſtinentem habemus conſolationem ex ipſa conſcientiæ ſecuritate, qua ab illius pœna mortis diſcernimur: facile metiri poſſumus quid illa pertulerit, quæ non reum aliquem & extraneum, & damnatione commeritum duci videbat, ſed ſeptem filios ſimul in vna die non iſta morte conſumi, ſed varie lanitatos, pœnis videbat interfici. Si enim lapidea quidem fuiſſet, & ſi viſcera adamante compacta geſſiſſet: ita forte potuiſſet inconcuſſa durare, & nihil eorum ſentire, quæ mulierem, & matrem perpeti, vis ipſa naturæ, pietatiſque cogebat.* Et vbi cum Abrahamo filium Iſaac immolaturo eã conſuliſſet, pergit. *Vnde fortiſſima illa mater non frangebatur ſpectaculo orbitatum ſuarum, ſed confortabatur: quia non proſtratorum eorum ſanguinem aſpiciebat, ſed magis coronas eorum quæ texebantur in cœlis intenta gaudebat. Non videbat ad receptaculum temporale cauari petram ſepeliendis, quia prouidebat æterna ædificari tabernacula coronandis. Non conſiderabat circumſtantes populos, quia videbat aſtantes angelos. Oblita eſt dolores partuum ſuorum, contempſit naturam ſexus ſui, nec memor etiam ſenectutis, ipſam quoq; naturæ tyrannidem animo ſuperante calcauit: natura, inquam, tyrannidem, quæ & beſtiarum ferocitatem ſubigere conſuevit.* Rurſumque poſteà:

Audiant hæc vniuerſæ matres, & emulentur virilem mulieris huius fortitudinem, & veram circa filios dilectionem, & ſecundum illam ſeptem martyrum matrem nutriant filios ſuos. Quid ergo æſtimabimus illam mulierem pertuliſſe, ſi tamen mulierem iſtam duci oporteat; cum videret in filiorum membris viſcera ſua cruciari: alterius auulſos à ſuis manibus digitos ſuper prunas ignium ſpargi: & vnius caput clauis configi: alterius capiti cutem detrahi, & totum corpus extracta pelle nudari: & eum qui talia patiebatur, ſtantem fortiter, inſuper & ipſo tyranno pœnas æternas voce libera comminantem? Quomodo mater hæc ſpectans eleuauit vultum ſuum, & os aperuit, & linguam mouit in verba, non in verba materni doloris affectu mollia, ſed verba virtutis? Quomodo non receſſit à carne anima eius? Quomodo ego dicam? Non enim in terrena præſentia intendebat: ſed in futura cœleſtia præparabatur. In his omnibus filiorum præliis & tormentis vnum timebat, ne cuiquam tyrannus parceret: & inuidiâ diaboli ſoluta certamine, triumphantium ſcinderetur chorus filiorum eius, ne quis eorum ſine corona maneret. Et quoniam hoc timebat, minimus eorum, qui iam ſolus agoni ſupererat, tantum quod non manibus apprehendens in ignem ipſa incenſum impulit: verumtamen pro manibus, eum exhortationis verbis impulit & armauit, cum magna pietatis trepidatione, voce patria obſecrans eum, ne callidi perſecutoris ſuauibus crudelitate blanditiis emollitus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

litus, euelleretur à fratribus gloriosis, & fortiter concertantium immarcessibilem coronam victus amitteret. Olympiacis spectaculis, cum innumerabiles sæpè conueniant luctatores, vnum tantummodo manet corona victorem. Hic verò septem fratribus septem emicuerunt coronæ. Et quam mihi ostendis regionem fertilem, quem nidum tam numerosa prole fœtosum? Numquid similes habuit parturitiones mater filiorum Zebedæi? Gloriosa quidem & ipsa Apostolorum mater, sed duorum tantum.

Septem verò martyres nescio vnquam vnum protulisse vterum, & ipsam eis matrem gloriæ sociam in consortio passionis apposita: & quidem non vna neque simplici actione meritorum atque virtutum. Nam filij eius septem martyres erant, tantum autem corpus matris appositum est. Corpus quidem erat vnum, septem verò martyrum legio implebatur in matre. In qua dilata est gloria passionis & corona martyrij, in ea omnium virtus & gloria confluebat: quia per vnumquemque filiorum passa est, & quoniam illos ipsos tales ipsa perfecit: hæc ecclesiam nobis integram martyrum peperit, septem filios enixa sublimiter, quorum neminem peperit terræ, sed omnes cœlo, magis autem regi cœlorum, cui omnes eam in vitam peperit æternam. Ergo callidus omnis malitiæ machinator diabolus vltimam eam duxit in certamen, ea causa quam suprà exposui, vt virtute eius fracta & in spectaculo filiorũ, per tormenta morientium, debilitata, facile postea debellaret afflictam. Sed per orbitates suas non fracta est, sed fortior facta est. Non enim iam reliquerat sibi pro quibus angeretur, vel quibus timeret, ne forte infirmitate fraudarentur coronis; sed omnes sicut in vnum reponens promptuarium, ad supernos præmittens triumphos, & ad inconcussa perennis gloriæ regna, gaudebat confidens de cætero, & secura cum magnanimi voluntate. Et sicut coronæ quadã pretiosissimis lapidibus compositæ eminentem gemmam: ita carnem suam choro filiorum coaptans, ad desiderabilem IESVM, pullos suos, vt aquila subsequens euolauit. magnum nobis relinquens consolatium & consilium per id, quod in semetipsa opere passionis, probauit. Quis enim vir, quæ mulier, quis senior, aut quis iuuenis de cætero veniam possit accipere, aut fragilitatis carnis, humanæq; timiditatis excusationem habere, si propter CHRISTVM sibi pericula inferri videat, quando mulier senectute confecta, & tantorum filiorum mater, & ante tempus gratiæ certamen adducta, sustinuit, multis virorum, per idem tempus, mortis metu, in perfidia sacrilegia inclinatis: nec dum per Domini Saluatoris aduentum, extincto peccato, neque morte denicta tanto animis, & tanta virtute, tantas propter DEVM pœnas sustinuisse cernitur, & vicisse cognoscitur, vt Euangelicam perfectionem in temporibus legis impleuerit?

S. AMBROSIVS libro II. de Iacob, & vita beata, cap. 9.

QVIS non beatam dixerit matrem Machabæorum, quæ septem filiorum funeribus octauam se addidit ad laudem cœlestis triumphi? Sed idipsum deinceps amplè & grauiter explicat, cap. 12.

Recurrunt in memoriam sermones sanctæ fœminæ dicentis ad filios: Ego vos genui, ego vobis succum lactis infudi: nolite nobilitatem vestram perdere. Sic aliæ matres reuocare à martyrio solent filios non vocare. At ista maternum in hoc ponebat affectum, si filius vitam magis perpetuam quam temporalem suaderet. Spectabat itaque pia mater filiorum certamina, & quamuis maternorum viscerum compositione quateretur, tamen pietatis studio premebat dolorem. Et offerente Antiocho, cum posset salutem eligere filiorum, malebat periculum: compressisq; naturæ gemitibus, pœnas filiis optabat augeri, vt mors citius appropinquaret. Videmus conuersa vota matris in filios, ne quem superstitem derelinqueret, sed omnes pia coheredes mortis acquireret. Sed nec filij minores tali parente, qui se in vicem cohortabantur, qui dicebant vno studio & quadam animorum acie: mortis aduersæ impetum petamus. Tunc enim viuemus, cum fuerimus mortui. Nemo pietatis ordinem derelinquat, nemo se subtrahat præmio triumphali. Non homini, sed DEO nostras animas deuouimus: non homini, sed authori omnium militamus. Talis hæc pugna est, vt ille gloriosius vicerit, qui crudelius occisus fuerit. Itaq; nemo timuit, nemo trepidauit, nullus ad mortem ex tot fratribus pigrior fuit, sed omnes tanquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba supplicia cucurrerunt, vt mater consona cernens filiorum agmina, tanquam pia anima sui membra corporis in filiis offerebat, & per artus proprios videbatur sibi subire tormenta. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui super mortuos aduoluebantur, corpora super corpora volutabantur, capita super capita exsecabantur. Refertus erat locus cadaueribus filiorum, non fleuit mater, non lamentata est, non oculos cuiusquam pressit aut ora morientis: non lauit vulnera sciens gloriosiores esse, si enisserati & concreti pariter puluere & sanguine viderentur, quales solent de bello redire victores, qualia solent trophæa ex hostibus portare. Non superiacenda velamina, non prosequendas exequias, nisi suæ quoque comitatu mortis arbitrata est. Quæ cithara dulciores ederet cantus, quam morientes filij in tam grauibus supplicijs ediderant? Erumpebat enim naturæ gemitus, & inuitus. Spectares peremptorum cadauera, sicut fila chordarum audires heptachordum psalterium triumphalibus gemitibus resultare. Non sic illecebrosi cantus Sirenum attraherent audientem. Illi enim ad naufragium trahunt, isti ad sacrificij victoriam. Nec sic cygnea carmina aures animumq; mulcerent. Cygni enim naturæ sorte moriuntur, isti moriebantur amore pietatis. Non sic rauca resonant secreto in nemore columbarum murmura, vt vltima verba morientium cum summa suauitate resonabant. Nec sic luna inter stellas refulget, vt inter filios mater: & cum eos ad martyrium illuminatura deduceret, refulgebat, & cum amplexata victores in medio filiorum iaceret,

ceret. O veræ mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragãtior! ô indissolubile pietatis vinculum! ô vere valida charitas sicut mors dura sicut inferi zelus deuotionis ac fidei. Nulla tantarum diluuia passionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. Sicut arca in illo mundi diluuio totius orbis spatiis innoxia ferebatur, ita & tu aduersus fluctus tam grauium passionum pietate immobilis restitisti: & cum posses salutem filiorum eligere, noluisti. Quo affectu vos prosequar sancta matris pia pignora? Quo penicillo sermonis mei describam formæ vestræ & animarum similitudinem? Stetistis inter exercitus regios, quibus totus fuit orbis terrarum subactus, quos India quoq; in extremi maris secreta refugiens declinauit, & soli de rege superbo sine bellico conflictu victoriam reportastis. Vicerũt in vobis sola arma pietatis, dedit pœnas tyrannus, & quia vos non potuit vincere, & quia atroci perèptus est morte. Et li. ad virginem lapsam: Memento Machabæam propter canes porcinas passam fuisse, & filios ipsius assatos vel fixos in oleo.

S. AVGVSTINVS serm. 110. de diuersis.

MAGNVM spectaculum, fratres, positum est ante oculos fidei nostræ. Aure audiuimus, corde vidimus optantem matrem ante se finisse istam vitam filios suos: longe contrariis votis consuetudini humanæ. Omnes enim homines filios suos ex hac vita migrando præcedere volunt, non sequi. Illa autem optauit posterior mori. Non enim amittebat filios sed præmittebat: nec intuebatur quã vitam finirẽt, sed quam inchoarent. Desinebant enim viuere, vbi quandoq; fuerant morituri: & incipiebãt viuere sine fine victuri. Parum est fuisse spectatricem, mirati sumus potius hortatricem. Fœcundior virtutib. quam fœtibus. Videns certantes in quib. omnibus ipsa certabat. & in omnib. vincentibus ipsa vincebat. vna mulier, vna mater, quomodo nobis ante oculos posuit vnam matrem sanctam Ecclesiam, vbiq; exhortantem filios suos, pro illius nomine mori, de quo eos concepit, & peperit? Sic sanguine martyrum impletus orbis præiactatis seminibus seges Ecclesiæ pullulauit. Vnde hoc homini, nisi, Salus iustorum a Domino, & protectur eorum est in tempore tribulationis? Vidimus, nouimus. protectorem fuisse Dominum in tempore tribulationis trium virorum illorum quia ambulabant inter ignes innoxios: & Dominum sine vlla læsione laudabant. Vbi homo sæuiebat, flamma parcebat.

Et cap. 2. Quando illi non ardebant & laudebant aderat Dominus. Quando isti ardebant, confitebantur: tamen moriebantur. Vbi erat Dominus? An forte illi iusti erãt, isti peccatores? Audimus enim istos paulo ante, cum passio eorum legeretur, confiteri peccata sua & discere quoniam omnia illa irascente DEO sibi, sed & paterno merito paterentur. Quid illi? legite, & videbitis etiam ipsos peccata propria confiteri, & dicere, se merito perpeti. Æqualiter iusti, confessores æqualiter peccatorum: & ideo iusti, quia confessores æqualiter peccatorum. Ideo irreprehensibiles, quia non mendaces.

Et cap. 3. Quare illi ab ignib. liberantur, isti ab omnib. consumuntur? Ergo illis DEVS aderat, hos deseruerat? absit. Imò vtriq; adfuit. Illis in aperto, istis in occulto: illos visibiliter liberabat; istos inuisibiliter coronabat. Illi quidẽ de morte liberati sunt: sed in huius vitæ tentatione manserunt. Ab igne liberati, ad pericula reseruati. Vno tyranno victo: adhuc certaturi cum diabolo. Fratres mei, sicut Christiani intelligite. Machabæi melius & tutius liberati sunt. Ab illis tribus viris cæteris remanentibus, illa vna tentatio superata est: ab istis ista vita finita, quæ tota tentatio est.

VICTORINVS Afer in Carmine de septem Machabæis.

Rex fuit Antiochus Syriæ ditissimus olim,
In cuius regno mater, natique fuisse
Septem (vt fama refert) sancta de gente creati:
Quos cura assidui generis meminisse iubebat,
Et legi seruire datæ: sic namque volentes
De populo meliore DEI sua iura tenebant.
Rex auidus mutare fidem, mutare timorem
Voluit, & vt populo pariter misceret iniquo.
Præmia promittit matri, promittit & illis,
Et quidquid posset totum perquirere regnum,
Si demutaret mentes, sensusque priores,
Cogeret & natos alios sibi fingere mores.
Illa negat, tacitumque premit sub corde dolorem.
Hanc postquam nulla potuit compellere præda,
Tentauit primum tormentis vincere sæuis.
Pertulit illa tamen gemitus, & tristia regis
Verbera non timuit. victum se vidit vt ille.
Heu quid agam? dixit: vincor. quid plura? dolendo,
Non tamen effugies: plus est, quod plura dolebis.
In natos sæuibo tuos, licet improba persles,
Hac certe ratione meum sanabo dolorem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sustulit illa manus, cœlumque inspexit in altum,
Emittens gemitus, & talia verba locuta est:
Tu licet & gazas rapias, & regna tyranne,
Non capimur regum donis, nec munera sanctis
Eripient promissa DEI: *spes certior illa est,*
Quæ vitam nobis promittit tempore longo.
Hanc sequor, hanc didici, non lubrica tangere regna,
Sumere diuitias facile est, & perdere vitam,
Sed licet & flammas post verbera sæua minaris,
Nil mutare potes: primis accepimus annis
Virtutem cum lege datam: mihi linquere certum est
Quidquid sæue tubes. Natis quod dura minaris,
Hoc solum poteris matrem turbare timore:
Est mihi namque DEVS *spes, est mihi certa meorum,*
Per quam tam sperem te nullum vincere posse.

Cætera in Auctore ipso legi possunt.

S. ANTONINVS Afer epistola ad S. Arcadium Martyrem.

SEPTEM *filios Machabæa mater pro* CHRISTO *misit ad mortem. ante eam cruciabantur, & ipsa magis eos hortabatur vt morerentur, ipsa autem post filios occisos ecce eam exultat cum filiis coronata. Respice quia in vtero matris* DEVS *te fecit, ipse tibi spiritum & animam dedit, ipse te ornauit ratione & sapientia. Ipse cœlum fecit & terram, & omnia quæ in eis sunt. Sic te vult suscipere pro fide morientem, vt tibi plenã exhibeat maiestatem. Respice mundum, perituru est. Respice solem & lunam & stellas, & ipsa soluẽda sunt. Confige fortiter pro anima tua, quæ aut semper viuit aut semper perit. Ecce dimissa sunt tibi peccata tua, & omnes iniquitates tuas* DEVS *pro hac pugna delebit, quæcunq; vsque hodie commisisti potuisti.*

S. PROSPER libro de prædictionibus parte 2. capite 40.

POST *redditam libertatem ex captiuitate Babyloniæ Machabæi ducatum Hebræo populo præbuerunt. Quorum virtus ita enituit, vt non tantum Macedones & Ptolemæus rex Ægypti, quantum eos ipsi Romani ad amicitiarum fœdera reuocarẽt. Illic apud Iudæos in quadam parte, quam Romani tam ceperant, Antiocho regnante, præclara illa fœmina Machabæorum mater, pro spe æternæ vitæ legitimisq; suis, ne veritas carnis suillas filij sui tangerent, vno die septem martyres edidit* DEO, *quos terra contempta non huic mundo, sed ipsi peperit cœlo: suo exemplo nos admonens pereuntia contemnere, appetere sempiterna, velocius finienda finire, quo possent certantes atque vincentes illud apprehendere, quod non habet finem. Sic ipsa statim secutura, filios præmisit ad vitam, quam veram sciens omnique metu carentem, sibi suisque filiis fideli testimonio acquisiuit.*

S. ALCIMVS AVITVS libro de consolatoria castitatis laude ad Fuscinam sororem.

Sic prægnans fœcunda olim, & fœcundior orba,
Atque animas superans genitrix Machabæa viriles,
Fœmineam & vincens animo vincente senectam,
Orbari lato ducebat in omine, si quos
Ediderat mundo, patrijs pro legibus illos
Fœlici iam morte DEO *generaret: vt esset*
Mors illis requies, fausta exordia vitæ.
Ergo in tormentis positos, constantior ipso
Supplicio genitrix, corde hortabatur & ore,
Spernere crudelis nimium fœlicia regis
Tormina, lætitia debint commutanda perenni:
Augebat que pios ad fortia facta furores,
Scilicet æterno dignissima carmine, & illo
Plus misero partu, fœlici funere fœlix.

VENANTIVS FORTVNATVS lib. 5. editionis Calaritanæ, in Trenirensis bibliothecæ manuscripto libro 10. epigr. 21.

Felix bis meritis sibi Machabea vel orbi.
Nobilitas generis, nobilior genitis.

Quæ

Quæ septem palmas cœlo transmisit ab alto
Martyriig, decus protulit ille venter.

Ipsa vero sanctaque ipsius soboles *festo* ab Ecclesia Christiana *die cur afficiatur*, mirati, vt suprà dixi; olim quidam. & quemadmodum vidimus; D. Augustinus serm. 109. respõdet, ideo id fieri, *quia* illi, etsi non nomine, re tamen ipsa *Christiani* fuerunt. At pari ratione omnes qui veteris instrumenti temporibus, sanctitate præstiterunt, Christiani fuerunt. Cur & istorum ergo aliorũ festa celebritas nulla? D. Thomas hoc loco; *Quoniam*, ait, *hi tam expressam cœlestium bonorum rationem reddiderunt, ideo martyrium ipsorum Ecclesia celebrat. Deinde* vero, de nullis ita disserte, in scriptura sacra, memoriæ proditum, eos, ob religionis constantiam, cum ab ea eos detorquere aliqui conati fuissent, mortem, diris cum cruciatibus & suppliciis, obiisse. *Tertia* causa est, ipsa tãti martyrii admirabilitas, exemplique nouitas, & summa vtilitas, quæ à Patribus hactenus nobis proposita. & fortassis *ea* etiam *accessit*, quam in Allegoriarum libro pandit S. Isidorus. *Machabæi*, ait, *septem, qui sub Antiocho acerbissima perpessi tormenta, gloriosissime coronati sunt, significant Ecclesiã septiformem, quæ ab inimicis* CHRISTI *multam Martyrum stragem pertulit, & gloriæ cœlestis coronã accepit.* Quæ secundam illam causam maxime probet; S. Bernardi ex epistola 98. disceptatio, luculenta sane & vtilis, est hæc: *Quæris quidnam visum Patribus fuerit: vt solis ex omnibus antiquis iustis singulari quodam priuilegio Machabæis annuam celebritatem pari cum nostris martyribus veneratione decernerent in Ecclesia solenniter exhibendam? Si dixero, dignos merito martyrũ gloria iudicatos, quibus non impar fuit in martyrio virtus: erit forsitan solutũ, cur ipsos, sed nec dũ plane cur solos, cũ & alios nõnullos ex veteribus pari constet zelo pietatis occubuisse, nõ tamen pari & tripudio recoli meruisse. Quod si illis nõ immerito hui usmodi negatur solennis celebritas, quia animi rũ quod præbuit virtus, præripuit tẽpus: cur nõ & eadem fuit in Machabæis consideratio? Siquidẽ & ipsi, p tempore non ad cœli mox gaudia: sed ad inferni tenebras descenderunt: ne tunc quippe apparente primogenito ex mortuis, qui aperiret credentibus regna cœlorũ: agno videlicet de tribu Iuda: qui aperit, & nemo claudit: ad cuius introitũ cum omni authoritate supernis penetrantibus diceretur: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Proinde si incongruũ videtur cũ gaudio recolere transitũ, qui gaudij non fuit: cauetur in istis. Aut si istos, ob suæ virtutis meritũ, festiuo prosequi fauore placet: cur non itidẽ deferetur & illis? An dicendum est, vtrosq; quidem in morte cõmunem habuisse cũ martyribus pietatis causam, sed non etiam vtrosq; pariter eãdem cum illis adeptos fuisse martyrij formam? Vniuersis nempe tam veteris quam noui Testamenti martyribus æque conuenit pro iustitia occubuisse: sed interest quod isti passi sunt, quia illam tenebant: illi quia nõ tenentes reprehendebant. Isti quod eam non deserebant: illi quod deserentes perituros esse asserebant. Et vt breuiter totum in quo differunt proferamus: hos cultus, illos zelus iustitiæ martyres fecit. Soli ex veteribus Machabæi, quia non solam causam, sed & formam (vt dixi) noui martyrij tenuerunt. iure fortasse in Ecclesia Machabæi, quia non solam causam, sed & formam (vt dixi) noui martyrij tenuerunt. iure fortasse in Ecclesia eũ nouis Ecclesiæ martyribus eãdẽ consuetæ celebritatis gloriã assecuti sunt. Instar quippe martyrũ nostrorũ eũ nouis Ecclesiæ martyribus eãdẽ consuetæ celebritatis gloriã assecuti sunt. Instar quippe martyrũ nostrorũ libare & ipsi diis alienis, patriamque deserere legem iussa mandata* DEI *transgredi cogebantur, renuebant libare & ipsi diis alienis, patriamque deserere legem iussa mandata* DEI *transgredi cogebantur, renuebant & moriebantur.*

Quoniam similes illos fecit martyribus Christianis, *non dissimilis veritatis confessio, merito eos similis prosequitur veneratio. Nec moneat sane quod quemadmodũ martyres nominatim & pro* CHRISTO *minime passi sunt, quia non interest, siue sub lege pro legalibus obseruantiis, siue sub gratia pro mandatis Euangelicis quis patiatur. Vterq; enim æque pro veritate, ac per hoc pro* CHRISTO, *qui dixit: Ego sum veritas: patiuntur. Itaq; plus contulit Machabæis in hac parte martyrij genus quã virtus, quando ne hos quidem ex cognoscitur. Itaq; plus contulit Machabæis in hac parte martyrij genus quã virtus, quando ne hos quidem ex patribus, quos pari constat virtute illo in tempore pro iustitia decertasse, pari etiam honore concelebrat præsens dum taxat Ecclesia. Puto quod arbitretur indignum quantumlibet laudabilis morti, qua* CHRISTI *mortem præcederet, diẽ festum impendere: præsertim cum ante illam salutiferam passionem, rõ festiua gaudia, sed claustra tenebrosa quosq; morientes exciperent. Sane Machabæos ideo (vt dictum est) excipiendos iudicauit Ecclesia: quoniam quod eis negabat tempus, contulit martyrij genus.* Ex his, verbotenus repetiit pleraq; in epistola 113. & eandem vtrobiq; clausulam hanc apposuit. *Itaq; martyrium facit causa: tempus, genusq; discernunt. Tempus quippe Machabæos à nouis martyribus disiungit antiquos. Genus vero nouis aggregat, qui libare & ipsi Diis alienis cogebantur, & segregat à veteribus.* Nam, vt ait etiam S. Augustinus, serm. 109. ca. 2 Machabæis *sitis dicebatur. Negate legem Moysi, pro lege Moysi patiebantur* Et epist. *Habeo gratiam*; ad Hieron. quę inter huius epistolas est 87. *pro sacramentis veteribus Machabæos martyres fuisse*, ait. Et l. 1. offic. c. 4. D. Ambrosius; *Stetit*, ait, *inuicta septem puerorum cohors, regiis cincta legionibus. defecerunt supplicia: cesserunt tortores. non defecerunt Martyres.*

Tales vero etiam in nouo testamento pueri fuerunt, apud Victorem li. 3 *Maioricus*, quem ad Martyriũ Dionysia mater perpetuo instituerat: *Lectores infãtuli* quã plurimi, & illi qui 12. *Apostoli* Martyriũ Dionysia mater perpetuo instituerat: *Lectores infãtuli* quã plurimi, & illi qui 12. *Apostoli* dicti sunt, cum à suo præceptore iam Apostata ad hæresin Ariana cogerentur, & *puer septennis* cladicti sunt, cum à suo præceptore iam Apostata ad hæresin Ariana cogerentur, & *puer septennis* Maurus, *Christianus sum* &c. itemq; *filius Liberti medici*, & puer ille *Maximus*, qui, vt ait Victor, *horũ Mauri, Christianus sum* &c. itemq; *filius Liberti medici*, & puer ille *Maximus*, qui, vt ait Victor, *horũ Machabæorum exẽplo*, tã fortis extitit. Et apud Prosperũ, *Paulillus* sanctorũ Paschasij & Eutychij Mãrtyrũ frater paruulus. Alij *pueri* in historia S. Luciani Martyris apud Lippomanũ. Qui verberibus affecti, & finapio per Sophistam cruciati, *cibos* tamen *veritos esse* noluerunt. Alij rursũ in historia S. Artemij & S. Babylæ apud S. Chrysostomũ, in historia S. Paphnutij, & S. Aretæ apud Baroniũ tomo 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tomo 7. *Puella* etiam tenellæ, Agnes, Thelca, Pelagia, apud S. Ambrosium, epist. 7. & lib. 1. offic. cap. 41. *Quid de bimulis*, ait, *loquar, qui ante palmam victoriæ acceperunt, quam sensum naturæ? Quid de S. Agne?* Quid & qui à puerili simplicitate & innocentia nihil aberāt, quadraginta illi Rustici, qui dum à Longobardis immolatitias carnes comedere compellerentur, ii, vti narrat S. Gregorius l. 3. dialog. c 27. *ne vetitum comedendo, conditorem suum offenderent, elegerunt gladio vitam finire?* Quam multos, hoc etiam tempore, adolescentulos vidimus, audiuimus, qui, quod apud hæreticos vel parentes vel dominos versarentur, verbis verberibusq; inedia etiam interdum, & omni acerbitate vexari, quam vetitas, quadragesima vel ieiunijs alijs, escas edere maluerunt? Sed ex India nonnullos et Machabaicos pueros accersamus. Sextodecimo historiarum Indicarum libro ita scribit Io. Maffeius. *Sub id ipsum fere tempus quo aduersum* CHRISTI *fideles Malabarica grassabatur impietas (ex quo facile diuini consilij ac destinationis appareat altitudo) ex eadem natione gloriosum euangelio testimonium perhibebant. Malabares adolescētuli sex circiter & triginta, ab nono ætatis anno ad septimum vsq; decimum. Hosce, Lusitana qua vehebantur naui, circa Arabiam à Turcis excepta, cum à* CHRISTO *ad Mahometem traducere summa ope barbari conarētur; postquam alternis blanditiæ minæq; nil proderant; ad verbera cruciatusque descendunt. Adduntur ad cæteram immanitatem stillæ adipis igne liquati. ea tormenta multaq; præterea iniurias, puerorum virtus fides vicit egregia. Turcæ obstupefacti cōstantia, ab iis vltra vexandis tandē absistere.* Habet porro suas et sanctas ἐπαμώνυμος, vt istam quidē vocat c. 16. Iosephus; nouum Testamentum: septem inquam sanctorum filiorum martyrumque matres, S. Symphorosam & S. Felicitatem. quarum historias qui vel inter se, vel cum hac nostra confundunt, iis vnum chaos omnia. De hac. S. Gregorius homilia Euang. 3. Chrysologus serm. 134. & Martyrologium Romanum die 23. Nouembris: de illa Mombritius tomo 2. Martyrol. Roman. die 18. Iulij & eum in locum semper memorandus Reuerendissimus BARONIVS.

ALTERA HISTORIÆ HVIVS PARS.

De Machabæorum bellis.

CVM, inquit Daniel c. 11. vers. 34. *corruerint* Antiochi nimirum, sæuitiâ & tyrannide, Iudæorum meliores, auitæque religionis tenaciores, *subleuabuntur auxilio paruulo.* Id enim à Machabæis, qui tunc paruuli, oppressi, & ad Antiochi potentiam & vires, quasi nihil erant; afferendum fuit. Et verò allatum est. Nam vbi diuinitus excitati arma semel sumpserunt, ilico religionem, parua quidem manu, sed ingentib. animis, præsentiq; DEI auxilio, fortissimè propugnarūt: Antiochi numerosissimos exercitus fuderunt: prophanatum templum, depressum sacerdotium, labefactatam sacrorum omnium sanctitatem restituerunt. Etsi n. apud D. Hieronymum inibi, de Antichristo, cui sancti pauci quidā obsistent, prophetia hæc explicatur, rectè tamen & proximè de ipsius, qui Antichristi figura, vt supra dixi; erat, Antiochi temporib. accipitur, prout eum in locū noster docet Pererius, & olim Theodoretus. *Quæ à beato Matthia*, inquit, *& filijs eius sustinēda & facienda erant, prædicit* propheta. Quomodo verò facta hæc omnia sint, explicari videtur posse commodè, si Machabæorum duces omnes ordine ponantur, & quæ cum cuiusq; principatu bella vel aliæ quæpiam res connexę sint vno eodemq; orationis cursu simul euoluantur. Sunt autem duces illi Machabæi, quorum nobis gesta duo isti libri narrant; quatuor, Mathathias, Iudas, Ionathas & Simeon. Primus, trium istorum pater est: nobilissimorum fructuum radix nobilissima, de quo iam.

DVX ET PONTIFEX MACHABÆORVM PRIMVS MATHATHIAS.

CAPVT II. Libri prioris.

1 *IN diebus illis surrexit Mathathias filius Ioannis filij Simeonis, sacerdos ex filijs Ioarib ab Ierusalem, & consedit in monte Modin.*
2 *Et habebat filios quinq;, Ioannem, qui cognominabatur Gaddis:*
3 *& Simōnem, qui cognominabatur Thasi:*
4 *& Iudam, qui vocabatur Machabæus:*
5 *& Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: & Ionathan, qui cognominabatur Apphus:*
6 *Hi viderunt mala, quæ fiebant in populo Iuda, & in Ierusalem.*
7 *Et dixit Mathathias: Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, & sedere illic, cum datur in manibus inimicorum?*
8 *Sancta in manu extraneorum facta sunt: templum eius sicut homo ignobilis.*
9 *Vasa gloriæ eius captiua abducta sunt: trucidati sunt senes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum.*
10 *Quæ gens non hæreditauit regnum eius, & non obtinuit spolia eius?*
11 *Omnis cōpositio eius ablata est: Quæ erat libera, facta est ancilla.*
12 *Et ecce sancta nostra, & pulchritudo nostra desolata est, & coinquinauerunt ea Gentes.*
13 *Quo ergo nobis adhuc viuere?*
14 *Et scidit vestimenta sua Mathathias, & filij eius: & operuerunt se cilicijs, & planxerunt valdè.*
15 *Et venerunt illuc qui missi erant à rege Antiocho, vt cogerent eos, qui confugerant in ciuitate Modin, immolare, & accendere thura, & à lege Dei discedere.*
16 *Et multi de populo Israël consentientes accesserunt ad eos, sed Mathathias, & filij eius constanter steterunt.*
17 *Et respondentes qui missi erant ab Antiocho dixerūt Mathathiæ: Princeps & clarissimus, & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filijs, & fratribus.*
18 *ergo accede prior, & fac iussū regis, sicut fecerunt omnes Gentes, & viri Iuda, & qui remanserunt in Ierusalem: & eris tu, & filij tui inter amicos regis, & amplificatus auro, & argento, & munerib. multis.*
19 *Et respōdit Mathathias, & dixit magna voce: Et si omnes Gentes regi Antiocho obediunt, vt discedat vnusquisq; à seruitute legis patrum suorum, & consentiat mandatis eius:*
20 *ego & filij mei, & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum.*
21 *Propitius sit nobis Deus: non est nobis vtile relinquere legem, & iustitias Dei:*
22 *non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus trāsgredientes legis nostræ mandata, vt eamus altera via.*
23 *Et vt cessauit loqui verba hæc, accessit quidam Iudæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in ciuitate Modin, secundum iussum regis:*
24 *& vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram:*
25 *sed & virum quem rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit.*
Num. 25.13. 26 *& zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zamri filio Salomi.*
27 *Et exclamauit Mathathias voce magna in ciuitate, dicens: Omnis, qui zelum habet legis statuēs testamentū, exeat post me.*
28 *Et fugit ipse, & filij eius in montes, & reliquerunt quæcunq; habebant in ciuitate.*
29 *Tunc descenderunt multi quærentes iudicium, & iustitiam, in desertum:*
30 *& sederunt ibi ipsi, & filij eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum: quoniam inundauerunt super eos mala.*
31 *Et renunciatum est viris regis, & exercitui, qui erat in Ierusalem ciuitate Dauid quoniam discessissēt viri quidam, qui dissipauerunt mandatū regis in loca occulta in deserto, & abiissent post illos multi.*
32 *Et statim persecuti sunt ad eos, & constituerunt aduersus eos prælium in die sabbathorum,*
33 *& dixerunt ad eos: Resistite & nunc adhuc? exite, & facite secundum verbum regis Antiochi, & viuetis.*
34 *Et dixerunt: Non exibimus neque faciemus verbum regis, vt polluamus diem sabbathorum.*
35 *Et concitauerūt aduersus eos prælium.*
36 *Et non responderunt eis, nec lapidem miserūt in eos, nec oppilauerunt loca occulta*
37 *dicentes: Moriamur omnes in simplicitate nostra: & testes erunt super nos cœlum, & terra, quod iniuste perditis nos.*
38 *Et intulerunt illis bellum Sabbathis: & mortui sunt ipsi, & vxores eorum, & filij eorum, & pecora eorum vsque ad mille animas hominum.*
39 *Et cognouit Mathathias, & amici eius, & luctum habuerunt super eos valde.*
40 *Et dixit vir proximo suo: Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt, & non pugnauerimus aduersus gētes pro animabus nostris, & iustificationibus nostris nūc citius disperdent nos à terra.*
41 *Et cogitauerunt in die illa, dicentes: Omnis homo, quicunq; venerit ad nos in bello, die sabbathorum, pugnemus aduersūs eum: & non moriemur omnes, sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.*
42 *Tunc congregata est ad eos synagōga Assidæorum fortis viribus ex Israël, omnis voluntarius in lege.*
43 *& omnes, qui fugiebant à malis, additi sunt ad eos, & facti sunt illis ad firmamentum.*
44 *Et collegerunt exercitum, & percusserūt peccatores in ira sua, & viros iniquos in indignatione sua: & ceteri fugerunt ad nationes, vt euaderent.*
45 *Et circuiit Mathathias, & amici eius, & destruxerunt aras:*
46 *& circumciderunt pueros incircumcisos, quot quot inuenerunt in finibus Israël: & in fortitudine.*
47 *Et persecuti sunt filios superbiæ, & prosperatum est opus in manibus eorum:*

Universidad de Deusto
Biblioteca

48 *& obtinuerunt legem de manibus Gentium, & de manibus regum: & nō dederunt cornu peccatori.*

49 *Et appropinquauerunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus euersionis, & ira indignationis:*

50 *Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamēto patrum vestrorum,*

51 *& mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.*

Genes. 21.2 52 *Abrah. in nonne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam?*
Genes. 41 40.

Num. 25. 13: 53 *Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est dominus Aegypti,*

Eccle. 45. 28. 54 *Phinees patet noster, Zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotij æterni.*

Iosuet. 2. 55 *Iesus dum implenit verbum, factus est dux in Israël.*

Num 34. 6. Iosue 36 *Caleb dum testificatur in ecclesia, accepit hereditatem.*

1 Reg. 2. 14. 57 *Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula.*

2 Reg. 2. 4. 4 Reg. 2. 11 58 *Elias dum zelat Zelum legis, receptus est in cœlum.*

Dan 3. 59 36 *Ananias & Azarias & Misaël credentes, liberati sunt de flamma.*

60 *Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum.* Dan. 6. 22.

61 *Et ita cogitate per generationem, & generationem: quia omnes qui sperant in eum, non infirmantur.*

62 *Et à verbis viri peccatoris ne timueritis: quia gloria eius stercus, & vermis est.*

63 *hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit.*

64 *Vos ergo filij confortamini, & viriliter agite in lege: quia in ipsa gloriosi eritis.*

65 *Et ecce Simon frater vester, scio quod vir consilij est: ipsum audite semper, & ipse erit vobis pater.*

66 *Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua, sit vobis princeps militiæ, & ipse aget bellum populi.*

67 *Et adducetis ad vos omnes factores legis: & vindicate vindictam populi vestri.*

68 *Retribuite retributionem Gentibus, & intendite in præceptum legis.*

69 *Et benedixit eos, & appositus est ad patres suos.*

70 *Et defunctus est anno centesimo & quadragesimo sexto: & sepultus est à filijs suis in sepulchris patrum suorum in Modin, & planxerunt eum omnes Israël planctu magno.*

COMMENTARIVS.

Machabæorum genus, aliud Assamonæorum nomen, & patria.

ANTEQVAM de Mathathia quidquam notem, est vniuersè prius de Machabæorum genere, alioque quodam nomine apud Hebræos vsitatissimo, deque ipsorum patria; dicendum. Horum ergo *genus* isto cap. 2. demonstratur *sacerdotale*: & quidem ex sacerdotalium classium illarum, de quibus ad 3. Regum 1. & ex 1. Paral. 24. dixi, classe prima, *Ioaribi* nimirum, vti Græca & Latina iam correcta hic restantur, non Ioarimi, & clarissimè Iosephus lib. 12. c. 8. Qui etiam vitæ suæ initio, præcipuam Iudæorum *nobilitatem* in eo positam refert, *si sacerdotes essent*, seque ex eadem prima classe ortum gloriatur. Cur vero addat Sigonius lib. 5. de Repub. Hebræorum cap. 2. eos quidem ex Leui posteris esse, sed non ex Eleazari filiis, scire velim, cum ipsemet Mathathias suum, suorumque filiorum *patrem Phineem* vocet, cap. 2. vers. 54. alium verò è tā multis, quos refert, neminem; itemque apud Gorionidem lib. 3. cap. 9. solus Phinees, aliis exemplis omnibus omissis proponatur. Constat vero Phineem Eleazari filium fuisse Num. 25. vers. 7. Iosuę 22. v. 13. 1. Para. c. 6. v. 4. Et nonne prima Ioaribæorum classis, cum primas omnino teneret, ex Eleazaro potius quam ex Ithamare fuit? 1. Paral. 24. v. 4. & 6. An ex Leui eos posteris esse voluit, sed non ex Aaronis quidem stirpe? At è quanam alia? Meraritarum, an Gersonitarum? Isaaritarū an Hebronitarum? Ozielitarum, an aliorum? Certe Commentarius, qui D. Ambrosio tribui solet, in caput Romanæ 1. adeoq; alij omnes ex Aarone proseminatos tradūt, neq; ambigendi causa vel minima vlla est. Hanc porro Ioaribi classem, tradunt Iudæi, sicuti prima ordine atq; functione, ita, dum à Nabuchodonosore templum incenderetur die 9. mensis *Ab*, vltimam fuisse, quæ sacerdotali officio suo fungeretur. Eo enim die, quotannis, lugubre quoddā carmen illi canunt, in quo inter alia, ex presbyterij persona, dicitur, *Die nono mensis hora sacrificij vespertini. Ego eram in vigilia mea, quæ erat vigilia Iehoiarib. Et congregatus est hostis & sua sacrificia obsulit: Et ingressus est in sanctuarium, quod venerat Dominus.* Classem verò vocat S. Lucas c. 1. ἐφημερίαν, Interpres *vicem* eo fere modo, quo id verbi apud Curtium l. 8. sumitur.

Sed non è tribu tantum Leui genus duxerunt, verum & *è regia tribu* Iudæ. quod aliqui colligunt ex verbis infra positis c. 5. v. 63. *Et viri Iuda magnificati sunt.* Possunt tamē ista explicari. vt *Iuda* non tribus, sed ipsius Machabæi nomen sit. cum Græcè legatur ὁ ἀνὴρ Ἰούδας καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐδοξάσθησαν. Ideoq; è cōsuetudine Aaronicæ regiæq; stirpis p matrimonia, inter se cōiugandæ, itéque è

que è communi sententia iam accipiendum è tribu etiam Iudæ illos fuisse, prout aiunt Augustinus 12. cōtra Faustum c. 42. D. Hieronymus, D. Epiphanius, Nicephorus, Lyranus, Burgensis, Abulensis in Gen. 49. Rupertus lib. 9. Trin. c. 29. & Galatinus lib. de arcanis fidei. Quæritur tamen, per *maternam ne*, *an per paternam lineam*, ad Iudæ tribum pertineant? Per paternam, ex Cyrillo lib. 7. contra Iulianum, asserit Genebrardus: per maternam verò Lyranus, Abulensis, Carthusianus, in Genesis cap. 49. Baronius apparatu annalium: licet apud Peretium lib. de benedictionibus Patriarcharum, contraria opinio ipsi mendosè affingatur. Huic portò nobis assentiendum sententiæ. *Primò*, quia hoc ipso capite tam clarè & diserte Machabæi *Sacerdotes* vocantur, & quidem ex prima, vt dixi Ioaribæa classe. Vnde peternum iis genus sacerdotale fuisse necessum est. *Secundò*, Hebr. 7. docet S. Paulus, nullum vnquam de tribu Iuda, altari seruiisse, qui videlicet paternum inde genus acciperet. *Tertiò*, præter iam citatos Christianos, ita docent Rabbini, vt in Aggæum notat Dauid Camius.

Vocantur verò non Machabæi tantùm, vt suprà, sed à Iosepho etiam vtroque, & à Rabbinis passim, *Asamonai*, idq; nominis à magno Simone, è propositis ducibus quatuor vltimo, ipsos accepisse tradit lib. 5. de emend. temporum. Sed Hebræi omnes, qui hanc maxime appellationem vsitarunt, altiùs ordiuntur. & quidem, vt Seder minor, Rabbi Camius & alij, à *patre* Asamoneo. Iosephus Græcus lib. 12. cap. 8. *abauum* dictum Assamonæum dicere videtur, cum ipsum Mathathiam *filium* ait esse Ioannis, Iohannem Simeonis, Simonem Assamonæi. Et ita censet Zonaras, Nicephorus, & in cap. 7. in lib. 3. Gorionidę interpres. Iosippus tamen ipsum nostrorum Machabæorum *auum*, id est, Mathathiæ patrem Iohannem *hasmonai* vocat, & eius filios, filios hasmonai, itemque interdum Gorionides. Fieri tamen potest, vt in Græco Iosephi loco, *Asamonæus ipse*, Simeon ille vocetur: tursumq; vsitatum, vt nepotes & posteri *filij* alicuius dicantur, ideoq; non necesse, vt etiamsi filij Mathathiæ filij dicantur Assamonæi, ipse Assamonæus primus fuerit. sed è maiotibus aliquis, siue is auus, siue proauus, vel alius quicumque fuerit. Sed cur & ipse quisquis fuit, ita vocatus est? Dicendum, nomen istud magnos principes significare, vt Ionathan 1. Reg. 2. docet itemque Abenezra & Dauid Camius, dum illud Psalmi 67. explicant: *venient legati ex Ægypto*, id est, optimates seu principes. Sicque Gorion lib. 3. cap. 3. ait, Antiochum reliquisse Hierosolymis שרשיו, qui Iudæos affligerent, id est, principes & præfectos, licet pro *Mem*, ponat more suo *Nun*, vers. 3. עוד חשבנו *reliquit Præfectos*. Et fortasse, qui è Ioaribæa sacerdotum classe, quia ea omnium princeps, vti dictum, erant; ij *Chasmonim* siue *Hasmonij*, quasi, post Pontificem maximum, essent sacerdotum omnium primi, vocabantur: aut certè qui inter ipsosmet Ioaribæos cæteris præstabant, iis maxime honorifica hæc appellatio tribuebatur. Non est autem *Asmoni* gentis alicuius aut prouinciæ nomen, vt alij quidam putarunt, in quibus & Elias Thisbi, qui & se ignorare dicit, cur Itali Iudæi, ipsos *Cardinales* vocent *Hasmonim*, cum Dauidis tempore Cardinales non fuerint. Rectè tamen sic appellantur, quia sunt Ecclesiæ Christianæ optimates, & quidam veluti Asamonæj, qui consilio illam, vita, viribusque omnibus tueri ac sustentare debent: aut certè, quia ad Ecclesiastici ordinis primam veluti classem euecti sunt. Fuit verò è Sepporis, quæ & Diocæsarea; regione in Galilææ medio *mons Asamon*, vt ait Iosephus lib. 2. Capt. 37. sed quid ad Hasamonæos nostros pertinere is possit, tradit nemo. Leguntur etiam in Epiphanij versione hæresi 62. *Assamæi*. sed sunt ij, qui apud Septuaginta Genes. 10. leguntur ἀσσηναῖοι. Extant apud eundem sanctum Epiphanium hæresi 15. 33. 42. traditiones, siue Misne & δευτερώσεις quatuor. Primæ Moysis. Alterę R. Akibæ. Tertiæ R. Addæ vel Iudæ. Quartæ filiorum Asamonæi.

Patria ipsorum cap. 2. vers. 1. duplex indicatur, Ierusalem & Modin. Nam illinc familia hæc egressa erat: hìc verò sedem domicilium̄que habebat, quæ Græcè μωδεὶν vocatur. Sed à Iosepho cap. 8. μωδεεῖμ, à Gorionide *Modaith*. Quod *in monte* hic additur, abest à Græco. Sed in monte fuisse intelligitur ex iis, quæ cap. 13. dicentur, & testatur apud D. Hieronymum Danielis cap. 11. Porphyrius. A Iosepho κώμη à D. Hieronymo loco cit. & in Esaiæ 30. *vicus* nominatur, prout vtraque vox, & *castellum* à Liuio lib. 34 & 38. vsurpatur. *Vrbem* tamen fuisse textus noster memorat, vers. 17. & seq. ipsiusque incolas vocat etiam Iosephus πολίτας. D. Hieronymus de locis Hebraicis, *Modin*, ait, *vicus iuxta Diospolin, vnde fuerunt Machabæi, quorum hodieq; ibidem sepulchra monstrantur.*

De ipsius Machabæorum ducis primi nomine, Pontificatu, filiis, zelo, & morte.

A Græco textu vocatur primus iste Machabæorum dux μακκαβαῖος, qui Hebræis est *Mathathiah*, prout etiam apud Gorionidem lib. 3. c. 8. appellatur, & more in id genus nominibus apud eosdem illos recepto, *Mathathiahus* ibidem cap. 7. estque idem acsi vocaretur *donum* DEI vel *Dorotheus*, aut veteres, DEVS *dedit*. A Iosepho libro duodecimo, cap. 8. & lib. 1. Capt. 1. eumque sequuto Theodoreto in Danielis 11. vocatur, vsitata syncope, *Matthias*, qui, vt in libello de Apostolis dicebam, à S. Isidoro lib. 7. Orig. vertitur *Donatus*, scilicet à DEO. Id enim ad nominis vim exprimendam addendum.

dendum. Istam verò syncopem videmus infrà lib. 2. cap. 14. vers. 9. Qui enim ibi Latine Matthias est, idem à Græco textu ματτάθιας nuncupatur. Magno verò DEI numine fuit, in tanto religionis discrimine, Mathathias noster Iudæis datus, vt deinceps patebit. Ideoque sibi in eadem familia patrem fratresque, qui idem Matthiæ nomen gererent, scribit vitæ suæ initio Iosephus.

Pontificem verò fuisse videntur negare omnes, qui eum in Pontificum Catalogo, prætereunt, vt Iosephus, Eusebius in Chronicis & apud D. Hieronymum in Danielis 9. Sed prætereuntur ab iisdé etiam alij, quos Pontifices fuisse constat, vt subindicarum suprà in breuicula Pontificum serie fol. 555. Negant etiam alij diserte, vt Scaliger l. 5. Sed Pontificem eum agnoscunt Hebræi, & Chaldæus Thargum Cantic. 6. v. 6. vbi ait. *Regnum domus Hasmonæorum totum plenum est præceptis, sicut malogranatum à Mathathiah cohanà rabbà* (id est, *sacerdote magno*) *& filiis eius, qui erant iustiores illis omnibus & confirmabant præcepta & verba legis in puritate.* Idem de plus Pontificatu asserunt Rabbi Kimhi, Abenezra, & alij. è nostris etiam doctissimus Abulensis in Exodi cap. 20. quæst. 25. Numer. 10. quæst. 14. Accedit etiam minime leuis coniectura. Occisus erat S. Onias anno Seleucidarum 140. Qui vel eo adhuc viuo vel mortuo Pontificatum occupantes, illegitimi Pontifices erant omnes, vti notat in Danielis 11. Theodoretus, & suprà iam vidimus. Quid igitur nunc, qui legis zelum aliquem habuerunt, qui ab ipso etiam Mathathia excitati sunt, facerent? An legitimum Pontificem habere nullum vellent? At qui tanto cum periculo conseruatam religionem vellent, religionis caput nequaquam negligerent. An Oniæ illius prolem deligerent? At vel per ætatem, vel per timiditatem & temeritatem, hoc iam difficili tempore, parum idoneus videbatur. Quid igitur, nisi vt ex omnibus virum eum eligerent, qui ex Aaronis stirpe esset, sacerdos insignis, è sacerdotalium classiū prima & nobilissima, cuius esset spectatissima omnibus probitas & virtus, cui p̃ prisca fide, patriisque sacris zelus maximus, eiusdem pietatis imitatores filij & plures, & fortes, ac prudentes? Videtur autem anno 145. & Dux & Pontifex constitutus, annumque vnum tantum præfuit, cum, vt in v. 70. cap. 2. dicitur, mortuus sit anno eorundem Seleucidarum 146.

Filios quinque habuit, sed et tres tantum in principatu successerunt, reliquis duobus, antequam eo dignitatis peruenirent, mortuis, vt infra patebit. Eorum nomina parte 11. Viterbiensis versu proponit:

Omnia natorum Mathathiæ nomina panges,
Est Simon, Iudas, Eleazarus atq; Ioannes,
Quintus erit Ionathas prælia mira parans.

Adduntur in textu cognomina, quorum ratio ignota. quemadmodum Iosephus in sua vita Simonem *Psellum*, Mathiam *Ephlum*, aliter alios cognominat. Qui verò capite isto 2. dicitur *Gaddi*, Græcè est χαδδὶς, apud Iosephum lib. 12. cap. 8. γαδὶς: & refert idem lib. 15. cap. 11. fuisse ab Herode quendam interfectum, qui *Gadias* vocaretur vel *Antipater*. Qui *Thassi*, Græcè Thassi, apud eundem verò Iosephum est μαρὼθ. Qui *Abaron*, Græc. Αὐαρὰν. apud Iosephum Αὐαρὸν. Sæpè verò meminit idem *Auranitidis* regionis, quam & *Abronitidem* interdum vocat. An ab ea iste? De eo iterum postea.

Mathathias igitur primo seipsum, suosque filios ad Religionis defensionem excitat, vers. 7. eo modo exclamans, quo apud Eusebium historiæ lib. 5. cap. 19. S. Polycarpus. Vnde parturienti eum mulieri comparat Rupertus lib. 9. de vict. cap. 28. Deinde à pœnitentiæ operibus ciliciis & planctu rem orditur, vers. 14. Sed è populo multi, ad eos, quos Antiochus Rex miserat, apostasia detestabili, accesserunt, v. 16. Horum vnum publicè idolis sacrificantem v. 23. prout postea fecit apud Iosephū alius l. 7. Capt. 9 cum vidisset, zelo Phineitico interfecit. Quem verò & quomodo interfecerit, non modo ab aliis alij, sed à seipso etiam Iosephus discrepat. Nam de Bello lib. 1. cap. 1. *Bacchidem* interfectum ait, lib. 12. ca. 8. *Apellem*. Iosippus Hebræucus monomachia cum Apostata illum congressum refert: Gorionides lib. 1. cap 8. illi sacrificanti caput abscidisse, ita vt, ante missi ab Antiocho Principis pedes, caput caderet: truncum corpus super altare rueret. Principum deinde vnum interfecisse, satellitum plures conculcasse. Egesippus verò lib. 1. c. 1. *Mathathias Sacerdos non solum ipse temperauit à sacrilegio, verum & immolantem simulachris hostias de populoribus suis, gladio transuerberauit.* Porrò, quēadmodum post Cannensem pugnam Scipio apud Liuium lib. 2. Decadis 3. aut contra Gracchum progrediens Nasica clamabat, *Qui vult salutem Reipubl. me sequatur*, prout ait Valerius lib. 3. c. 2. Paterculus lib. 2. Ita hic noster v. 27. *Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum* (id est, initum cum Deo Religionis fœdus conseruans. & vt stet, vigeatque efficiens) *exeat post me. præcepti*, quod Deuter. 13. ponitam est; *memor*, inquit S. Cyprianus exhort. ad Martyrium ca. 5. adeo, vt sicuti Phineem, ita hunc imitandum proponat Innocentio Pontifici S. Bernardus epist. 158. Ante grauissimū, quod cum Francis iniit prælium Narses dux fortissimus, *Ideo* eum Mathathię nostro consimilia fecisse refert liber Agathias. *Vnum*, quod vt ille Apostatam, sic iste improbum quendam Herulum, qui fœtum occiderat, vita mulctarit. *Alterum*, quod vt ille, sic iste clamarit. *Qui vult se victoriæ fieri participem, me sequatur.*

Hinc multorum, qui Regis illius mandatum dissiparant & pro nihilo duxerāt, fuga in solitudines v. 29. & 31. Contrà quos bellum à Regiis, & præsertim iis, quos in arce Hierosolymitana collocatos fuisse dictum est, geri cœptum. Sed *cum essent*, inquit S. Ambr. 1. offic. c. 40. *parati ad repugnandum*

dum, pro templo DEI *& pro legitimis suis, dolo hostium, dies lacessiti Sabbathi, malucrunt vulneribus offerre mundà corpora, quam repugnare, ne violarent Sabbathum*, vers. 36. quemadmodum apud Plutarchum, in Aristide, contra Persas Lacedæmonij. Sed an *satis prudenter & bene* istud illi fecerunt *Generatim* omnes Iudæos, quòd, custodiendo Sabbatho, septimam ætatis partem vacando perdant, reprehendit apud Iosephum lib. 12. c. 1. Agatharchides, & apud Augustinum lib. 6 ciuit. cap. 11. Seneca. *Spectatim* verò Abulensis Exod. 1. cap. 20. quæst. 35. ad arg. 1 *ignorantiæ* istos laborasse ait. Ea tamē in vitio fuisse non videtur, quia & tunc omnibus ea opinio de Sabbatho custodiendo fuisse videtur, cum ex absurdo tantum, & ex effectu colligant vers. 40. 41. licere, diebus etiam Sabbathi, hostibus repugnare. Sæpius enim tali die hostium in eos impressio fuerat: Ptolomæi Lagi apud Iosephum lib. 12. cap. 1. Apollonij lib. 2. Machā. c. 5. Philippi ibid. c. 6. Agatharchides ille apud Iosephū lib. 1. contra Apionem, ait, *Sabbatho arma Iudæis gestare non licere.* Ipse verò Iosephus lib. 14 cap. 8. ait, patrij moris fuisse, vt si hostes Sabbatho pugnam inciperent, ipsos q; Iudæos adorirentur, ij se se defenderent. Sin verò aliud quid molirentur, contra eos nihil se le Iudæi commouerent, sicq; à Pompeio, cum id aduerteret, fossas & turres diebus Sabbathi factas, tandemq; templum & Hierosolymam totam captam. Iudæi duo fratres Neerdatæ Asinæus & Anilæus contra Parthos arma sumpserant, & eos die Sabbathi voluit inuadere Mithridates Parthus, sed vt lib. 18. cap. vlt. narrat Iosephus, ab illis fortiter obsistentibus, iste victus, captus, asinoq; impositus est. Idem paulò ante itidem contra eos venerat Satrapa Babylonius. sed referente Iosepho, *legi magis consentaneum censuit* Asinæus, *vires, ob necessitatem, exercere, armaque corripere, sicque si mori oporteret, supplicium de hostibus sumere, quam nihil agendo mori, sicque ipsis etiam hostibus gaudij materiam suppeditare.* Nondum scilicet exaudierant, vel cogitarant, quod à domino Matth. 12. vers. 12. dictum est. *Licet sabbatis benefacere.* vel si qui postea iam audierant, vel audire certè potuerant, id nondum credebant. Improbat enim Iosephus lib. 2. Capt. 37. quod Iudæorum quidam, die sabbathi, in Romanos, licet victoriam consequuti sint; irruerint. Et in vita sua refert, quemadmodum die parasceues, dimissos iam, ob instans sabbathum, milites reuocare noluerit, etiamsi magna videretur necessitas. rursumque lib. 13. c. 16. lib. 14. cap. 17. quomodo, eam ob causam, impetrarint Iudæi πᾶν ἀναγκαῖον, *immunitatem à bello & delectu*, quod sabbaticis diebus neque arma ferre, neque iter facere possent. Quin verò apud eundem Iosephum lib. 2. Capt. 28. concionatur ad Iudæos ipsos Agrippa Rex. *Considerare oportet, quemadmodum diuini cultus puritas* (Hoc enim est τὸ τῆς θρησκείας ἀκήρατον noti τὸ ἀκέραιος vt legisse videtur Ruffinus, dum ab eo vertitur, *religionis immoderatio*) *etiamsi aduersus hostes, qui superari facile possent, bellum gereretis, difficulter à vobis retineri & administrari posit: & quòd per quæ vobis maxime Deum adiutorem speratis, per ea ipsa, dum ea transgredi necesse itate ipsa cogimini, eum à vobis auertitis. Seruantes enim ipsa sabbatorum instituta, & nullam ad actionem excitati, facile capiemini, quemadmodum & maiores nostri à Pompeio capti sunt, dum eos dies, in quibus illi obsessi seriabantur, in obsidionis operibus maxime consumebat. Si verò in bello patriam violare legem oportebit, pro quare certamen deinceps vllum suscipere velitis, nescio.* Et infrà cap. 32. quod Romanorum quosdam sabbatho cæcidissent è seditiosis Iudæis quidam, magna erat Hierosolymis turbatio, quia *tunc*, ait, *ob sacrorum procurationem habent Iudæi ab operibus cessationem, & quasdam velut inducias.* Eodem die eademque pæne hora factum est, vt Cæsareenses, sua in vrbe Iudæos feriantes inuaderent, ex iisque amplius vicies mille occiderent. Sed cum ista nostri illi simpliciores neque audire, neque cognoscere potuerint, non sunt, vt ibi, culpandi, neque fuit propriè dicta in iis imprudentia, ideoque nec vituperatione digna inscientia. Deinde adtantam Sabbathi custodiam, eos religionis in DEVM ipsiusque legis amor excitabat, & summæ laudis est, pro sacris rebus, DEI, Ecclesiæque legibus grauissima quæque perpeti: etiamsi quis fortè, *tali & loco & tempore*, obligatus non esset. Ideoque de Mathathia Egesippus l. c. *congregata*, inquit, *manu, atque Asideis in societatem assitis, ipse eum filiis suis temerantes vsum patrium & iustitias legis, alios meauit, plerosque expulit, bellique Sabbatho adoriendi auctor fuit, ne simili quoque arte deciperentur sicut iam plerique eorum, dum Sabbatho bellum suscipere detrectant, irruentibus in se hostibus multi occubuere.* Nam quod in libris nonnullis est, *multi* occubuere; corrigendum, cum antecedat, *plerique*; & in manuscriptis Codicibus, *inulti*, legatur, vti monet Cornelius Gualterus. Alia ratio superstitiosorum, qui postea fuerunt, Iudæorum, de quibus Origenes lib. 4. de principiis, Synesius epistola ad Euoptium, vbi piorum istorum Iudæorum mentionem facit. Vide Tertull. contra Iudæos, vbi ex hoc loco rectè ostendit, Sabbathi obseruationem perpetuam esse non debuisse. Rupertus lib. 10. de Vict. cap. 2. diuinitus factum ait, vt istis se defendentibus desiderium generis sui conseruandi fuerit, è quo CHRISTVM IESVM salutem humani generis nasci oportebat. Et rectissimè monet citata quæstione Abulensis, istos legem quidem Sabbathi tanto necessitatis articulo non obligare interpretatos, sed præsente & interpretante illo, cui merito acquiescendum erat, quique id genus controuersias explanandi & diiudicandi ius habebat, Deut. 17. Pontifice Maximo Mathathia Dicunt, apud D. Thomam hoc loco dispensationem factam fuisse. Sed cum lex eos tum nō obligaret, non dispensatione, sed explicatione tantum & diiudicatione opus fuit. Ideoque subdit ille. Propriè non fuit *ibi violatio Sabbathi, nec dispensatio, sed omnimoda eius obseruatio, quia licitum & iustum est etiam Sabbatho fieri charitatis opera, & isti mouebantur charitate & zelo legis, qua opera etiam aliàs de seruilibus sunt mora-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ira, & maximè quando fiunt ex charitate illa imperante, propter honorem & obseruantiam legis & Sabbathi. Vnde videtur mihi, sine præiudicio, quod ipsi fecerunt melius quam primi, de quibus bene dictum est, quod in simplicitate sua mortui fuerunt. Et cum hunc eundem locum sibi obiecisset, 2.2.q.140.a.4. respondet. *Obseruatio festorum non impedit ea, quæ ordinantur ad hominis salutem, etiã corporalem. Vnde Dominus arguit Iudæos dicens Ioan. 7. Mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbatho? Et inde est quod medici licite possunt medicari homines in die festo. Multo autem magis est obseruanda salus Reip. per quam impediuntur occasiones plurimorum, & innumera mala & temporalia & spiritualia, quã salus corporalis vnius hominis. Et ideo pro tuitione Reip. fidelium licitum est iusta bella exercere in diebus festis: si tamen hoc necessitas exposcat. Hoc enim esset tentare Deum, si quis imminente tali necessitate vellet a bello abstinere. sed necessitate cessante non est licitum bellare in diebus festis.*

Posteà igitur impij Gentiles & Apostatæ interfecti à Mathathianis istis plurimi, idolorum aræ deiectæ, v. 42. & dicuntur v. 48. *non dedisse cornu peccatori*, id est, inquit D. Thomas, *occasionem gloriæ*. ita sc. vt deinceps passi eum non sint amplius crescere, cornua tollere, ac ferocire. Apud D. Hieronymum Danielis 11. occisum in prælio Mathathiam ait Porphyrius. quod hîc nunquam asseritur. Et licet vulnerari, posteaque illo è vulnere mori, Epaminondæ vel Iosiæ instar, potuisse, quasi tamen ei mortem attulisset natura, ita narratur v. 49. Sed antequã moreretur, *vocatis ciuibus*, ait Egesippus, *pulcherrimam ad filios cohortationem habuit* v. 50. In qua notanda sententia ver. 62. 63. quemadmodum Ecclesiastici 10. *Rex hodie est & cras morietur.* Sed illud; *Gloria eius, stercus & vermis est*, quã nobis vtile! quam præclarum! Si enim *gloria*, pro eo ipso *accidente*, quod propriè gloria dicitur: accipiatur, stercus est, quia paulò pòst, visu fœda & odoratu terra est, dum in dedecus & infamiam diuino iudicio vertitur. Si verò *pro* ipso *glorioso*, multo magis, quia & ipse in stercus & vermes abit. Si verò gloriæ *fundamentum* gloria vocetur, est illud quidem in vana istiusmodi mundanaque gloria vanissimum & inanissimum. corporis pulchritudo, vestium splendor, opum abundantia, imperij amplitudo. & nonne omnia hæc teterrimum paulò pòst fœtorem exhalant, conscientiam arrosione perpetua discruciant? Græcus eleganter quidẽ ait; ἡ δόξα αὐτῆς εἰς κοπρίαν καὶ εἰς σκώληκας. *Gloria eius in stercus & vermes est.* Sed maiore cum emphasi in Latino: est ipsissimum stercus, ipsissimus vermis. Sic in vita S. Bernardi lib. 1. cap. 6. cum eius soror splendidis vestibus, magnoque cultu & apparatu ad visendum eum venisset, eam alter ipsius frater Andreas, Bernardinæ iam sanctitatis imitator, vocabat *stercus inuolutum*. Et S. Paulus Philip. 3. vers. 8. *Omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt* CHRISTVM *lucrifaciam.* Notanda & sacrarum historiarum exemplorumque vtilitas; de qua S. Paschasius (cuius lib. 4. dialogorũ c. 40. D. Gregorius miracula proponit) epistola ad Eugipium; *Quantum*, ait, *gesta Sanctorum vtilitatis impertiant, quantum seruoris attribuant quantum puritatis infundant, de hac re Apostolicæ vocis authoritas, latius innotescens, forma, inquit facti gregis. Et B. Paulus Timotheo præcepit, formam esse fidelibus. Vnde iam Apostolus iustorum catalogum summa breuitate contexẽs, ab Abel incipiens, insignium virorum pergit narrare virtutes. Sic & ille fidelissimus Mathathias morti gloriosissimæ iam propinquans, filiis suis hereditario iure exempla distribuit.* Vide Sophronium cap. 212. Prati. D. Augustinum libro 8. confess. cap. 2. 4. 7. 8. Rabanum in Iudith cap. 8. *Præteritorum*, ait, *patrum fortia gesta, præsentium sunt documenta salubria* D. Gregorium initio lib. 4. in lib. Regum. D. Hieronymus inter *diuinæ legis zelotas*, quorum zelum bonum legamus eundem Mathathiam cum Phinees & Elia recensẽt libro 2. ad Galatas, cap. 4.

DVX ET PONTIFEX SECVNDVS
IVDAS MACHABÆVS.

E capite tertio libri primi.

1 ET surrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus filius eius pro eo:
2 Et adiuuabant eum omnes fratres eius; & vniuersi, qui se coniunxerant patri eius, & præliabantur prælium Israel cum lætitia.
3 Et dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica sua in præliis, & protegebat castra gladio suo.
4 Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione.
5 Et persecutus est iniquos perscrutans eos: & qui conturbabant populum suum, eos succendit flammis:
6 & repulsi sunt inimici eius præ timore eius, & omnes operarij iniquitatis conturbati sunt: & directa est salus in manu eius.
7 Et exacerbabat reges multos, & lætificabat Iacob in operibus suis, & in sæculum memoria eius in benedictione.
8 Et perambulauit ciuitates Iuda, & perdidit impios ex eis, & auertit iram ab Israel.
9 Et nominatus est vsq; ad nouissimum terræ, & congregauit peruentes.

E CA-

E CAPITE VIII. LIBRI SECVNDI.

1 IVdas verò Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in castella: & conuocantes cognatos, & amicos, & eos, qui permanserunt in Iudaismo, assumentes eduxerunt ad se sex millia virorum.
2 Et inuocabant Dominum, vt respiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur: & misereretur templo, quod contaminabatur ab impijs:
3 misereretur etiam exterminio ciuitatis, quæ esset illico complananda, & voce iangunis ad se clamantis audiret:
4 memoraretur quoque iniquissimæ mortes parvulorum innocentũ, & blasphemiæ nomini suo illatæ, & indignaretur super his.
5 At Machabæus, congregata multitudine, intolerabilo gentibus efficiebatur: ira enim Domini in misericordiam conuersa est.
6 Et superueniens castellis, & ciuitatibus improuisus, succendebat eas: & opportuna loca occupans, non paucas hostium strages dabat:
7 Maximè autem noctibus ad huiusce modi excursus ferebatur, & fama virtutis eius vbiq; diffundebatur.

COMMENTARIVS.

DE hoc secundo Machabæorum Duce & Pontifice agitur lib. 1. à cap. 3. ad cap. 9. v. 19. lib. 2. à c. 8. ad finem. sed ita, vt ipsius Iudæ finem is liber nondum attingat, sed ea tantum, quæ libro 1. vsque ad cap. 8. describuntur. Proponitur verò ipsius electio & quædam laudatio cap. 3. à versu 3. neque dicitur electus, quod primò esset genitus vel natu maximus, vt vult Sedet minor, Iosippus & Iosephus libro 1. de bello cap. 1. sed quod esset *fortis viribus à iuuentute sua*, c. 2. vers. 66. An tamen primogenitus fuerit, in Simone dicetur. De electione & eiusdem vnctione, ita Gorion cap. 9 lib. 3. *Protulit Mathathias cornu cum oleo, & effundens super caput eius, vnxit eum ad prælia: vociferatusque vniuersus populus, & dixerunt: Viuat vnctus* Iosippus verò, *Producens*, ait, *Iudam magnum & fortem, statuit eum in sanctuario. accipiensq; cornu olei, effudit super caput eius, & plauserunt omnes de Israel, subito magno dicentes: Viuat Rex.* Post hæc, *res* eius gestæ describuntur, quæ *in trium Regum tempora incidunt.* Antiochi Epiphanis, Antiochi Eupatoris, & Demetrij.

Quæ Antiochi Epiphanis tempore contigerunt.

E libri primi capite tertio.

10 ET congregauit Apollonius Gentes, & à Samaria virtutem multam & magnã ad bellandum contra Israel.
11 Et cognouit Iudas, & exijt obuiam illi: & percussit, & occidit illũ: & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt.
12 & accepit spolia eorum: & gladium Apollonij abstulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.
13 Et audiuit Seron princeps exercitus Syriæ, quod congregauit Iudas congregationem fidelium, & ecclesiam secum,
14 & ait: Faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo Iudã, & eos, qui cum ipso sunt, qui spernebant verbũ regis.
15 Et preparauit se: & ascenderunt cum eo castra impiorum fortes auxiliaris, vt facerent vindictam in filios Israel.
16 Et appropinquauerunt vsque ad Beth-horon: & exiuit Iudas obuiam illis cũ paucis.
17 Vt autem viderunt exercitum venientem sibi obuiam, dixerunt Iudæ: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & tam fortem, & nos fatigati sumus ieiunio hodie?
18 Et ait Iudas: Facile est concludi multos in manus paucorũ: & non est differentia in cõspectu Dei cœli liberare in multis, & in paucis:
19 Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est.
20 Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci, & superbia vt disperdãt nos, & vxores nostras, & filios nostros, & vt spolient nos:
21 nos verò pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris:
22 & ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: vos autem ne timueritis eos.
23 Vt cessauit autem loqui, insiluit in eos subitò: & contritus est Seron, & exercitus eius in conspectu ipsius:
24 & persecutus est eum in descensu Bethoron vsque in campũ, et ceciderunt ex eis octingenti viri, reliqui autem fugerunt in terram Philistiim.
25 Et cecidit timor Iudæ, ac fratrũ eius, et formido super omnes gentes in circuitu earum.
26 & peruenit ad regem nomen eius, & de prælio Iudæ narrabant omnes Gentes.
27 Vt audiuit autem rex Antiochus sermones istos, iratus est animo: & misit, et cõgregauit exercitum vniuersi regni sui, castra fortia valdè:

Universidad de Deusto
Biblioteca

28 *& aperuit ærarium suum, & dedit stipendia exercitui in annum: & mandauit illis vt essent parati ad omnia.*

29 *Et vidit quod defecit pecunia de thesauris suis: & tributa regionis modica propter dissensionem, & plagam, quã fecit in terra, vt tolleret legitima, quæ erant à primis diebus:*

30 *& timuit ne non haberet vt semel & bis, in sumptus & donaria, quæ dederat antè larga manu: & abundauerat super reges, qui ante eum fuerant.*

31 *Et consternatus erat animo valdè, & cogitauit ire in Persidem, & accipere tributa regionum, & congregare argentũ multũ.*

32 *Et reliquit Lysiam hominem nobilem de genere regali, super negotia regia, à flumine Euphrate vsq; ad flumen Ægypti:*

33 *& vt nutriret Antiochum filium suum, donec rediret.*

34 *Et tradidit ei medium exercitum, & elephantos: & mandauit ei de omnibus, quæ volebat, & de inhabitãtibus Iudeam, & Ierusalem:*

35 *& vt mitteret ad eos exercitum ad conterendam, & extirpandam virtutem Israel, & reliquias Ierusalem, & auferẽdam memoriam eorum de loco:*

36 *& vt constitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum, & sorte distribueret terram eorum.*

37 *Et rex assumpsit partẽ exercitus residui, & exiuit ab Antiochia ciuitate regni sui anno centesimo & quadragesimoseptimo: & transiuetauit Euphratẽ flumen, & perambulabat superiores regiones.*

COMMENTARIVS.

SVNT ea quæ temporibus Epiphanis contigerunt à cap. 5. ad caput sextum, ver. 16. lib. 2. cap. 8. ad caput 10. v. 10. Prælia iniit Iudas potissimum quatuor cum Antiochi huius ducibus.

Primum fuit cum Apollonio cap. 3. ver. 10. qui interfectus est, eiusque gladium, quemadmodum 1. Regum 17. & 21. ipsius Goliathi Dauid accepit. Gorion lib. 3. c. 10. cum dixisset, inter Macedonas & Hasidæorum cœtum, magnum initum prælium, subdit: *Cum Iudas pugnaret & videret Apollonium stantem in medio exercitus Macedonum, currens ad eum ex furore spiritus sui, & penetrans in prælij medium, percussit ad sinistram atque dextram, & strauit fortissimos Macedonia, haud secus ac messor deycit manipulos & spicas messis sua, pergensq; ad Apollonium, percussit eum gladio suo, & mortuus est.* Hunc gladium fuisse acutum & latum, significat ea. 23. lib. 3. idem Gorionides. Tribus verò de causis, hostium, qui cæsi sint, arma gestare solent victores: vel quia valdè illa bona sunt: vel quia gestantem ipsum excitant, pristinæque virtutis admonent: vel quia laudem & gloriam afferunt. Sic Æneidos lib. 10. & 12. in prælijs, balteo vtebatur Pallantis pueri, *victum quem vulnere Turnus Strauerat, atq; humeris inimicum insigne ferebat.*

Secundum prælium fuit cum Serone ver. 13. qui & ipse interfectus. Sed nota, initio, certamen cũ ipso Iudæos horruisse, quod ieiunio vel necessitatis vel religionis causa eo die susceptо, debilitati valdè essent, vers. 17. quemadmodum 1. Reg. 14. Gorion sanè tradit, eos tota nocte iter fecisse, & cũ mane hostiles copias adeo ingentes vidissent, dixisse; *Quomodo possumus contra istam pugnare multitudinem, nos, qui pauci numero sumus?* Sed eos excitauit Iudas vers. 18. vbi pulcherrima sententia, vt in cap. 4. ver. 89. Et 1. Regum 14. v. 6. 3. Regum 20. Psal. 19. Iudicum 7. Pridie verò quam manum conserrent, eos ad obuiam hostibus subitò procedendum excitauit; *Non est* ait, *nobis cunctandum egrediamur ad ipsos, præsertim quia accesserunt fratres nostri de Hasidæorum cœtu è populo nostro. Si expectemus quo ad hus illi veniant, tum dicent hostes nostri, nos quam se magis timere.* At priora illa Gorionidæ verba minus benè vertit interpres; *Non*, ait, *accingamus nos, sed absque mora egrediamur contra eos, præsertim cum abierint fratres nostri de congregatione fidelium ex populo nostro*, quasi Hasidæi isti facti essent Apostatæ. Post victoriam, magna ipsius Antiochi ira secuta est, vers. 27. magnus belli apparatus. & cum pecunia satis ampla propter regionum seditiones & tumultus, quemadmodum notat Iosephus, non supperetet; in Persidem proficisci decreuit: simulque *Lysiam* regionum istarum Ducem summum reliquit. ver. 32. & sequent. hic verò *tres alios* potentissimos, inferiores tamen, *duces* elegit. *Primus* erat Ptolemæus, qui non *Doro*, vt in Sulpitio est; sed *Dorymini*, vel vt Græcus textus & Iosephus scribit, *Dorymenis*, filius extitit, reliquosque duces duos, vt ex libro 2. cap. 8. patet, dignitate superabat, ad quem Philippus ille, de quo lib. 2. cap. 8. rerum omnium statum referebat. *Alter* fuit Nicanor Patrocli filius, qui & ipse, vt ex eodem cap. 8. patet, tertio dignitate maior erat. Fuit iste *tertius* Gorgias, qui capite 8. vers. 9. pro *militari viro*, Græcè dicitur σεγηνός, & malè in Iosippo Bagris vel Gorgonius.

Nota deinceps ab istis ducibus grauissimum in Iudæos bellum conciratum, adeò vt cap. 8. v. 13. plerique fugerent: ad preces alij sese verterent. Mercatores verò ad Iudæos quasi iam victos, mancipiorum instar, emendos, è maritimis emporiis & Syria tota confluerent. & de iis D. Hieronymus in Ezechielis 27. Dionysius item in Periegesi. Causa eodem cap. 8. vers. 10. exponitur, quod cum Romanis deberet Antiochus duorum millium talentorum tributum, id Nicanor, diuenditis Iudæis, colligere & resarcire cupiebat. Sed eorum nonaginta, tanquam viliissima capita, vno talento vendere volebat, cum paulò ante, Hyrcanus quidam, apud Iosephum lib. 12. cap. 4. vnum adolescentulum, vno talento, vnamque puellam talento vno emeret. Volebat verò Nicanor maximè pueros & adolescentulos Iudæos vendere, vt explicat Gorionides lib. 3. cap. 13. Pro *duobus talentorum millibus*, tantùm in Græco textu sunt *ducenta talenta*. & sic in Græco Iosepho lib. 15. cap. 5. in historia tamen alia. Nam vbi Latinus ait; *Aretas Rex Arabum dabat duo millia talenta*. in Græco tantùm *ducenta* sunt. *Tertium* igitur prælium cum ducibus istis iniit Iudas, sed cap. 4. maximè nominatur *Gorgias*, à Gorionide *Nicanor*. Notabisque quædam *ante prælium*, quædam *in prælio*, quædam *post*.

De iis, quæ ante tertium prælium cum Epiphanis ducibus à Iuda & Iudæis gesta.

E capite tertio libri primi.

38 ET elegit *Lysias Ptolomæum filium Dorymini, & Nicanorem, & Gorgiam viros, potentes ex amicis regis:*

39 *& misit cum eis quadraginta millia virorum, & septem millia equitum vt venirent in terram Iuda, & disperderent eam secundum verbum regis.*

40 *Et processerunt cum vniuersa virtute sua, & venerunt, & applicuerunt Emmaum in terra campestri.*

41 *Et audierunt mercatores regionũ nomen eorum: & acceperunt argentum, et aurum multum valdè, & pueros: & venerunt in castra, vt acciperent filios Israël in seruos, & additi sunt ad eos exercitus Syriæ, & terræ alienigenarum*

42 *Et vidit Iudas, & fratres eius, quia multiplicata sunt mala, & exercitus applicabant ad fines eorum, & cognouerunt verba regis quæ mandauit populo facere in interitum, & consummationem:*

43 *& dixerunt vnusquisque ad proximum suum: Erigamus detectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & sanctis nostris.*

44 *Et congregatus est conuentus, vt essent parati in prælium: & vt orarent, & peterent misericordiam & miserationes.*

45 *Et Ierusalem non habitabatur, sed erat sicut desertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis eius: & sanctum conculcabatur: & filij alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: & ablata est voluptas à Iacob, & defecit ibi tibia & cithara.*

46 *Et congregati sunt, & venerunt in Maspha contra Ierusalem: quia locus orationis erat in Maspha antè in Israël.*

47 *Et ieiunauerunt illa die, & induerunt se ciliciis, et cinerem imposuerunt in capiti suo: & diuiderunt vestimenta sua:*

48 *et expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudinem simulachrorum suorum:*

49 *Et attulerunt ornamenta sacerdotalia, & primitias, & decimas: et suscitauerunt Nazaræos, qui impleuerant dies:*

50 *et clamauerunt voce magna in cœlum, dicentes: Quid faciemus istis, & quo eos ducemus?*

51 *et sancta tua conculcata sunt, & contaminata sunt, & sacerdotes tui facti sunt in luctum & in humilitatem.*

52 *et ecce Nationes conuenerunt aduersum nos vt nos disperdant: tu scis quæ cogitant in nos.*

53 *Quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adiuues nos.*

54 *Et tubis exclamauerunt voce magna.*

55 *Et post hæc constituit Iudas duces populi, tribunos, & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones.*

56 *Et dixit his qui ædificabant domos, & sponsabant vxores, & plantabant vineas, & formidolosis, vt redirent vnusquisque in domum suam secundum legem.* Deuter 20. 5. Iu. 7. 3.

57 *Et mouerunt castra, et collocauerunt ad Austrum Emmaum.*

58 *Et ait Iudas: Accingimini, et estote filij potentes, et este parati in mane, vt pugnetis aduersus Nationes has, quæ conuenerunt aduersus nos disperdere nos, et sancta nostra:*

59 *quoniam melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & sanctorum.*

60 *Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.*

è CAP. IV. eiusdem libri.

1 ET assumpsit Gorgias quinque millia virorum, & mille equites electos: & mouerunt castra nocte.

2 *vt applicarent ad castra Iudæorum, & percuterent eos subitò: & filij, qui erant ex arce, erant illis duces.*

3 *Et audiuit Iudas, & surrexit ipse, & potentes percutere virtutem exercituum regis, qui erant in Emmaum.*

4 *Adhuc enim dispersus erat exercitus à castris.*

5 *Et venit Gorgias in castra Iudæ nocte,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& neminem inuenit, & quærebat eos in montibus: quoniam dixit: Fugiunt hi a nobis.

6 Et cum dies factus esset, apparuit Iudas in campo cum tribus millibus virorum tantum: qui tegumenta, & gladios non habebant.

7 & viderunt castra Gentium valida, & loricatos, et equitatus in circuitu eorum, & hi docti ad prælium.

8 Et ait Iudas viris, qui secum erant: Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis.

Exodi 14.9. 9 Memento te qualiter salui facti sunt patres nostri in Mari rubro, cum sequeretur Pharao cum exercitu multo.

10 Et nunc clamemus in cœlum: & miserebitur nostri Dominus, & memor erit testamenti patrum nostrorum, & conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie:

11 Et scient omnes Gentes quia est qui redimat, & liberet Israël.

12 Et leuauerunt alienigenæ oculos suos, & viderunt eos venientes ex aduerso.

13 Et exierunt de castris in prælium, & tuba cecinerunt hi, qui erant cum Iuda:

14 Et congressi sunt, & contrita sunt Gentes, & fugerunt in campum.

15 Nouissimi autem omnes ceciderunt in gladio, & persecuti sunt eos usque Gezeron, & usque in campos Idumææ, & Azoti, & Iamniæ: & ceciderunt ex illis usque ad tria millia virorum.

16 Et reuersus est Iudas, & exercitus eius sequens eum.

17 Dixit, ad populum: Non concupiscatis spolia, quia bellum contra nos est.

18 & Gorgias & exercitus eius prope nos in monte: sed state nunc contra inimicos nostros, & expugnate eos, & sumetis postea spolia securi.

19 Et adhuc loquente Iuda hæc, ecce apparuit pars quædam prospiciens de monte.

20 Et vidit Gorgias quod in fugam conuersi sunt sui, & succenderunt castra: fumus enim, qui videbatur, declarabat quod factum esset.

21 Quibus illi conspectis timuerunt valdè, aspicientes simul & Iudam, & exercitum in campo paratum ad prælium.

22 Et fugerunt omnes in campum alienigenarum:

23 & Iudas reuersus est ad spolia castrorum, & acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas.

24 Et conuersi, hymnum canebant, & benedicebant Deum in cœlum, quoniam bonus est, quoniam in sæculum misericordia eius.

25 Et facta est salus magna in Israël in die illa.

26 Quicunque autem alienigenarum euaserunt, venerunt, & nunciauerunt Lysiæ vniuersa, quæ acciderant.

27 Quibus ille audito consternatus animo deficiebat: quod non qualia voluit, talia contigerunt in Israël, & qualia mandauit rex.

E CAPITE VIII. LIBRI II.

1 VIdens autem Philippus paulatim virum ad profectum venire, ac sequentibus cedere prosperis, ad Ptolemæum ducem Cœlesyriæ, & Phœnices scripsit, vt auxilium ferret regiis negotijs.

2 Ille celeriter misit Nicanorem Patroclis de primoribus amicum, datis ei de permissis gentibus, armatis non minus viginti millibus, vt vniuersum Iudæorum genus deleret, adiunctis ei & Gorgia viro militari, & in bellicis rebus experientissimo.

3 Constituit autem Nicanor, vt regi tributum, quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum de captiuitate Iudæorum suppleret:

4 statimq; ad maritimas ciuitates misit, conuocans ad comptionem Iudaicorum mancipiorum, promittens se nonaginta mancipia talento distracturum, non reputans ad vindictam, quæ eum ab Omnipotente esset consecutura.

5 Iudæ autem vbi comperit, indicauit his, qui secum erant Iudais, Nicanoris aduentum.

6 Ex quibus quidam formidantes, & non credentes Dei iustitiæ, in fugam vertebantur:

7 alij verò quicquid eis supererat, vendebant, simulq; Dominum deprecabantur vt eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos prius quàm committeret, vendiderat.

8 Et si non propter eos, propter testamentum tamen quod erat ad patres eorum, & propter inuocationem sancti & magnifici nominis eius super ipsos.

9 Conuocato autem Machabæum septem millibus, qui cum ipso erant, rogabat ne hostibus reconciliarentur, neq; metuerent iniquè venientium aduersum se hostium multitudinem, sed fortiter contenderent, ante oculos habentes contumeliam, quæ loco sancto ab his iniuste esset illata.

10 Itemq; & ludibrio habitæ ciuitatis iniuriam, adhuc etiam veterum instituta conuulsa.

11 Nam

12 Nam illi quidem armis confidunt, ait, simul & audacia: nos autem in Omnipotente Domino, qui potest venientes aduersum nos, & vniuersum mundum vno nutu delere, confidimus.

13 Admonuit autem eos & de auxilijs Dei, quæ facta sunt erga parentes: & quòd sub Sennacherib centum octoginta quinq; millia perierunt.

4.Reg. 19.35. Tobiæ 1.21. Eccles. 48.24. 1. Machab. 7. 41. Ps. 37.36

14 & de prælio, quod eis aduersus Galatas fuit in Babylonia, vt omnes, vbi ad rem ventum est, Macedonibus socijs hæsitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cœlo, & beneficia pro his plurima consecuti sunt.

15 His verbis constantes effecti sunt, & prælegibus, et patria mori parati.

16 Constituit itaque fratres suos duces vtriq; ordini, Simonem, & Iosephum, & Ionathan, subiectis vnicuique millenis & quingentenis.

17 Ad hoc etiam ab Esdra lecto illis sancto libro, et dato signo adiutorij Dei, in prima acie ipse dux commisit cum Nicanore.

18 Et facto sibi adiutore Omnipotente, interfecerunt super nouem millia hominum: maiorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt.

19 Pecuniis verò eorum, qui ad emptionem ipsorum venerant, sublatis, ipsos vsque quoque persecuti sunt.

20 sed reuersi sunt hora conclusi. Nam erat ante sabbathum: quam ob causam nō perseuerauerunt insequentes.

21 Arma autem ipsorum & spolia congregantes, sabbathum agebant: benedicentes Dominum, qui liberauit eos in isto die, misericordiæ initium stillans in eos.

22 Post sabbathum verò debilibus, & orphanis, & viduis diuiserunt spolia: & residua cum suis habuere.

23 His itaque gestis, & communiter ab omnibus facta obsecratione, misericordem Dominum postulabant, vt in finem seruis suis reconciliaretur.

24 Et ex his, qui cum Timotheo & Bacchide erant contra se contendentes, super viginti millia interfecerunt: & plures prædas diuiserunt, aquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, sed & senioribus facientes.

25 Et cum arma eorum diligenter collegissent, omnia composuerunt in locis opportunis, residua verò spolia Ierosolymam detulerunt:

26 & Philarchen, qui cum Timotheo erat, interfecerunt, virum scelestum, qui in multis Iudæos afflixerat.

27 Et cum epincia agerent Ierosolymis, eum qui sacras ianuas incenderat, id est Callisthenem, cum in quoddam domicilium refugissent, incenderunt, digna eis mercede pro impietatibus suis reddita.

28 Nefandissimus autem Nicanor, qui mille negociantes ad Iudæorum venditionem adduxerat,

29 humiliatus auxilio Domini ab his quos nullos existimauerat, depositis veste gloriæ, per Mediterraneam fugiens, solus venit Antiochiam, summam infœlicitatem de interitu sui exercitus consecutus.

30 Et qui promiserat Romanis se tributum restituere de captiuitate Ierosolymorum, prædicabat nunc protectorem Deum habere Iudæos, & ob ipsum inuulnerabiles esse, eo quòd sequerentur leges ab ipso constitutas.

COMMENTARIVS.

ANTE prælium hoc multa contingerunt cap. 8. & hic cap. 3. vers. 43. & cap. 4. vers. 8. 9. 10. Fiunt enim *intentissimæ preces* ver. 44. 46. vbi de Maspha patet ex Iud. 10. & 20. 1. Reg. 17. Ieiunia v. 47. plurimaque exteriora pœnitentiæ opera, vt cilicia, cinis, vestium ruptio, bibliorum expansio, quæ cum Græcè singulari nomine nominentur, additur tamen, *de quibus*, vt per Hebraismum non infrequentem rei potius, quam vocis rationem haberi significetur.

Modus verò, quo de hisce libris deorum suorum similitudines inuestigarunt Gentiles, obscurus est. Videri posset quibusdam, eos nomen *Elohim* ad πολυθεϊαν suam rapere voluisse, quemadmodum è Cherubinis apud D. Hieron. Ezech. 25. & expresse ita facit Simon Magus apud Clementem l. 1. Recognitionum; *Quod*, ait, *multi sint dij, ipsa me lex docuit.* & pergit homo impius deorum suorum multitudinem pluribus è scriptura consarcinatis testimonijs, hæreticorum nostrorum more, qui è diuinis libris quælibet dogmata fulcire nituntur; probare. Censent alij, voluisse ipsos, sacris in bibliis Deorum suorum nomina inscribere, imagines pingere, prout suis in scholis Herculem pingebant, Musas & similes. præsertim cum ipsum templum similiter Iouis Olympij statuâ & nomine iam contaminassent. Videnturque id exemplaria quædam Græcè significare, dum interponunt ὃ προγεγραμμένον αὐτῶν, sicut in apophoreto de Virgilio dicebat Martialis; *Ipsius vultus prima tabella gerit.* Et Iuuenalis satyra 2.

——— plena omnia gypso
Chrysippi inuenias. Nam perfectissimus horum
Si quis Aristotelem simulem, vel Pittacon emit,
Et iubet Archetypos pluteum seruare Cleanthas.

De Ari-

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Aristotelis etiam imagine in bibliothecis, Cicero lib. 4. ad Atticum. Diogenes quendam, qui discipulos paucos habebat, eum multos ὀλιγοθεεῖς habere iocabatur, id est, cum Deorum imaginibus & statuis, quæ in schola erant. Videatur & lib. 1. Agonisticon. cap 16. 17. Faber. *Veri* tamen *similius* videtur, eas insignes quasque historias & DEI miracula, suos ad Deos, quasi authores transferre fategisse, vti de Eliæ quadriga in Solis quadrigam versa notat Venerabilis Beda q. 27. in libros Regum, & de Theopompo & Theodecte Iosephus lib. 12. cap. 2. Quin & sacros illos ritus atque cæremonias, quibus coli sese DEVS voluerat, admiratione & imitatione quadam ad inanissima Deorum suorum sacra Gentiles traduxisse admonet lib. 6. in Genesin cap. 15. Rupertus, vbi hoc significatum ait per Saram adeò, ætate iam senecta, formosam, vt ipsam alienigenæ vxorem appeterent. Facta hæc bibliorum expansio est, sicuti Sennacheribi litterarum olim, 4. Regum 19. Polita similiter sunt ante diuinæ maiestatis conspectum, sacræ vestes, reditus sacri, sacri homines, vt tot religionis Symbolis diuinam misericordiam commouerent, sibique ad cordatius precandum animos facerent. Nec frustra, vti docuit euentus. Sic interdum etiam Catholici, precationum temporibus exponunt, quæ sacerrima sunt, venerabile altaris Sacramentum, reliquias, Euangelia. Quod in Gothis etiam Wandalisque probauit DEVS, cum eorum Rex, ad diem pugnæ cilicio stratus preces funderet, Romanisque hostibus, Episcopos & diuinæ legis libros obuiam mitteret, vt lib. 7. refert Saluianus, qui de quibusdam parum piis, quod in hæreticos nostros maximè conuenit, adiunxit. *A nostris omnia seme religiosa videntur.* Vide Theodosium ad bellum sese præparantem, apud Russinum lib. 2. cap. 33.

Tandem *tria* adhuc accesserunt. *Primum.* Iudæ cohortatio, in qua lib 2. cap. 8. vers. 20. quæ de Galatis citatur historia, in scriptura non extat. Videtur tamen Seleuci temporibus accidisse, cum Iudæorum in bellis opera felicissimè multa ille gessisset. Ideoque & ipsos amore beneficiisque multis coleret, vt ait Iosephus lib. 12. cap. 3. lib. 2. contra Apionem, vel certe, quod malo, tem poribus Antiochi primi, qui Soter dictus. *Primò* quidem, quia scribit in Syriacis Appianus, eum Galatas ex Europa in Asiam irruentes eiecisse. *Secundo*, Quia Iosephus loco citato tradit, Antiochum magnum è Iudæis, qui in Babylonia erant, bis mille familias in Lydiam & Phrygiam, vt in arcibus & locis munitis, tanquam viri fortes locarentur, adduci, eosdemque laudabiliter admodum & honorificè haberi voluisse: vt intelligamus, non solum in Babylonia Iudæorum millia complura tum abhuc fuisse, sed in viris etiam, qui rebellica præstarent, habitos. *Tertiò*, Idem Antiochus dicit, eosdem Iudæos fortitudinis & fidei testimonium, suis à maioribus, consecutos. Erant verò illi maiores, apud quos se in bello probassent. *Quartò*, Soteris filius Antiochus, qui θεὸς dictus, plurima etiam in eos beneficia contulit. Cur, nisi ob res benè ab iis gestas, non aui tantum sui, sed etiam patris tempore, qui Soter? *Quinto*, testatur id ipsum in Demetrio Plutarchus, qui ait, cum in somno admonitum militibus signum τῆς θηλείας παλλάδιον dedisse. quod in suo incidi sepulchro Imperatorem Theodosium voluisse refert lib. 4. Admirandorum Lipsius, citatq; hanc ex Plutarcho historiam multę vti & probitatis & lectionis Thomas Bozius lib. 23. cap. 11. *Denique* tempora Galatarum in Asiam influentium, non Seleuci sed Soteris huius temporibus consentiunt, vt vel ex Iustino pater, lib. 24. & 25. vbi cum alia, quæ huc facere possent, tum hoc additur; *Gallorum ea tempestate tanta fecunditatis iuuentus fuit, vt Asiam omnem, velut examine aliquo, implerent: neque Reges Orientis, sine mercenario Gallorum exercitu vlla bella gesserint: neque pulsi regno, ad alios quam ad Gallos confugerint.* Strabo l. 12. *Post Troiam captam, Græcorum coloniæ Treres, Cimmerij, Lydi, deinde Persæ atq; Macedones postremo Galatæ omnia exercitionibus pertu barunt. Atque sic in Babyloniam vsque peruadere potuerunt.* Quinam verò isti Galatæ, tetigi Geneseos cap. 10. Sed hic pro Iudæorum *sex millibus*, vers. 10. in Græco sunt *octo millia.*

Alterum, quod ante prælium accessit, est: aciei duos ordines fecit Iudas, quorum essent quatuor partes, quibus fratres suos quatuor præfecit, vt clarius explicant lib 2. cap. 8. v. 22. Græca, quæ etiam Eleazarus, cum sit potius Ioannes, cap 2. libro primo.

Tertium est lectio Bibliorum cap. 8. vers. 23. & quidem quæ ab ipsomet Iuda, tanquam Sacerdote Deuteronomij 20. facta videtur, vt ex Græco textu colligi potest, non ab Esdra, nisi sit alius ipsit hoc iam nomen, cum quis in margine notasset, *vt ab Esdra Nehem. 8.* è Græco tamen textu fratres copiis præfecisset, subiungit. ἐπὶ δὲ καὶ Ελεάζαρον. *Adhuc Eleazarum*: scilicet præfecit. Hunc enim quartum fratrem suum, qui, vt infrà constabit, fortis, generosusque admodum erat; nulla ornatum, in hac acie, præfectura esse noluit. In Latino igitur nostro ita fuisse videtur. *Adhuc etiam Eleazarum*, scilicet ducem constituit. Noua deinde periodus incipit, *Lectio illa*, seu vt habet Græcus. ἄλλα γὰρ vel ἄλλως γὰρ cum legisset, *ipsemet* scilicet Iudas. Ex prima igitur Eleazari syllaba *el*, factum erat *ab*, & ex reliquis, *Esdra*. eique subnexa, quasi opus ipsius fuisset; libri sancti lectio. duæque in vnam conflatæ periodi. cum tamen idem plane sit, qui librum sanctum legit, qui signum dat, qui dux est. vti clarissimè ostendunt Græci textus. Signum verò, quod dedit Iudas, videtur tessera

tessera hæc fuisse, DEI *auxilium*. seu DEVS *auxilium*, quemadmodum etiam hodie DEI, sanctorumq; nomina dantur, & apud Gentiles etiam. Nam à Cyro datur, *Iuppiter auxiliator* & *Dux*, apud Xenoph. lib. 3. Cyropædiæ, itemque *Saluator* & *Dux*, lib. 7 à Cæsare in Pharsalica pugna. *Victor*: à Pompeio *Hercules inuictus*, Appiano scriptore lib. 2. bellorum ciuilium.

De iis, quæ in eodem prælio tertio.

SECVNDVM quod propositum erat, fuit de iis, quæ in prælio lib. 1. cap. 4. vers. 13. ne, antequam penitus hostes deleti essent, ad spolia sese conferent, quod & diligentissimè lib. 10. monet Polybius. hisce verbis: *Quandoquidem plures mortalium damnum accipiunt, & periclitantur lucri gratia, manifestum est, quod vbi illis occurrit occasio, egre abstineant & sese prohibeant, qui in aciē vel castris relinquuntur: propterea quod plerumq; præda omnis in potestate eius est qui dominatur, si is omnino sit monarcha: si verò dux, licet accurate cuncta lucri gratia comportentur, nihilo tamen minus cunctis pro suo deputant, quicquid abscondi & defraudari potest. Et quoniam plurimi prædæ inhiant, atq; ita victoriam plenam obtinere nequeunt sit vt de summa rerum periclitentur. Multis hoc accidit, vt licet facti sint votis compotes, & vel in castra hostium irruerint, vel ciuitates ceperint, attamen non solum ciues sint, sed & totius causæ periculum ac detrimentum incurrerint.* Hoc prudentissimū salubertimumq; monitum quisquis violat, non prædam tantum, sed & vitam etiam petit. Quoties victori iam & exultanti strage fugaq; fœdissimam spoliorum sarcinæ attulerunt? Clissam superioribus annis amissam, nostrosq; in Agriam cæsos & fusos exercitus, nimiæ isti cupiditati asscribunt pleriq; omnes. *Fortuna*, inquit Publius, *vitrea est, tunc cum splendet, frangitur.* Vbi verò deleti fugatiq; hostes omnes, c. 8. v. 26. spolia Victores læti tam & securi amplissima collegerunt, cum maturè, propter instantem Sabbathi vesperam in parasceue, à prosequendis hostibus, religiosè destitissent. Quod verò v. 24. ibidem dicitur, *vulneratus debilem fugere compulerunt*, in Græco est paulo explicatius. *Maximam Nicanoris exercitus partem vulnerarunt: omnes verò fugere compulerunt.* Tertium denique quod dicendum, est de iis, quæ post idem prælium tertium acciderunt. *Sabbatho* agendo sese dederunt, v. 27. c. 8. lib. 2. gratias DEO egerunt cap. 4. v. 24. cap. 8. v. 27. 29. lib. 2. vbi rursum *publica supplicatio* notetur. Isto enim die *misericordia initium stillabat in eos Dominus.* E Græcis effluxit suauissima & gratissima syllatio hæc. Legunt enim εἰς τὴν ἡμέραν ταύτην ἤρξαντο ἔλεος παρέχειν. *Eo ipso die initium misericordiæ ipsis decrerunt & constituit.* videlicet remansit illud παρέχειν ex παραλέγειν, aut potius πάλλειν. Est enim παραλέγειν & πάλλειν *stillare.* Et licet in vulgatis Lexicographis posterius hoc non inueniatur, suum tamen parentem ipsæ proles indicant, παλλόμενον scilicet apud Aristophanem, & nota omnibus πάλλη, prout etiam testatur apud Dioscoridem lib. 1. c. 75. & 78. Marcellus. Die secundo, id est, *domino*, magnam spoliorum partem afflictis & pauperibus dederunt, v. 29. O æterna memoria factum dignissimum! Vbi illud? *Nulla fides pietasq; viris qui castra sequuntur?* Plusquam Martij certè sunt isti homines: penè Martini omnes, qui ἰσομοιρεῖς ἑαυτοὺς καὶ τοῖς ἡκισμένοις καὶ ἐφθαμένοις καὶ χήραις, ἢ δὲ καὶ πένησι πάσιν. In prædæ ipsius partitione *seipsos æquales fecerunt debilitatis sine calamitosis, & orphanis, & viduis, insuper etiam presbyteris, siue senio confectis.* Verè isti omnium, qui bella gerere volunt, & ducum & militum exemplar sunt. Si pro religione qui cōtra Turcas hæreticos decertant, imitarentur, qui diuinæ misericordiæ imbres non stillarent? *Philarches* porrò v. 32. Græcè *Phylarches* dicitur: & videtur non proprium, sed dignitatis nomen esse. hoc modo, *eorum qui cum Timotheo erant phylarchem*, siue *principem* sustulerunt. Nam & hunc vocat Gorionides lib. 3. c. 5. & 12. *Philippum.* Tandem victoriā prosecuti sunt, ita vt fugerint Nicanor, Timotheus, Bacchides, & quidem ipse Nicanor, fugitiui mancipij instar v. 35. Quit templi portas exusserat, Callisthenem exusserunt. Quidam in c. 12 lib. 3. Gorionidæ plures combustos significat, & hunc textum ita legit: *Eos, qui sacras ianuas incenderant, nempe Callisthenem, cum in quoddam domicilium confugissent, incenderunt, digna eis merede pro impietatibus suis reddita.* Sed malè vnus Callisthenes nominatur. Interim loco citato Gorionides Philippum, de quo supra, ferè eodem modo, quo de Valente scribitur, combustum fuisse narrat. *Cum*, ait, *appropinquaret Iudas, declinauit Philippus ab itinere, & diuertit in domum quandam vitiosam. tunc præcipiente Iuda, deiecerunt domum supra illum, combusseruntq; eum igni in loco illo, & vltisunt Eleazarum Senem scilicet illum sanctissimum, & sanguinem Hasidæorum, quem effuderat Philippus, reuersiq; ad cadauera, diripuerunt ea, & spolia in Hierusalem miserunt. Fugitiuus autem Nicanor euasit. Nam extrahens vestimenta purpurea, quibus indutus erat, amictuit se vestibus vilibus. sicq; incognitus factus, & euadens peruenit in Macedoniam, narrauitq; Lysiæ omnia quæ acciderant ei.* Macedoniam verò, more suo, vocat Syriam, quemadmodum Antiochiam, cuius lib. 2. Machab. cap. 8. v. 35. hac in historia mentio, dixit, in eodem lib. 3. cap. 1. & 21. vrbem *regni Macedonia.* Notanda verò causa, cur Israëlitæ optimique isti milites, longe aliter quàm fabulosus ille Achilles ἄτρωτοι, *inuulnerabiles* ab ipso etiam hoste pronuncientur. *eo quòd*, ait, *sequerentur leges ab ipso* DEO *constitutas.* Nimirum id promiserat Dominus Deuter. 28. v. 6. Vnde & eodem isto lib. 2. cap. 10. v. 30. Iudas in confertissimorum hostium medio sospes & *incolumis* permanet.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De quarto prælio, ac de templi repurgatione, ac dedicatione.

E CAPITE IV. LIBRI I.

28 ET sequenti anno congregauit Lysias virorum electorum sexaginta millia & equitum quinq; millia, vt debellaret eos.

29 Et venerunt in Iudeam, & castra posuerunt in Beth-horon, & occurrit illis Iudas cum decem millibus viris.

30 Et viderunt exercitum fortem, & orauit, & dixit: Benedictus es saluator Israël, qui contriuisti impetum potentis in manu serui tui Dauid, & tradidisti castra alienigenarum in manu Ionathæ filij Saul & armigeri eius. 1.Reg. 17.50. 1.Reg. 14.13.

31 Conclude exercitum istum in manu populi tui Israël, & confundatur in exercitu suo, & equitibus.

32 Da illis formidinem, & tabefac audaciam virtutis eorum, & commoueantur contritione sua.

33 Dele illos gladio diligentium te: & collaudent te omnes, qui nouerunt nomen tuum in hymnis.

34 Et commiserunt prælium: & ceciderunt de exercitu Lysiæ quinq; millia virorum.

35 Videns autem Lysias fugam suorum, & Iudæorum audaciam, & quod parati sunt aut viuere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam, & elegit milites, vt multiplicati rursus venirent in Iudeam.

36 Dixit autem Iudas, & fratres eius: Ecce contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, & renouare.

37 Et congregatus est omnis exercitus, & ascenderunt in montem Sion.

38 Et viderunt sanctificationem desertam, & altare prophanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, & pastophoria diruta.

39 Et sciderunt vestimenta sua, & planxerunt planctu magno, & imposuerunt cinerem super caput suum:

40 & ceciderunt in faciem super terram, & exclamauerunt tubis signorum, & clamauerunt in cœlum.

41 Tunc ordinauit Iudas viros vt pugnarent aduersus eos, qui erãt in arce, donec emundarent sancta.

42 Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei:

43 & mundauerunt sancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum.

44 Et cogitauit de altari holocaustorum, quod prophanatum erat, quid de eo facerent.

45 Et incidit iis consilium bonum vt destruerent illud: ne forte illis esset in opprobrium, quia contaminarunt illud Gentes, & demoliti sunt illud.

46 Et reposuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusq; veniret propheta, & responderet de eis.

47 Et acceperunt lapides integros secundum legem, & ædificauerunt altare nouum secundum illud, quod fuit prius:

48 & ædificauerunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecus: & ædem, & atria sanctificauerunt.

49 Et fecerunt vasa sancta noua, & intulerunt candelabrum, & altare incensorum, & mensam in templum.

50 Et incensum posuerunt super altare, & accenderunt lucernas, quæ super candelabrum erant, & lucebant in templo.

51 Et posuerunt super mensam panes, & appenderunt vela, & cõsummauerunt omnia opera, quæ fecerant.

52 Et ante matutinum surrexerunt quinta & vigesima die mensis noni (hic est mensis Casleu) centesimi quadragesimi octaui anni:

53 Et obtulerunt sacrificium secundum legem super altare holocaustorum nouum, quod fecerunt.

54 Secundum tempus & secundum diem, in qua contaminauerunt illud Gentes, in ipsa renouatum est in canticis, & citharis, & & cinyris, & in cymbalis.

55 Et cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt, & benedixerunt in cœlũ eum, qui prosperauit eis.

56 Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris & laudis.

57 Et ornauerunt faciem templi coronis aureis, & scutulis: & dedicauerunt portas, & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas.

58 Et facta est lætitia in populo magna valdè, & auersum est opprobrium Gentium.

59 Et statuit Iudas & fratres eius, & vniuersa ecclesia Israël, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo à quinta & vigesima die mensis Casleu, cum lætitia & gaudio. Ioan. 10.22.

60 & ædificauerunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos, & turres firmas, ne quando venirent Gentes, & conculcarent eum sicut antea fecerunt.

61 Et

61 Et collocauit illic exercitum, vt seruarent eum, & nuntiauit eum ad custodiendum Beth-suram, vt haberet populus munitionem contra faciem Idumeæ.

E CAPITE X. LIBRI II.

1 MAchabæus autem, & qui cum eo erant, Domino se protegente, templum quidem & ciuitatem recepit:

2 aras autem, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque delubra demolitus est.

3 Et purgato templo, aliud altare fecerunt: & de ignitis lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt post biennium, & incensum, & lucernas, & panes propositionis posuerunt.

4 Quibus gestu, rogabant Dominum prostrati in terram, ne amplius talibus malis inciderent: sed & , si quando peccassent, vt ab ipso mitiùs corriperentur, & non barbaris ac blasphemis hominibus traderentur.

5 Qua die autem templum ab alienigenis pollutum fuerat, contigit eadem die purificationem fieri, decima quinta mensis, qui fuit Casleu.

6 Et cum lætitia diebus octo egerunt in modum tabernaculorum, recordantes quod ante modicum temporis diem solennem tabernaculorum in montibus, & in speluncis more bestiarum egerant.

7 Propter quod thyrsos, & ramos virides, & palmas præferebant, ei qui prosperauit mũdare locum suum.

8 Et decreuerunt communi præcepto, & decreto vniuersæ genti Iudæorum omnibus annis agere dies istos.

9 Et Antiochi quidem, qui appellatus est Nobilis, vitæ excessus ita se habuit.

COMMENTARIVS.

QVARTVM Prælium à victore Iuda susceptum anno 148. cum Lysia cap. 4. vers. 28. & seq. cum è superiore suorum clade copias is instaurasset. Vbi eadem ferè, quæ prælio superiori notanda, sed omnium maximè post victoriam nobilissimam, ipsa *templi* Hierosolymitani *purgatio*, *altaris* noui *extructio* & *dedicatio* celebertima, cap. 4. vers. 65. ad finem, & lib. 2. cap. 10. vsque ad 10. Incepta verò sunt hæc omnia Iuda cohortante vers. 36. vt non armorum magis quam sacrorum Dux esset felicissimus. Rabanus & ex eo glossa ordinaria, *Binè*, inquiunt, *dicitur, quod Iudas contritu hostibus, atque sopitis ad tempus bellis, hortatur suos, vt mundarent, quia maximum studium habent sancti doctores, vt in quibuscunque, lasa ab hostibus, subiectorum sibi fuerit Ecclesia, ad pristinum statum sanctæ conuersationis iterum restauretur.* Hinc sanè, cum alicubi hæreses inualuissent, optimis quibusque Pastoribus curæ semper maximæ fuit, vt illas exterminarent, fideique catholicæ puritatem, sanctarumque cæremoniarum & morum sanctitatem postliminio reuocarent. Quemadmodum de S. Fulgentio narrat eius discipulus apud Surium tomo 1. de Africanis Episcopis aliis Victor Vticensis, de Gregorio Nazianzeno ipsius vicesima secunda oratio, de S. Ambrosio S. Paulinus, de S. Augustino Possidius, eius vitæ cap. 7. 9. & sequentibus de aliis alij. quos Reuerendissimas & Illustrissimus noster huius Academiæ Herbipolitanæ, Pater IVLIVS superioribus hisce annis, imitatus, suo isto in principatu perfecit, vt, pauculis immutatis, hæc Possidij, loco citato, verba vsurpare liceat. *adiuuante Domino, leuare in Africa Ecclesia Catholica exorsa est caput, quæ multo tempore, illic conualescentibus hæreticis sedulè & oppressè iacebat.* idemque à vicino Reuerendissimo & illustrissimo Bambergensi NEITHARDO, Amplissimo huius Academiæ Cancellario, feliciter inchoatum gaudent boni omnes, cum vtraque in diœcesi plenè cernantur, quæ ipse olim D. Augustinus epist. 48. & 50. exposuerat. Sunt porrò in hisce enæniis pleraq; omnia ex iis, quæ de tabernaculo vel templo in Exodo & lib. 3. Reg. dicta sunt; perspicua, vt signorum tubæ, pastophoria, & similia. Quædam tamen hîc quæstiunculæ sunt.

Prima. Quid sanctificatio vers. 38. Est ipsum templum, vel ea eius pars, quæ sanctum & sanctorum sanctum continet, quæ, vti ad Hebræos 8. & 9. *sanctorum* nomine infrà vers. 48. afficitur. Vnde colliges ibidem in Latino, *ædis* vocem redundare, quæ neque in Græco est.

Secunda. Qui contaminationis lapides vers. 45. Sunt insanæ illæ Deorum statuæ, bases, & aræ, quæ cap. 1. vers. 50. suprà, & 1. 2 cap. 10. & in templo & in foro, plateisque collocatæ fuerant, dum Iones, Bacchos, Hermas, Hecatas, forensesque suos Deos (ἀγοραίους vocabant) inuehere conatus est Antiochus. Alioqui dicuntur etiam *contaminati lapides* Leuit. 14. quando leprosa domus quæpiam extitisset. Quæ verò lepra hominibus, lapidibusque fœdior, quam idololatriæ addici? Ideoque in immundum impura saxa hæc omnia locum abiiciuntur: & meritissimò. Tristis plane pictura membrorum, quæ *seruierunt immunditiæ & iniquitati*, superbiæ & vanitati. Quo enim in mundi totius renouatione, abiicientur? Quo? In cœleste beatorum templum *non introibit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium.* Apocal. 21. vers. 27. *Timidis autem & incredulis, & execratis & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ardenti igne & sulphure. Vnde & in 1. S. Petri. 2. Venerabilis Beda. *Qui per gratiam regenerationis sanctæ Ecclesiæ incorporatus nihil amplius pro sua salute operari studuerit, hic quasi lapis mortuus cœlesti prorsus est ædificationi inutilis, dignus, ideoque abiiciendus diuino examine, atque alius qui dignus est loco eius substituendus; iuxta præceptum Leuitici, in quo Leprosi domorum lapides a sacerdote inspici, & si purificari nequiuerint, iam intra immundos computari, ac de ordine mundorum lapidum præcipiuntur erui.*

Tertia. Quis, in quem id genus lapides abiecti, locus immundus? Videtur fuisse *Topheth*, de quo 4. Regum. cap. 13. explicatum. Sic & leprosi lapides in sordidum istiusmodi locum illati Leuitici cap. 14.

Quarta. Quomodo pollutum holocaustorum altare? Quia super illud constitutum fuit desolationis idolum, inquit Lyranus. Sed addendum, exinde sordidatum etiam fuisse, quod in eo immundi sues, aliæque veritæ victimæ immolatæ sint, cap. 1. vers. 50. Iosephus lib. 12. ca. 7. Et libro eodem 1. cap. 1. vers. 62. dicitur super altare holocaustorum ara prophana posita. θυσιάζοντες ἐπὶ τὸν βωμὸν ὃς ἦν ἐπὶ τῆς θυσιαστηρίου. In nostro textu est; *Sacrificabant super aram, quæ erat contra altare.* pro *supra altare.* vel *iuxta altare.*

Quinta. Cur idem holocaustorum iam contaminatum altare, vti & contaminatos lapides, in contaminatum locum non abiecerunt? Nimirum erant illi omninò prophani & immundi, à prophanis & immundis à prophana & immunda sacra prophanè immundeque positi. hoc verò altare, ad verũ DEI cultum, à veris DEI sacerdotibus, oleo rituque sacro, dedicatum olim fuerat. ideoque in loco mundo & honesto, quem ἐπιφανῆ τόπον Græcus vocat, asseruandum censuerunt. Quid, de sacris quæso vestibus, calicibus, cœlitum reliquiis, sacroque chrismate horum religio fecisset? vt vel hinc intelligere liceat, quanta rerum sacrarum apud pios veneratio semper fuerit. *Non licet, quæ in sacrario fuerunt, male tractari* habet c. *Altaru. de consecr. distinct. 1.*

Sexta. Cur id ergo non eluerunt & mundarunt, vt eo deinceps vterentur? Verebantur, ait textus, *ne forte illis esset in opprobrium*, apud DEVM scilicet & homines. Apud DEVM quidem, quasi contaminationem illam minùs detestarentur, quia violato pollutoque altari vterentur: apud homines, quasi aut labori aut sumptui pepercissent. Medium ergo secuti consilium sunt, vt neque omnino abiicerent, neque omnino pristina in dignitate sinerent.

Septima. Quem prophetam vers. 46. *exspectabant?* Posset propheta intelligi, vel qui propriè isto nomine nuncupatur. vel qui diuinarum rerum scientior est, vt subortam de altari isto dubitationem explicare posset. Mihi tamen ipse CHRISTVS Dominus videtur, de quo Deuteronomij 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit Dominus.* Tempus enim hoc instare animaduertebant. ideoque & infrà lib. 1. ca. 14. vers. 42. Simonem Ducem summumque sacerdotem esse decernunt *in æternum, donec surgat propheta fidelis.* Nam & in huius familia, vsq; ad Herodem, CHRISTique Domini aduentum Pontificia, Regiaque dignitas permansit. Si dicas, CHRISTVM Dominum de altari hoc nihil vnquam respondisse legimus; respondet cap. vlt. S. Ioannes, *non scripta omnia.* Et fortè quasi propheta non esset, eum quæstione hac dignati non sunt Scribæ & Pharisæi: sed vel interrogarunt, vel interrogare voluerunt D. Iohannem cum per legatos ei suos dicerent: *Propheta es tu?* Iohan. 1. Visionis & prophetiæ obsignatio, de qua Daniel cap. 9. vers. 24. refertur ab antiquis Iudæis ad Seleuci annum primum, à nouis ad Epiphanem, sed planè ad CHRISTVM Dominum pertinet, qui prophetarum omnium apex. Marc. 6. Luc. 4. & 24. de quo sibi à S. Petro librum dictatum ait ille lib. 1. Recognit. Clemens. à quo crebertimè CHRISTVS verus propheta; dicitur. Videatur lib. 2. pro epist. Pontif. c. 2. Turrianus, D. Thom. 3. q 3. art. 8. & ibidem Soarez disp. 21. sect. 1.

Octaua. Moysis ne, an Salomonis potius more sanctum instructum iam fuerit? Moysis morem textus indicat, quia non plura, vti Salomon fecerat, sed *vnum candelabrum*, *vnamque* tantùm propositionis *mensam* in illud intulerunt. *Vela* etiam *plura* idem textus memorat, contra eos, qui vnum tantummodo in templo statuunt.

Nona. Quomodo lib. 2. cap. 10. de ignibus lapidibus igne concepto sacrificia obtulerunt? Græcus textus paulo distinctiùs loquitur, πυρώσαντες λίθους, καὶ πῦρ ἐκ τούτων λαβόντες ἀνήνεγκαν θυσίαν. id est, *cum accendissent, vel ignitos fecissent lapides, ex ijsque ignem sumpsissent, obtulerunt sacrificium.* Ignitos verò lapides facere *trifariam* potuerunt. *Primò*, si quemadmodum ad sudores, certasque balneas medici quandoque præscribunt, lapides illi egregiè calefierent, omninoq; candefierent. Tunc enim ex iis quælibet paulo aridior materies ignem facillimè concipere potuit, *Deinde* si certo quodam modo & situ lapides ita collocarentur, vt ardentes Solis radios exciperent, è quorum densatione ac reflexione flamma quædam existeret, prout in speculis fieri ostendunt Optici. *Tertio* demum, si precibus è cœlis ignem deuocarent. Omnibus hisce modis hoc vnum, quod quærebatur, quadantenus accidebat, vt sacrificiorum ignis non omninò communis & vulgari è foco sumptus esset. Postremum tamen modum memorat hisce verbis Gorionides lib. 13. *Cum composuissent ligna, non inuenerunt ignē sanctum: sed clamarunt ad Dominum, & exiliit ignis è lapide, qui erat altari suppositus, adjicientes ei ligna. Duravit ille ignis vsque ad captiuitatem tertiam.* quæ videlicet Vespasiani Titique bello accidit, quæque adhuc hodie cæcos miserosque attinet.

Deci-

Decima. Quid scutula vers. 57? Rex Salomon aurea scuta templo affixerat. 3. Reg. 10. Roboam pro illis, ærea. ibid. c. 14. hi nostri neque scuta, neque ærea; sed scutula quidem, attamen aurea.

Vndecima. Cur lib. 2. cap. 10. vers. 7. *thyrsos & ramos viridesferebant?* Lætitiæ hæc signa, quæ scenopegiorum diebus maximè adhibebant. Eos verò dies non ita pridem in speluncis obscurisque latibulis mæsti, squalidique, impiorum tyrannide oppressi egerunt. nunc ergò tanta, tamque subita in luce, quæ tunc omissa; fiunt, omnique festo cultu DEVM, læti prosequuntur. Sanè & olim vbi parta esset victoria, castrorum tabernacula hedera, lauro, cæteraque fronde aut cespite lætitiæ causa, ornabantur, vti ostendit in Æmilio & Mario Plutarchus, Appianus lib. 3. belli ciuilis.

Duodecima. Quæ iam facta dedicatio, & quæ eius memoria? Etsi fuerit templum labefactatum valdè, ignibusque & rapinis vastatum, non tamen totum dicutum, & euersum. ideoque ipsius tantùm restauratio & purgatio extitit: holocaustorum verò, altaris noui dedicatio tum facta est. Et fuit totos octo dies dedicatio hæc concelebrata, eiusque *festus dies annuersarius* à Pontifice Maximo, totaq; illius temporis Ecclesia vers. 59. decretus; qui etiammum hodie in Iudæorum Calendario est. ab illiq; vocatur חנוכה hoc est ἐγκαινία, itemq; חנוכת הגרות. id est, λυχνοκαΐα, seu, vt Iosephus lib. 12. cap. 10. ait φῶτα, id est, *lumina*: quòd præter opinionem, tanta rerum religionis libertatisque propemodum extinctę lux, diuino tam beneficio illuxisset. Vnde, licet sint in eorum Synagogis cerei semper & luceræ plures, nunquam tamen tot, quot hisce octo dedicationis diebus, vitiuntur, vti monet Antonius Margarita, lib. de ritibus Iudæorum. Quemadmodum verò isti festum diem sic propter hæreses delectas, catholicamque fidem quasi è sepulchro excitatam, excitarat S. Nazianzenus Constantinopoli templum, cui resurrectionis aut restitutionis seu *anastasiæ* nomen impositum, quod ipse illinc abiturus, loco ante citato, hisce verbis affatur. *Vale Anastasia, nomen a pietate habens. Tu enim nobis fidei doctrinam, quæ adhuc contemptui erat; excitasti: vale inquam, communis victoriæ sedes, nouæ Sito, in qua primo arcam fiximus, quadraginta annis in deserto circumactam, in certisque sedibus vagantem. Tuque ô magnum hoc templum & nobile, nouæ hæreditas, quod magnitudinem, quam nūc habes, ab orthodoxa doctrina suscepisti: quodque nos, cum prius Iebus esses, Hierusalem effecimus.*

Decimatertia. Quando dedicatio hæc facta? Sanè hoc ipso cap. 4. ante Antiochi mortem describitur. At l. 2. c. 10. post mortem. Sixtus l. 8. duas diuersas dedicationes putauit, cum eandē tamen cause circumstantiæque alię omnes clament. Scaliger l. c. tantùm monuit, factum quidem anno Seleucidarum Iudaico 148. qui tamen idem fit 149. Alexandreus seu Syrochaldaicus. At quomodo ante vel post Antiochi mortem narretur, vnus rectè tradit doctissimus Bellarminus lib. 1. de verbo ca. 15. facta sunt ista quidem omnia, antequam moreretur Antiochus, vt ex totius huius capitis quarti cotextu, & sequentis initio satis perspicuum: sed posteaquam tamen illius mors l. 2. cap. 9. explicata fuerat, narratur ibidem cap. 10. Cœperat enim auctor ipse turpissim e Nicanoris fugæ, tyranni mortem contingere, ideoque vno veluti filo eam simul pertexuit: posteà verò, ne tam insignem dedicationis celebritatem tacitus omnino præterueheretur, eam, etsi breuiter, subtexere voluit. Vnde & postea transitione vers. 9. hæc vtitur. *Et Antiochi vita excessuri ita se habuit*; ostendens Antiochi excessum, licet post eum Encænia interposita sint, proximè iis quæ deinceps narrantur, coniungendum. Contra ista, quod diceret, cum ne grygquidem afferre posset Wirrakerus, ipsum tamen non puduit, quasi duo isti inter se libri pugnarent: hanc ab hæreticis aliis acceptam, ab ipsoque Bellarmino abiectam, cramben iterum ad nauseam proponere. multo videlicet Munstero nequior, qui in Gorionide l. 3. cap. 13. eandem fatetur dedicationem & explicat. Fuit verò hic *dedicationis annus* à Seleuco 148. lib. 1. cap. 4. vers. 52. fuitque præcisè solideque tertius à templi profanatione, quæ anno contigerat 145. ita vt Antiochium desolationis idolum, templique prophanatio annos solidos tres steterit, neq; quidquam excesserit, cum eodem die, quo cœpit, eodem postea desierit ibid. vers. 54. Duo tamen calculo huic aduersari videntur. *Thum*, lib. 2. cap. 10. vers. 3. *Sacrificium obtulerunt post biennium.* Sed intelligendum, post biennium solidum in Chaldaica scilicet, qua liberis vtitur, annorum putatione. Nam cœpit prophanatio anno Chaldaico incepto 144. de integro anno item Chaldaico incepto 147. ita vt anni Chaldaici solidi duo tantùm interfluxerint, cum Iudaici solidi tres fuerint. Neque male biennium istud referri posset ad Machabæi, de quo, illius capitis decimi principio narratur; inchoatum principatum anno 146. Iudaico. Atque ita censet hoc loco D. Thomas. *Vno anno*, ait, *durauit contaminatio, antequam Iudas, & sui aliquod remedium apponerent. Postquam verò ille incepit remedium adhibere, durauit duobus annis. & sic loquitur hic cum dicit, Post biennium.* Sed alterum est ex Iosepho lib. 1. de bello cap. 1. dum ait vastationis huius tempus fuisse annos tres & menses sex. Verum sex hi menses vel per imprudentiam à Iosepho addicti sunt, vel à lectore fortè quopiam, qui Antiocho Danielis cap. 12. propheriam penitus asscribendam cum Porphyrio existimabat. Nam sibi ipsi alioqui repugnaret Iosephus, cum dicerè lib. 12. cap. 12. tradat in eundem diem & violationem & renouationem incidisse, tresque tantùm præcisè annos memoret. Ita enim Iosephum laudat & locum simul istum illustrat D. Hieronymus in Danielis 12. hisce verbis: *A tempore quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta, hos dies 1290. Porphyrius in tempore Antiochi, & in desolatione templi dicit completos, quam & Iosephus & Machabæorum vt diximus; liber, tribus tantum annis fuisse commemorant. Ex quo perspicuum est, tres istos & semis annos, de Antichristi temporibus, qui tribus & semis annu, hoc est 1290. diebus sanctos persecuturus est & præterea corruituru in monte sancto & inclyto, A tempore igitur ἐκδελεχισμοῦ (quod nos interpretati sumus iuge sacrificium) quando Antichristus orbem obtinens, DEI cultum interdixerit, vsque ad internecionem eius, tres & semis anni, id est, 1290. dies complebuntur. Ita D. Hieronymus. Quomodo verò *bis mille & trecentos dies*, de quibus Danielis 8. vers. 14. huc pertineant, dicetur infrà post Epiphanis mortem. Mensis fuit Casleu, seu vt à Iosepho scribitur lib. 12. cap. 11. Cheslæus, qui Macedonibus Appellæus, nobis verò partim Nouember, partim December est. Eius dies erat 25. & quidem, vti putat lib. 5. idem Scaliger, tunc Decembris decimus quartus, feria secunda, secundum alios decimus quintus. Notant verò tanquam mirabile pęneque diuinum tam libri nostri prioris, quam posterioris auctores, & ipse etiam Iosephus, *diem eundem* tenebris & luci, calamitati & lætitiæ, sacrilegio & consecrationi obtigisse; quemadmodum è contrario miratur idem Iosephus lib. 6. Capt. 26 eodem planè mense & die olim à Nabuchodonosore, post CHRISTVM verò Dominũ à Tito vrbem captam, templumque incensum. Quod in ieiuniorum suorum libro, & in Calendario suo die 9. mensis *Ab* notant Iudæi, diem quo iuge sacrificium cessare cœperit, idolumque desolationis positum fuerit, solenni ieiunio quotannis celebrant Tamuz die 17. cùm tamen 25. Casleu fuerit. At eodem die nõ poterat templi prophanatio mœstè, renouatio, dedicatioque lætè celebrari. Illud verò, *secundum tempus* est, quasi diceret, eodem tempore vt 3. Reg. 20. vers. 6. Hebraicè *Caeth*, *eadem hora* vertit nostet.

Decima quarta. An de istu Machabæorum encæniis loquitur CHRISTVS *Dominus* Ioha. c. 10. Sciẽdum, *tres* apud Iudæos fuisse *dedicationum* festos *dies*. *Primus* erat dedicationis templi Salomonici, mense Thisri, die 25. in Septembri scilicet, vt dictum 3. Reg. 8. *Alter* Templi secundi, mense Adar, in Februario. 1. Esdræ 6. *Tertius* hic. Nonnus igitur in Iohannem, *primum* illum festum encæniorum esse putauit, sed contra textum, cum *hyems* tunc fuisse dicatur. At in Septembri nondum hyems est. D. Chrysost. Theophylactus, Oecumenius *secundum*. Sed neque tunc propriè & perfectè hyems erat, cùm Aprili fere quemadmodũ alibi dictum est; messis inciperet, ea in regione. Dixi *propriè*, quia, vt interdum apud nos in vere, *frigus* aliquod esse tunc potuit, vti fuisse, postea dicitur Ioannis 18. Deinde, quia tam breui temporis interuallo, quod à Februario est, ad 14. Martij diem comprehendi non possunt, quę, post encænia illa, fecisse scribitur Dominus vsque ad mortem. Quapropter cõcludendum omnino de istis Machabæorum encæniis CHRISTVM Dominum ibi locutum esse. Et, quod miteris; etiam hæretici fatentur. Nam Caluinistæ suis in bibliis Gallicis; hoc loco, notãt in margine; *Ioan. 10.* Et eum S. Iohannis locum suis annotationibus edisserens Beza, ita scripsit: *Sacer, vt quidam scribit, apud Iudæos hic dies erat ob memoriam instauratæ templi, post diuturnam sub Persis, & successorum Alexandri, ac inprimis illius Antiochi tyrannidem. Imò verò non vnius diei, sed octo dierum hoc sacrum erat, nec institutum in memoriam reditus ex Babylonia (quæ & ipsa distincta est à Persida) sed a Iuda Machabæo, quum pulso Antiochi præsidio, templũ ac cultum* DEI *instaurasset. Sic enim de his scribitur 1. Mach. 4.* Ita ille, qui & Castalionem reprehendit, quòd vocabulo à se ficto *Renoualia* verterit, quæ *Encænia* dicuntur. magis tamen ipse cęteris cum hæreticis reprehendendus, quòd quibus libris Euangelista, ipseque CHRISTVS Dominus luculentum, ista istorum encœniorum memoratione, testimoniũ dederunt, eos ipsi temerè adeò repudient. Verum de dedicationibus istis vide Bedam serm. 1. dedicationis, Walafridum de rebus Eccles. c. 1. & 9. D. Bernar. serm. 16. in Psalm. Qui habitat. serm. 13. in Cantica. D. Chrysost. hom. 18. Actorum, Emisenum ser. in dedicatione Ecclesiæ, Chrysologum ser. 54. D. Ambros. serm. 89. D. Augustinum serm. de dedicatione.

Decimaquinta quæstiuncula. *Fuitne sacerdotum aliqua etiam recensio & lustratio facta?* Cum vt lib. 2. c. 3. & 4. vidimus; tanta plerorumque sacerdotum impietas & contaminatio fuerit, tanta sacrificij quotidiani; aliorumque omnium cessatio, & religionis totius ruina, fuit Iudæ Machabæo necessarium, si quidem templum, sacraque omnia pristinæ integritati restituere veller, bonos etiam, tantorumque scelerum putos, sacerdotes conquirere. Ita enim & Pontificem decebat, & res ipsa postulabat, idq; lib. 1. cap. 4. vers. 42. hisce verbis asseritur. *Et elegit sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege* DEI. Quemadmodum verò prima olim fuerat Ioaribęa sacerdotum classis, ita & nunc eundem locum ordinemque suum tenuisse, primumque ad sacerdotalia munia fuisse adhibitam, cum è Ioaribæis ipse Iudas Pontifex, cæremoniarumque Machabæi fratres sint, quis dubitet?

Decimasexta & vltima quæstiuncula. Quid post tam piam sedulamque sacrorum procurationem, fecit Iudas? Montem Domini & templum ædificauit varijsque operibus & præsidiis communiuit vers. 60. adiunxitque arcem insignem, quam à rupe & munitione Bethsuram vocabant. Est locus Iudææ munitissimus, vt ait Iosephus lib. 13. cap. 9. intra montium fauces & angustias, Thermopylarum, quæ Lacedæmoniorum virtute tam nobiles sunt, instar; vt est apud eundem Iosephum lib. 14. cap. 16. & quinque stadijs ab Hierosolyma distabat infra lib. 2. cap. 11. vers. 5. & 65. cap. 14. v. 7. & 33. dicturúque πόλις vrbs lib. isto 1. c. 6. vers. 7. 31. & 49. vbi etiam Bethsura Bethsurorum dici ostenditur. & cap. 9. v. 52. Sed quæri posset, an munierint iam Iudæi montem Domini, vt custodirent

rent Bethsuram, an Bethsuram potius, vt montem vrbemque Hierosolymitanam custodirent. Vtrumlibet ex Græco textu dici posset, si diceremus ὠχύρωσαν, ἀπὸ πρεῖν, τὼ βαθύσειραν, pro εἰς τὸ πρεῖν vel διὰ τὸ πρεῖν. & confirmari posset sensus posterior ex adiuncta causa, *vt haberet populus munitionem contra faciem Idumæa.* Latinus tamen noster priorem sensum tradit. estque is etiam in Græco simplicior. De his verò aliisque Asamonæorum ædificiis plura Iosephus lib. 15. cap. vlt. lib. 20. ca. 7. lib. 2. Cap. 28. & lib. 5. cap. 13. Sed finiat dedicationis huius gaudium pulchella D. Bernardi ser. 15. in Cantica, obseruatio, cum ex aliis scripturæ locis, tum ex isto lib. 1. cap. 4. vers. 58. petita, vt ostendat pro nobis omnibus DEO gloriam & laudem tribuendam; neque à nobis eam arripiendam. *Tibi*, ait, *Domine, tibi gloria tua maneat illibata. mecum bene agitur, si pacem habuero. Gaudia prostrato lætatus est populus pace recepta, sed Dauid singulariter exitit gloriosus. Iosue, Iephte, Gedeon, Samson, Iudith quoque, quanquam fœmina, gloriosè in diebus suis triumpharunt de hostibus, sed pace cum gaudio fruentibus cæteris, nemo communicauit eis in gloria. Iudas Machabæus multus & ipse inclytus victoriis, cum frequenter exultanti populo pacem fortiter pugnando tribuisset, nunquid gloriam quandoque partius est alicui? Denique & facta est, inquit, non gloria, sed lætitia magna in populo. Quid minus ab his omnibus conditor omnium fecit, quo minus & ipse debeat gloriari singulariter? Solus cuncta creauit, solus de hoste triumphauit, solus captiuos liberauit: & socium habebit in gloria? Et brachium inquit meum auxiliatum est mihi. Item: Tercular calcaui solus, & de gentibus vir non est mecum. Quid mihi ergo cum victoria si nec in prælio fui? Impudentissimè mihi arrogo vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna: Sed suscipite meæ pacem populo, pacem suscipite nobis, non gloriam, ipsi soli eam seruantes, qui solus & pugnauit, & vicit. Ita quæso, ita sit, gloria in excelsis* DEO, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

CAPVT QVINTVM LIBRI PRIMI.

1 *ET factum est, vt audierunt Gentes in circuitu, quia ædificatum est altare, & sanctuarium sicut prius, iratæ sunt valdè:*
2 *& cogitabant tollere genus Iacob, qui erant inter eos, & cœperunt occidere de populo, & persequi.*
3 *Et debellabat Iudas filios Esau in Idumæa, & eos, qui erant in Arabathane: quia circumsedebant Israelitas, & percussit eos plaga magna.*
4 *Et recordatus est malitiam filiorum Bean, qui erant populo in laqueum, & in scandalum, insidiantes ei in via.*
5 *Et conclusi sunt ab eo in turribus, & applicuit ad eos, & anathematizauit eos, & incendit turres eorum igni cum omnibus, qui in eis erant.*
6 *Et transiuit ad filios Ammon, & inuenit manum fortem, & populum copiosum, & Timotheum ducem ipsorum.*
7 *& commisit cum eis prælia multa, & contriti sunt in conspectu eorum, & percussit eos:*
8 *& cepit Gazer ciuitatem, & filias eius, & reuersus est in Iudæam.*
9 *Et congregatæ sunt Gentes, quæ sunt in Galaad, aduersus Israelitas, qui erant in finibus eorum vt tollerent eos: & fugerunt in Datheman munitionem.*
10 *& miserunt literas ad Iudam & fratres eius, dicentes: Congregatæ sunt aduersum nos Gentes per circuitum, vt nos auferant:*
11 *& parat venire: & occupare munitionem, in quam confugimus: & Timotheus est dux exercitus eorum.*
12 *Nunc ergo veni, & eripe nos de manibus eorum, quia cecidit multitudo de nobis.*
13 *Et omnes fratres nostri, qui erant in loco Tubin, interfecti sunt: & captiuas duxerunt vxores eorum, & natos, & spolia, & peremerunt illic fere mille viros.*
14 *Et adhuc epistolæ legebantur, & ecce alij nuncij venerunt de Galilæa conscissis tunicis, nunciantes secundum verba hæc:*
15 *dicentes conuenisse aduersum se à Ptolemaida, & Tyro, & Sidone: & repleta est omnis Galilæa alienigenis, vt nos consumant.*
16 *Vt audiuit autem Iudas, & populus, sermones istos, conuenit ecclesia magna cogitare quid facerent fratribus suis, qui in tribulatione erant, & expugnabantur ab eis.*
17 *Dixitque Iudas Simoni fratri suo: Elige tibi virot, & vade, & libera fratres tuos in Galilæa: ego autem, & frater meus Ionathas ibimus in Galaaditim:*
18 *Et reliquit Iosephum filium Zachariæ, & Azariam duces populi cum residuo exercitu in Iudæa ad custodiam.*
19 *& præcepit illis, dicens: Præstote populo huic: & nolite bellum committere aduersum Gentes, donec reuertamur.*
20 *Et partiti sunt Simoni viri tria millia, vt iret in Galilæam: Iudæ autem octo millia in Galaaditim.*
21 *Et abiit Simon in Galilæam, & commisit prælia multa cum Gentibus: & contritæ sunt Gentes à facie eius, & persecutus est eos vsque ad portam Ptolemaidis:*

Universidad de Deusto
Biblioteca

22 & ceciderunt de Gentibus ferè tria millia virorum, & accepit spolia eorum.
23 & assumpsit eos, qui erant in Galilæa, & in Arbatis cum vxoribus, & natis, & omnibus, quæ erant illis, & adduxit in Iudæam cum lætitia magna.
24 Et Iudas Machabæus, & Ionathas frater eius transierunt Iordanem, & abierunt viam trium dierum per desertum.
25 Et occurrerunt eis Nabuthæi, & susceperunt eos pacifice, & narrauerunt eis omnia, quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide.
26 & quia multi ex eis comprehensi sunt in Barasa, & Bosor, & in Alimis, & in Casphor, & Mageth, & Carnaim: hæ omnes ciuitates munitæ, & magnæ.
27 Sed & in cæteris ciuitatibus Galaaditidis tenentur comprehensi, & in crastinum constituerunt admouere exercitum ciuitatibus his, & comprehendere, & tollere eos in vna die.
28 Et conuertit Iudas, & exercitus eius, viâ in desertum Bosor repente, & occupauit ciuitatem: & occidit omnem masculum in ore gladij, & accepit omnia spolia eorum, & succendit eam igni.
29 Et surrexerunt inde nocte, & ibant vsque ad munitionem.
30 Et factum est diluculo, cùm eleuassent oculos suos, ecce populus multus, cuius non erat numerus, portantes scalas & machinas, vt comprehenderent munitionem, & expugnabant eos.
31 Et vidit Iudas quia cœpit bellum, & clamor belli ascendit ad cœlum sicut tuba, & clamor magnus de ciuitate:
32 & dixit exercitui suo: Pugnate hodie pro fratribus vestris.
33 Et venit tribus ordinibus post eos, & exclamauerunt tubis, & clamauerunt in oratione.
34 Et cognouerũt castra Timothei quia Machabæus est, & refugerunt à facie eius & percusserunt ex eis in die illa fere octo millia virorum.
35 Et diuertit Iudas in Maspha, & expugnauit, & cepit eam: & occidit omnem masculum eius, & assumpsit spolia eius, & succẽdit eam igni.
36 Inde perrexit, & cepit Casbõ, & Mageth, & Bosor, & reliquas ciuitates Galaaditidis.
37 Post hæc autem verba, congregauit Timotheus exercitum alium, & castra posuit cõtra Raphon trans torrentem.
38 Et misit Iudas speculari exercitum: & renunciauerunt ei, dicentes: Quia conuenerunt ad eum omnes Gentes, quæ in circuitu nostro sunt exercitus multus nimis.
39 Et Arabas conduxerunt in auxilium sibi, & castra posuerunt trans torrentem parati ad te venire in prælium. Et abijt Iudas obuiam illis.
40 Et ait Timotheus principibus exercitus sui: Cum appropinquarit Iudas & exercitus eius aquæ: si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum: quia potens poterit aduersum nos.
41 si verò timuerit transire, & posuerit castra extra flumen, transfretemus ad eos, & poterimus aduersus illum.
42 Vt autem appropinquauit Iudas ad torrentem aquæ, statuit scribas populi secus torrentem, & mandauit eis, dicens: Neminem hominum reliqueritis: sed venient omnes in prælium.
43 Et transfretauit ad illos prior, & omnis populus post eum, & contrita sunt omnes Gentes à facie eorum, & proiecerunt arma sua, & fugerunt ad fanum, quod erat in Carnaim.
44 Et occupauit ipsam ciuitatem, & fanum succendit igni cum omnibus, qui erant in ipso: & oppressa est Carnaim, & non potuit sustinere contra faciem Iudæ.
45 Et congregauit Iudas vniuersos Israelitas, qui erant in Galaaditide, à minimo vsque ad maximum, & vxores eorum, & natos, & exercitum magnum valdè, vt venirent in terram Iudæ.
46 Et venerunt vsque Ephron: & hæc ciuitas magna in ingressu posita, munita valdè, & non erat declinare ab ea dextera vel sinistra, sed per mediam iter erat.
47 Et incluserunt se qui erant in ciuitate, & obstruxerunt portas lapidibus: Et misit ad eos Iudas verbis pacificis, dicens:
48 Transeamus per terram vestram, vt eamus in terram nostram: & nemo vobis nocebit: tantùm pedibus transibimus. Et nolebant eis aperire.
49 Et præcepit Iudas prædicari in castris, vt applicarent vnusquisque in quo erat loco,
50 & applicuerunt se viri virtutis, & oppugnauit ciuitatem illam tota die, & tota nocte, & tradita est ciuitas in manu eius:
51 & peremerunt omnem masculum in ore gladij, & eradicauit eam, & accepit spolia eius, & transiit per totam ciuitatem super interfectos.
52 Et transgressi sunt Iordanem in campo magno, contra faciem Beth-san.
53 Et erat Iudas congregans extremos, & exhortabatur populum per totam viam: donec venirent in terram Iudæ:
54 & ascenderunt in montem Sion cum lætitia, & gaudio, & obtulerunt holocausta, quod nemo ex eis occidisset donec reuerterentur in pace:

55 Et in diebus, quibus erat Iudas, & Ionathas in terra Galaad, & Simon frater eius in Galilæa contra faciem Ptolemaidis.
56 audiuit Iosephus Zachariæ filius, & Azarias princeps virtutis, res bene gestas, & prælia quæ facta sunt,
56 & dixit: Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus Gentes, quæ in circuitu nostro sunt.
58 Et præcepit his, qui erant in exercitu suo, & abierunt Iamniam.
59 Et exiuit Gorgias de ciuitate, & viri eius obuiam illis in pugnam.
60 Et fugati sunt Iosephus, & Azarias vsque in fines Iudææ: & ceciderunt illo die de populo Israel ad duo millia viri, & facta est plaga magna in populo:
61 quia nõ audierunt Iudam & fratres eius, existimantes fortiter se facturos.
62 Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.
63 Et viri Iuda magnificati sunt valdè in conspectu omnis Israel, & Gentium omnium vbi audiebatur nomen eorum.
64 Et conuenerunt ad eos fausta acclamantes.
65 Et exiuit Iudas, & fratres eius, & expugnabat filios Esau in terra, quæ ad austrum est, & percussit Chebron & filias eius & muros eius & turres succendit igni in circuitu.
66 Et mouit castra, vt iret in terram alienigenarum, & perambulabat Samariam.
67 In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.
68 Et declinauit Iudas in Azotum in terram alienigenarum, & diruit aras eorum, & sculptilia deorum ipsorum succendit igni: & cepit spolia ciuitatum, & reuersus est in terram Iuda.

COMMENTARIVS.

PRÆLIA cum finitimis gentibus Iudæorum genti perquàm infestis, *varia* feliciter iniit Iudas. *Primum* cum Idumæis v. 3. vbi pro *Arabathane*, legitur *Acrabattine*, in Græco, & *Acrabathena*, in Iosepho lib. 3. de bello c. 3. Plinio lib. 5. cap. 15. *Secundum* cum Beaniis, non, vt Iosepho Latino, *Bethanijs*, cum Græcè sit Βαιὰν. licet conuenire posset cum ea parte, quæ Iudith. 1. Græcè Βεταὶνη. *Tertium* cum Ammonitis, quorum Dux Timotheus ver. 6. Vrbs *Gazer*, alia vt ex situ planum, ab ea, quæ Iosuæ 10. vers. 33. & c. 16. vers. 3. quamque prior Par. 14 vers. 16. Gazaram, Iosephus lib. 5. antiquitatũ cap. 1. Gadara nominat. Hæc verò nostra in textu Græco ἐν Ζὴρ est, de qua Iosuæ 13. ver. 24. *Quartum* cum Galaaditis, ad quos vltra Iordanem, vnà cum fratre Ionathan sese contulit vers. 9. 17. 24. Sed pro locis *Tubin* vers. 13. Græcus habet ἐν ταῖς τοβίαις. Litteræ scilicet vndique, eodem pænè temporis momento, vti Iob. 1. malorum nunciæ aduolabant. *Quintum* cum Galilæis Gentilibus, Ptolemæensibus, Tyriis, & Sidoniis, sed per fratrem suum Simonem vers. 17. 20. 21. At versu 13. dicuntur Græcè gentes venisse à Sidone & omni Galilæa gentium seu allophylorum. De *duplici Galilæa* dictum cap. 1. Tobiæ. Tantùm hic obserua, tradere Iosephum, in vita sua, ducentas & quatuor in illa vrbes & vicos esse, quorum, ait lib. 3. Capt. 4. minimus contineat incolarum plusquàm quindecim millia: vtramque verò gentibus ἀλλοφύλοις circumdatam esse. Eodem ver. 15. quæ *Ptolemaida* dicitur vti & cap. 10. vers. 1. est ipsa Ptolemais. quemadmodum & Hellas infrà cap. 8. vocatur *Hellada*. *Sextum* cum Carnaimitis ver. 44. quorum vrbs Græcè καρναὶν. de qua S. Epiph. hæres. 30. sicuti & suprà vers. 26. vbi & βοσσορ, ἄλσμα μαχὲδ. quod postremum etiam vers. 36. vbi & γαὶ Φάρ. Qui vers. 37. *torrens* vocatur, paulo post vers. 41. vocatur χειμαρρὸς. *fluuius*. eo modo quo Iudith 2. fol. 165. exposui. Et hoc lib. 1. cap. 16. vers. 5. vbi in Græco tantum χειμαρρὸς & *torrens* est, in Latino legitur *fluuius torrens*. *Septimum* cum Ephronitis vers. 46. Est verò *Ephron* trans Iordanem ciuitas munita infrà lib. 2. cap 12. vers. 27. 2. Paral. 13. vers. 19. Neque eadem est cum *Ephrem*, de qua Ioh. 11. vers. 54. & hic infrà lib. 1. cap. 11. v. 34. Græcè ἀφαιρεμὰ legitur. Nam, vt ait in illud S. Ioannis caput Toletus annot. 19. differunt illæ tam situ, quam scriptione, cum vnius principium sit ע, alterius א. *Campus magnus* vers. 52. expositus est Iudith 1. & de eo D. Hieronymus de locis Hebr. verbo *Aulon*. At ver. 53. notanda *duo* boni ducis officia. *Vnum* vt eos qui cunctantur, & vel præ ignauia vel præ infirmitate, nimiaque defatigatione in postremis hærent, non deserat, sed colligat, & prout res pãtur, vrgeat, vel si infirmiores sunt, eorum curam bonam gerat. *Alterum*, vt suos cohortationibus interdum excitet. Vtrumque hic à Iuda factum. & prius quidem in Græco est paulo clarius, ἐκκινῶν τὰς ἰσχνάζοντας. *Octauum* prælium cum Idumæis vers. 65. de Chebron Iosephus multa lib. 4. Capt. 31. *Nonum* cum Samaritanis vers. 66. *Decimam*, cum Palæsthinis, Azotis præsertim vers. 68. quorum aras & simulachra disturbauit, & incendit. De hisce aliisque secutis contra Idumæos, Ammonitas, Moabitas, aliosque hostes victoriis prædictio est Habdiæ cap. 1. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula, & succendentur in eis & deuorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est. Et hereditabunt hi, qui ad Austrum sunt, montem Esau. & qui in cãpestribus, Philistijm: & possidebunt regionẽ Ephraim, & regionẽ Samariæ. & Beniamin possidebit Galaad.* Et

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sophoniæ 2. *Reliquia populi mei decipiunt eos, residui gentis meæ possidebunt illos.* prout suis omni doctrinæ refertis in prophetas commentariis manifestum Ribera noster facit.

Dum in hostico Machabæi versantur, *duo* magnæ dignitatis *Sacerdotes, Iosephus & Azarias* in Iudæa, vt renouatum iam templum, ciuitatemque Hierololymitanam tuerentur, cum exercitus residuo, Duces relicti erant; ea tamen conditione, vt si gentes eos lacessitum venirent, fortiter obsisterent; eas verò ipsi oppugnatum vltrò non irent. vers. 19. At boni isti virtutis seu exercitus principes vers. 56. Machabæorum gloria, quæ omnium sermonibus longè lateque peruagabatur; commoti, dixerunt, *Faciamus & ipsi nobis nomen. & eamus pugnare aduersus gentes, quæ in circuitu nostro sunt.* Dictum, factum. sed exitu sanè funestissimo vers. 60. *fugati sunt Iosephus & Azarias vsque in fines Iudææ. & ceciderant illo die de populo Israel ad duo millia viri, & facta est plaga magna in populo.* Quæ causa? *Duplex* adiungitur. *Vna* est vers. 61. *quia non audierunt Iudam & fratres eius, existimantes se fortiter;* seu vt Græcum verbum importat, *viriliter factures.* vt & ipsi videlicet viri haberentur, non solus Iudas, & Machabæi laudarentur. *Altera* vers. 62. *Ipsi non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est Israel.* seu vt in Græco, *quibus Israelis salus data, vt ipsorum manu* seu *operâ fieret.* Quam illustre hoc humanæ vitæ speculum? Vtilitatis, honoris, laudis & gloriolæ alicuius obiecta spes, plurimos, etiam à DEO non vocatos, etiam ab eodem, & magistratibus vetitos, etiam ineptos necessariisque rebus minimè instructos, in pace, in bello, in Ecclesia, in Republica, in quolibet vitæ statu, ad quidlibet, per fas nefasque, audendum rapit. Magna sanctissimorum Apostolorum gloria erat, extemplo eam indignissimo pretio licitatur Simon Magus Act. 8. æmulantur pseudoapostoli, falsi fratres, & hæretici, de quibus passim Apostolus, & S. Petrus in epist. & sanctus Iudas. Magnum Christianorum exorcistarum & Pastorum nomen erat. Simile Iudæi Act. 19. & lupi quidam Act. 20. concupiscebant. Quid miraculorum, vitæque sanctioris laudem ab hæreticis & hypocritis quandoque tentatam & adumbratam memorem? Itum, hoc sæculo, à Catholicis Sacerdotibus in Orientis obeuntisque Solis, vt CHRISTI D. Euangelium propagetur, vltimas regiones. Tetrent nostros hæreseon magistros infinita, quæ terrâ marique impendent pericula & labores. Fuerunt tamen è Calumianis Galliæ ministris pauci quidem, sed aliqui tamen, qui tam laudatæ peregrinationis famâ excitati, eandem aggrederentur. Sed nimirum ex eorum semine non sunt hæretici, quibus dedit Dominus, vt industria, labore, prædicationeque sua veram vnicamque à CHRISTO IESV salutem Gentibus per Spiritum sanctum afferant. *Ecclesia*, inquit D. Augustinus sub epistolæ quinquagesimæ finem, *Catholica sola, corpus est* CHRISTI, *cuius ille caput est Saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus sanctus. Non est particeps diuinæ charitatis, qui hostis est vnitatis, non habent Spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam.* Mihi verò, quos emolumenti vel gloriæ inanitas ad alienas istiusmodi, quocunque in negotio, personas suscipiendas instigat, Æsopico illi Asino similes videntur, qui quod hero gratum, qui illi blandiebatur & assiliebat canem, videbat, idem & ipse facere instituit. Sapienter Hierapolitanus Epictetus canone 26. & 27. hos pueris, similisq; quidlibet imitantibus comparat, optimisque præceptis instruit. Vide D. August. lib. 5. de ciu. c. 12. Rabanus multa isto capite, quibus eos, qui ad Catholicam veritatem ab erroribus redeunt, quique ipsos reuocant & docent, consoletur, simulque instituat, perutilia monuit. sed è glossa, si cupis, petes, & similem horum sacerdotum orationi orationem leges Geneseos cap. 11. vers. 4. simile factum in Onia apud Iosephum lib. 13. c. 6.

De morte Antiochi Epiphanis.

CAPVT VI. LIBRI I.

1 ET rex Antiochus perambulabat superiores regiones, & audiuit esse ciuitatem Elymaidem in Perside nobilissimã, & copiosam in argento, & auro,
2 templumque in ea locuples valde: & illic velamina aurea, & lorica, & scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnauit primus in Græcia.
3 Et venit, & quærebat capere ciuitatem, & depradari eam: & non potuit, quoniam innotuit sermo his, qui erant in ciuitate:
4 & insurrexerũt in prælium, & fugit inde, & abiit cum tristitia magna, & reuersus est in Babyloniam.
5 Et venit qui nunciaret ei in Perside, quia fugata sunt castra, quæ erant in terra Iuda.
6 & quia abiit Lysias cum virtute forti in primis, & fugatus est a facie Iudæorum, & inualuerunt armis, & virtutibus, & spoliis multis, quæ ceperunt de castris, quæ exciderunt:
7 & quia diruerunt abominationem, quam ædificauerat super altare, quod erat in Ierusalem, & sanctificationem, sicut prius circumdederũt muris excelsis, sed & Bethsuram ciuitatem suam.
8 Et factum est, vt audiuit rex sermones istos, expauit, & commotus est valde: & decidit in lectum, & incidit in languorem pra tristitia, quia non factum ei est sicut cogitabat.
9 Et erat illic per dies multos: quia renouata est in eo tristitia magna, & arbitratus est se mori.
10 Et vocauit omnes amicos suos, & dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præsolicitudine:
11 & dixi in corde meo: In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum: qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea!
12 Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Ierusalem, vnde & abstuli omnia spolia aurea, & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam, sine causa.
13 Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala ista: & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.
14 Et vocauit Philippum, vnum de amicis suis, & præposuit eum super vniuersum regnum suum:
15 & dedit ei diadema, & stolam suam, & annulum, vt educaret Antiochum filium suum, & nutriret eum, & regnaret.
16 Et mortuus est illic Antiochus rex anno centesimo quadragesimo nono.

CAPVT IX. Libri secundi.

1 EOdem tempore Antiochus inhoneste reuertebatur de Perside.
2 Intrauerat enim in eam, quæ dicitur Persepolis, & tentauit expoliare templum, & ciuitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt: & ita contigit vt Antiochus post fugam turpiter rediret.
3 Et cum veniisset circa Ecbatanam, recognouit quæ erga Nicanorem, & Timotheum gesta sunt.
4 Elatus autem in ira, arbitrabatur se iniuriam illorum, qui se fugauerant, posse in Iudæos retorquere: ideoque iussit agitari currum suum, sine intermissione ages iter, cælesti eum iudicio perurgente. eo quod ita superbè locutus est, se venturum Ierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum eã facturum.
Ex 1. Mach. 6. 8. 9. 5 Sed qui vniuersa conspicit Dominus Deus Israel, percussit eum insanabili, & inuisibili plaga. Vt enim finiuit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor diræ viscerum, & amara internorum tormenta:
6 & quidem satis iuste, quippe qui multis, & nouis cruciatibus aliorum torserat viscera, licet ille nullo modo à sua malitia cessaret.
7 Super hoc autem superbia repletus, ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere. & grauis corporis collisione membra vexari.
8 Isq; qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans:
9 ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur.
10 & qui paulo ante sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.
11 Hinc igitur cœpit ex graui superbia deductus, ad agnitionem sui venire, diuina admonitus plaga, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus.
12 & cum nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, sta ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non pariã Deo sentire.
13 Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.
14 Et ciuitatem, ad quam festinans veniebat vt eam ad solum deduceret, ac sepulchrum congestorum faceret, nunc optat liberam redderi:
15 & Iudæos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed auibus ac feris diripiendos traditurum. & cum paruulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Atheniensibus facturum pollicetur.
16 Templum etiam sanctum, quod prius expoliauerat, optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum, & pertinentes ad sacrificia sumptus de reditibus suis præstaturum:
17 super hæc & Iudæum se futurum, & omnẽ locum terræ perambulaturum, & prædicaturum Dei potestatem.
18 Sed non cessantibus doloribus (superuenerat enim in eum iustum Dei iudicium) desperans scripsit ad Iudæos in modum deprecationis epistolam hæc continentem:
19 OPTIMIS ciuibus Iudæis plurimam salutem, & bene valere, & esse felices rex & princeps Antiochus.
20 Si bene valetis, & filij vestri, & ex sententia vobis cuncta sunt, maximas agimus gratias.
21 Et ego in infirmitate constitutus, vestri autem memor benignè reuersus de Persidis locis, & infirmitate graui apprehensus, necessarium duxi pro communi vtilitate curam habere:

Universidad de Deusto
Biblioteca

22 *non desperans memetipsum, sed spem multam habens effugientem infirmitatem.*
23 *Resciens autem quod & pater meus quibus temporibus in locis superioribus ducebat exercitum, ostendit qui post se susciperet principatum:*
24 *Vt siquid contrarium accideret, aut difficile nunciaretur, scientes hi, qui in regionibus erant, cui esset rerum summa derelicta, non turbarentur.*
25 *Ad hæc, considerans de proximo potentes quosque, & vicinos temporibus insidiantes, & euentum expectantes, designaui filium meum Antiochum regem, quem sæpe recurrens in superiora regna multu vestrum commendabam: & scripsi ad eum quæ subiecta sunt.*
26 *Oro itaq; vos, & peto memores beneficiorum publice & priuatim, vt vnusquisque conseruet fidem ad me, & ad filium meum.*
27 *Confido enim, eum modestè & humanè acturum, & sequentem propositum meum, & communem vobis fore.*
28 *Igitur homicida, & blasphemus pessime percussus, & vt ipse alios tractauerat, peregre in montibus, miserabili obitu vita functus est.*
29 *Transferebat autem corpus Philippus collactaneus eius: qui metuens filium Antiochi, ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abiit.*

COMMENTARIVS.

DESCRIBITVR Antiochi Epiphanis mors clarè duobus in locis. lib. 1. c. 6. & lib. 2. cap. 9. Addunt hæretici locum tertium lib. 2. ca. 1. Sed ibi eum locum tractabo, cum reuera tunc Antiochus mortuus non sit. Quia verò in duobus illis capitibus aliis repugnantia quædam videtur, eam partim rei gestæ ordinem ex vtroque capite connectendo, partim qui superesse potuerunt scrupulos eximendo; persequar.

Primò, vt prodiues fanum spoliaret, vadit Antiochus in Persidis vrbē, *Elymaidem*, lib. 1. c. 6. *Persepolim* lib. 2. cap. 9. Deinde in Syriam ipsam redit. Sed hic spectandum & iter, & itineris terminus. *Iter*, cum adhuc esset in Perside cap. 6. circa Ecbatanam cap. 9. audiit de fuga Lysiæ cap. 6. iratus vindictam cogitabat cap. 9. Iussit celeriùs currum agitari, ibidem: Incidit præ tristitia in languorem cap. 6. quia per ipsius Duces fugatos, non ita factum, sicuti cogitabat, ibidem. percussit eum Dominus inuisibili & insanabili plaga, ca. 9. Et vt se tremonem, quem cœperat, finiuit, apprehendit eum dolor viscerum, & amara intestinorum tormenta cap. 9. De curru cecidit: collisus est cap. 9. Pediculari morbo, teterrima grauedolentia, vt iam à famulis propter fœtoris intolerantiam portari non posset, cruciatus fuit, cap. 9. Nota, morbo isto pediculari de quo. lib. 5. Lucretius & Serenus, grauissimos olim peccatores diuinitus affectos fuisse, vt Herodem apud Iosephum lib. 17. cap. 8. Et alterum Herodem Act. 12. Hunericum Vandalorum Regem apud Victorem lib. 3. Maximianum apud Euseb. lib. 8. cap. 28. Iulianum apud Sozomenum lib. 5. cap. 7. Sic & Apostata Theotecnus apud Nicephorum lib. 10. cap. 29. aliusque qui altare perminxerat apud eundem ibidem. apud Tertullianum lib. ad Scapulam cap. 3. *Vigellius Saturninus qui primus hic gladium in nos (Christianos) egit, lumina amisit. Claudius Herminianus in Cappadocia, cum indigne ferens vxorem suam ad hanc sectam transisse, Christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio suo vastatus peste cum viuus vermibus ebuliisset: Nemo sciat, aiebat, ne id gaudeant Christiani.* Apud S. Antiochum Palæstinum hom. 84. impurus quidam canusque iam Monachus, cum ad impuras nuptias omnem modestiæ lasciuiam, imò &, quod dictu horrendum, è Christiana fide ad Iudaismum & circumcisionem transisset, nefaria tandem horrendaque *morte misere* (Antiochi verba retinebo) *perruptus est: catarrhi enim profluuium aliquamdiu passus, & vermium arrosione contabescens, expirauit.* Et nostro sæculo Caluinus, apud Bolsecum ca. 22. vitæ ipsius, quomodo mortuus? In alia eiusdem vita, quam scripsit ipsius corculum & delicium, Theodorus Beza, hæc verba sunt; *Tam variis eum, & multiplicibus morbis cruciatum fuisse, vt planè sit incredibile, hemicrania scilicet, hæmorrhoidibus vlcerosis, sanguine excrementitio, quartana, prodagra, calculo, & colica.* Sed Antiochus *terminum* tandem attigisse videtur Babyloniam cap. 6. vbi per dies multos fuit uit, multa eidem vouit, de Hierosolymæ libertate, de Hierosolymitarum dignitate, de sacris templi valis & sumptibus, de sua ipsius ad Iudaismum conuersione cap. 9. Exposuit amicis ægritudinem suam cap. 6. vers. 10. & causam ibidem. sed doloribus non cessantibus, scripsit ad Iudæos epistolam promissorum optimorum plenissimam cap. 9. vers. 18. Inter promissa hæc, erat etiam vers. 15. vt fierent Athenienstibus Iudæi similes. Erant autem illi αὐτοπαθεῖς καὶ αὐτόνομοι vt ait Iosephus lib 14. cap. 16. Nihil autem Iudæis optatius, quam vt propria sua lege, propriisque institutis viuere sinerentur, quemadmodum alibi suprà iam notaui. Post hæc filium Antiochum Philippo commendauit, c. 6. vers. 15. & 55. Moritur c. 6. v. 16. cap. 9. vers. 28. Hic exitus & hic odor illius,
quem ob summam vnguentorum affluentiam vocabat
quidam *beatum* apud Athenæum.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA I.

Quomodo vrbium, in quibus fanum diripere voluit Antiochus, nomina tantopere discrepent?

RESPONDEO, vnam eandemque vrbem sæpe aduersis nominibus, diuersas ob causas, appellari, sicque *vnam & eandem hic esse, Persepolin & Elymaidem.* Sed *Elymaidis* nomine libentius vsus est auctor libri prioris, sicut & Iosephus, itemque apud D. Hieronymum in Danielis 11. Porphyrius, de Elymaide tamen regione tantum loquens. Auctori verò lib. 32. *Persepolis* placuit. At dices, Persepolis ab Alexandro diruta, vt ait Plinius lib. 6. cap. 20. & combusta fuit, *neque longa ætate post* rursus erecta, vt ait lib. 5. Curtius, *adeò*, inquit, *vt eius vestigium non inueniretur, nisi Araxes amnis ostenderet, à quo 20. stadijs distitisse credunt magis quàm sciunt accolæ.* Mouerunt hæc Curtij verba Peterium lib. 9. in Danielem, vt Persepolim non proprium alicuius nomen putarit, sed commune Persidis vbium, quod & de Elymaide dici posset, cum à Porphyrio & D. Hieronymo l. c. *regio* vocetur, itemque à Stephano. ab ipso Daniele initio cap. 8. *mednach.* à Septuaginta idem vertatur *regio*, à Symmacho *ciuitas*. quòd Latinum nomen, sicuti & Græcum πόλις, non vrbem tantùm, sed multitudinem etiam, & quandam communitatem significat, vt infrà patebit. *Propria* tamen *esse nomina* nihil impedit, *primò*, quia quemadmodum eiusdem verbis diuersa interdum nomina sunt: sic diuersarum idem quandoque nomen est. vt Ecbatana, Babylon, Antiochia, Salamine, Tyberia, Massilia, Neapolis. *Deinde* videtur Persepolis postea restituta fuisse, ex Diodoro lib. 19. Athenæo 12. Quemadmodum de Heraclea vrbe scribit lib. 6. Plinius cap. 16. Et de Charace seu Alexandria, Pellæoque pago ad sinum Persicum cap. 26. vbi & Durinem regiam, Alexandri temporibus interfuisse scribit; fierique potuit, vt rumore quodam deceptus sit Curtius; Sicuti etiam dum *ad Araxem*, illam fuisse ait, cum hic in Perside propriè non esset, & à Ptolomæo ad *Rhogomanon* fluuium statuatur, & quidem ita, vt ipsius adhuc tempore *stetisse* videatur, *imò & floruisse*, inquit in Strabonis lib. 15. Casaubonus. Certè ipse Strabo & Arrianus lib. 3. Cyri tantùm, quæ ea in vrbe fuerant palatia, combusta tradit. Quod verò Plutarchus lib. de fœminarum virtutibus retulit, solitos Persarum Reges, cum *Persepolim* accederent, singulis matronis aureum dare, ideoque illic Reges quosdam ratiùs, Ochum nunquam venisse. id Xenophon lib. 8. refert, Cyrum etiam fecisse, cum venisset *ad Persas*, seu *Persarum vrbem*, quæ & Persepolis dicitur. At hoc idem de Alexandro etiam in eius vita narrat Plutarchus. Quomodo igitur ab eo euersa & incensa fuit? Eandem vrbem vocat eodem modo *Persas* Clemens Alexandrinus in protreptico, dum ait, *Artaxerxem Ochi filium constituisse Veneris Tanaidis simulachrum Babylone, Ecbatanis, Persis, Bactris, Damasci, Sardibus.* Quia verò, ex huiusceemodi tricis, librorum istorum auctoritatem conuellere nituntur hæretici, vnius, ex eorum Helmstadiana Schola Reineccij verba referamus, Tomo 2. *l. 16. Persarum*, ait, *gentem literæ sacræ à conditore scilicet Elam aut Elymo denominant. Vnde est, quod 1. Machab. 6. vrbs Elymais dicitur, quæ 2. Mach. 9. & Græcis Persepolis est, vt quasi interpretando Hebræum relatum sit.*

QVÆSTIVNCVLA II.

Vbinam mortuus hic Antiochus Epiphanes?

PORPHYRIVS apud D. Hieron. in Daniel. 11. nominat *Tabes* oppidum Persidis, Auctor libri secundi cap. 9. alienam terram in montibus. Vnde loco citato colligit Peretius, in Mediæ montibus, qui Ecbatanis viciniores sunt, scelestam animam exhalasse. Et omnino videtur ibi esse mortuus, ratione scilicet mortis his in locis inchoatæ, cum grauissimè hic affici & torqueri cœperit. Sed in Babyloniam vsque peruenisse videtur, ibique tandem mortuus est. Pro *Babylonia* dicit Græcus c. 6. *v. 4. Babylonem.*

QVAESTIVNCVLA III.

Cum Deum tantopere precatus sit, totque & tanta tum Deo ipsi, tum Iudæis promiserit, cur scelerum veniam non impetrauit?

RESPONDEO, fuisse ficta & simulata omnia, si vera pœnitentiæ ratio consideretur; seu quòd idem valet, verum quidem & serium ei dolorem fuisse, sed ob sola sua incommoda & miseriam. quemadmodum Patres de Esau docent, de quo D. Paulus Hebr. 12. *non inuenit pœnitentiæ locum,*

quam-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quanquam cum lachrymis inquisisset eam, licet pœnitentia hic pro contractus illius, quo primogeniturã fratri vendiderat, reuocatione seu retractatione quasi politica sumi possit, vti notat Galenus Vestcapellius. Est D. Augustini operibus liber de vera & falsa pœnitentia insertus. legatur.

QVÆSTIVNCVLA IV.

Quanto regnauit Antiochus Epiphanes tempore?

IN Syriacis Appianus δύο ἀπλήρωτον, id est, *duobus non plenis* annis regnasse ait. Sed à Porphyrio apud D. Hieronymum Danielis 11. Suctorio, Eusebio, aliisque omnibus refellitur. imò & à seipso. Quomodo enim, quæ de ipsius regni principiis tumultu plenis, de bello Ægyptiaco, de bello contra Armeniorum Regem Artaxiam, de profectione in Elymaidem tradit, biennio non toto, geri possunt? Suprà verò statutum, cœpisse ipsius regnum anno Seleucico 137. Funestum eius funus iam anno 149. statuitur, vt 12. annos regnasse dicendum sit. Hi tamen integri solidiq; non fuerunt. Neque enim ita anno 137. incepit, vt primo statim die inceperit. Quis enim, quasi de industria, captatum diem illum dicat? Neque ita anno 149. in viuis esse desiuit, vt anni eius vltimum diem attingeret. quin verò vltra eius anni mensem quartum aut quintum non multum progressus est, vti sequẽti quæstione fiet planius. Satis modò sit, Antiochi huius filium, patri cum successisset, ad Iudæos de fœdere literas dedisse, itemque Ducem ipsius summum Lysiam Chaldaico anno 148. mense Xanthico & desultore Dioscuro. idque posteaquam tyranno iam mortuo, cum Iudæis signa contulisset Lysias. vt eo loco patebit. Ideoque multo ante 149. finem, vitam hunc Antiochum finisse necessum est. Mihi verò pænè certum, in Appiano mendum esse, & pro δύο, reponendum δώδεκα. Cum enim fratrem Seleucum annos regnasse *duodecim* scripsisset, addere voluit, Antiochum etiam *duodecim*, sed *non plenos*.

QVÆSTIVNCVLA V.

In duodecim Epiphanis regni annis, vbi, 2300. dies Danielis cap. 8. incipiunt, desinunt?

TRIPLEX Danielis verborum *lectio* est, & *triplex* eius, quæ vera est, lectionis *explicatio*. *Prima lectio* quorundam apud D. Hieronymum in illud 9. caput, est; vt sint dies 2200. *Altera* Græcæ, quæ correcta iam dicitur; editionis, vt sint 2400. *Tertia* quasi media & vera, vt sint 2300. Ita enim Latinus Hebræusque textus habet: ita D. Hieronymus, ita veteres alij & hi dies dant solares annos 6. & dies 110. siue annos 6. & menses 3. diesque 20. aut non multo pauciores.

Huius verò lectionis *explicatio prima* est, hosce dies accipiendos à principio vastationis Hierosolymę, vsque ad templi renouationem, & altaris encæniſmum, de quo suprà. At verò ab anno 143. vsque ad annum 148. Iudaicum, mensisque Casleu diem 25. qui idem encæniorum est; etiamsi, quod tamen fieri non debet, integer annus acciperetur, non essent dies 2300. imò nec 2200. *Altera*, vt ab iis turbis, quæ referuntur capite tertio posterioris Machabæorum, quæque Hierosolymorum vastationem, & abominationem desolationis antecesserunt, eos dies incipiamus, & ad Encænia vsque progrediamur, id est, à 9. vel 11. Augusti, anno 142. vsque ad diem 24. Nouembris, anno 148. Ita Scaliger lib. 6. fol. 548. qui addit. *Hæc lucificam facem huic loco Danielis allucent*. Multo tamen ante Augustum, imò & ante annum 142. turbas eas cœpisse, faciunt manifestum, quæ suprà de libri secundi tertio & quarto capitibus dicta, eorumque chronographica summula fol. 391. *Tertia explicatio* est, vt ab eodem vastationis principio, vsque ad funestum Epiphanis funus. Cum enim, vt iam dictum est, anno 149. acciderit, primo quidem integri habentur anni 5. seu dies 1825. dictionis & vitæ illius vltimo seu 143. & 149. accipiendi hoc modo, vt quò longiùs ab eius anni 143. principio vastitas inchoatur, eò Antiochi vita in anno 149. seriùs finiatur, verbi causâ faciamus, quod alibi significatum est; captam ab eo Hierosolymam anni 143. mense secundo vel tertio. Tunc mortuus fuerit anni 149. mense 5. vel 6. qui adhuc incidebant in Chaldæorum annum 147. vnde statum post, eodem Chaldaico more, incepit annus 148. A prioris tamen explicationis auctoribus *obijcitur*, dierum illorum terminum differrè nominari templi mundationem. Dicit enim Angelus, *vsque ad vesperam & mane, duo millia trecenti, & mundabitur sanctuarium*.

Equidem, ait prophetæ huius hypopheres egregius noster Pererius, *nihil adhuc inuenire potui ad hunc modum exsoluendum, quod mihi animum expleret*. Subiungit tamen solutionem non ineptam. *Non*, ait, *significat Daniel, mundationem templi terminum fore eius temporis, sed in decursu eius temporis, ac sanè propè finem, futuram templi renouationem. quam ideo præcipuè commemorare voluit, quod ea res futura erat Iudæis maximè fausta, lætabilis & gloriosa, & quod post eam nihil mali essent Iudæi ab Antiocho perpes-*

perpessuri. Ex Hebræo tamen contextu enodatio posse videtur afferri verior, vt ipsa templi repurgatio & dedicatio, de qua suprà, neque vt dierum istorum terminus, neque vt termino proxima hic tumultuum *templi mundatio* vocetur *vindicta & supplicium*, quo, *ad illud* quasi *mundãdum* & expiandum, affecit Dæus Antiochum. Nam *primo*, cum vindictam istam paulò infra recensuisset Angelus, dixissetque, *& sine manu conteretur*; quod ab Hieronymo exponitur, *tristitia morbo periit*: huisce verbis deinceps idem Angelus vtitur. *Et visio vespera & manè, quæ dicta est, vera est*, siue, vt Hebræus indicat *Et hæc est verè visio vesperæ & matutini, quæ dicta est*, quasi diceret, id quod de Antiochi contritione seu morte, quam non humanæ manus, vel enses & hastæ, sed inflicta diuinitus plaga inferet, est verè illud, quod in vesperæ & matutini visione paulò ante monstratum est. Hoc enim vnum, vt explanaret Angelus, supererat. Vnde & Septuaginta χρὴ ἡ ὅρασις τῆς ἐσπέρας καὶ τῆς πρωΐας τῆς ῥηθείσης ἀληθῶς ἐστι. *Deinde* illa ipsa verba: *Et mundabitur sanctuarium*, ex Hebraico ad verbum sic vertuntur, *& iustificabitur sanctuarium*. Quid *iustificabitur*; nisi vindicabitur, expiabitur, iustitiam diuinam, quæ in sceleratum sacrilegumque Antiochum animaduerteret, consequetur? Neque malè id à Septuaginta, & Latino per mundationem vertitur, cum mundatio quædam sit, non ipsius tantũ labis & pollutionis, sed eius iam, qui polluit, labemque intulit, ablatio. Et si ipsa etiam interrogatio vers. 13. expendatur, hoc ipsum etiam quasi videbitur. Potest enim ista habere, quæ cum Græco & Latino textu consentire possit, sententiam. *Vsquequo visio iugis sacrificii, & scelus, quod desolauit domũ & sanctuarium, seu sanctitatum, & exercitus conculcationis?* Quousque, inquam, tetia hæc erunt, ablatio iugis sacrificii, & sceleſtus ille (quemadmodum apud Latinos, *scelus qui me perdidit*) qui vastauit Hierusalem, hæreditatemque Israeli datam & sanctuarium. Vsquequo denique & prophanus ipsius exercitus, qui Hierosolymam cepit, diripuit, conculcauit; quousque à conculcationis huius tempore tria hæc permanebunt? Et respondetur, 2300. dies. Huic verò & superiori quæstioni addit veluti corollariũ, scribens in eum Danielis locum S. Hieronymus. *Legamus, ait, Machabæorum libros & Iosephi historiam, ibiq, scriptum reperiemus, 145. anno à Seleuco (qui primus regnauit in Syria post Alexandrum) ingressum Antiochum Hierosolymam, vniuersa vastasse, reuersumq, anno tertio, in templo posuisse statuam Iouis, & vsq, ad Iudam Machabæum, id est, vsque ad annum 148. per annos vastitatis Hierusalem, sex: contaminationis autem templi tres duo millia trecentos dies complexos. post quos templum purgatum est. Quidam pro 2300. duo millia ducentos legunt, ne sex annis tres menses superesse videantur*. Atque hæc verba, non, vt in Antverpiensi editione sunt, recito, sed vt scripta fuerunt. Tria enim menda in iis *emendanda. Primum*, quod inter Machabæorũ libros & Iosephi historiam particula. &, omissa fuit, Licet enim, per asyndeton, diuersi intelligi possint Machabæorum libri & Iosephi: minùs tamen clarè, & aliquo cum periculo, coniunctio abest, dum, quod suprà confutatum; existimare quis posset, Hieronymum tradere, Machabæorum libros esse Iosephi historiam. *Alterum*, post *duo millia trecentos dies*, additum est, *& tres menses*. quos rectè monuit noster Pererius vel superioribus verbis annectendos, *per annos vastitatis Hierusalem sex & tres menses*, vel potius omninò extrudendos. *Tertium* mendum idem Pererius in postremis verbis aduertit, dum editum fuit, *ne sex anni & tres menses supereße videantur*. emendationem tamen præteriit, quæ facienda mutando, Et in 1. hocq; ipsum restituendo nomini, à quo diuulsum, *ne* videlicet *sex annu tres menses supereſſe videantur*, id est, ne vltra sex annos, redundent menses tres. Quæ si, vt facilè potuisset; cogitare potius quàm D. Hieronymum reprehendere voluisset loco citato Scaliger, non dixisset Patrem & doctissimum & sanctissimum *in huius loci explicatione turbare*. Quin verò turbat ipsemet maximè, cum ibidem verba Danielis cap. 12. vers. 7 *quia in tempus & tempora, & dimidium temporis*, rursumque vers. 12. *dies mille ducenti non aginta* esse ait *internallum, quod interest ab initio prophanationis templi, & desitu iugis sacrificii ad Encænia Machabæi*. Nam non eodem die incepisset prophanatio, & sacrificii desitio, quo in Machabæi encænius postmodum restituta est. contra 1. Macha. 4. vers. 54. & lib. 2 cap. 10. vers. 5. vt suprà dictum est. Ipsemet enim, ait encæniorum diem fuisse 24. diem Nouembris anno 148. & incepisse prophanationem die 14. Maii, anno 145. & fuisse diem illum pridianum pentecostes. Nunquam verò aut Maius aut Pentecoste in Nouembrem incidit. Deinde cum propheta Daniel tantum dixisset *tempus, & tempora & dimidium temporis*, id est, annum vnum, duos annos, & dimidium, siue summatim tres annos & dimidium, ipse dies 15. adiecit, dicens. *Durauit βδελυγμα ἐρημώσεως annos Iulianos tres cum dimidio, & dies 15*. At prisci Patres propriè ad Antichristum spectare hæc Danielis verba docent. vt suprà dictum, & demonstrat Bellarminus lib. 3. de Pontifice cap. 8.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Quod Antiochi Epitaphium.

EST Tyranni tanti epitaphium, partim antequam ille moreretur, imò & nasceretur, partim posteaquam mortuus est, memoriæ proditum. Illud quidem à Daniele duobus capitibus 8. & 11. quæ quia D. Hieronymus diligenter, & Pererius noster explicarunt, ad eos, vt breuior sim, suadeo, adeat lector. Tantum ex 8. capite hoc exæ rpamus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborata est fortitudo eius, sed non in viribus suis: & supra quam credi potest, vniuersa vastauit, & prosperatus est, & fecit. Et interfecit robustos, & populum sanctorum secundum voluntatem suam: & directus est dolus in manu eius, & cor suum magnificauit, & in copia omnium rerum occidit plurimos, & contra Principem Principum consurrexit, & sine manu contritus est.

Quàm *impudens* fuerit, cum se in scortorum & helluonum greges petulantissimè inferret, antè dictum est, & recitat D. Hieronymus in Dan. 11. *Luxuriosissimus*, ait, *fuisse dicitur, & in tantum deductus per stupra & corruptelas venisse regiæ dignitatis: vt mimis quoq; & scortis publicè iungeretur & libidinem suam populo præsente compleret.* Ei verò quàm sit libidine ac mulierositate similis Lutherus, docet Lindanus lib. 1. de Virginitatis voto c. 9. *Intelligens propositiones*, est faciens intelligere propositiones, non quaslibet, sed abstrusas & arcanas. Est enim Hebraicè מבין חידות, & istud *Menin*, extremo eodem capite vertitur *interpretans*, sicuti Græcè idem verbũ, quod hic est, dum dicitur συνιῶν προβλήματα. Effecit nimirum, vt quæ de ipso prædicta erant, & veluti ænigmata erant, clarissima postea essent, clarissimeque demonstrarent, quæ de ipsum de Antichristo significata. Alterum epitaphii genus est ei à Machabæorum libro: um auctoribus, maximè lib. 2, cap. 9. incisum.

Qui sibi videbatur fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines, in statera appendere: nunc humiliatus ad terram, in gestatorio portatus est, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans. Et. *Qui paulo ante, cœli sidera contingere se arbitrabatur, eum nemo potuit propter intolerantiam fœtoris portare, & cum ne ipse iam fœtorem suum ferre posset: ita ait:* IVSTVM EST, SVBDITVM ESSE DEO, ET MORTALEM NON PARIA DEO SENTIRE. Denique. *Homicida & blasphemus pessime percussus, & vt ipse alios tractauerat peregre in montibus miserabili obitu, vita functus est.*

Voluerunt infelicissimi homunciones, Dii quandoq; haberi. Caligula apud Athenæum lib. 4. Dionem l. 58. Commodus apud Herodianum & Athenæum l. 12. Assyriorũ & Persarum reges, de quibus in Iudith & Esther. eorumq; Victor Alexander apud Plutarchum, & alios, prout etiam notat l. 9. de Victoria c. 12. Rupertus Sed eos mors irridet, & fortunatorum omnium cuilibet, nostroque inprimis Epimani, rectè istud oggerat Plinius l. 7. c. 7. *Tu qui corporũ viribus fidis, tu qui fortunæ munera amplexaris, & tene alumnum quidem eius existimas, sed partum: Vt cuius semper in victoria mens: Tu, qui te Deum credis, aliquo successu tumens, tanti perire potuisti:* Vnde & sapienter concludit. *Is demũ profectò vitam æqua lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuerit.* Iosippus eum ait dixisse: *Dignus Deo est hoc*: & vt euaderet, votum feciisse fore vt se, principes q; suos & milites circumcideret, ipsosq; ad Deum Israelis cultum conuerteret. Sed è Gorionidæ libro 3. c. 12. graphicâ omnium narrationem audiamus. *Habuit*, inquit, *Dominus Zelum pro ciuitate, templo q; suo, & pepercit populo suo, sanguineq; Hasidæorum suorum de Antiochi manu requisiuit. Nam percussit eum vlcere pessimo & dolore intestinorum, tametsi ob infirmitatem istam minimè humiliatus fuerit. Dixit enim: accelerate currus & equites atq; militares copias, vt vadam contra Ierusalem, & exequar voluntatem meam & verbum oris mei. Quis potest stare contra faciem meam? Nonne mare & arida in potestate mea sunt, vt pro arbitrio meo cõmutem creaturas earum, vertam mare in terram, & terrã in mare? Contigit autem posteaquã desiit loqui, & iam veheretur, comitaretur q; exercitus suum, qui maximus erat, vt currus eius transiret contra Elephantẽ quendam, & Elephas vociferari inciperet. atq; ex rugitu eius equi terrerentur, calcitrarent & subuerterent currũ, caderentq; Antiochus de curru & confringerentur omnia ossa eius. Siquidem erat homo grauis, crassus & corpulentus. Et addidit Dominus plagam super plagã, vt inciperet totum corpus eius fœtere. inillat cadauerũ proiecti tempore æstatis in superficiem campi. Sublevantes tamen eum paululum in humeros suos, rursum abiecerunt eum in terram, & fugerunt ab eo: quoniam nemo poterat accedere ad eum propter intolerabilem fœtorem, qui exhalabat de corpore huius sceleris & blasphemi viri atq; hostis Dei. Factum q; est, cum vniuersus exercitus eius fatigaretur fœtore eius pessimo, sed nec ipsemet illum ferre posset, vt agnosceret se flagellatum manu Dei, humiliatus q; & depressus diceret: Iustus est Dominus humilians superbos, qui & me humiliauit, & represit bodie impietatem meam, ob id quod plurima mala attuli populo eius, & præsertim deuotis ministris eius: hinc, inquam, est, quod inuenerunt me omnia mala ista. Et faciens votum, ait: Domine si sanaueris me ab ista infirmitate, veniam in Hierusalem, & implebo eam auro & argento, atq; vestes purpureas sternam per omnes plateas eius, tradamq; omnes thesauros meos in sanctuarium magni Dei: circumcidam præputium carnis meæ, & vadam per vniuersam terram aperta voce contestando, alium non esse in vniuerso mundo similem Domino Deo Israel. Sed non exaudiuit Dominus orationem eius, nec autem prebuit ei, quin magis in omni terra, vbi versabatur crudelis ille Antiochus, quandiu inhærebat ei morbus, lacerabatur caro eius de ossibus eius, atq; tandem intestina eius quoq; in terram ceciderunt, & mortuus est ignominiose in terra aliena, regnauitq; Eupator filius eius pro eo.* Ad summam, luculenta in Epimane illo expressa fuit Antichristi, omnium q; ipsius, vel assectarum, vel prodromorum hæreticorum, & Tyrannorum effigies, prout suprà dictum est, & sæpè notat D. Hieronymus in Daniele 8. & 11. D. Gregorius l. 30. Moral. c. 12. & 40. Pererius lib. 14. in

14. in Danielem, Ribadinera lib. 1. contra Machiauellum, cap. 21. Bellarm. lib. 3. de Pontifice cap. 16. alij. Extant & hodie stateres quidam, in quibus Regis caput cum diademate, & à tergo homõ nudus cũ baculo, dextra Solẽ gestans, in capite Lunam, cũ hac inscriptione Βασιλέως Ἀντιόχου νικηφόρου. Sed in ipso Dei sapientiam & iustitiam, quam in nummis ipsum spectare, precium operæ maius est. Ait ergo sub finem libri secundi contra Pelagianos Diuus Hieronymus: *Antiochus Epiphanes, rex crudelissimus, subuertit altare, ipsamq; iustitiã fecit conculcari, quia cæcessum ei erat à Domino, causasq; redd. t, propter peccata plurima. Ergo non fecit, quod ipse tãtum voluit, sed & propter peccata populi concessit Dominus.* Diuus verò Augustinus epist. 122. *Ne aliquis existimet illos Dei seruos, quos dicit à Barbaris interfectos, sic illã morte euadere debuisse, quo modo tres illi viri ab ignibus, & Daniel à leonibus liberatus est, sciat illa propterea facta esse miracula, vt eos verum* DEVM *colere crederẽt reges, à quibus in illa supplicia tradebantur. Hoc enim erat in occulto iudicio & misericordia* DEI, *vt illis regibus eo modo cõsuleret ad salutem. Antiocho autem Regi, qui Machabæos pœnis crudelibus interemit, noluit ita consulere, sed eorum gloriosissimis passionibus cor duri regis acriori sua meritate puniuit. Lege tamen, etiam vnius illorũ qui sexto loco patiebatur quid dicat. Ita n. scriptũ est: Et post hũc sextũ applicuerunt, cumq; his tormentis excruciatus moreretur, dixit: Noli te seducere propter nos, hæc patimur peccantes in* DEVM *nostrũ. & facta sunt hæc digna nobis. Tu autẽ noli te putare impunitũ futurũ, qui aduersus* DEVM, *& legẽ eius legibus tuis pugnare voluisti. Vides etiã isti quã humiliter & veraciter sapiãt, qui pro peccatis suis se flagellari à Domino confitentur.* Et sermone 110. de diuersis cap. 5. *Ecce, vt de aliis taceamus, qualẽ locũ hic habuit iste miser Antiochus? Per eũ populus* DEI *flagellatus est, & probatus: Per eũ isti sancti iuuenes coronati sunt. Ergo habuit hic locũ suũ. Malus erat, sed bene vsus est illo, qui malus esse non potest. Sicut enim mali homines male vtuntur creaturis bonis: sic creator bonus bene vtitur hominibus malis. Nouit quid tamen agat, qui creauit totũ genus humanum. Aurifex portat, appendit, Aurifex librat. Pictor nouit, vbi ponat nigrum colorem vt sit decora pictura. &* DEVS *nescit vbi ponit peccatore, vt sit ordinata creatura?* Fuit verò alius Antiochus illustris, qui cum Tito Hierosolymam oppugnauit, de quo Iosephus lib. 5. Captiuitat. 29. lib. 7. cap. 28. alius itẽ Epiphanes Carpocratis hæretici hæreticus filius, qui cum pænè adolescentulus mortuus esset, annos videlicet 17. natus, ei tamen, qui ab ipso impiis erroribus imbuti erant, mortuo Museũ & delubrum erexerunt, festosq; dies & sacrificia dicarunt, vti narrat S. Epiphanius hæresi 32. Ita semper suos deceptores ipsi decepti admirari sunt, & qui in Ecclesia Catholica *huiusmodi audiebant in crocesis, amplexati sunt stercora.* Threnorum 4. ver. 5.

De iis, quæ Antiochi Eupatoris tempore, gesta sunt.

E capite sexto libri primi.

17 ET cognouit Lysias, quoniam mortuus est rex, & constituit regnare Antiochũ filium eius, quem nutriuit adolescentem: & vocauit nomen eius Eupator.

E CAPITE X. LIBRI II.

10 NVNC autem de Eupatore Antiochi impij filio, quæ gesta suis narrabimus, breuiantes mala, quæ in bellis gesta sunt.

11 Hic enim suscepto regno, constituit super negotia regni Lysiam quẽdam, Phœnicis & Syriæ militiæ principem.

12 Nam Ptolemæus, qui dicebatur Macer, iusti tenax erga Iudæos esse constituit, & præcipue propter iniquitatem, quæ facta erat in eos, & pacifice agere cum eis.

13 Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam sibi à Philometere deseruisset, & ad Antiochũ Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finiuit.

14 Gorgias autem cum esset dux locorũ, assumptis aduenis frequenter Iudæos debellabat.

15 Iudæi vero, qui tenebant opportunas munitiones, fugatos ab Hierosolymis suscipiebant, & bellare tentabant.

16 Hi vero, qui erant cum Machabæo, per orationes Dominum rogantes, vt esset sibi adiutor, impetum fecerunt in munitiones Idumæorum:

17 multaque vi insistentes, loca obtinuerunt, occurrentes intercemerunt & omnes simul non minus viginti millibus trucidauerunt.

18 Quidam autem, cum confugissent in duas turres valde munitas, omnem apparatum ad repugnandum habentes.

19 Machabæus ad eorum expugnationem, relicto Simone, & Iosepho, itemque Zacheo: eisque qui cum ipsis erant satis multis, ipse ad eas, quæ amplius perurgebant, pugnas, conuersus est.

20 Hi vero qui cum Simone erant, cupiditate ducti, à quibusdam qui in turribus erant, suasi sunt pecunia: & septuaginta millibus didrachmis acceptis, dimiserunt quosdam effugere.

21 Cum autem Machabæo nunciatum esset, quod factum est, principibus populi congregatis accusatis, quod pecunia fratres vendidissent, aduersariis eorum dimissis.

22 Hos igitur proditores factos interfecit, & confestim duas turres occupauit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

23 *Armis autem ac manibus, omnia prosternere agendo, in duabus munitionibus, plus quam viginti millia peremit.*

24 *At Timotheus, qui prius à Iudæis fuerat superatus, conuocato exercitu peregrinæ multitudinis, & cõgregato equitatu Asianõ, aduenit quasi armis Iudææ capturus.*

25 *Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquante illo deprecabantur Dominum.*

26 *Caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti ad altaris crepidinẽ prouoluti, vt sibi propitius, inimicis autẽ eorum esset inimicus, & aduersariis aduersaretur, sicut lex dicit.*

27 *Et ita post orationẽ sumptis armis, longius de ciuitate procedentes, & proximis hostibus effectis, resederunt.*

28 *Primo autem soli ortu vtrique, commissũ: illi quidem victoria, & prosperitatis sponsorem cum virtute dominum habentes: illi autem audacem belli animum habebant.*

29 *Sed cum vehemens pugna esset, apparuerunt aduersarijs de cœlo viri quinque in equis frenis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes:*

30 *Ex quibus duo Machabæum mediũ habentes, armis suis circunseptum incolumẽ conseruabant, in aduersarios autem tela, & fulmina iaciebant, ex quo & cecitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.*

31 *Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, & equites sexenti.*

32 *Timotheus vero confugit in Gazaram præsidium munitum, cui præerat Chareas.*

33 *Machabæus autem, & qui cum eo erant, latantes obsederunt præsidium diebus quatuor.*

34 *At hi, qui intus erant, loci firmitate confisi, supra modum maledicebant, & sermones nefandos iactabant.*

35 *Sed cum dies quinta illuxisset, viginti iuuenes, ex his, qui cum Machabæo erant, accensi animis propter blasphemiã, viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant.*

36 *Sed & alij similiter ascendentes, turres portasque succendere aggressi sunt, atque ipsos maledictos viues conbremare.*

37 *Per continuum autem biduum præsidio vastato, Timotheum occultantem se in quodam repertum loco peremerunt: & fratrem illius Charæam, & Apollophanem occiderunt.*

38 *Quibus gestis, in hymnis & confessionibus benedicebant Dominũ, qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit illis.*

COMMENTARIVS.

EPIPHANI Antiocho teterrima, vt audiimus, morte sublato, confestim eodem anno 149. successit filius *Antiochus*, qui, quasi tanta Patris virtus, vt gloriari eo posset, fuisset; à Syris, Appiano teste, annitente scilicet Lysia, capit. 6. vers. 17. *Eupator* dictus est. *Paruulum* admodum fuisse ait lib. 34. Iustinus, *nouennem* idem Appianus. qui & addit, quod hoc cap. 6. ver. 17. traditur; eius *educatorem* (hoc enim, vt in Alexandro monet Plutarchus, aulici isti nomen quam *pedagogi* aut *magistri* libentius audiebant) fuisse Lysiam, de quo supra cap. 3. vers. 32. & sequentibus. Quæritur Antiochi huius tempore contigerint, *quatuor* potissimum partim hoc cap. 6. à vers. 16. ad finem. partim lib. 2. cap. 10 à vers. 10. ad cap. 14. proponuntur, quorum nonnulla plures alias res continent, maxime tamen secundum.

Primum, Mors *Ptolemæi*, qui dicebatur *Macron*, & ab Interprete nostro *Mater* vertitur, libr. 2. cap. 10. Is sibi ipsi veneno vitam eripuit, vt clarè Græcus textus notat, qui addit, eum id feciſſe, *cum animum nobilem*, seu *generosum quandam libertatem non haberet*. Parui enim animi est, mortem sibi ipsi consciscere, etiam Gentilium plerique viderunt & docuerunt, vt Euripides, Aristoteles, alij, prout in Samsonis & Saulis morte ostendi. Ideoque & Martialis:

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Ab Antiocho porrò dicitur in Latino recessisse, non quod omnino ab eo vel eius filio Eupatore, sicuti à Philometore, desciuisset, sed quod ab æmulis, eo quod Iudæis fauere magis videretur, desciuisse accusabatur, proditorque vocabatur.

Secundum. Eodem lib 2. cap. 10. vers. 14. pugnauit Iudas *cum* Eupatoris *Ducibus quinque*. *Primus* est *Gorgias*, de quo supra, & iterum postea. *Aduenas* vocat vers. 14. eas copias, quæ è barbaris & exteris erant conflatæ, ex Thracibus scilicet, quorum infra hoc eodem lib. 2. cap 12. vers. 35. mentio; ex Lydis, Galatis, Insularibus, aliis. Ideoque pro *aduenas assumere*, dicit hoc loco, ξενοτρέφειν *aduenas alebat* Gorgias in suo exercitu & infra vers. 24. & li. 1. c. 11. ver. 38. dicitur *peregrinum exercitus* lib. 1. c. 3. ver. 41. *exercitus terræ alienigenarũ*. Talib. enim exteris mercenariis vsa etiã *Alexandra* apud Iosephum lib. 14. & *Herodes* apud eundem lib. 17. cap. 10. dum ipsius funus sequutos ait eiusdẽ ex exercitus ex *Thracibus, Germanis, Galatis, alijs*. Additur q; hic παρέκλησις πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἐπολέμουν δὲ ἀεὶ *semper*

semper contra Iudæos bellum alebat Gorgias, vel *conductitium illum exercitum, ad bellum Iudæis inferendum*. Est autem vers. 15. legendum non *Iudæi*, sed *Idumæi*. Nam diserte duplices Iudæorum aduersarios textus significare vult Gorgiam & Idumæos. licque habent Græci Codices. & dicuntur hi Idumæi suscipere φυγαδευθέντας, *fugatos ab Hierosolymis*, qui scilicet ob impietatem & improbitatem inde pellebantur, vel sponte ipsi sua fugiebant, quemadmodum transfugas, similesque improbos suscipere solet aduersaria pars libenter. Et pro, *bellare tentabant*, in Græco idem verbum, quod Gorgiæ antea tributum est, legitur, πολεμιστροφῶν ἐπιχειρεῖν. Rursumque in Græco præponitur ὁμοῦ τούτῳ, id est, *vna cum eo*, scilicet Gorgia, & additur, ἐγύμναζον τοὺς Ἰουδαίους, *exercebant Iudæos*. Occasio verò curita Iudæos bello Idumæi vexarent, fuit, quia vicinas & opportunas munitiones quasdam tenebant, ideoque in eas vers. 16. fecit Iudas impressionem, quemadmodum etiam factum lib. 1. cap. 5. vers. 3. Sed more suo, quem Christiani meritissimò milites imitari debent, prius, qui cum Machabæo erant, per orationes Dominum rogarunt. παρεκάλουν τὸν Ἱλασμόν. *cum Litaniam*, siue *supplicationem instituissent*, sicut infrà cap. 14. 15. λιτανεύειν. Et sic vers. 17. Idumæos ipsos *occurrentes* strage maxima occiderunt. Occisorum enim numerus fuit *non minus viginti millibus*. Qui effugerunt vers. 18. in Latino non numerãtur, sed in Græco dicuntur fuisse, ὡς ἐλάττους τῶν ἐννακισχιλίων, *vt non minus quàm nouem millia*. sed vers. 21. qui cum Simone, φιλαργυρήσαντες, quosdam elabi passi sunt. Pro *didrachmis*, ponit Græcus *drachmas*. *Fratres* vocat Iudas vers. 21. Iudæos omnes, quorum illi salutem & dignitatem, argenti malesuadâ famè, prodidissent. An tamen *Iosephus* vers. 20. sit idem; qui suprà lib. 2. cap. 8. vers. 22. & aliàs dicitur *Iohannes*, proprius Iudæ frater, non liquet quidem, veri tamen est simile.

Dux secundus Timotheus, vers. 24. qui *armis capere Iudæam* volebat: & ait Græcus δορύαλωτον, vt suprà lib. eodem 2. cap. 5. vers. 11. Sunt verò hic *notanda quatuor*. *Primum* vers. 25. insignis ad pugnam præparatio: quæ nostris hodie militibus commendari satis haud potest. Quod vers. 27. dicitur *resederunt*, Græcè est, ἐφ' ἑαυτῶν ἦσαν. *in seipsis erant*, seipsos collegerunt. & potest tam ad animos quam ad corpora referri, vt resederint animis valde scilicet ad fortiter pugnandum, pieque, si res ferret, moriendum, collectis; corporibusque in castra congregatis, & omnibus vnitis. At vers. 28. *duo* præclara *gerendorum bellorum*, illustriumque *victoriarum instrumenta* traduntur, *Dominus* & *virtus*. Ille ad se per pœnitentiam, & preces confugientibus, pro iustitia & religione pugnantibus, in ipso spem præsidiumq; suum collocantibus prosperitatem & victoriam spondet. hæc verò fortiter se gerit; militiæ labores, vigilias & incommoda omnia generosè tolerat, acriter pugnat, hostem cædit, nec è pugna nisi victrix recedit. Eleganter in Græco dicitur ἐγγὺς εὐημερίας καὶ νίκης, μετ' ἀρετῆς ἡ ἐπὶ τὸν κύριον καταφυγή. *ipsum ad* DEVM *confugium vna cum virtute boni successus & victoriæ sponsor est*. Vide quæ Iudith cap. 4. fol. 170. 174. & sequenti dicta. E contrario verò calamitatum & exitiorum in bellis fons & auctor certissimus, quem Iudæorum hic hostes habuisse traduntur vers. 28. κυβερνήσαντος τῶν ἀγώνων ὁ θυμός, *dux belli animus*, siue *dux certaminum cupiditas, ira, & superbia*. Hæc enim significat τὸ θυμός. *Alterum* hic notandum, est illustrissimum diuini auxilii signum, maximumque miraculum, vers. 29. & 30. quod sic describit Gorionides, lib. 3. cap. 13. *Clamans ad Deum Iudas in medio profundi pugnæ ipsius, attollensq; oculos suos vidit quinq; iuuenes sedentes super equos, quorum indumenta erant aurea, & duo ex iis stabant pro Iuda, vnus ab hoc latere, alter ab altero, defendentes eum clypeis suis, & tres pugnabant aduersus Timotheum. Factum itaque est, cùm vidisset eos Iudas, cognouit eos missos pro auxilio Hasidæorum, & confirmans suos iuuenes, irruit in Timothei copias, & vtcen percussit 20500. ipsos scilicet equites, qui hic etiam narrantur, omittendo.* Sed multò adhuc textus nostri splendidior & mirabilior narratio est. Sic verò DEVM, & sæpe alias, postea, per Angelos, cœlitesque suos, præsentem quibusdam opem tulisse legimus. De Constantino Magno Panegyricus sextus, *In ore*, ait, *omnium Galliarum est, visos, qui se diuinitus missos præ se ferebant. Et quamuis cœlestia sub oculos hominum venire non soleant, quod crassam & caligantem aciem simplex & inconcreta substantia naturæ tenuis eludat: illi tamen auxiliatores tui aspici audirig, patientes, vbi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt. Sed quantam illa fuisse dicitur speciem? quis vigor corporum? quæ amplitudo membrorum? quæ alacritas voluntatum? Flagrabant verendum nescio quid, vmbone corusci, & cœlestium armorum lux terribilis ardebat. Ales enim venerant vt tui crederentur. Hæc ipsorum fermocinatio, hoc inter audientes ferebant, Constantinum petimus, Constantino omnis auxilio.* De Theodosio in illa celebri & ab Echoico etiam Claudiano decantata contra Eugenium victoria, duo è cœlestibus antesignani, vti refert lib. 5. cap. 24. Theodoretus. S. Ambrosius; ideo ait lib. 1. cap. 6. Fulgosius *cum flagello* pingitur, quòd eo barbaros depellere visus sit. Sancti Georgius, Demetrius, & Mercurius ante Syriæ metropolin, Romanis perspicuè opitulati, vt explicat lib. 4. Æmilius. Et nonne idem S. Demetrius martyr, cum à Bulgaris obsideretur Thessalonica, & ciues ipsi, πάννυχον ἱκετηρίαν ποιοῦντες θεσπεσίῳ, καὶ τῷ μύρῳ τῷ ἐπὶ τῷ ἱερῷ τάφῳ βλύζοντι χρισάμενοι. id est, *cum supplicationem tota nocte fecissent, vnctq; vnguento quod è diuino martyris sepulchro adhuc scaturit; vti essent*; spectatus in acie, vt captiui ἐνωμότως, id est, iureiurando confirmarunt, λέγοντες σαυτὸν ὁρῶμεν ὁπλίτην ἀοράτως πεζοπορούμενον τὴν Ῥωμαϊκὴν φάλαγγα ἄγοντα, ἐξ οὗ πῦρ ἐξαπολλύμενον ἐπιφέρει τοῖς ἐναντίοις. *dicentes, se inuicem in cœlo vidisse, qui Romanam phalangem duceret, ex quo ignis exiliens hostes aduersos cremaret.* Ita Cedrenus: cuius interdum verba ideò libenter inserui, quòd tactis hic v. 30. fulminibus non dissimilia ostenderent. Quid, cum obsidione Sabariam cinxissent

Universidad de Deusto
Biblioteca

Turcæ, S. Martinus? Et dum à Curinensi principe, bello vexaretur S. Venceslaus, quid Angeli? Quid Colonienses Martyres, Vrsula, Gedeon, Machabæi, apud Bredenbachium lib.4.c.22. Quid, contra Saracenos, circa Domini annum 816. S. Iacobus, & nostra etiam memoria, vt est apud Cardanum l.5.de varietate fortunæ c.8.apud Maffeium hist.Indicar.l.4.& 12. Quid, contra Saracenos etiam, S.Petrus & Paulus? apud Luitprandum l.2.c.14. Quid ante annos paulo amplius centum, in Congitano Æthiopiæ regno, contra Christianæ pietatis hostem immanissimum & parricidam Paulum, pro Alphonso nouo & Rege & Christiano, clarissima circumfusi luce, vultuque acerrimo præliantes Angeli, apud eundem illum Maffeium lib.1.historiarum? Quid eques ille Angelus apud V. Bedam in Cutheberti historia cap.1. Non sunt hæc, vt quidam interdum mussitant; spectra inania, cum eorum vires tantæ perfectæ: neque dæmonum vti Castor & Pollux olim, ludibria, quasi Christianæ fidei hostes ir pertrefacere, iustitiam, Christique fidem amplificare vellent. Sic enim *adversus se diuisus* esset Satanas & *quomodo* staret *regnum eius*? Matth.12. vers.26.

Tertium obsidio *Gazara* vers.33. quæ à Gorione lib.5.cap.13. *Gaza* dicitur, sed mendosè, cum distinctam esse ostendant etiam quæ infrà cap.13 vers.45. cap.14. vers.7. Iosephus crebrò litteræ ventus immutatione, itemque Strabo lib.16. eam *Gadara* nominant & *Gadaridem*, additque Iosephus à Iudæis occupatam & quidem hoc tempore occupata videtur, de quo tamen cap.14. iterum. Clarè verò idem auctor lib.15.cap.11. tanquam diuersas vrbes nominat *Gadara & Gazam*. Timotheum ait idem Gorion, ad littora maris fugisse, ad eum Palæstinas copias se aggregasse, ibique rursum victum fuisse, & sese tandem Gaza, quæ, vt iam dictū, à Gazara differt, incluisse, cum eum Hasmonæi insequerentur. Viginti porrò iuuenes, de quibus vers.36. *erant*, inquit Gorion, *ex iuuenibus Hasmæorum*. At à cæde duobus diebus dum non cessatur, subdit, non potuisse Timotheum inueniri, quod intelligendum, tam cito. Alioquin hic v.37. inuentus & peremptus; *in quodam loco*, Græcè λάκκῳ, *lacu* vel *fossa*. Fractum eius capita, Iuda iubente, abscissa sunt; *& postea*, inquit, *tulerunt spolia ciuitatis, & reuersi sunt in Hierusalem cum cantico & hymno & cum gratiarum actionibus laudantes Dominum iuxta canticum Dauidu Israel: Quoniam in æternum misericordia eius*. Hoc verò fortitudinis exemplo vtitur Cæsarius lib.5.cap.21. ad explicandum, quomodo à Catholicis vrbs Albigensium munitissima & populosissima capta sit, dum ægrè ferrent Catholici, sancta Euangelia per ludibrium ab illis commicta. *Quartum* interfectio Timothei illius vers.37.

CAPVT XI. LIBRI II.

1 SEd paruo post tempore, Lysias procurator regis, & propinquus, ac negotiorum præpositus: graniter ferens de his, quæ acciderant,

2 congregatis octoginta millibus, & equitatu vniuerso, veniebat aduersus Iudæos, existimans se ciuitatem quidem captam Gentibus habitaculum facturum.

3 Templum verò in pecuniæ quæstum, sicut cætera delubra Gentium, habiturum, & per singulos annos vanale sacerdotium:

4 nusquam recogitans Dei potestatem, sed mente effrenatus in multitudine peditum, & in millibus equitum, & in octoginta elephantis confidebat.

5 Ingressus autem Iudæam, & appropians Bethsuræ, quæ erat in angusto loco, ab Ierosolyma interuallo quinque stadiorum, illud præsidium expugnabat.

6 Vt autem Machabæus, & qui cum eo erant, cognouerunt expugnari præsidia, cum fletu & lachrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, vt bonum angelum mitteret ad salutem Israel.

7 Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, cæteros adhortatus est simul secum periculum subire, & ferre auxilium fratribus suis.

8 Cumq; pariter prompto animo procederent, Ierosolymis apparuit procedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans.

9 Tunc omnes simul benedixerūt misericordem Dominum, & conualuerunt animis: non solum homines, sed & bestias ferocissimas, & muros ferreos parati penetrare.

10 Ibant igitur prompti, de cœlo habentes adiutorem, & miserantem super eos Dominum.

11 Leonum autem more impetu irruentes in hostes, prostrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos.

12 vniuersos autem in fugam verterunt, plures autem ex eis vulnerati nudi euaserunt, Sed & ipse Lysias turpiter fugiens euasit.

13 Et quia non insensatus erat, secum ipse reputans, factam erga se diminutionem, & intelligens inuictos esse Hebræos, Omnipotentis Dei auxilio inuisibiles misit ad eos:

14 promisitq; se consensurum omnibus quæ iusta sunt, & regem compulsurum amicum fieri.

15 Annuit autem Machabæus precibus Lysiæ, in omnibus vtilitati consulens: & quæcunq; Machabæus scripsit Lysiæ de Iudæis, ea rex concessit.

16 Nam erant scriptæ Iudæis epistolæ à Lysia quidem hunc modum continentes: Ly-

SIAS

SIAS *populo Iudæorum salutem.*

17 *Iohannes & Absalom, qui missi fuerant à vobis, tradentes scripta, postulabant vt ea, quæ per illos significabantur, implerem.*

18 *Quæcunque igitur regi potuerunt perferri, exposui: & quæ res permittebat, concessi.*

19 *Si igitur in negotiis fidem conseruaueritis, & deinceps bonorum vobis causa esse tentabo.*

20 *De cæteris autem per singula verba mandaui & istis, & his, qui a me missi sunt colloqui vobiscum.*

21 *Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octauo, mensis Dioscori die vicesima & quarta.*

22 *Regia autem epistola, ista continebat:* REX *Antiochus Lysiæ fratri salutem.*

23 *Patre nostro inter deos translato, nos volentes eos, qui sunt in regno nostro sine tumultu agere, & rebus suis adhibere diligentiam,*

24 *audiuimus Iudæos non consensisse patri meo, vt transferentur ad ritum Græcorum, sed tenere velle suum institutum, ac propterea postulare a nobis concedi sibi legitima sua.*

25 *Volentes igitur hanc quoque gentem quietam esse, statuentes iudicauimus templum restitui illi, vt agerent secundum maiorum suorum consuetudinem.*

26 *Bene igitur feceris si miseris ad eos, & dexteram dederis: vt cognita nostra voluntate, bono animo sint, & vtilitatibus propriis*

deseruiant.

27 *Ad Iudæos verò regis epistola talis erat:* REX *Antiochus senatui Iudæorum, & cæteris Iudæis salutem.*

28 *Si valetis, sic esset vt volumus: sed & ipsi bene valemus.*

29 *Adiit nos Menelaus, dicens velle vos descendere ad vestros qui sunt apud nos.*

30 *His igitur, qui commeant vsq; ad diem tricesimum mensis Xanthici, damus dextras securitatis,*

31 *vt Iudaicis vtantur cibis, & legibus suis, sicut & prius: & nemo eorum vllo modo molestiam patiatur de his, quæ per ignorantiam gesta sunt.*

32 *Misimus autem & Menelaum, qui vos alloquatur.*

33 *Valete. Anno centesimo quadragesimo octauo, Xanthici mensis quintadecima die.*

34 *Miserunt autem etiam Romani, epistolam ita se habentem:* QVINTVS *Memmius, & Titus Manlius legati Romanorum, populo Iudæorum salutem,*

35 *De his, quæ Lysias cognatus regis concessit vobis, & nos concessimus.*

36 *De quibus autem ad regem iudicauit referendum; confestim aliquem mittite, diligentius inter vos conferentes, vt decernamus, sicut congruit vobis. nos enim Antiochiam accedimus.*

37 *Ideoq; festinate rescribere, vt nos quoque sciamus cuius estis voluntatis.*

38 *Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octauo, quintadecima die mensis Xanthici.*

COMMENTARIVS.

TERTIVS Eupatoris *Dux*, cum quo Iudæ pugnandum fuit; est iterum ille, qui iam aliàs victus fuerat *Lysias*. Sunt autem tria maximè aduertenda. *Primum* est insignis iterum ad prælium præparatio, quam singulari miraculo prosequi dignatus est Dominus, boni scilicet Angeli præsentiâ, in equo egregiè adiuuantis, & quidem ita, vt ab omnibus maximo cum fulgore conspiceretur. Ideoque & huc, quæ in superioris capitis miraculo dicta sunt; pertinent. Quis verò Angelus hic fuerit, posset vt in Iudith cap.13. fol.246. indagari. D. Hieronymus in Danielis octauum; *Gabriel*, ait, *præpositus est prælio*. Nam *in linguam nostram vertitur fortitudo vel robustus* DEI. Alius esse Michaelem, qui vniuersæ Iudæorum genti præpositus erat; autumnabit. Fortè Angelum nullum cerchaelem, qui vniuersæ Iudæorum genti præpositus erat; autumnabit. Fortè Angelum nullum certum petiit eorum oratio, sed è bonis Angelis vnum quemlibet. & talis datus fuit, qui huic negotio & tempori conueniret, quo is cumque tandem nomine appelletur. *Alterum* hic aduertendum, est pugna ipsa vers.11. & præstans victoria vers.12. *Tertium* est eximius victoriæ huius studium, quorum alter ad victum Lysiam, alter ad victorem Machabæum, Iudæosque omnes pertinebant. Ille intellexit, cum Iudæis DEI digitum esse, penitusque vinci non posse, τὸ κρεῖττον συμμαχοῦντος αὐτοῖς ipse, *qui omnia potest*; DEO *cum ipsis pugnante*. Quomodo verò hoc intellexerit, additur, *quia ἐκ ἄκρου ὑπάρχων non insensatus erat*, non mentis expers, sed catus & prudens. Et satis ita fit. Mirabilibus, quæ Angelorum & Beatorum opera facit DEVS, fructum capiunt maximum prudentes, paruum, aut omnino nullum imprudentiores. In Æthiopia illa, de qua superiori capite dicebam; pugna, non est tanto illo miraculo motus ille ipse, qui totius contra CHRISTVM, germanumque suum fratrem belli auctor, & caput erat Panfus: sed motus est summus huius Dux, qui victorem iam Christianum Regem hoc vnum obtestabatur, ne ille absque fidei Christianæ mysteriis ex hac vita excedere pateretur. *Ipse congressus initio* (hîc absque fidei Christianæ mysteriis ex hac vita excedere pateretur. *Ipse congressus initio* (historici antea citati verbis dicam) *circa Alphonsum, apparuisse viros humana specie augustiores,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sius, quam Lysit ani adorarent, crucis nota distinctos, clarissima circumfusos luce, vultu acerrimo præiantes, eo nimirum vsò, Pansi milites ingenti horrore perfusos, extemplò se in fugam dedisse. Itaq, sibi iam non esse dubium, quin præter Christianorum DEVM, *nemo vel in terris vel in cœlo colendus, adorandusq, sit.* Ita ille. Fructus verò, qui ad Iudæos pernenit, est fœdus, illis à Lysia procuratum, à Rege concessum ver. 14. & sequentibus. Fuit autem idipsum duplex. *Vnum*, vt liber esset Iudæis accessus ad eos, qui apud Antiochum erant, vel ad ea ipsorum bona, quæ illius ditione tenebantur, verbi gratia, agros, vt ex cap. 12. vers. 1. colligi videtur. Sed vers. 22, vocatur à Rege Lysias *frater*, non sanguinis, vel honori ergo. licet hic infrà vers. 35. *consanguineus* seu *cognatus* vocetur: Apud Gorionidem lib. 3. cap. 14. *filius patrui, regi ipsi* Antiocho Eupatori *Mischneh* siue *Dux ab eo secundus*, & cap. 20. & 21. Solent enim principes, quos honore affectos volunt, vocare interdum *fratres*, interdum *patres*, vt infrà lib. 1. cap. 11. Et Antiochus Zeuxidem, apud Iosephum lib. 12. cap. 3. Hyrcanum Herodes apud eundem lib. 15. cap. 2. Assuetus Amanem cap. 13. Esther vers. 6. Valentinianus & Valens: Volusianum *parentem carissimum & amantissimum* Codice Theodos. lib. 2. tit. 9. lege 2. aliisque alios. Et de fœdere isto, quod inducirum instar, ad dies aliquot erat; binæ litteræ sunt, anno 148. eodem die mensis Xanthici vers. 27. Priores sunt Regis ipsius ibidem, posteriores legatorum Romanorum vers. 35. qui ea occasione adfuisse videntur, quam narrat Appianus, vt iuberent, quæ essent vltra præscriptum Antiocho à Romanis numerum, naues comburi, Elephantes occidi. Prorsus verò hunc in annum qui est vrbis 591. legationem istam, ex eodem Appiano, Cicerone, & Obsequente conferunt Sigoniani fasti. *Alterum fœdus*, vt religionis auitæ libera exercitatio esset, templum sanctum foret, & id genus alia. Suntque de hoc itidem litteræ binæ, eodem quidem anno 148. sed mense Dioscoro.

At duplex hic difficultas. Vna *de mense* isto: altera *de anno*: Vterque à Gorionide lib. 3. cap. 14. sileturIn hoc verò posteriore de Machabæorum libro mensem aliter Latini, aliter Græci nominant. Illis est *Dioscorus*, his vel Διόσκορος, vel διοσκορινθιος μὴν scilicet, apud Scaligerum lib. 2. fol. 91. διόσκορος. & hoc ad Latinum textum accedit. Nam qui διόσκοροι, iidem etiam διόσκοροι dicuntur, quemadmodum & διοσκορίδης Dioscorides; & hoc libro 2. cap. 1. *Aristobolus*, qui Græcè *Aristobulus*, lib. 1. cap 6. vers. 15. *Abubus*, qui similiter *Abubus* est. Quis verò in mensium ordine sit, non est mihi quidem dictu facilè. D. Thomas *Iunium* esse ait. fortè, quia is mensis à quibusdam κρόνια *Saturnalia* etiam vocatus est. Noua verò è Græco translatio *Dioscorinthium* nominat. Sed apud Suidam, Aristophanem in Ranis & Concionatricibus, Pindarum in Nemeis hymno 7. ipsiusque Interpretem, Platonem in Euthydemo, Philostratum in Antiparro, video Διὸς Κόρινθον adagium esse, quo molesta rerum quarundam repetitio, vel hominis certè alicuius prosperitas significetur; in Græcorum verò parapegmatib cum plurima mensium nomina sint, istud nusquam inuenio. Scaliger lib. 2. de emendat. temp. fol. 92. Masium arguit, quòd embolimum Syrorum mensem *Tebeth* vocari scripsisset, eumque ipse mensem *Dioscurum* esse vult. *Lysias*, ait, *præfectus Syriæ lib. 2. Machab. anno 148. Seleucidarum, (qui tamen verè 150. erat.) scribit Iudæis se desideria eorum à Rege impetraturum. Epistolium, quod scribit, datum est mense Dioscuro. Is mensis non est inter menses Macedonum ordinarios. Fuit igitur embolimæus.* Sed nutat ista conclusio. *primò*, quia embolimos & dies & menses iis potius nominibus nominari videmus, quæ aliàs ordinaria, sed ita vt iterentur. verbi causa, *bis sextus* Calendas Martias, *Adar prior & posterior. Deinde* quàm multi menses sunt, quibus non apud diuersos tantùm, sed apud eoldem etiam populos, nomina complura? Legantur, qui extant libelli de mensibus, & nostri *Quintiles & Sextiles Iulii Augustiq.* considerentur. Potest igitur fieri, vt ordinarii alicuius mensis hoc nomen sit, sed synonymum. Idq; mihi latis arridet. *primo*, quia, quo hæc gesta sunt, annus non videtur embolimæus fuisse, cum reuera non sit Seleucidarum centesimus quinquagesimus, vti paulò pòst disputabitur. Et tamen id tanquam certissimum accipit Scaliger. *Secundo*, altera etiam, quam subiicit, ratio infirma est. *Ratio*, inquit, *nominis valdè vti accommodata est, vt mensis geminus dicatur Dioscurus, quemadmodum Castores siue Διόσκοροι Gemini dicuntur.* At isto etiam modo gemini, quibus ista legit quispiam, oculi erunt Dioscuri, & geminæ quibus audit, aures. Imò verò, embolimus iste mensis, eo ipso auctore, non est geminus. Tum enim embolimi aut dies aut menses dicuntur gemini, cum, embolismi causâ, eos geminari, iisdemq; iteratis nominibus, vt suprà dixi, affici contingit. Iste verò proprium suum nomen haberet, nec mensium aliorum quisquam geminaretur. *Tertio* vult mensis huius intercalationem factam pòst Autumnum, brumali tempore, quod Posideoni Attico & Hebraico Teberh, de quib. suprà fol. 382. & 383. respondet. Verũ tunc oporteret istam Lysiæ contrà Iudæos expeditionem hyeme susceptã, ipsaq; pęnè brumâ commissum hoc prælium fuisse. Accedit probabile haud quaquã videri, totos tres menses, qui à Dioscuro vsq; ad Xanthicum effluxissent, in fœderis pactione consumptos, cum & Iudæi & Lysias ipse illud valdè optarent, neq; abesset Rex longissimè. Ipsum igitur *Dystrum*, qui Xantico prior est, *isto Dioscori nomine eos significatum*, & ipsi tunc Nisan respondisse, licet iste posset fortasse interdum dici etiam *Dystrus Corinthius*, quia, vt ex Demosthenis oratione de corona intelligitur, Corinthii solebant in mensium appellationibus Græcos alios subsequi. vt qui ab aliis diceretur *Lous* aut *Boedromion*, ab ipsis *Panemus*, qui tamen apud alios *Loo* & *Boedromione* prior est, appellaretur.

De an-

De anno plus aliquanto negotii est. Nam ecce, hic vers. 21. asseritur *annus centesimus quadragesimus octauus*. At lib. 1. cap. 6. vers. 16: Eupatoris huius pater non nisi *centesimo quadragesimo* mortuus est. Imò, vt quidem affirmabat suprà Scaliger, annus quo à Lysia datum hoc Epistolium est *verè centesimus quinquagesimus erat*. Vnde lib. 5. fol. 406. *Quis*, ait, *Oedipus hæc soluerit? Itaq, bene de illo auctore meruit, qui illũ à suspicione erroris vindicauerit*. Ego verò Dauus quidem sum, nõ Oedipus, tam tamen hæc perplexa & innodata, vt Dei cum gratia solui nequeant, non opinor. Ex iis enim quæ suprà lib. 1. cap. 1. lib. 2. cap. 4. fol. 382. dicta, responderi iam posset, mortuum quidem esse Antiochum Epiphanem, eique successisse filium *anno Iudaico 149*. sed epistolium hoc à Lysia datum *anno Chaldaico 148*. Neque enim ista, vt ibi dicebatur, pugnant. Sed, huc loci cum deuenissem, liberetque, vt in aliis, in hac ipsa etiam re videre, num in postrema sua temporum emendatione quidquam Scaliger addidisset, vel immutasset, *duo* eum inuenio potissimum immutasse. *Vnum* est, duo tantum annorum genera, in Seleucis communi vsu recepta tritaque fuisse, videlicet *Iudaicum*, quod *à Nisan* incipit, *& Antiochenum* siue *Alexandreum* quod à Tisri, qui eodem anno sequitur, ita nimirum, vt sex mensibus præuertat Iudaicus Alexandreum siue Antiochenum prout docent Thalmudici tractatu de capitibus anni, & Rabbi Aha Bar Huna in capite Rosch Hasschanah. *Alterum* est, Chaldaicum annum non popularem, sed Mathematicum tãtummodo fuisse, quo, qui artem Genethliacam & Matheſin profitebantur, ob lunaris epilogismi commoditatem, vterentur. Ideoque iam dicendum, Epiphanis mortẽ & Eupatoris regni auspicium, ideoque prælium & fœdus hoc incidisse in Seleucidarum annum Iudaicũ 149. qui idem erat Antiochenus & Alexandreus 148. Est enim hæc generalis regula. *Quando quidpiam in Græcorum siue Seleucidarum anno narratur, quod semestri æstiuo, siue prioribus ante Tisri sex mensibus accidit, semper in Seleucidarum annis Iudaicis & Antiochenis Alexandreisq, discrepantia est, & anno vno semper ipsos illi superant. Quando verò quidpiam post Tisri gestum narratur altero anni semestri, hyberno scil. sunt iidem anni, vtrique, ad sequentem Nisan, concordes.* Iam vero sub Iudaici ani principium mortuus est Epiphanes, & illicò ei suffectus Eupator, statimq; bellũ quod cum Iudæis pridem inchoatum erat, continuatum est, vsque ad 24. diẽ Dioscuri, & sequenti Xanthico mẽse confirmatum à Rege fœdus eodẽ anno. Ideoq; qua in semestri æstiuo fiũt hæc, anus erat Iudaicus 149. Alexandreus 148.

Solue" ergo tam propoſit" nodus videretur, si de eo, q vrget Scaliger, dictũ esset. *annũ* sc. Lysiaci epistolii, & Eupatoriani fœderis *fuisse reuera Iudaicum* 150. Ideoque in epistolio & fœdere isto *non* posse *Alexandreum* scribi 148: imò etiam fuisse Alexandreum 150. quia vt ratiocinatur fol. 406 lib. 5. pòst ipsius Tisri scenopegiam, *pacem cum Iudæis hanc fecit Eupator*, quemadmodum docet liber prior Machabæorum c. 6. v. 20. & sequentibus. Id vero est, in quo summæ difficultatis cardinem verti visum Scaligero est, quod vt Oedipum requireret, eum perpulit. Est tamen id multo, quam superiora, facilius. *Neque enim eadem* hoc lib. 2. cap. 11. *pacificatio*, idemque fœdus, cũ eo quod lib. 1. cap. 6. percussum, prout ex ipsa vtriusque libri quam texo harmonia, planum erit postea, & è peristaseon pænè omnium consideratione. Rex illic præsens est, Hierosolymamq; pòst fœdus illicò ingreditur: hic absens est, & Lysiam literis alloquitur. Illic ad fœdus Regem vocat Philippi factio & turba: Hic Lysiæ strages, Deique operum prudens consideratio. Mirro alia, cum & Gorionides eodem lib. 3. fœdera ista clarissimè diuersa ostendat, *& prius* quidem, de quo isto cap. 11. li. 2. describit ille ca. 41. *posterius* vero cap. 20. Nunc quomodo idem temporum Emendator, priora etiam sua emendet, vt suus semper veritatis inquisitioni honos sit, non inutile fuerit audire. *Obscuritas*, ait lib. 5. fol. 405. *locorum, vbi sit mentio annorum Græcorum in posteriore volumine Machabæorum, fecit, vt putaremus eum auctorem vsum annis Chaldaicis, non Alexandreis. Sed falluntur.* Et fol. 406. *Quomodo illi loco ex cap. 11. posteriori voluminis succurratur, nullam rationem inire possum.* Et fol. 404. *Annus Iudaicus Græcorum antecurrit Antiochenum Seleucidarum, siue Alexandreum mensibus sex. Hæc possunt etiam circumscriptissimis imponere. Et nobis olim quidem hoc diserimen obstitit: sed tamen hæsimus in luto. Quare, qui ad annos Græcorum, quibus vtitur prius volumen Machabæorum obscurit: sed tamen hæsimus in luto. Quare, qui ad annos Græcorum, quibus vtitur prius volumen Machabæorum, tempora exigere voluerit, prius consideret, intra æstiuum, an intra hibernum semestre, anni propositi fuerint.* Similia fol. 407. & in frag. fol. 37. Et potest hoc eorundem annorum alia & alia putatio facile intelligi, si conferatur cum varia Indictionum inchoatione, quam Imperatores à Septembris die 24. Pontifices à Domini Natiuitate faciunt, aut vero cum ipsis Domini annis, quos vt explicat Couar. li. 1. Resolut. c. 12. quidam ab ipsa eiusdem Domini Natiuitate repetunt vt Ecclesia communiter, alii à Ianuarii die primo vt Astrologi, nonnulli ab Incarnatione, siue vt Ecclesia 25. idque bifariam, dum Natiuitatem præuertunt quidam nouem mensibus, vt Pisani Martii die 25. idque bifariam, dum Natiuitatem præuertunt quidam nouem mensibus, vt Pisani & Senenses: eadem alii mensibus tribus sequuntur, vt Florentini, & Archiepiscopalis Treuirorum Curia.

Denum hoc in capite notabis. Iudæorum legatorum alteri, vers. 17. nomen idem esse, quod Dauidis filio Absolom, qui Græcè Ἀβεσσαλὼμ. Rursum quod v. 21. dicit Eupator, in Deos patrẽ suum translatum, ad Gentilium more ab eo iactari. Vsitata vero Hebræorum parœmia, de qua Kalmet. cap. 17. vers. 16. dictum, exprimitur idem ipsum à Gorionide c. 14. citato per eiusdem Antiochi

Universidad de Deusto
Biblioteca

tiocho assumptionem in malacim, cum Angelis siue inter Angelos. Et vers. 27. pro Iudæorum Senatu, in eodem Gortonide ibidem & cap. 17. ponitur Iudas Mesciath milchamah, id est, vnctus ad bellum, siue Dux belli. Manilius vero ver. 34. in Græco vocatur μάνλι&.

CAPVT DVODECIMVM LIBRI SECVNDI.

1 Ita factis pactionibus, Lysias pergebat ad Regem, Iudæi autem agriculturæ operam dabant.

2 Porro, qui reiederant, Timotheus & Apollonius Gennæi filius, sed & Hieronymus & Demophon, super hoc & Nicanor Cyprarches nō sinebant eos in silentio agere & quiete.

3 Ioppitæ vero tale quoddam flagitium perpetrarunt: rogauerunt Iudæos, cum quibus habitabant, ascendere scaphas, quas parauerant, cum vxoribus & filiis, quasi nullo inimicitiæ inter eos subiacentib.

4 Secundum commune itaq; decretum ciuitatu, & ipsis acquiescentibus, pacisq; causa nihil suspectum habentibus: cum in altum processissent, submerserunt non minus ducentos.

5 Quam crudelitatem Iudas in suæ genitis homines factam vt cognouit præcepit viris, qui erant cum ipso: & inuocato iusto iudice Deo.

6 Venit aduersus interfectores fratrum, & portum quidem nocte succendit, scaphas exussit, eos autem qui ab igne refugerāt, gladio peremit.

7 Et cum hæc ita egisset, discessit quasi iterum reuersurus, & vniuersos Ioppitas eradicaturus.

8 Sed cum cognouisset & eos, qui erant Iamnia, vtile pari modo facere habitantibus secum Iudæis,

9 Iamniticq; noctē supervenit, & portum cum nauibus succendit: ita vt lumē ignis appareret Ierosolymis a stadiis ducentis quadraginta.

10 Inde cum tam abiissent nouem stadia & iter facerent ad Timotheum, commiserunt cum eo Arabes quinque millia viri, & equites quingenti.

11 Cumq; pugna valida fieret, & auxilio Dei prospere cessisset, resedui Arabes victi petebant à Iuda dextram sibi dari promittentes se pascua daturos, & in cæteris profuturos.

12 Iudas autem, arbitratus vere in multis eorum vtiles, promisit pacem: dextrisque acceptis discessere ad tabernacula sua.

13 Aggressus est autem & ciuitatē quādam firmam pontibus murisque circumseptā, quæ à turbis habitabatur Gentium promiscuarum, cui nomen Caspin.

14 Hi vero, qui intus erant confidentes stabilitate murorum, & apparatu alimoniarum, remissius agebant, maledictis lacessentes Iudam & blasphemantes, ac loquentes quæ fas non est.

15 Machabæus autē, inuocato magno mundi principe, qui sine arietibus, & machinis temporibus Iesu præcipitauit Iericho, irruit furociter muris:

16 Et capta ciuitate per Domini voluntatem, innumerabiles cædes fecit, ita vt adiicies stagnū stadiorū duorū latitudinis, sanguine interfectorū fluere videretur.

17 Inde discesserūt stadia septingenta quinquaginta, & venerunt in Characa ad eos, qui dicuntur Tubiani Iudæos.

18 & Timotheum quidem in illis locis non comprehenderunt, nulloque negotio perfecto regressus est relicto in quodam loco firmissimo.

19 Dositheus autem, & Sosipater, qui erāt duces eū Machabæo peremerūt à Timotheo relictos in præsidio decē millia viros,

20 At Machabæus ordinatis circum se sex millibus & constitutis per cohortes, aduersus Timotheum processit, habentem secum centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos.

21 Cognito autem Iudæ aduentu, Timotheus præmisit mulieres & filios, & reliquum apparatū in præsidium quod Carnio dicitur, erat enim inexpugnabile, & accessu difficile propter locorū angustias.

22 Cumque cohors Iudæ prima apparuisset timor hostibus incussus est, ex præsentia Dei, qui vniuersa conspicit, & in fugam versi sunt alius ab alio, ita vt magis à suis deicerentur, & gladiorum suorum ictibus debilitarentur.

23 Iudas autem vehementer instabat puniens prophanos & prostrauit ex eis triginta millia virorum.

24 Ipse vero Timotheus incidit in partes Dosithei, & Sosipatris: & multis precibus postulabat vt vinus dimitteretur, eo quod multorum ex Iudæis parentes haberet, aefratres, quos morte eius decipi eueniret.

25 Et cum fidem dedisset restituturum se eos secundum constitutum illæsum eum dimiserunt propter fratrum salutem.

25 Iudas autem egressus est ad Carnion, interfectis viginti quinque millibus.

27 Post horū fugā & necē, mouit exercitū ad Ephron ciuitatē munitā, in qua multitudo diuersarū Gentiū habitabat: & robusti iuuenes pro muris consistentes fortiter repugnabant: in his autem machinæ multæ, & telorum erat apparatus.

28 Sed, cùm Omnipotentem inuocassent, qui potestate sua vires hostium confringit, ceperunt ciuitatem: & ex eis, qui intus erant, viginti quinq; millia prostrauerunt.

29 Inde ad ciuitatem Scytharum abierunt, quæ ab Ierosolymis sexcentis stadiis aberat.

30 Contestantibus autem his, qui apud Scythopolitas erant, Iudæi, quòd benignè ab eis haberentur, etiam temporibus infelicitatis quòd modestè secum egerint:

31 gratias agentes eis, & exhortati etiam de cætero erga genus suum benignos esse, venerunt Ierosolymam die solenni septimanarum instante.

32 Et post Pentecosten abierunt contra Gorgiam præpositum Idumææ.

33 Exiuit autem cum peditibus tribus millibus, & equitibus quadringentis.

34 Quibus congressis, contigit paucos ruere Iudæorum.

35 Dositheus verò quidam de Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiam tenebat: & cùm vellet illum capere vivum, eques quidā de Thracibus irruit in eum, humerumq; eius amputauit: atque ita Gorgias effugit in Maresa,

36 At illis, qui cum Esdrin erant, diutius pugnantibus & fatigatis, inuocauit Iudas Dominum adiutorem, & ducē belli fieri:

37 incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens: fugam Gorgiæ militibus incussit.

38 Iudas autem collecto exercitu, venit in ciuitatem Odollam: & cùm septima dies superueniret, secundum consuetudinē purificati in eodem loco sabbathum egerunt.

39 Et sequenti die venit cum suis Iudas, vt corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paterēis.

40 Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, a quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifestum est, ob hanc causam eos corruisse.

41 Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta.

42 Atq; ita ad preces conuersi, rogauerunt, vt id, quod factum erat delictum, obliuioni traderetur. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum, conservare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt.

43 Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymā offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitans.

44 (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.)

45 Et quia considerabat quod his, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam.

46 Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

COMMENTARIVS.

FOedus istud quietis aliquid Iudæis attulit, sed eam tamen ducum Eupatoris importunitas brevi turbauit: Et Gentilium cum Iudæis in diuersis locis habitantium nequitia. Gortonides addit eodem libro tertio, cap. 17. post ista cum Rege fœdera, fuisse Iudæis quietem octo menses & interea Iudam in eos, qui è populo impii fuissent, animaduertisse, in Iudææ vrbibus & littore maris, à Gaza vsque ad Aconem, Iudæos & Macedonas, simul habitasse. Vnde occasio fuit facinoris, quod Ioppitæ in Iudæos admiserunt hic vers. 3. & Iamnienses cogitarunt, ver. 8. licet hos etiam scelus admisisse dicat l. c. vbi eos vocat *viros Japho & Jabne.*

Dux quartus *Timotheus*, sed alius quàm qui cap. 10. interfectus, quemadmodum & hic vers. 2. alius *Apollonius*, quàm lib. 1. cap. 3. Hic vero tandem captus est. Sed ob fratrum Iudæorum captorum redemptionem ver. 24. cap. 12. lib. 2. dimissus. Antequam vero, cum eo ad manus veniretur, varia in itinere peracta. *Primò* puniti Ioppitæ, cap. 12. ver. 3. *Secundò* Iamnitæ à ver. 8. Sed pro tur, varia in itinere peracta. *Primò* puniti Ioppitæ, cap. 12. ver. 3. *Secundò* Iamnitæ à ver. 8. Sed pro 240. stadiis habet Gorion 246. id est, decem milliaria Germanica, seu iter ferè dierum duorum. & tunc, è vicinis vrbis fānis, quædam idolorum anathemata seu sacra donaria Iudæi quidam sustulerunt, contra Deuter. 7. de quibus in ver. 40. *Tertiò* Arabes victi & confociati ver. 10. *Quarto*, Circumspin vrbs munita & in Iudam valde contumelioſa capta & ferro pervastata, ver. 15. Gorion cap. 8. hanc Iudæ precationem recenset: DEVS *omnipotens, qui dedisti Iericho in manus Iosuæ servi tui, per voluntatem populi tui: Da hodie in manū nostrā vrbem istam, vt videamur opprobria quib. blasphemarunt populum tuū & Deum ipsius.* Sed v. 14. pro *Quæ fas non est*, habet ille, *quæ fas nobis non est narrare.* Et addit: *Accipiensq; Iudas clypeū suum in sinistrā suam, & extrahens gladiū suum, cucurrit ad vrbis portam: cumq; secuti sunt eum viri Hasmonæi, & obtulerunt portam pice, & spinis ex defecto. Et has progredi fecerūt, & miserunt, & incenderunt portā & spinas deserti, cōsumpserunt portā, & cecidit in terrā, & duo stadia in longū, & duo in latū fluxit stagnū sanguinis, qui egressus est de vrbe, sicut stagnū aquarū.* Vnde clarius fit, quod v. 16. de adiacente stagno dicitur. *Quinto* Carnion captū v. 26. de quo nihil Gorion, sed Timotheum ait dixisse; *Obsecro Domine, vt non interficias me. En habitant multi Iudæi in regione mea, & ego iuro tibi, me eis*

Universidad de Deusto
Biblioteca

en benefactorum, cunctis diebus vitæ meæ, & iuramentum factum confirmauit. Tum subdit idem Gorion; abiisse Iudam in Arabiæ desertum, irruisse in Macedonum exercitum, strauisse 25000. de quibus hic vers. 26. *Seorsò*, Ephron etiam, sed, nisi per anticipationem lib. 2. c. 5. v. 46. proposita est; acceptam eam cladem vlcisci nunc voluit. *Septimò*, Scythopolitæ propter suam in Iudæos benignitatem conseruati vers. 30. Inde venit Iudas Hierosolymam, inquit Gorion cap. 18. tribus diebus ante festum pentecostes. Antequam tamen ad quintum ducem eamus, notabis vers. 2. *in silentio agere & quiete*, in Græco esse ἀνὴρ ἐνησυχῶν καὶ τὰ τῆς ἡσυχίας ἄγων *ipsos in florente bonoq; statu esse, & ea, quæ pacis* aut *quietis sunt, agere.* Alioqui, *silere* interdum & quiescere terra dicitur, quando ipsa quidem opprimitur, mouere tamen & mouere nihil audet, vt lib. 1. cap. 1. vers. 3. Rursumque, quando pace fruitur & ab armis quiescit, vt cap. 7. vers. vlt. cap. 9. vers. 57. & 58. cap. 11. vers. 38. cap. 14. vers. 4. At hoc eodem cap. 12. vers. 11. vbi Arabes dicuntur, *residui*, Græce νομάδες vocantur. Et vers. 26. non *à Carnion*, sed, *ad Carnion* videtur legendum, prout manifestum ex vers. 21. ipsaque historia, & Græco textu. ἐξελθὼν ἐπὶ καρναΐμ. Adiungitur verò in eodem καὶ τὸ ἀταργατεῖον, quod est dea *Atargate* vel *Atargitidis* templum, quæ vt lib. 16. ait Strabo vocabatur *Athara* & *Derceto* & quidem *prodigiosa*, vt addit lib. 5. cap. 23. Plinius, de qua Lucianus dialogo de Syria dea, & ego alias in caput 2. Iudicum. Scythopolitæ verò se erga Iudæos multo iam amiciùs gesserunt, quàm Iudaici belli principio, vt in vita sua tradit Iosephus. De ea verò vrbe dixi Iudicum 1. Non est verò prætereundum eos Iudæos ad quos vers. 17. victor Machabæus venit à quibusdam putari vocatos *Tubianæos* ob religionem & bonitatem, cuius causâ iam quodammodo in terris beati essent, & haberentur. Solent enim Syri τοὺς μακαρίτας, qui felicem iam in cœlis vitam degunt, isto nomine afficere. In Græco τοὺς βιωνοὺς. quemadmodum scilicet Nazarenus & Nazaræus, Essæus & Essenus. De Iudæorum verò pietate, qui *Hasidæi* dicebantur, postea. Est verò illud nescio, vnde petitum apud D. Thomam, lepidum, sed futile commentum. *Tubianei dicuntur illi, qui se tenebant ex parte Iudæorum, non tamen erant Iudæi, & dicuntur sic, quasi aliani; tubis conducti vel vocati.* Et magis adhuc ridiculè infra vers. 35. *Baccenoris, id est, tubarum, de quibus dictum est, quod fuerunt à Iuda conducti, vt ad sonitum tubarum essent Iudæis in auxilium.* Prorsus quasi Latinè Iudæi loquerentur. Quanquam, quid in *Tubianeis* & *Tubaniis* à *tuba* Latinum?

Dux quintus Gorgias cap. 12. vers. 32. qui victus quidem, sed fuga elapsus est, vers. 25. *Clamauit Iudas, ad te ô Gorgia*, inquit Gorion cap. 19. *transiliensq; ad eum, extendit dextram suam, vt tangeret. At Gorgias conuersus retrorsum fugit à facie Iudæ, proiectisq; a se armis suis bellicis, euasit, & non est vltra cognitus vnus vel mortuus. Sunt tamen qui dicant, illum mortuum in deserto Edom. Iudas verò conuersus percussit vniuersam terram Edom, & subuertit cunctas ciuitates eorum, adegitq; ad tributum.* Dositheus porrò, vers. 35. *de Baccenoris* dicitur non vt suprà D. Thomas, *de Tubaneis*, sed de ipsius Baccenoris filiis siue prosapia. Est enim Græcè τῶν Βακήνορος, estque idem Dositheus, qui suprà vers. 19. Nam Iosephus Gorion, & cap. 18. & 19. quasi de eodem loquitur, & eundè semper *militiæ Principem* vocat, & commemorat eorum, qui ceciderunt aliquos è fortissimis Hasmonæis. Erant verò pauci illi, qui è lamnientibus sanis, profana dona sustulerunt, & diuina vltione ceciderunt. vers. 34. 40. 42.

Post victoriam istam Iudas cum suis Sabbathum egit in vrbe *Odolla* vers. 38. vt propter sanguinem, & mortuos contactos, purificarentur. Postero die, qui apud nos esset *Dominicus*, suos illos paucos, qui ceciderunt, sepelire voluit. *Vix illum*, ait lib. 5. Curtius, *tam solenne munus in bello, quam humandi suos.* In D. Thoma mirus quidam textus miram quoque peperit expositionem. *Post Sabbathum Martyrum, id est, post diem Dominicam.* Inuenerunt verò, sub eorum vestibus, latentem mortis ipsorum causam, impura illa scilicet furta, de quibus Deuteron. 7. vers. 5. Exod. 34. vers. 13. Tunc que omnes *primò* iustum DEI iudicium laudarunt, vers. 41. *Secundo*, pro ipsis DEVM orarunt, v. 42. *Tertiò*, vt pro ipsis sacrificia fierent Hierosolymis, collatitiam pecuniâ dederunt. *Quartò*, Iudas populum hortatur vers. 42. & collectam istam pecuniam Hierosolymam mittit, *bene de resurrectione & piorum morte cogitans* vers. 44. 45.

De facta pro mortuis donatione, & sacrificiis.

NOTANDA hîc, quæ vel contextum explicent, vel hæreticos refellant, nonnulla. Et illa quidem sunt *quatuor*. *Primum* pro verbis illis vers. 42. *vt delictum oblitioni traderetur*, in Græco esse significantius, πλείως ἐξαλειφθῆναι, *vt admissum peccatum penitus deleretur*, seu *perfectè aboleretur*, quod & vers. vlt. dicitur, *a peccato solui.* Potest namque *duobus modis* quidpiam *deleri*, perfectè nimirùm & imperfectè. *Perfectè* deletur, cuius litura & vestigium non apparet, neque ex eo, quod ante fuit videri aut legi quidpiam potest. *Imperfectè*, cum aliquâ litterarum adhuc vestigia cernuntur. Peccata imperfectè delentur, cum quoad culpam tantùm condonantur: perfectè, cum quoad culpam & pœnam totam. Atque hæc perfecta deletio, vt purissimum illud beatorum domicilium purissimus homo ineat, vel in hac vita, vel certè in altera fieri debet. Ideoque & Ps. 50. propheta. *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Alterum* v. 43. Stips viritim colligitur, cuius summa in latinis nostris exemplis, dat argenti *drachmarũ duodecim millia*. In Græcis *duo tantum milia*. Sed in Græcorum numeris menda non rara, vt in superioribus libris & capitibus non semel notatum. Et interdum

interdum ex Latino interprete colligitur, quidpiam in illis deesse, quemadmodum à Scaligero in Festum, ex voce infrunitus, Sapient. 23. colligitur desiderari ἀπειρόκαλος. Ideoque in illis reponendum, μυρίας καὶ χιλίας eo modo, quo à Iosepho lib. 14. cap. 8. scribitur, cecidisse Iudæorum εἰς μυρίας καὶ χιλίας, vel sine vllo καὶ, quemadmodum Iudith cap. 2. πεζοὺς μυρίους χιλίους. Et sanè etiam olim hoc loco legit *duodecim millia* lib. de prædictionibus parte 2. cap. vlt. S. Prosper. sed pro *drachmis, talenta* posuit, vt multis partibus maiorem collectã fuisse pecuniam oporteret. Quanam verò nostratis non monetæ summa ea drachmarum fecerit, variè apud Budæum, Agricolam, aliosque statuitur. Nam vel 250. aureos, vel 260. cum cruciferis 263/4. vel 1200. daleros consummant. Dixi verò alias, drachmam non imparem fuisse Italorum Iulio, Hispanorum regio seu Regali, Germanicis duobus batziis: ideoq; mille drachmæ conficerent nostrates florenos 133 1/3. Et bis mille drachmæ florenos 266. E qua pecunia, quantum in terra illa pinguissima vitulorum & arietum, qui pro peccatis victimæ Leuit. 4. 5. 6. præscribuntur, comparari potuit? E quaternis verò millibus, quanto amplius, cum ex iis itidem floreni 533 1/3. è duodecim millibus floreni 1600? Et hanc quidem pecuniam toram liberaliter ipse Iudas libenter dependisset, nisi per plurium liberalitatem & eleemosynam, defunctorum vtilitati magis consulere, sacrificiumque pro ipsis DEO acceptius reddere voluisset. Huiusmodi verò stips pecuniaria, dicitur hic κατ' ἀνδρολογίαν καταβολὴν ἀργυρίου, id est, *viritim collecta argenti strues & apparatus*, à D. Paulo, primæ Corinth. vltimo, & secundæ, Corinth. 9. λογίαι καὶ εὐλογίαι, *collectiones* seu *collecta*, & *benedictiones*. Si quis verò recte contextum expendat, perspiciet in eo ipsum sacrificij genus, quod offerendum erat; denotari, dum dicitur περὶ ἁμαρτίας θυσία, *pro peccato sacrificium*. & eiusmodi describitur Leuitici 4. & 6. vbi inter cætera dicitur vers. 6. vt qui offertur aries, sit non quilibet, sed *iuxta æstimationem mensuramq; debitã*. Vt verò idem sacrificij genus ad mortuos etiam pertinere clariùs aduerteretur, est in quibusdam exemplaribus, etiam apud D. Thomam, *pro peccatis mortuorum*. idque ipsemet admonuit. *Tertium*, additur. *Valdè benè, ac præclarè faciens de resurrectione cogitans*, aut, *quia cogitauit*, vers. vlt. *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, In Græco res eadem tota dicitur, sed alio modo, & aliquid etiam amplius. Sic enim vers. 46. εἰς ἐμβλέπων ποιεῖται ἀναβολὴν κάλλιστον καὶ ἐπιεικέστατον περὶ τῶν ἐκ τῆς ἀναστάσεως ἐλπίδα. Deinde *inspiciens* seu *considerans*, *iis, qui cum pietate dormissent, optimam repositam gratiam, sancta & pia hæc cogitatio.* Illud verò *inspiciens*, seu *considerans*, refertur ad illud supra positum, *valdè benè & præclarè faciens*, quasi dicas; rectè fecit, *primò* quidem cogitando de resurrectione, *deinde* etiam considerando, iis, qui cum pietate, id est, vera fide ac pœnitentia dormiissent, gratiam esse præparatam, non apud homines tantùm, sed etiam apud DEVM, vel potius apud ipsum solum, qui præmiorum & suppliciorum Iudex est. *Quartum* illud, *sancta & pia*, à quibusdam per parenthesin proponitur, vt sit quasi laudatoria & approbatoria exclamatio: ab aliis intelligitur *quod*, seu *quæres*. Et semper idem sensus est, semperque idem intelligitur, cogitationem videlicet illam bonam esse, orare pro mortuis; vt noster Interpres, & ipse etiam Lutherus vertit, vel potius Melanchthon, prout in Onomastico suo affirmat Chythræus, fol. 896. Et tunc, in Græco amplius quodammodo significatur. ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ποιεῖσθαι τοὺς ἁμαρτάνειν δοκοῦντας. *Vnde*, seu, *quam ob rem pro mortuis expiationem facit (Iudas) vt à peccato soluantur.* Rectè verò monuit Canus lib. 12. cap. 23. ad 9. *peccati* nomen hîc, quemadmodum Leuitici 17. Isaiæ 53. 2. Reg. 12. pro *pœna*, quæ peccato debetur; accipi. licet quæ ab eodem ibidem traduntur, Soarezio non probentur Tomo 3. disp. 79. sect. 4.

De iisdem Sacrificiis contra hæreticos.

IAM, quod ex iis, quæ proposita sunt, alterum erat; agamus; de hisce scilicet Israëlitarum, pro mortuorum expiatione, sacrificiis, contra nostri sæculi hæreticos, qui multo sunt in ipsos mortuos iniquiores, & duriores, quam veteres illi, quorum celebrata truculentia est, Albani. Hi enim tantùm quoad corpora, illud apud Strabonem lib. 11. dicebant; πυθηκτόνων κρύσιον φερεκλέους. De iis curare, qui è vita excesserint, pium non est. Noui verò nouatores idem, quoad mortuorum animos, qui corporibus longè præstant; vociferantur. Cœperunt enim veteres & obsoletos hæreseon Magistros potius quam Ecclesiam Catholicam audire ac imitari velle, veteres inquam Aërianos, Petrobrusianos, alios, de quibus S. Epiphanius hæresi 75. Petrus Venerabilis epistola 2. D. Augustinus libro de hæresibus, hæresi 53. hisce verbis: *Aeriani ab Aerio quodam sunt nominati, qui cum esset presbyter, doluisse fertur quod episcopus non potuit ordinari: & in Arianorum hæresim lapsus, propria quoq; dogmata addidisse nonnulla, dicens; orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere.* Et D. Bernardus sermone 66. in Cantica. *Non*, ait, *credunt* (hæretici) *ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam, solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo qui dixit quoddam peccatum esse, quod neq; in hoc sæculo, neq; in futuro remitteretur, cur hoc dixerit si nulla manet in futuro remissio purgatrioq; peccati?* Et iterum: *Videte detractores, videte canes. Irridentne nos, quia baptizamus infantes? quod* ORAMVS PRO MORTVIS.

Sunt verò, quæ contra istos, hinc colliguntur, *duplicia*. Quædam eos *generatim* oppugnant,

Universidad de Deusto Biblioteca

quædam *speciatim*. Generatim hæc *quatuor*. PRIMVM, Iudæ ipsius tanti, tamque laudati Ecclesiæ illius temporis, totiusque religionis Antistitis & defensoris, cæterorumque cum ipso viuorum & religionis sanctitatem propugnantium, pro mortuis factum & iudicium. SECVNDVM, Ne ex hominis vnius facto nos fidei articulum condere calumnietur, vti solet, Lutherus; est Ecclesiæ illius temporis publicum, pro mortuis, sacrificandi & precandi institutum. TERTIVM, Facti & iudicij consuetudinisque huius per Spiritum sanctum, qui Canonicorum librorum author præcipuus, approbatio & laudatio. QVARTVM tandem est Catholicorum iste syllogismus:

Quod in Ecclesia vetere, à bonis factum, & bonum iudicatum, ab illa ipsa Ecclesia publicè receptum, & à Spiritu sancto approbatum est, id nullo modo vel falsum vel superstitiosum: sed verissimum, religiosissimum, &, si futurorum vmbram seu Christi venturi figuram nullam continet; imitatione est dignissimum:

Huiusmodi verò est pro fidelibus defunctis oratio, vti iam ostensum: nullamq; futurorum vmbram, seu Christi venturi figuram continet.

Ergo ea nullo modo falsa vel superstitiosa est: sed verissima, religiosissima, & imitatione dignissima.

Speciatim verò colliguntur hæc. *Primum*, posse aliquem ita mori, vt non omnes peccatorum reliquiæ aut pœnæ per mortem tollantur, etiamsi violenta ea sit, vt istorum fuit. *Secundum*, Posse aliquem ita mori, vt post mortem, aliquo adhuc peccati vinculo ligatus sit. *Tertium*, posse ab eodem vinculo liberari, seu solui. *Quartum*, fieri id posse per preces, sacrificia, Eleemosynas. *Quintum*, Eorum, qui mortui sint, cum per ætatem peccare iam potuerint; statum esse aliquem medium inter duos illos extremos æternæ felicitatis & gehennæ, ad quos aliqui statim deueniunt, aliqui non; hi videlicet, qui à peccatis solui adhuc cum possint, soluti tamen nondum sunt. *Sextum*, Et fuisse olim, & iam esse purgatorium. Hic enim status quasi medius, quo à peccato soluuntur, verè purgatorium est, licet de loco, vbi purgatio ista fiat; quæstio adhuc relinquatur, quæ ad institutum nihil iam pertinet. Confirmant ista, quæ dixi, Veteres, & quidem ex hoc ipso Machabæorum loco.

Diuus AVGVSTINVS libro de cura pro mortuis habenda cap. 1. *In Machabæorum*, inquit, *libris, legimus, oblatum pro mortuis sacrificium, Sed etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parua est vniuersa Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino* DEO *ad eius altare funduntur; locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et cap. 4. *Non sunt*, inquit, *prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumcunque sub generali commemoratione suscepit Ecclesia: vt quibus ad ista desunt parentes, aut filij aut quicunque cognati, vel amici, ab vna eis exhibeantur pia matre communi.* Vbi ostendit, rectè Ecclesiam vniuersè pro fidelibus defunctis, orare, quia eorum quibusdam interdum desunt consanguinei, & amici, qui haberi preces curent. Sic enim etiam docet, atque vt fiat hortatur serm. 32. de verbis Apostoli; *Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubium mortuos adiuuari: vt cum eis misericordius agatur à Domino quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis* CHRISTI *communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cum verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes* DEO *non inaniter allegantur?* Et cum absurdum quoddam ex hoc loco dogma probare vellet, ita respondit sanctus Pater, vt & canonicam libri auctoritatem libens agnosceret, & pro fidelibus defunctis sacrificia commendaret libro 3. de anima cap. 12. *Quia*, inquit, *nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti sacrificium Iudæorum, pro eis qui non circumcisi esse corpore exierint, ostendit oblatum. In qua tua sententia tam noua, & contra Ecclesiæ totius authoritatem disciplinamq; prolata, verbo etiam insolentissimo vsus es, dicens: pro his sanè oblationes assiduas, & offerenda iugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum, vt te homo laicus sacerdotibus* DEI *nec discendo subderes, nec saltem simul quærendo misceres, sed censendo præponeres.* Prorsus, quemadmodum sermone illo 32. de verbis Apostoli; *Non omnino ambigendum est*, inquit, *ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerint ante mortem vt possint eis hæc vtilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur eiusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius dum hic viuerent pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes* DEI *gratiam, & sibi non misericordiam thesaurizantes sed iram. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cum pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur.*

S. PROSPER libro de prædictionibus parte 2. cap. vltimo; *Propter quam (vitam veram, omniq; metu carentem) & alios in bello mortuos, Iudas Machabæus duodecim millia talentorum Hierosolymam misit, offerre sacrificium pro mortuis, benè & optimè de resurrectione cogitans.*

S. BACHIA-

S. BACHIARIVS ipsi D. Augustino synchronus, epistola ad Iouinianum; *Melior est*, inquit, *Iudas ille Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendam, quos furata de Iamniensi* (sic enim legendum, non *Camyrni*) *ciuitate dona prostrauerant.* Et subdit: *Medicum nostrum,* (CHRISTVM scilicet) *inter librorum suorum loculos, hæc pigmenta esse voluisse.*

S. IOANNES DAMASCENVS in oratione pro defunctis, cum ostenderet DEVM & iustum & misericordem esse; *Animaduertite*, inquit, *quid* SCRIPTVRA SACRA *de Iuda Machabæo memoriæ prodiderit, nimirum eum, in Sion regis magni ciuitate, cum populum, cui præerat, ab exteris hostibus cæsum & truncatum vidisset, sinusq; eorum excutiens, condita in ipsis idola comperisset, statim expiandi huiusce sceleris causa, Domino ad misericordiam prompto atque propenso, pro vnoquoq; eorum munera obtulisse, in eaq; re summæ pietatis & charitatis munere perfunctum esse. Vnde etiam factum est, vt* DIVINA SCRIPTVRA, *quemadmodum omnibus aliis nominibus, ita hoc quoq; nomine summis cum laudibus euexerit ac mirificè commendarit.*

RABANVS in hunc locum copiosè.

PETRVS VENERABILIS, vel Cluniacensis epistola contra Petrobrusianos, cum è sacris, & canonicis libris se contra Petrobrusianos testimonia citaturum dixisse, subdit: *Primò omnium, Machabæorum liber secundus in medium adducatur, ex quo famosissimam lectionem, & in sacrificiis diuinis, quæ assiduè per totum mundum pro mortuis offeruntur, quotidie frequentatam, contradictor hæreticus audiat, & ad eius pietatis verba piè per orbem terrarum vtique resonantia, inter innumerabiles pios, pietati diuinæ pro mortuis supplicantes, penè solus impius esse erubescat, audiat à fortissimo Iuda factam collationem.*

CÆSARIVS, quem, quia S. Augustini iam citati, Ecclesiæque de hoc loco sententiam refert; nominato, lib. 12. cap. 39. Apollonio interroganti, vnde auctoritatem haberet, *post hanc vitam peccata remitti*, respondet hisce verbis: *Dominus dicit in Euangelio* (Matth. 12.) *qui dixerit verbum in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hac vita, neque in futura. Ex quo colligitur, quod post mortem peccata venalia, nec non & mortalium pœna, quæ purgatorio essent punienda, meritis & precibus Sanctorum suffragantibus, vel orationibus, eleemosynis, aliisq; misericordiæ operibus Ecclesiæ militantis intercedentibus remittuntur. Vnde Iudas Machabæus duodecim millia drachmas argenti misisse legitur Hierosolymam pro peccatis occisorum.*

THOMAS Cantipratensis lib. 2. c. 53. num. 23. *Quintum suffragium pro animabus est, dare eleemosynam. Vnde in libro secundo Machabæorum dicitur: quod vir fortissimus Iudas, collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam offerre ea ibi pro peccatis mortuorum. Nec mirum: cum in Ecclesiastico dicatur; Sicut aqua extinguit ignem: ita eleemosyna extinguit peccatum. Et in Daniele dicitur: Peccata tua Rex, eleemosynis redime.* Hoc ipso maiorem, eius tamen condiscipulum, D. Thomam Aquinatem, aliosq; posteriorum sæculorum, etsi doctissimos, plurimosq; prætermitto.

Ipsi verò etiam Hebræi preces pro mortuis olim fuderunt, & hodie fundunt, vti testatur libellus, quem è *Machzor* vertit Genebrardus, & oratio quæ dicitur *hasihabah*, id est, *requies*, vel *pro requie*. Et Iosephus Gorion à Genebrardo citatur in Notis, quasi tradat, *tantum pro iis, qui seipsos interficiunt, orandum non esse*. pro aliis autem fidelibus vita functis orandum. Sed hoc, lib. 3. cap. 19. in editione Basileensi, anno 1541. non inuenio. Ideoque in ipsius locum mihi iam succedat Rabbi Isaac Toletanus, libro *Beth Ioseph*. de vltimo legis præcepto differens: *Annis, ait, singulis, anniuersario die mortis parentum, ieiunandum est, & preces quæ incipiunt Cados*, id est, *Sanctus, fundendæ.* Fatetur & hunc Iudæorum morem hæreticus Munsterus, cum Fagio in Deuteronomij 14. licet eum negasset scribens in Iosephi Gorionidæ locum citatum. Vnde & ille, cum de mortuis loquuntur precatiunculæ נוחתו בכבוד *requies sua sit in gloria*, vt vertit etiam hæreticus Lepusculus, in R. Abenezræ explicatione primi præcepti, cum de R. Iuda Leuite ait. Si mortuus quis filium habet, ipse singulis diebus manè & vesperi in Synagoga, postquam Iudæi suas preces absoluerunt, dicit precationem *Kadisch*, & incipit יתגדל: *se quæ felices putant, qui filium habent, cuius opera possint ab inferis liberari.* In maiore Francofordensium Iudæorum Synagoga, in ipso ingressu ad læuam, ferè semper ardens lumen, aut etiam lumina plura videas: quia, si cuiusquam parens moriatur, præter preces, hos etiam cereos, anno integro, accendit. Sunt & aliæ ipsorum preces plures, quas vel in libris, vel in sepulchralibus saxis, *rasse tenoib* sine *dictionum initia*, ita quandoque scribunt: תנגעא, id est, *sit anima eius in horto deliciarum, Amen.* תנצבה, id est, *sit anima eius colligata in fasciculo viuentium*, ex 1. Regum 25. vers. 29. Fatetur denique Wittakerus lib. 1. contra Duræum, fol. 81. *Scio, ait, Iudæis esse libros memoriales (machzor) quos in Synagogis suis legunt, eosq; nunc precibus cuiusdam pro mortuis vti solere non ignoro.* Quod verò de Iudæis antiquis negat, absque causa facit tantum, quia ita ipsi placet. Vide S. Ephrem in suo Testamento, Eustratium presbyterum Constantinopolitanum libro de immortalitate animæ, Apollinarem interpretantem locum illum, Num. 19. *Si mortuum fuerit*, qui idcirco 1. Corint. 15. dicunt, pro mortuis quosdam baptizatos, vt ostendit Turrianus lib. 4. pro Epist. Pontif. c. 13. Iam Postellus lib. 21. de concordia orbis, cap. 9. *Orat Iudæus pro defuncto, orat, & comedit cum pauperibus Musulman.* Et heretici plerique, arcana quadam veritatis vi adacti, benè ipsis mortuis precantur. quod orationis quoddam genus est, vt in Agenda illorum Germanica mihi quandoque ostendit admodum Reuerendus & Nobilis Dominus Herbipolitanæ Ecclesiæ Decanus

 Conradus

Conradus Coluuirzius. Isto etiam modo precatur Elias Hutterus in suorum Hebræorum Bibliorum præfatione, & Crusius in suo Turcograecia. Nam de suo quodam Vlmensi præceptore Gregorio loquens, *cum*, inquit fol. 55. DEVS *eis dixerit* χαιρε ἀναπαυου, *ad æternum gaudium resuscitet*, sic, vt dissimulantius, ne nimium scilicet apertè pro mortuis precari videretur, ipsemet vertere, vel regere maluit: *vade sis & Patre bravo & vivo nunc Filio*. Qui vt viuo bene sit, precatur, nonne id à DEO precatur? nonne pro ipso orat? Ergo similiter, qui & mortuo benè esse precatur. Extat huiusce modi etiam precatio, auratis vncialibus literis, in sepulchralis aræ hyperpylæo, quam, extra oppidum suum, Kirzingani Lutherani, Herbipolim versus, huisce aliquot annis extruxerunt.

Plurima verò pro isto sanctissimarum precum genere, vel ex vltima Christianismi antiquitate, testimonia proferri solent. Sed ea in Bellarmino lib. 2. de purgatorio c. 16. & seqq. vel Garetio lib. qui inscribitur: *Iuuari mortuos viuorum precibus* inuenies. Tria tantum, quæ illic non vidi, addam tosslimonia. *Primum* Eusebij Alexandrini homilia in diem dominicam: *Memento*, inquit, *in oblatione, (τῶν ἐνκοιμηθέντων) etiam eorum, qui de vita tam discesserunt parentum ac fratrum. Hoc si feceris, magnam eis requiem præbes. Alterum* S. Ephrem Syri, sermone de sua morte, ait; *posse nos testamenti Sacerdotes & προεδρεύειν λατρεύειν*, id est, *in oblationibus & precibus, debitum mortuorum dissoluere. Tertium* Germaniæ nostræ Apostoli S. Bonifacij, qui Pontificem rogauit, *an pro solutione mortuum orare liceret qui in fide permansissent, & apostata sancti non essent*. Respondet verò ei Gregorius III. *pro Catholico tantum mortuo orandum, idque*, ait, *sancta tenet Ecclesia*, in historia S. Bonifacij, lib. 1. Vide quæ in Tobiæ cap. 4. notata.

Hæreticorum obiectiones tres.

PRIMA, isti in peccato mortui sunt: ergo pro iis orandum non erat. Respondeo *primò*, licere nobis, ex rei ipsius natura, pro omnibus fidelib. defunctis orare, nisi secus quippiam de eorum statu reuelet DEVS, ipsos videlicet esse in cœlo vel in inferno. aut id Ecclesia iustas ob causas prohibeat, vt in excommunicatis & hæreticis, & si qui sunt similes. De reliquis fidelibus omnibus benè sperare possumus & debemus, ideoque & pro iis orate possumus. *Secundò*, horum peccatum non fuit, quasi vellent furto isto idola colere, vt hæretici quidam ineptiunt, cum de iis, *qui cum pietate dormitionem acceperunt*; agatur, id est, ipso etiam Luthero vel Melanchthone, vt suprà iam indicatum: interprete, *cum vera fide*, sed fuit auaritiæ & cupiditatis peccatum, quod vel in omnibus, vel in quibusdam fortè fuit venale, non quòd legem ignorarint, cum sub vestibus spolia illa occuluerint, & legem illam scire tenerentur: sed ratione obiecti, aut finis. Si verò in aliquibus fuit mortale, eos pœnituisse potuit ante prælium, vel in ipso prælio, adeoque in ipso iam lethalis plagæ, mortisque articulo, vt Psalm. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum*. Hinc factum, vt non tam grauiter in eos DEVS animaduerterit, quam in Achan Iosuæ 7. Si damnatos æternisq; flammis addictos boni isti Iudæi putassent, in patria eos sepulchra non intulissent, & si in alia intulissent, id scriptura ipsa memoraret, vt suprà de Iosone lib. 2. cap. 5. vers. 10. de aliis 2. Paral. 21. vers. 20. & c. 24. v. 25. Hieremiæ 22. v. 19. vbi *Sepultura asini sepelietur*.

Altera obiectio. Error est, dicere, vanum esse pro mortuis orare, si resurrectio non sit; quia dicitur animas immortales non esse: &, si corporum resurrectio esset, istas non superesse. *Respondeo*, in scriptura duas istas quæstiones, de corporum resurrectione, & animarum immortalitate sæpè ita tractari, vt vna alteri præsupponatur: imò quasi pro eadem accipiatur, vt patet Act. 23. Matth. 22. Et clarissimè 1. Corinth. 15. ideoq; *vanum esset pro mortuis orare, si resurrectio non esset*, id est, si animæ immortales non essent, quasi eas, si quidem ipsæ non intereunt, corporibus rursum copulari æquissimum sit. Hâc igitur resurrectione futurâ, & animorum immortalitate Iudas ob eulam inthâ, cum de Hasidæis agetur, explicandam, confidebat, pro suis militibus orabat. Vide Bellarminum lib. 1. de purgatorio cap. 3.

Postrema obiectio, vel temeraria potius coniectura Munsteri est; illam de precibus coronidem, videri per audaculum aliquem adiectam. *Primò*, quia eam non habet Gorionides. *Secundò* in alio scripturæ loco non inuenitur. *Tertio*, Iudæis, ad hunc vsque diem, in vsu non est orare pro his, qui eum sunt sub iudicio DEI. *Respondeo*, eam coronidem ex hoc scripturæ loco, non nisi per audacissimum & impudentissimum hæreticum auferri posse, cum in libris Machabæorum omnibus, editis & manuscriptis, nouis & antiquis, inueniatur. Ideoque à veteribus etiam patribus, S. Augustino, S. Dachiario, aliisque, vt supra visum, citetur. Ad *primum* dico, quædam in Gorionide interdum esse, quæ suis in libris non sunt, & econtrà, quædam interdum hic, quæ ibi non, quemadmodum vel hoc ipso cap. 13. patet, à vers. 17. ad 26. Et in hoc ipso cum Gorgia prælio cap. 15 & ex iis, quæ Ionathæ principatu contigerunt, huius lib. 1. cap. 9. 10. 11. 12. è quibus non nisi pauca Gorion vno cap. 1. lib. 4 perstringit. Et verò quâ facilè fieri potuit, vt è Gorionide Iosepho id per audaculos aliquos detractum sit, quemadmodum nobile illud de IESV CHRISTO D. N. testimonium lib. 18. cap. 6. è Flauio Iosepho, quem esse cum altero illo eundem, male quidem, ipsi tamen Munstero in Gorionidem illum præfanti, videtur. De cuius testimonij flagitiosissima

litura

litura tomo primo, Annalium Reuerendissimus Baronius. Nonne & idem Flauius Iosephus, quę in Scripturis celeberrima sunt, multa præterit?

Ad *secundum*, non quicquid in alio Scripturæ loco non inuenitur, id è suo ipsius loco remouendum, alioquin è Ioannis Euangelio delendum, *In principio erat verbum*, & ex eodem, aliusque alia sexcenta.

Ad *tertium* suprà ex Hebræis, & ipsomet palinodiam canente Munstero, responsum.

Bellum cum ipsomet Antiocho Eutopatore.

E capite sexto libri primi.

18 ET hi, qui erant in arce, cōclusérant Israël in circuitu sanctorū: & quærebant eis mala semper, & firmamentū Gentiū.

19 Et cogitauit Iudas disperdere eos: & conuocauit vniuersum populum, vt obsiderent eos.

20 Et conuenerunt simul, & obsederunt eos anno centesimo quinquagesimo, & fecerunt balistas, & machinas.

21 Et exierunt quidam ex eis, qui obsidebantur: & adiunxerunt se illis aliqui impij ex Israël,

22 & abierunt ad regem, & dixerunt: Quousque non facis iudicium & vindicas fratres nostros?

23 Nos decreuimus seruire patri tuo, & ambulare in præceptis eius, & obsequi edictis eius:

24 & filij populi nostri propter hoc alienabant se à nobis, & quicunq; inueniebantur ex nobis, interficiebantur, & hereditates nostræ diripiebantur.

25 Et non ad nos tantùm extenderunt manū, sed in omnes fines nostros.

26 Et ecce applicuerunt hodie ad arcem Ierusalem occupare eam, & munitionem Bethsuram munierunt:

27 & nisi præueneris eos velocius, maiora, quàm hac, facient, & non poteris obtinere eos.

28 Et iratus est rex, vt hæc audiuit: & conuocauit omnes amicos suos, & principes exercitus sui, & eos, qui super equites erant.

29 sed & de regnis aliis, & de Insulis maritimis venerunt ad eum exercitus conductitij.

30 Et erat numerus exercitus eius, centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo, docti ad prælium.

31 Et venerunt per Idumæam, & applicuerunt ad Bethsuram, & pugnauerunt dies multos, & fecerunt machinas & exierunt, & succenderunt eas igni, & pugnauerunt viriliter.

32 Et receßit Iudas ab arce, & mouit castra ad Bethzacharam contra castra regis.

33 Et surrexit rex ante lucem, & concitauit exercitus in impetum contra viam Bethzacharam: & comparauerunt se exercitus in prælium, & tubis cecinerunt.

34 & elephantus ostēderunt sanguinem vuæ & mori, ad acuendos eos in prælium.

35 & dimiserunt bestias per legiones: & astiterunt singulis elephantis mille viri in loricis concatenatis, & galeæ æreæ in capitibus eorum: & quingenti equites ordinati vnicuiq; bestiæ electi erant.

36 Hi ante tempus vbicunq; erat bestia, ibi erant: & quocunq; ibat, ibant, & desēdebant ab ea.

37 Sed & turres ligneæ super eos firmæ protegentes super singulas bestias: & super eas machinæ: & super singulas vir virtutis triginta duo, qui pugnabant desuper: & indus magister bestiæ.

38 Et residuum equitatum hinc & inde statuit in duas partes, tubis exercitum commonere, & perurgere constipatos in legionibus eius.

39 Et vt resulsit sol in clypeos aureos, & æreos, resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.

40 Et distincta est pars exercitus regis per montes excelsos, & alia per loca humilia: & ibant cautè & ordinatè.

41 Et commouebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis & incessu turbæ, & collisione armorum: erat enim exercitus magnus valdè & fortis.

42 Et appropinquauit Iudas, & exercitus eius in prælium: & ceciderunt de exercitu regis sexcenti viri.

43 Et vidit Eleazar filius Saura vnam de bestiis loricatam loricis regis: & eminens super ceteras bestias, & visum est ei quòd in ea esset rex.

44 Et dedit se vt liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum.

45 Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis interficiens à dextris, & à sinistris, & cadebant ab eo hùc atq; illuc.

46 Et iuit sub pedes elephantū, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est ibi.

47 Et videntes virtutem regis, & impetū exercitus eius, diuerterunt se ab eis.

48 Castra autem regis ascenderunt contra eos in Ierusalem, & applicuerunt castra

Universidad de Deusto
Biblioteca

regis ad Iudæam, & montem Sion.
49 Et fecit pacem cum his, qui erant in Bethsura: & exierunt de ciuitate, quia non erant eis ibi alimenta conclusis, quia sabbatha erant terræ.
50 Et comprehendit rex Bethsuram: & constituit illic custodiam seruare eam.
51 Et conuertit castra ad locum sanctificationis dies multos: & statuit illic balistas, & machinas, & ignis iacula, & tormenta ad lapides iactandos, & spicula, & scorpios ad mittendas sagittas, & fundibula.
52 Fecerunt autem & ipsi machinas aduersus machinas eorum, & pugnauerunt dies multos.
53 Esca autem non erant in ciuitate, eo quòd septimus annus esset: & qui remanserant in Iudæa de Gentibus, consumpserant reliquias eorum, quæ reposita fuerant.
54 Et remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames: & dispersi sunt unusquisque in locum suum.
55 Et audiuit Lysias quòd Philippus, quem constituerat rex Antiochus cum adhuc viueret, vt nutriret Antiochum filium suum, & regnaret,
56 reuersus est à Perside & Media, & exercitus qui abierat cum ipso, & quia quærebat suscipere regni negocia:
57 & festinauit ire, & dicere ad regem & duces exercitus: Deficimus quotidie, & esca nobis modica est, & locus, quem obsidemus est munitus, & incumbit nobis ordinare de regno.
58 Nunc itaque demus dextras hominibus istis, & faciamus cum illis pacem, & cum omni gente eorum:
59 Et constituamus illis, vt ambulent in legitimis suis sicut prius. propter legitima enim ipsorum, quæ despeximus, irati sunt, & fecerunt omnia hæc.
60 Et placuit sermo in conspectu regis & principum: & misit ad eos pacem facere: & receperunt illam.
61 Et iurauit illis rex, & principes: & exierunt de munitione.
62 Et intrauit rex montem Sion, & vidit munitionem loci: & rupit citius iuramentum, quod iurauit, & mandauit destruere murum in gyro.
63 Et discessit festinanter, & reuersus est Antiochiam, & inuenit Philippum dominantem ciuitati: & pugnauit aduersus eum, & occupauit ciuitatem.

E CAP. XIII. LIB. II.

1 ANno centesimo quadragesimonono, cognouit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine aduersus Iudæam,
2 Et cum eo Lysiam procuratorem & præpositum negotiorum, secum habentem peditum centum decem millia, & equitum quinque millia, & elephantos viginti duos, curru cum falcibus trecentos.
3 Commiscuit autem se illis & Menelaus: & cum multa fallacia deprecabatur Antiochum, non pro patria salute, sed sperans se constitui in principatum.
4 Sed rex regum suscitauit animos Antiochi in peccatorem: & suggerente Lysia hunc esse causam omnium malorum, iussit (vt eis est consuetudo) apprehensum in eodem loco necari.
5 Erat autem in eodem loco turris quinquaginta cubitorum, aggestum undique habens cineris: hæc prospectum habebat in præceps.
6 Inde in cinerem deiici iussit sacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum.
7 Et tali lege prænaricatorem legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum.
8 Et quidem satis iuste: nam quia multa circa aram Dei delicta commisit, cuius ignis & cinis erat sanctus, ipse in cineris morte damnatus est.
9 Sed rex mente efferatus veniebat, nequiorem se patre suo Iudæis ostensurus.
10 Quibus Iudas cognitis, præcepit populo, vt die ac nocte Dominum inuocarent, quò, sicut semper, & nunc adiuuaret eos.
11 quippe qui lege & patria, sanctoq; templo priuari vererentur, ac populum qui nuper paululùm respirasset, ne sineret blasphemis rursus nationibus subdi.
12 Omnibus itaq; simul id facientibus, & petentibus à Domino misericordiam cum fletu, & ieiunio per triduum continuum prostratis, hortatus est eos Iudas vt se præparent.
13 Ipse verò cum senioribus cogitauit priùs quam rex admoneret exercitum ad Iudæam, & obtineret ciuitatem, exire, & Domini iudicio committere exitum rei.
14 Dans itaque potestatem omnium Deo mundi creatori, & exhortatus suos vt fortiter dimicarent: & vsque ad mortem pro legibus, templo, ciuitate, patria, & ciuibus starent, circa Modin exercitum constituit.
15 Et dato signo suis Dei victoria, iuuenibus fortissimum electis, nocte aggressus aulam regiã, in castris interfecit viros quatuor millia, & maximum elephantorum cum his, qui superpositi fuerant:
16 summoq; metu ac perturbatione hostium castra replentes, rebusq; prosperè gestis abierunt.
17 Hoc

17 Hoc autem factum est die illucescente, adiuuante eum Domini protectione.
18 Sed rex, accepto gustu audaciæ Iudæorum arte difficultatem locorum tentabat.
19 Et Bethsura, quæ erat Iudæorum præsidiũ munitum, castra admouebat: sed fugabatur, impingebat, minorabatur.
20 His autem, qui intus erant, Iudas necessaria mittebat.
21 Enunciauit autem mysteria hostibus Rhodocus quidam de Iudaico exercitu, qui requisitus comprehensus est, & conclusus.
22 Iterum rex sermonem habuit ad eos, qui erant in Bethsuris: dextram dedit, accepit, abiit, commisit cum Iuda, superatus est.
23 Vt autem cognouit rebellasse Philippum Antiochiæ, qui relictus erat super negotia, mente consternatus Iudæos deprecans subditusque eis, iurat de omnibus, quibus iustum visum est: & reconciliatus obtulit sacrificium, honorauit templum, & munera posuit,
24 Machabæum amplexatus est, & fecit eum à Ptolemaide vsque ad Gerrenos ducem, & principem.
25 Vt autem venit Ptolemaidam, grauiter ferebant Ptolemenses amicitiæ conuentionem, indignantes ne forte fœdus irrumperet.
26 Tunc ascendit Lysias tribunal, & exposuit rationem, & populum sedauit, regressusq; est Antiochiam: & hoc modo regis profectio, & reditus processit.

COMMENTARIVS.

TERTIVM eorum, quæ Antiochi Eupatoris tempore contigerunt, est bellum cum ipsomet præsente gestum lib.1.cap.6.lib.2.ca.13. *Anno enim 150.* Iudas Macedonicam arcem & præsidium, quod Hierosolymis erat, obsedit cap.6.vers.18. Sed qui cum Macedonibus Apostatæ fuerunt, Regem inflammarunt vers.21. Is ergò aduenit, formidabili cum exercitu, cuius numeri videntur cap.6.& lib.2.cap.13. discrepare, nisi observes, in vna summa, eos interdum numerari, qui tunc aderãt, equites cum equitibus, elephantes cum elephantis in alia etiam alios, qui subinde accesserunt. Gorion cap.20.dicit, tantum exercitum Regis fuisse, *instar arenæ maris*, & belli causam affert, quod Iudæ prælia, & felices vrbium expugnationes audisset. In itinere, Regis iussu, dedit tandem impietatis pœnas impius illegitimusque Pontifex *Menelaus* cap.13. Sed *modus* & *causa* notanda est. Fuit enim, vt clarius Græca ostendunt, turris Berhææ cinerum plena, & in ea rotundum organum seu machina in cineres præceps. huic superpositus ille, in cinerem præcipitatus, ab eoque suffocatus est. *Causa* est vers.8. quæ eadẽ in Gorionide. Sed istud id videtur tradere factum, post pacem iam cũ Iuda constitutam, & *iuxta turrim fuisse cinerem* אין שיעור. id est, *absque mensura*. tantum inquam & tam copiosum, *vt mensura non esset*. Est verò non omnino respuendum, hoc impij huius supplicium accidisse post pacem initam, in ipso Regis, Antiochiam versus, reditu. Nam cum Regem tantopere ad bella ista, totiesque concitasset vers.32. infelix eorum exitus in ipsius meritò caput redundauit. Hinc enim offensionis & regiæ iræ occasio maxima. Tum autem esset textus noster explicandus, vt *per anticipationem*, illius mortem narrasset. Quia enim dicere orsus erat, quemadmodum Regem fictis fallisq; calumniis & sermonibus, quos ἐγκλήματα Græcus textus vocat, circumuenit, ideò simul de pœna, quam diuino nutu, dedit iustissimam, pertexuit. Alioqui longe semper textui postponendus Gorionides, interdumque omnino repellendus. sicuti & Iosephus alter, qui lib.12.ca.15. eandem in Regis reditu historiam collocat. Quod verò libri vltimi capite penultimo idem Flauius, de ipsius filio à Pontificatu repulso dicere videtur, id de sancti Oniæ filio, qui Onias etiam vocabatur, isto 15. capite narrat. sed βλασφημίαν hic vocat, illic βλασφημίας. Ea hodie vrbs *Alepum* dicitur, vti docent Zonaras, Cedrenus, Nicetas, Turcici Pandectæ scriptor cap.6.contra Geusræum, qui *Epiphaniam*, Bellonium, qui *Hierapolim*, alios qui Antiochiam ipsam esse volunt. Fuisse verò apud veterum quosdam hoc per cineres supplicij genus, testis Ctesias, apud quem Artyphius & Arsites à Dario Notho, Secundianus Rex ab Ocho in cinerem coniectus traditur. Vnde & in Ibim Naso.

Vtque necatorum Darij fraude secundi.
Sic tua succensus deuoret ossa cinis.

Iudas verò, post triduanum ieiunium, preces, lachrymas, ibid. vers.10. obsidionem soluit, Regique obuiam processit. hinc cum illo pugnatum, semel quidem paulo ante lucem, deinde clara luce. Iudas suis tesseram hanc dedit, DEI VICTORIA, cap.13.cap.15. Quemadmodum suprà, DEVS *adiuuans*, & anno 1547. quo die Carolus V. Protestantes hæreticos domuit, ipsius in castris tessera erat. *S. Gregorius & S. Iacobus*, vti, qui tum militabat, refert nobilis ille in hæretica Holsatia Septuagenarius senex Catholicus, Bertramus. Rex elephantos instruxit, quibus c.6.v.34. ostenditur *sanguis vua & mora*. Est autem *sanguis vua*, vinum Deut.32. quemadmodum apud Plinium lib.14. cap.5. dicebat Alexandro M. Philosophus Androcydes, illius intemperantiam cohibens, *Vinum potaturus, Rex, memento te bibere sanguinem terræ*. Mori verò sanguis, est ipsius succus *Humor*, ait Plinius lib.16.c.38. & *cortici arborum est, qui sanguis earum intelligi debet sicis lacteis, cerasis gummosus,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitibus ac piris aquosus. ita vt distingui multum appareat, vitis, vuæque sanguinem. Illius enim sanguis, *aqua* est: huius, *vinum*. Censet igitur solo vini aspectu, & succi morotum iritari elephantos Vallesius cap. 82. sacræ philosophiæ, & causam inquirit, ostendens ex Galeno lib. *de subfiguratione empyrica*, rubri coloris aspectum quibusdam obesse, & quibusdam prodesse. Videtur tamen verè datum illis vinum, & succum morotum, vt biberent. Sic enim bestias illas concitari, & simul etiam thuris odore, tradit liber tertius Machabæorum, & verbum indicat quod hic ponitur ἐπιδείκνυσθαι seu *ostendere*, vel etiam *exhibere*, vt hic l. 2. c. 13. v. 9. 2. Timoth. 4. ver. 14. Ælianus, *Elephantis*, ait, *pugnaturis vinum, non ex vitibus modo confectum, sed ex oryza etiam factitium indulgetur*. Plinius lib. 15. cap. 24. *Morti*, ait, *succus in carne vinosus*. Fieri tamen posset, vt vini succique huiusmodi vel aspectu, vel odore concitentur, quemadmodum ad venationem canes, & tradidit etiam Plinius lib. 8. cap. 8. *eos hordei succo mitesci*, & ca. 9. quomodo pugnent, ostendit. Vnde & colligere est, istos Antiochi Elephantos, ingentes admodum fuisse, cum tot milites ferrent, & cum Indici essent, qui *Africis maiores*, vt ibidem dicitur, & lib. 7. c. 2. & apud Liuium decad. 4. lib. 7. Solinum, Philostratum & Onesicritum, licet in eo desit Græcè vox ἰνδὸς. Hic verò cap. 6. pro *bestiæ Magistro*, seu *Rectore*, in Græco est, *Indus*, sicque, vt habent etiam correcta biblia, legendum vers. 37. non *Intus*. Tradit lib. 6. de animalibus Ælianus, apros, leones, tauros, elephantos, nulla ad pugnam cohortatione, vel extrinsecus adhibita impulsione indigere; sed suopte sese impetu ad illam, secus quam homines, accendere & præparare. Sed hoc intelligendum, quando eos res quæpiam, cum qua iis antipathia, seu naturalis dissensio, iam iritauit, siue illa exteriores siue interiores, tantum sensus feriat. Huius enim aspectu & memoria belluæ istæ concitatæ, dentes exacuunt, caudis sese flagellant, cornua expediũt, proboscide seipsas verberant. Antequam tamen istam iram colligant, si quietæ sint, & in homines, quibus infestæ alioqui non essent, sunt immittendæ, aliqua prouocatione opus. Quomodo iidem turrigeri sint, quindecim armatos ferre possint, incredibilem hostibus formidinem stragemque inferant, aliaque similia persequitur Philostratus, & lib. 1. de quadrupedibus, Gesnerus.

Horum verò elephantorum maximum inuasit *Eleazarus* cap. 6. versicul. 34. c. 14. v. 15. eo animo, quo apud Xenophontem lib. 7. equi, cui insidebat Cyrus, ventrem hostium quidam pupugit ita vt talipedans ille istum excuteret. Hunc Eleazarum ait Iosephus c. 14. lib. 12. Iudæ fratrem fuisse idemque asserunt Græca, si pro ὁ legatur οὗ, id est, *Eleazarus qui Auram dicebatur*, vt cap. 2. eadem Græca cum Iosepho lib. 12. cap. 8. & 14. eundem vocant. Et sic in Latino pro, *filius Aura*, videtur legendum, *dictus Aura*, nisi alium quendam esse velimus, prout D. Ambrosius offic. 1, ca. 40. velle videtur. dum eum tantum Iudæ militem, non fratrem vocat, eundemque insigniter laudat. Quanquam cur & Iudæ miles, & frater esse non potuerit? Imò vtrumque asserit Gorion cap. 20. *Cum* enim *Hassamonæos milites omnes secum duxisset*, vti scribit, & elephanto illi *maximo Regem insidere suspicatus esset, exclamauit dicens: Quis in vobis, ô iuuenes? & assiliens Eleazar frater eius, vnus ex militibus, seu iuuenibus Hassamonæis, cucurrit in elephantem sternens in terram omnes, qui è fortissimis Regu bellatoribus ei obuij fuerunt, cadens ad dextram & sinistram, cadentibus ante ipsum inter feltu hinc & hinc*. Cognominatus porrò videtur *Aura*; vel, vt Græcè est Αὐλωγὸς, si non ab iis quæ lib. 1. cap. 2. dicta; certè à fortissimo & generosissimo isto facinore. Nam Hebræis, *auar*, est roborare & fortificare. Vnde vsitatissimũ illud *Auir* fortis, quo etiam nomine, ab iis, quibus pollent viribus, interdum vocantur. Quin & à robore arx aliqua dicitur *Birah*, & apud Thalmudistas, *auruari*, est turris fortis, vt in Syrochaldaico thesauro notatur. Iam sæpè dicitur *fortis ipsius, fortis ipsorum*, pro eo, qui fortiter aliquem, vel aliquos defendit, vel qui inter aliquos fortissimus est, Ios. 24. vers. 49. & cap. 6. vers. 16. Psalm. 131. 1. Reg. 21. vers. 7. Tobiæ 3. 4. 7. Et sic *Auaran*, vel potius, *Auaram*, pro *fortis eorum*. Et posset etiam quis opinari, ipsum Mathathiam vocatum etiam *Auaran*, cuius hic esset filius, nisi ex c. 2. & Iosepho, vti dixi, Eleazari, cognomẽtum id clare videretur. De eo S. Ambrosius loco citato. *Quanta*, inquit, *ista virtus animi? primo vt mortem non timeret, deinde vt circumfusus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, mediũ penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abiecto clypeo, vtraq; manu, vulneratæ molem bestiæ subiret ac sustineret, post, infrà ipsam succederet, quo pleniori feriret ictu, cuius ruina illusus magis quam oppressus, suo est sepultus triũpho. Nec fefellit opinio virũ, quamvis regius fefellerit habitus. Tanta n. virtutis spectaculo defixi hostes inermẽ, occupatũ incurrere non ausi, post casũ ruentis bestiæ, sic trepidauerũt, vt impares se omnes vnius virtuti arbitrarentur*. Dices, eum *vt acquireret sibi nomen æternum*, ad tantum opus accessisse v. 44. c. 6. *Respondeo*, nomen & gloriã, modo in ea finis vltimus & primarius non statuatur, vel non immoderatè quæratur, non magis vetitum esse quærere, quam cibum, vestes, & quæ alia necessaria sunt, vel commoda. Vide Natarrum, *de finibus* Num. 53. Abulensem 1. Reg. 15. quæst. 73. Hic verò non primariò gloriam, sed, vt textus ait, *populi sui libertatem* quærebat. *Rex Antiochus* (ad S. Ambrosij verba tedeo.) *qui cum centum viginti millibus hominum armatus venerat, & cum 32 elephantis, ita vt, ad ortum Solis per singulas bestias velut montes quidam armorum coruscis, tanquam lapidibus ardẽtibus refulgerent, vnius territus fortitudine pacem rogaret. Igitur Eleazarus hæredem virtutis suæ, pacem reliquit*. D. Greg. 19. mor. cap. 13. Eleazarus in prælio elephantem feriens strauit: sed sub ipso, quem extinxit, occubuit. *Quos ait, Eleazarus iste significat? quem victoria sua oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ista, quæ subiecerunt, dum superbiendo succumbunt*. Quasi enim sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, eleuatur.

Ceci-

Ceciderunt è regijs primò quidem 600. cap. 6. Deinde 4000 cap. 13. lib. 2. Cum tamen tam a Regis copiæ essent, declinauerunt Iudæi, & Rex ipse timuit, ideoque certis quibusdam methodis, seu, occultis rationibus, loca expugnare statuit, sicut & Bethsuram, de qua suprà, tandem dedimone accepit, cum, propter *Sabbathum annorum*, siue septimum annum, qui & *Sabbatismus* dicitur, & à Iudæis *Semita*, fames conclusos Iudæos premeret, sicuti & eo sabbatico anno fames fuit, quo cepit Herodes Hierosolymam, apud Iosephum lib. 13. c. 15. lib. 14. c. 28. De huiusmodi verò anno dictum Exod. 23. Leui. 25. 4. Reg. 19. v. 29.

Obsessa etiam est anno 150. à Rege Hierosolymã, vel potius templum, vt indicat Iosephus cap. 14. Et iterum à Iuda cum illo pugnatum, Sed tandem, Lysiæ industria, fœdus initum cum præsente iam eodem Rege. Atque id ab illo de quo suprà cap. 11. valde diuersum esse, cui diligenter omnia consideranti dubium sit? Sed capite isto 6. v. 62. rupit Rex citius iuramentum quod iurauit, ictumque fœdus violauit. Quæ verò v. 52. *fundibula* dicuntur, Græcè σφενδόναι, sunt balistæ ad lapides mittendos & fundendos, *quæ* inquit lib. 3. Poliorceticon Lipsius, dial. 3 *rectissime Hieronymus vertit fundibula. Ita enim ante illo dixerunt, vt ex Isidoro & Hegesippo lib. 5 cap. 44 apparet*. Ab his verò fundibulus diuersus. de quo lib. 3. cap. 14. Vegetius, & ab illis fundibularij, & fundibulatores, qui & ballistarij. *Quartum*, & extremum eorum, quæ Eupatoris temporibus contigisse aiebam, describitur eodem cap. 6. lib. 1. vers. 56. Philippus, cui à moriente patre commendatus erat Eupator, rebellionem moliri visus est, ideoque Lysiæ horratu, Antiochia, vbi erat ille, à Rege capta est, Iudæis multum adiuuantibus, quia denuò cum iis renouatum fœdus erat: vel, vt putat Lyranus, quia hæc ante ipsum violatum ficta sunt. Iudas enim magno, apud Regem, in honore esse cœpit, cap. 13. versicul. 15. Hancque Lyrani sententiam confirmat Gorionides cap. 20. dum narrat, duabus causis ad fœdus ineundem fuisse Regem adductum, defectione Philippi, & Demetrij, qui Seleuci filius, ex vrbe Roma aduenerat.

Gesta Iudæ, tempore Demetrij Regis.

E Capite VII. Lib. I.

1 ANno centesimo quinquagesimo primo, exijt Demetrius Seleuci filius ab vrbe Romã, et ascendit cum paucis viris in ciuitatem maritimam, & regnauit illic.

2 Et factum est, vt ingressus est domum regni patrum suorum, comprehendit exercitus Antiochum, & Lysiam, vt adducerent eos ad eum.

3 Et res ei innotuit, & ait: Nolite mihi ostendere faciem eorum.

4 Et occidit eos exercitus. Et sedit Demetrius super sedem regni sui.

5 Et venerunt ad eum viri iniqui & impij ex Israel, & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri sacerdos.

6 Et accusauerunt populum apud regem, dicẽtes: Perdidit Iudas, & fratres eius omnes amicos tuos, & nos dispersit de terra nostra.

7 Nunc ergo mitte virum, cui credis, vt eat & videat exterminium omne, quod fecit nobis, & regionibus regis: & puniat omnes amicos eius, & adiutores eorum.

8 Et elegit rex ex amicis suis Bacchidem, qui dominabatur trans flumen magnũ in regno, & fidelem regi, & misit eum,

9 vt videret exterminium, quod fecit Iudas: sed & Alcimum impium constituit in sacerdotium, & mandauit ei facere vltionem in filios Israel.

10 Et surrexerunt, & venerunt cum exercitu magno in terram Iudæ: & miserunt nuncios, & locuti sunt ad Iudam, & ad fratres eius verba pacifica in dolo.

11 Et non intenderunt sermonibus eorum: viderunt enim, quia venerunt cum exercitu magno.

12 Et conuenerunt ad Alcimum, & Bacchidem congregatio scribarum, requirere quæ iusta sunt:

13 Et primi, Asidæi qui erant in filiis Israel, & exquirebant ab eis pacem.

14 Dixerunt enim: Homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos:

15 & locutus est eum eis verba pacifica: & iurauit illis, dicẽs: Non inferemus vobis malum, neq; amicis vestris:

16 Et credidерunt ei: Et comprehendit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in vna die secundum verbum, quod scriptum est:

17 Carnes sanctorum suorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret. Psal. 78. 1. 2. 3.

18 Et incubuit timor, & tremor in omnem populum: quia dixerunt: Non est veritas, & iudicium in eis: transgressi sunt enim constitutum, & iusiurandum, quod iurauerunt.

19 Et mouit Bacchides castra ab Ierusalem, & applicuit in Bethzacha: & misit, & cõprehendit multos ex eis, qui ad se effugerant, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

rant, & quosdam de populo mactauit, & in puteum magnum proiecit.

20 Et commisit regionem Alcimo, & reliquit cum eo auxilium in adiutorium ipsi: Et abiit Bacchides ad regem:

21 et satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotij sui.

22 et conuenerunt ad eum omnes, qui perturbabant populum suum & obtinuerunt terram Iuda, & fecerũt plagam magnam in Israel:

23 Et vidit Iudas omnia mala quæ fecit Alcimus, & qui cum eo erant, filius Israel, multo plus quam Gentes.

24 et exijt in omnes fines Iudææ in circuitu, & fecit vindictam in viros desertores, & cessauerunt vltra exire in regionem.

25 Vidit autem Alcimus quod preualuit Iudas, & qui cum eo erant: & cognouit quia non potest sustinere eos, & regressus est ad regem, & accusauit eos multis criminibus.

E CAPITE XIV. LIBRI II.

1 SEd post triennij tempus cognouit Iudas, & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci cum multitudine valida, & nauibus, per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna,

2 Et tenuisse regiones aduersus Antiochum & ducem eius Lysiam.

3 Alcimus autem quidam, qui summus sacerdos fuerat, sed voluntarie coinquinatus est temporibus commistionis, considerans nullo modo sibi esse salutem, neq; accessum ad altare,

4 venit ad regem Demetrium centesimo quinquagesimo anno, offerens ei coronam auream & palmam, super hæc & ramos, qui templi esse videbantur. Et ipsa quidem die siluit.

5 Tempus autem opportunum dementiæ suæ nactus, conuocatus à Demetrio ad consiliũ, & interrogatus quibus rebus & consiliis Iudæi uterentur,

6 respondit: Ipsi qui dicuntur Asidæi Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt, & seditiones mouent, nec patiuntur regnum esse quietum.

7 Nam & ego defraudatus parentum gloria (dico autem summo sacerdotio) huc veni:

8 primò quidem vtilitatibus regis fidem seruans, secundò autem etiam ciuibus consulens: Nam illorum prauitate vniuersum genus nostrum non minimè vexatur.

9 Sed oro hu singulis ô rex cognitis, & regioni, & generi secundum humanitatem tuã pernulgatam omnibus prospice.

10 Nam, quandiu superest Iudas, impossibile est pacem esse negotijs.

11 Talibus autem ab hoc dictis, & ceteri amici hostiliter se habentes aduersus Iudam, inflammauerunt Demetrium.

COMMENTARIVS.

QVÆ demetrij tempore contigerunt, ea lib.1.cap.7. libro 2. cap.14 & vlt. traduntur. *Demetrius* iste fuit, non Antiochorum frater, vti lib.3.4. à Iustino scriptum; sed Seleucum, qui fuit Antiochi Epiphanis frater; patrem habuit, quem admodum, vtrique libro nostro conuenienter, tradit Appianus in Syriacis. Erat, pro Epiphane patruo, Romam à Patre *obses* missus. Eo mortuo cũ primum potuit, Roma clam aufugit, & à Syris ad regnum libentissimè susceptus *anno 151.* Ideoque, cum cap.4. *post triennium* Roma rediisse dicitur, est id ab Epiphanis, pro quo obses fuerat, morte incipiendum. Statim verò patruelem suum Eupatorem, & Lysiam cognatum interfici præcepit, cap. 7 ver. 4. & narrat Appianus loco citato. Bellum in Iudæos idem Demetrius cœpit ab Alcimo excitatus, *qui summus* antea *sacerdos fuerat*, lib.1.cap.14.v.3. Vocatur à Iosepho lib.12.c.15. ἰακείμῳ, lib. vlt.c.penult. ἰακείμῳ.

Sed quando & post quem summus sacerdos fuerat iste Alcimus? Post impij Menelai mortem, inquit lib.12. cap.15 Iosephus. Et cum, vt idem refert, annos decem ille fuerit Pontifex, annoque superiore scelerum suorum pœnas dederit, anno itidem eodem Alcimus iste ad sacerdotium peruenit. ideoque sacerdos iam erat. & quod Latinus noster textus ait, *Sacerdos summus antea fuerat*, perinde est, ac si diceret; *iam erat Sacerdos*, non nunc primò à Demetrio ipso, sed ab Antiocho antea nominatus & creatus, prout Græcus ostendit πρὸ χρόνου & ἀρχιερεὺς prius factus Sacerdotum Princeps. Quemadmodum verò Menelaus ab impio gentilique Rege non nisi falsum & illegitimum Pontificatus nomen acceperat, decemque annos gesserat; ita iam laruatus iste impiusque Pontifex Alcimus, cum verum sanctumque summum sacerdotium Machabæi tenerent. ideoque illi alij

non

non nisi quidam veluti Antipapæ, illegitimique Pseudopontifices fuerunt. Fuit quidem *Alcimus* ex Aaronis stirpe, quemadmodum lib.1.cap.7.v.14. clarè & à Iosepho lib.vltimo c.penultimo contra Sigonium l.5. de Republ. Hebræorum, affirmatur; sed ab ea dignitate, ob apostasiam, excludebatur. *Porcinas carnes ederat*, inquit Gorion cap.21. lib.3. aliisque sese contra religionem peccatis conraminarat, *temporibus commistionis* lib. 2. cap. 14. versicul.3. id est, iis, quibus sese Gentilium ritibus & moribus Iudæi miscebant, Antiochi videlicet regni principio. cui posteà versicul.38. opponitur *tempus continentiæ*, quo scilicet Machabæis ducibus ab illorum sese contagione abstinuerunt. Illud ἀνακίξια, hoc ἀμιξία vocatur.

Instituit contra Iudam & pios quosque Iudæos Alcimus iste impius accusationem falsissimam, simulque Regi munera obtulit, in quibus cap. 14. versicul.4. nostra in editione Latina ponuntur *tali*, qui à Rabano exponuntur *vasa offertoria, in morem turium facta, cum quibus in præcipuis festiuitatibus offerebant, quorum similitudo hactenus in quibusdam locis habetur.* Ita ille. Sed Græcum nomẽ est θαλλὸς, & significat *ramum*. Quemadmodum enim palmæ aureæ quædam erant: sic & rami aurei, quos iste sacrilegus abstulit, & regi obtulit. Nam *de vite aurea*, quam Aristobulus dederat, & in Iouis templo Romæ posita erat, refert Iosephus libro 14. c.5. vbi oculatum testem Strabonem laudat, Plinius lib.37.cap.2. Zonaras, Tacitus, Florus lib.5. cap.5. vbi legendum, *vitu sub aureo cælo*, vti lib.2. Electorum ca.5. docet Lipsius, & de aurea mensa, in qua ex auro & gemmis erat hedera & vitis; à Philadelpho in Hierosolymitanam ædem missa, lib.12.cap.2. rursum Iosephus. itemq; de platano & vite aurea Dario donata Herodotus lib.7. Vnde, cum correctis bibliis, non *thalos*, sed *thallos* leges. Si quis interpretem reprehendat, quod Græcam vocem non verterit, quemadmodum & Iudith cap. 10. ver. 3. sciat is, Græca interdum nomina pro Latinis vsurpari, vt apud Plinium lib.2. *æci populorum*, lib.7. *probata*, id est, oues; Apud Ciceronem & Virgilium *æstu*, id est, littus, Terentium, *æstu*, id est vrbs. de quibus cap.5. lib.1. variarum lectionum Muretus. Misit igitur Rex primò *Bacchidem*, qui, vt Iosephus lib.12.c.16. narrat, Mesopotamiæ præfectus erat, Alcimus verò Hasidæos sexaginta interfecit.

De Asidæis.

ACCEPERVNT nomen Asidæi, non *à diuini cultus assiduitate*, quasi in eo *assidui* essent, vti apud Rabanum & D. Thomam dicitur: sed ab hebræa voce *chasid* vel *chased*, id est, misericors, sanctus, pius. Prou.2. Psal. 51. 88. 131. Vnde quæ Arbitro Petronio scitè *pietatis cultrices* vocata est *ciconia*, Hebræis *chasida* vocatur. Et Iosephus hos lib. 12. ca. 16. ἀγαθοὺς καὶ ὁσίους, bonos & sanctos appellat, hocque lib.1.cap.7.vers.17. de iis citatur psalmus 78. in quo, *Hasidecha* & ὅσιοι vocantur. *Carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ, & sanguinem ipsorum effuderunt.* Vbi Genebrardus, *Sancti*, ait, *hoc loco vocantur professione religionis & fidei, & non tantum ratione fidei & morum.* Certè videntur ex ca.14. vers.6. lib.2. certi quidam fuisse, qui præcæteris maiorem religionis zelum & sanctitatis studium præ se ferrent. idque patet ex tot hactenus Gorionidæ locis allatis, præsertim verò ex lib.5. cap.23. vbi ait; *Et etiam haschonim, qui* לחסירים, *non adduxit Herodes ad iuramentum, propter Menahem haschoneh, qui* לחסירים *ad Hasideos spectabat, quia ipse Menahem vir iustus & sapiens fuit, in diebus ipsis.* Rursum in hac ipsa historia dicitur apud eundem Gorionem lib.3.cap.31. quemadmodum hic lib.2.cap.14.vers.6. *Inualuit in gladio suo Iudas filius Matathiæ, & cum eo Iudæi, qui vocantur Hasidei.* Et paulò pòst; *Congregati sunt ad Iudam omnis exercitus Hachasmonaim, & omnes iuuenes Hachasidim.* Et cap. sequenti 22. de *Ricasio*, seu *Razia*, inquit, *Erat iste de viris Hachasidim, quia probatus in diebus Antiochi, & inuentus perfectus, quod acceperit in seipso plagas & verbera multa.* Vbi vides aliquam causam nominis, dum ait, *quia probatus*, licet particulam istam, כי, *quia*, omiserit, & quidem malè, Munsterus.

Ex quibus etiam apparet, fuisse homines istos, à cætero Iudæorum populo, institutis & nomine distinctos: societate verò inter se sancta & religiosa diunctos. Vnde & lib.2.cap.14. vers.6. Istorum calumniator apud Ethnicum Regem ita eos describit: οἱ λεγόμενοι τῶν Ἰουδαίων Ἀσιδαῖοι, ὧν ἀφηγεῖται Ἰούδας ὁ Μακκαβαῖος, *Ipsi qui dicuntur Asidei Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus*: siue vt habet noua translatio. *Qui ex Iudæis nominantur Asidæi, quorum dux est Iudas ille Machabæus.* Videntur iidem præterea diuinarum litterarum, præcæteris, studiosi pertinaces fuisse. quia lib.1.cap.7. *in scribarum numero* reponuntur. & quidem ita, vt præcipuæ apud Iudæos auctoritatis essent. Nam pro eo quod Latinus ibidem vers.13. ait, *& primi Asidæi, qui erant in filiis Israel*: Græcus, omisso illo, quod intertextum est; relatiuo, sic: πρῶτοι οἱ Ἀσιδαῖοι ἦσαν ἐν υἱοῖς Ἰσραήλ. *Primi Asidæi erant in filiis Israel.*

Denique cum, vt ait in vita sua, & lib. 2. de bello Iosephus cap. 12. apud Iudæos essent *tria eorum, qui philosopharentur, genera.* Pharisæi, Sadducæi, & Esseni; hi, de quibus mea hæc dissertatio, *Asidæi*, cum *Essenis idem* fuerunt, vel certè *horum illa pars* quædam, *aut illorum hi. Primò* enim, quotiescunque accidit, vt de Essenis à Iosepho Flauio Græcè quippiam narratum sit, idem ipsum si à Gorionide Hebraicè narretur, Asidæis perpetuo tribuitur. *Deinde* diserte verbis lib.4. c.6. in editione Basileensi, dũ è tribus iam enumeratis sectis duæ, q̃ Pharisæorũ & Sadducæorũ sunt, recẽsitæ fuissent, subdit Gorion. והסידים חבק אחר i.e. *& Hasidæi, pars seu secta alia fuit. Tertiò*, q̃ de Hasideis

paulo

Universidad de Deusto
Biblioteca

paulo ante allata sunt ea, in Essenos optimè conueniunt omnia, cum & vitæ sanctimonia, & diuinarum rerum scientia, ac meditatione præstarent, ipsosque Pharisæos & Sadducæos auctoritate superarent. quemadmodum loco iam indicato explicat Iosephus copiosissimè. cum de aliis non nisi paucula perstringat. Est postremò hæc etiam in Chronologia probata Genebrardo sententia, & Scaligero lib. 6. fol. 503. Cum enim Essæos ἀπὸ τῆς ὁσιότητος, *a sanctitate* nomen ducere dixisset; subdit. *Ab aliqua igitur voce patria deductum eorum nomen, quæ ὁσιότητα significet. Et quæ alia fuerit præter* חסיוא, id est, ὅσιος, *sanctus? Vnde manifestè Græcum deriuatum vt* חסיותא, ὁσιότης *sanctitas. Itaque pobilis, minus tamen vera videtur.* non quia Græci omnes & Iosephi & Philonis & Eusebij, Epiphanij, aliorumque codices aspirationem nullam habent: sed *primo* quia Hebræi Essenos *haschonim*, vt ex Gorionide semel & iterum suprà discere licuit, appellant, à radice שנה. *Deinde*, quia similes, neque à vero abhorrentiores deriuationes afferre alias liceret. Nam Exodi 28. v. 4. 15. 30. & sæpè alias, *iudicij rationale*, quod in pectore gestabat Pontifex חשן *choshen* vocatur, & aspiratione omissa, ἰοσὴν καλεῖται, ait Iosephus lib. 3. Antiq. ca. 8. id est, *Essen vocatur*. Quam aptè fiat hinc ἰοσιεῖς aut ἰοσιῶν quasi tam sancti, tamque probi viri Esseni forent, vt nihil nisi recto iudicio, bono pectore facerent, dicerent, iudicarent? vel ij etiam essent, qui Domini iudicia & leges omnium optimè callerēt & obseruarent? Rursum verò Chaldæi. è חסינה & חסן, *chesina & chesin* est fortis & robustus Leuitici 26. Amos 2. Iud. 13. Essenis verò, cum de religione ageretur, quid fortius? quid ad labores & pericula omnia robustius? Si cui tamen origo illa placet, per me quidem, eam retineat, licet. præsertim cum ab eo, quod probare nitebar, tota sit, & ex Philone, sanctoque Chrysostomo probari possit. Ille in lib. de Theoretica vita Essenorum, ipsos ait παρωνύμως τῆς ὁσιότητος, *à sanctitate denominatos*. Hic verò homil. 44. in Acta idem hisce verbis astruit. *Essenì qui etiam* ὅσιοι *dicuntur. Hoc enim vult Essenorum nomen ab honestate.* Dum verò ab altera illa radice *Schanah* ducitur, (vt quæ Suidas, Epiphanius, aliique tradiderunt modo reticeam) Esseni videntur, quasi *secundantes*, id est, qui secundi essent ab Hasidæis, prout verti posset loco antea citato Gorionides: vel *secedentes*, à communi scilicet aliorum vita, & in solitudinem se conferentes *anachoreta*. Nam Lucæ 5. vers. 16. vbi de Domino dicitur, *Ipse autem secedebat in desertum & orabat*; Syriacus textus vertit *hou dein* משנא, *meschanne beua ledabbera vamet sabe*. Rursumque Iohan. 13. vers. 1. in illis, *Sciens* IESVS *quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem*, pro, *vt transeat*, vertitur דנשנא *danneschanne*. Vel deniq; dici possunt *haschonim*, qui vel suam, vel aliorum communem *viuendi rationem immutant*, qui *studiosi* sunt, qui notam apud Hebræos *mischnam* tractant diligentius. Est autem *mischnah*, secundaria illa diuinarum rerum doctrina, quæ non scripta à Moyse, sed ore communicata, & per seniorum, prophetarum, domus magnæ, aliorumque deinceps sapientum manus tradita & propagata fuit, vt explicat aliquoties in Thisbi Elias, & initium capitis primi è libro *Pirke auoth*. in quo etiam dicit magni ille nominis Rabbinus *Benbagbag*. *Filius, qui iam quinque annorum est, applicari debet ad Mirka* siue *ad Biblia: filius decem annorum ad Mischnah*. quæ etiam à Patribus δευτερώσεις dicitur. ideoque *haschonim* sunt οἱ δευτερωταί, qui vsitata primę litteræ mutatione vocantur etiam תנאין, *legum traditarum periti & obseruantes*, qui sunt verè *athanim*, id est, *fortes*, ait Zohar in Exodum fol. 197. *Filius verò tredecim annorum ad præcepta. Filius quindecim annorum ad Thalmud*. cuius alioqui duæ partes sunt *Mischnah* & *Gemara*. & pro alterutra sæpè generale illud nomen ponitur, vti loco citato docet Elias.

Istam igitur de Asidæorum & Essenorum vna eademque familia, vel certè admodum coniuncta, ita vt veluti totum & pars sese illi habeant; sententiam cum isto ferè modo statuissem, commodum aliunde mihi quæstionum vel erotematiorū potius Ioh. Drusij libellus affertur. Is enim quia hæreticus, illibenter quidem, quia tamen, quam plerique alij, stylo minus petulans, minus etiam illibenter mihi lectus. In eo igitur libello ita scriptum erat quæstione 47. *Ponam hic quæstionem, quæ me aliquandiu torsit. Omnino explicare me non potuissem absque Iosepo Ebræo fuisset: Nam interpretum nemo eam tangit. In silentio igitur omnium quæro, quinam dicti fuerint Asidæi, quorum mentio, 1. Machab. 7?* Et tria respondet, quorum *vnum* de etymologia, iis, quæ iam dicta, subscribit. *Duo* reliqua sic se habent: *Ante omnia moneo* inquit, *scribendum Hasidæi cum aspiratione heth. Dictos autem Hasidæos antiquitus Sapientes Israel, quos posterior ætas Pharisæos nominauit: Testis mihi vnus Gorionides, in ea historia, quam Ebraicè conscripsit de reb. Iudæorum. Capite enim nono & vigesimo libri 4. sine distinctione ponit, quos nominat sapientes Israel, Pharisæos & Hasidæos. Vide commentarij nostri, vbi explico voces noui testamenti cap. 21.* Sed cur Hebraicam aspirationem hoc in nomine tantopere flagitet, miror, cum eam & in hoc, & in aliis plurimis Græci, Latinique veteres omittere soleant. Et ipsemet *Ebræum* perpetuo, non cum aliis *Hebræum* scribat, scribique velit: Deinde, si aspiratio adhibenda, cur non ea, quam in quæstionibus Hebraicis S. Hieronymus, Græca littera χ. exprimendam monet, ipseque Drusius sub l. 3. finem agnoscit, & l. 1. quæst. 17. in *Malluach* amplectitur? vt *Chasidæi* potius q̄ *hasidæi* nominentur? Ego verò varios scribendi pronunciandique modos agnosco, & cuilibet, quē volet, in hoc, aliisq; similibus libenter concedo, vt suprà in *Asamonæi, Hasamonæi, Hasmonis* & *Chasamonæis, Machabæis, Machabæi*, aliisque pluribus, etiā Latinis. quin & *Asæos* vel *Chasæos* istos vocari posse arbitror, cum Syris

Syris vsitatum sit *Asi, Hasi*, vel *Chasi*, vt in Syriacis Apostolorum Actis patet cap. 2. & ad Romanos c. 5. postrema. *d.* litera extrita.

Quod verò Drusius Asidæos esse velit, quos posterior ætas Pharisæos vocauit, nimio plus erat. Nam quem sibi vnum testem ait. is contra ipsum, clarissimis verbis. vt suprà vidimus, testatur Gorionides. Quia tamen Basilienſem tantum editionem attuli, adiungam nunc Hebraicam alteram Ce conuenientem, illo ipso quod ab ipso laudatur, cap. 29. lib. 4. vbi cum Pharisæorum, Sadducæorumque sectas iam duas exposuit, addit. ומחסנרים לבום עסרעם חחול אחשיחם לחולק ארד id est, *& Asidæi seiuncti ab istu* (videlicet iam enumeratis Pharisæis & Sadducæis) *cum populo qui eos sequebatur; sectam aliam constituunt.* Quis suo vnquam testimonio rem vehementius apertiusque, quam Drusium suus hic testis conuicit? Qui verò de Asidæis *omnes* hactenus ait siluisse, nō iam Catholicus à me paulo ante citatus Genebrardus, sed Munsterus, contra ipsum loquatur. In editione Basilienſi Gorionidem ita vertit; *Fuit & alia Essenorum secta.* Deinde commentarium de tribus Iudaicorum philosophorum ordinibus subtexens. *Tertium*, ait, *ordinem tenebant* חשוערם *Esseni*, seu *vt quidam Hebræorum vocant* חסירים *Hasidæi*, id est, *pii, qui cuncta ad Deum redigebant, immortalem animam docebant, & iustitiam rem pretiosam, pro qua etiam vsque ad mortem pugnādum esse, prædicabant. Ipsi præter cæteros, voluptates quasi maleficia vitabant: continentiam verò seruare, neque cupiditati succumbere, virtutem maximam ducebant. Omnes illorum opes in medio erant, possidebantque omnia communia, & nihil amplius inter eos ditior fruebatur, nihil pauperior defraudabatur. Vnde & legem sibi dixerunt, vt qui disciplinam suam sectari vellent, bona contubernio publicarent. Ita enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel diuitiarum dignitas appareret, sed permixtus facultatibus velut inter fratres, vnum esset omnium patrimonium.* Alia præclara eorum institutа (licet, vti suā in vita narrat Pharisæorum altioqui sectam sequeretur) ornata vtique oratione persequitur libro Iudaici belli altero Iosephus cap. 12. eosque ne verbo quidem Christus D. reprehendisse vnquam legitur, cum Pharisæos & Sadducæos creberrimeque iustissimeque arguerit. Fuit, vt ca. 1. Iudicum docui, eorum origo perantiqua & ab iis alii quidam *Esseni* vel *Ossæi* dicti *hæretici* degenerarunt. de quibus lib. 1. S Epiphanius & Philastrius par. 1. hæresi 9. Sed iam maneat, Essenos & Assidæos solis inter se nominibus differre; & nonnulla colligamus.

Quid de ipso Assidæorum principe Iuda, deque aliis rebus, ex dictis colligendum.

A *Primò* quidem colligendum illud, quantæ in Deum religionis, quantæque virtutis Machabæus Iudas noster fuerit, qui vt suprà dictum est, hic v. 6. Assidæorum istorum Dux & Princeps, seu vt in religiosis hodie familiis vocatur, generalis Propositus fuerit. Si enim tam sancta eorum disciplina, tantò eorum alii magistratus iudicio delecti sunt, quid de summo istorum capite censendum? Sanè verò inter alia, quibus sese singuli obstringebant, iuramenta, hoc vnū fuisse refert Iosephus, si ad principatum euecherentur, se in potestatem iniuriæ nihil admissuros; se neque vestitu, neque ornatu alio vllo fore subditis ipsis splendidiores. *Alterum* esto, cur lib. 2. cap. 5. ver. 27. idem Iudas commendatus sit, quod *decimus* vel *decadarchus* fuisset. Solebant enim ii vel per decurias, quibus decani præessent, multitudinem suam distinguere, vel ex ea decem viros, quorum iudicio & auctoritate præcipua quæque gererentur, deligere: vt innuit Iosephus cum scribit: *Senioribus obtemperare & pluribus honestum existimant. Decem igitur considentibus, non loqueretur quisquam. aliis nouem inuitis.*

Tertium, cur eodem lib. 2. cap. 5. dicatur, *cùm suis ferārum more in montibus vixisse & fœni cibū edisse*, ne vllo modo Antiochicæ contaminationis participes fierent, cum essent puritatis omnis studiosissimi, quam & λευχειμαθεῖς καὶ λευκοὶ ἀεὶ id est, *albis semper vestibus vtentes* profitebantur. Deinde apud alios nullos, quam apud suæ disciplinæ homines cibum sumebant, adeo, si quis, obdelictum aliquod, ex eorum cœtu, electus fuisset, is nihilominus *poephagia* seu *solo herbarum esu*, quemadmodum notat Iosephus, vteretur, idemque alii sponte interdum sua susciperent, quemadmodum magistrum quendam suum *Banum* refert idem in vita sua Iosephus, in eremo, vestem tantum ex arboribus habuisse, cibum verò, qui è terra suapte sponte nasceretur. vt ad Asidæos etiam istos in montibus & speluncis latitantes, adeoque tenuiter ærumnosissimam vitam agentes, vel trahentes potius respicere merito videatur S. Paulus Heb. 11. vers. 37. 38. *Circuierūt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti. quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.*

Quartum. Cur lib. 2. cap. 12. *de resurrectione bene cogitare* commemoratus sit. Quia præfectis aliis infixa corroborataque maxime apud eos hæc, eodem Iosepho auctore, vigebat opinio, *corpora ipsa corrumpi; materiamque ipsis minime stabilem esse, animos verò immortales permanere perpetuo: eosdemque corporum compagibus solutos, si quidem integrè castèque vixissent, sublimes ferri, & in amentissimū, vbi neq; pluuię, neq; niues, neq; soles ardores moueant quicquam afferunt, locū demigrare. Sin verò sese vitiis & voluptatibus dedissent in tenebricosum, procellosum supplicioque refertum inferorum antrum deiici.* Et concludit Iosephus hanc *de animorum immortalitate, Theologiam*, omnibus qui eorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum sapientiam degustarint, *escam esse tenacissimam*: τάδε μὲν ὅ Εσσηνοὶ περὶ ψυχῆς θεολογοῦσιν, ἄφυκτον δέλεαρ τοῖς ἅπαξγευσαμένοις τῆς σοφίας αὐτῶν ἐγκαθιεῖσες. Quidni ergo & eadem à libri huius nostri auctore optima verissimaque Theologia inculcetur.

Quintum Cur lib. 2. cap. 14. ver. 18. Iudæ ipsius comitum virtus, animique, in periculis pro patria & religione obeundis, magnitudo plane admirabilis, hostibusque formidabilis esset. *Eorum*, inquit Iosephus, *quæ acerba, contemptores sunt: & dolores ipsos sapientibus cogitationibus superant, mortem vero, si cum gloria obtingat, immortalitate meliorem ducunt.* & exempla subiungit, quæ partim superioribus, partim secuturo Raziæ admodum consentanea sunt.

Sextum, Curvti cap. 14. lib. vers. 25. traditur, *vxorem nullam hactenus Iudas duxisse*. Essenorũ siquidem alii (Iosephum semper auctorem sequor) vxorem numquam ducebant quidem; sed nequaquam propriè. Ideoque ne ducturus quidem iam fuisset Iudas, nisi ad commune bonum & pacem Nicanoris precibus id annuendum putasset. Atque hinc illa Plinii lib. 5. cap. 17. admiratio, & laudatio. *Ab occidentali Asphaltite littore, Essenı, quos fugitant vsquequaq; nocentes. Gens sola & in toto orbe prater cateras mira sine vlla fœmina, omni venere abdicata sine pecunia, socia palmarum. Per sæculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur.* Ita ille, quem, vt in rebus etiam aliis, sublegens Iulius Solinus, cap. 44. ait, *Interiora Iudææ, quæ occidentem contuentur, Essenı tenent, qui præditi memorabili disciplina, recesserunt à ritu Gentium vniuersarum, maiestatiui veri, prouidentia ad hunc morem destinati. Nulla ibi fœmina, venere se penitus abdicant, palmis victitant, nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominum multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est, ad quem plurimi, licet vndique Gentium properant, nullus admittitur, nisi quem casti tatis fides, & innocentiæ meritum prosequatur: nam qui rem est vel leuis culpæ, quamuis fortuna ope adipisci ingressum velit, diutius submouetur. Itaque per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est, cessantibus puerperis.* Et auctor Hebraicarum Traditionum in 1. lib. Paralip. ad verba illa capitis 28. vers. *Qui præerant substantiæ & possessionibus regis, cum eunuchis. Queri potest, cur hic eunuchi ad tam grande consilium vocati esse dicantur, cum Israelitas abscindi lex prohiberet, & alienigenæ non facile possint admitti ad tam grande consilium. Tradunt Hebræi in hoc loco illos vocari eunuchos, qui ab omnibus actibus sæculi alieni orationi tantum & lectioni vacabant, quos Iosephus secundum eorum hæresin Essenos vocat.*

Septimum. Quia sunt etiam Asidæi *hasidonim*, & hasconim sunt δευτερωταὶ καὶ διδάσκαλοι, vti antea ostensum, coniicere forte liceat, cui inter veterum δευτερώσεων genera quatuor, vnum sẽper genus Asamonæis tribuat S. Epiphanius. iis, quos ad prioris libri caput secundum fol. 421. monstraui, locis. *Octauum*. Insignis Monachorum, religiosorumque nostrorum adumbratio in piis istis priscæ legis Asidæis & Essenis notati potest, sicuti ab Eusebio lib. 2. histor. cap. 16. notata, cui frustra parumque omnino sapienter irascitur li. 6. de emend. temp. Scaliger; cum etiamsi Christiani non fuissent, religiosa tamen instituta suis quibusdam moribus & actionibus adumbrare iamolim potuerint. An vero ii ipsi, qui Philonis tempore in Ægypto viuebant, ab eoque describuntur, Christiani fuerint, prout veterum plures tradiderunt, disputat contra eundem ipsum Scaligerum Tomo 1. Annalium is ipse, qui ab eo, in Castigationis Emendationis suæ Prologomenis, meritò & verè appellatur, *vir eximia doctrina præditus, Dominus Cæsar Baronius*. Ii certe nostri, qui, cum Iuda, religionem viribus omnibus tuebantur, Christiani fuerunt, Christiani inquam, quia in venturum Christum credebant, ab eo gratiam & salutem accipiebant, eo modo, quo supra ad cap. 7. lib. 2. fol. 408. & 417. ex D. Augustino Machabæi Martyres, Christiani appellebantur. Effundit vero etiam idem Scaliger stomachum suum vehementius in Ateopagitam Dionysium, & in Monachos, quorum aliqui cum à veteribus *Mandrita & Archimandritæ* vocentur; ipse per sarcasmum, irridens, *sanè* ait lib. 6. *mandræ nomine agmen bestiarum vocatum fuisse, nemo paulo doctior ignorat. Cur suos Monachos eo nomine dictos voluerint, ipsi viderint. Nam ego nescio.* Nisi affirmaret, vix credere auderem, eum, qui *super æthera scala Admissus Iouu arcanis*, nescire *mandras* etiam vocari speluncas, humilesque casas, vt Iudith. 2. fol. 165. in quibus quia magni illi mundanarum rerum contemptores philosophabantur, ideo *mandritarum nomine* insigniti sunt. Nam & S. Paulus sanctos illos, *quibus dignus non erat mundus*, laudat, quod ἐν ἐρημίαις, ἐν ὄρεσι, σπηλαίοις, καὶ ταῖς ὀπαῖς τῆς γῆς *in eremis, montibus, speluncis & terræ cauernis* habitarint. Nonne vero, idem ipse Regum Principumque, iisdem buccis, cachinnorem ageret, quod suas à pecudibus ii *aulas* mutuati sint? Multa de hoc in Cyropædiæ librum quintum, eorum apud quos iam Scaliger versatur, confors Henricus Stephanus fol. 27. *Accerte* ait, *sæpe hæc animum meum cogitatio atque admiratio subiit, qui factum fuerit, vt cum Reges appellationem Homericam, quæ Pastores vocabantur, dedignati essent, postea tandem palatia sua αὐλὰς*, id est, *caulas, vocari passi fuerint*. Hæc ille: Nos è mandris & aulis, rursum, cum Iuda, in solem.

De alte-

De altero post Bacchidem, Demetrii Regis Duce, Nicanore.

E Capite VII. Libri I.

26 ET misit rex Nicanorem, vnum ex principibus suis nobilioribus, qui erat inimicitias exercens contra Israel: & mandauit ei euertere populum.
27 Et venit Nicanor in Ierusalem cum exercitu magno, & misit ad Iudam & ad fratres eius verbis pacificis cum dolo,
28 dicens: Non sit pugna inter me & vos: veniam cum viris paucis, vt videam facies vestras cum pace.
29 Et venit ad Iudam, & salutauerunt se inuicem pacificè, & hostes parati erant rapere Iudam.
30 Et innotuit sermo Iudæ, quoniam cum dolo venerat ad eum, & contritus est ab eo, & amplius noluit videre faciem eius.
31 Et cognouit Nicanor quoniam denudatum est consilium eius: & exiuit obuiam Iudæ in pugnam iuxta Capharsalama.
32 Et ceciderunt de Nicanoris exercitu fere quinque millia viri, & fugerunt in ciuitatem Dauid.
33 Et post hæc verba ascendit Nicanor in montem Sion, & exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace, & demonstrare ei holocaustomata, quæ offerebantur pro rege.
34 Et irridens spreuit eos, & polluit: & locutus est superbe.
35 Et iratus est cum ira dicens: Nisi traditus fuerit Iudas, & exercitus eius in manus meas: cõtinuo cũ regressus fuero in pace. succendam domum istam. Et exiuit cũ ira magnã.
36 et intrauerunt sacerdotes, & steterunt ante faciem altaris & templi: & flentes dixerunt:
37 Tu domine elegisti domum istam ad inuocandum nomen tuum in ea, vt esset domus orationis, & obsecrationi populo tuo.
38 Fac vindictam in homine isto, & exercitu eius, & cadant in gladio: mementò blasphemiæ eorum, & ne dederis eis vt permaneant.

E Capite XIV. Libri II.

12 QVi (Rex) statim Nicanorem præpositum elephantorum ducem misit in Iudæam.
13 Datis mandatis vt ipsum quidẽ Iudam caperet: eos vero, & qui cum illo erant, dispergeret, & constitueret Alcimum maximum templi summum sacerdotem.
14 Tunc gentes, quæ de Iudæa fugerant Iudam, gregatim se Nicanori miscebãt miserias & clades Iudæorum, prosperitates rerum suarum existimantes.
15 Audito itaque Iudas Nicanoris aduentu, & conuentu nationum, conspersit terram rogabant eum, qui populum suum cõstituit, vt in æternum custodiret, quique suam portionem signis euidentibus protegit.
16 Imperante autem duce, statim inde mouerunt, conuenerunt que ad castellum Dessau.
17 Simon vero frater Iudæ commiserat cũ Nicanore: sed conterritus est repentino aduentu aduersariorum.
18 Nicanor tamen audiens virtutem comitum Iudæ, & animi magnitudinem, quã pro patria certaminibus habebant, sanguine iudicium facere metuebat.
19 Quamobrem præmisit Posidonium, & Theodotium, & Matthiam, vt darent dextras, atque acciperent.
20 Et cunctis de his consilium ageretur, & ipse dux ad multitudinem retulisset, omnium vna fuit sententia amicitias amnuere.
21 Itaq; diem constituerunt, qua secretò inter se agerent: & singulis sellæ prolatæ sunt, & positæ.
22 Præcipit autem Iudas armatos esse locis opportunis, ne forte ab hostibus repente mali aliquid oriretur: & congruum colloquium fecerunt.
23 Morabatur autem Nicanor Ierosolymis nihilque iniquè agebat, gregesq; turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimisit.
24 Habebat autem Iudam semper charũ ex animo, & erat viro inclinatus.
25 Rogauitque eum ducere vxorem, filiosque procreare. Nuptias fecit, quiete egit, communiterque viuebant.
26 Alcimus autem, videns charitatem illorum adinuicem, & conuentiones, venit ad Demetrium, & dicebat Nicanorem rebus alienis assentire, Iudamque regni insidiatorem successorem sibi destinasse.
27 Itaque rex exasperatus, & pessimis huius criminationibus irritatus, scripsit Nicanori, dicens graviter quidem se ferre de amicitiæ conuentione, iubere tamen Machabæum citius vinctum mittere Antiochiam.
28 Quibus cognitis, Nicanor consternebatur, & grauiter ferebat, si ea, quæ conuenerant irrita faceret, nihil læsus à viro.
29 sed quia ei resistere nõ poterat, opportunitatẽ obsecundabat, qua præceptum perficeret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

30 *At Machabæus videns secum austerius*
agere Nicanorem, & consuetum occur-
sum ferocius exhibentem, intelligens non
ex bono esse austeritatem istam, paucis su-
orum congregatis, occultauit se à Nica-
nore.

31 *Quod cum ille cognouit fortiter se à vi-*
ro præuentum, venit ad maximum &
sanctissimum templum: & sacerdotibus
solitas hostiæ offerentibus, iussit sibi tra-
di virum.

32 *Quibus cum iuramento dicentibus ne-*
scire se vbi esset qui quærebatur, exten-
dens manum ad templum.

33 *inrauit, dicens: Nisi Iudam mihi vin-*
ctum tradideritis, istud Dei fanum in
planitiem deducam, & altare effodiam,
& templum hoc Libero patri consecrabo.

34 *Et his dictis abiit. Sacerdotes autē pre-*
tēdentes manus in cœlū inuocabant eum
qui semper propugnator esset gentis ipso-
rum, hæc dicentes:

35 *Tu Domine vniuersorum, qui nullius*
indiges, voluisti templum habitationis
tuæ fieri in nobis.

36 *Et nunc sancte sanctorum, omnium Do-*
mine, conserua in æternum impollutam
domum istam, quæ nuper mundata est.

37 *Razias autem quidam de senioribus ab*
Ierosolymis delatus est Nicanori, vir
amator ciuitatis, & bene audiens, qui pro
affectu, Pater Iudæorum appellabatur.

38 *Hic multis temporibus continentia pro-*
positum tenuit in Iudaismo corpus, & a-
nimā tradere cōtentus pro per seuerātia.

39 *Volens autem Nicanor manifestare o-*
dium, quod habebat in Iudæos, misit mi-
lites quingentos, vt eum comprehenderēt.

40 *Putabant enim, si illum decepissent, sese*
cladem Iudæis maximam illaturum.

41 *Turbis autem irruere in domum eius,*
& ianuam disrumpere, atque ignem ad-
mouere cupientibus, cum iam comprehē-
deretur, gladio se petiit;

42 *eligens nobiliter mori potius, quam sub-*
ditus fieri peccatoribus, & contra nata-
les suos indignis iniuriis agi.

43 *Sed cum per festinationem non certo i-*
ctu plagam dedisset, & turbæ intra ostia
irrumperent, recurrens audacter ad mu-
rum præcipitauit semetipsum viriliter in
turbas:

44 *Quibus velociter locum dantibus casui*
eius, venit per mediam cerucem:

45 *& cum adhuc spiraret accensus animo*
surrexit: & cum sanguis eius magno flu-
xu deflueret, & grauissimis vulneribus
esset saucius, cursu turbam pertransit:

46 *& stans supra quandam petram præru-*
ptam, & iam exanguis effectus, comple-
xus intestina sua, vtrisque manibus pro-
iecit super turbas, inuocans dominato-
rem vitæ ac spiritus, vt hæc illi iterū red-
deret, atque ita vita defunctus est.

COMMENTARIVS.

MIsit postea Demetrius Rex Nicanorem cap. 7. ver. 26. c. 14. v. 12. Is à Iosepho dicitur, cum Demetrio ipso, Roma venisse, quasi alius sit ab illo, de quo in Epiphanis ducibus. Infestus erat Iudæis primò & Simonem vicit, Iudam vero extimuit; sed postea cum eo fœdus iniit, eiusque virtute ita captus est, vt charissimum habuerit, eique ad stirpem propagandam nuptias suaderet, vbi nostro in textu ver. 25. legendum non *comiter*, sed, *communiter*, non *viuebant*, sed *viuebat*, id est, communem vitam degebat. Nam in Græcis est. ἐχρήματιζεν, ἐυαρέστησεν, ἐκοινώνησε βίῳ. At dicet forte quispiam videri Iudam à suscepto Asidæorum instituto discedere, qui vxorem duceat, vitamque iam quietam & communem sectetur; non illam illius disciplinæ laboriosam, seueram, & propriam. Ira sane cuipiam verba hæc sonare videntur. Sed eorum longe alia sententia est. Nam, vt de nuptiis, quas ab Essenis, si qui volnissent, rite iniri potuisse, superior planum fecit oratio; nihil respondeam; cum dicitur in Latino textu *quiete Iudas egisse*, valet, ipsum sese nihil commouisse, nihil à pristina viuendi ratione deflexisse: sed firme constanterque in eadem illa deinceps steriisse. Hæc enim vis Græco verbo τῷ ἡυσταθεῖν, subiecta est. Quemadmodum & apud Homerum Odyss. 5. ædes firmæ, stabilique fundamento nixæ dicuntur μέγαρον ἐυσταθὲς: & ἕδος. Et Sapientiæ cap. 6. ἐυστάθια firmitas & stabilimentum est, itemque apud Plutarchum in Demetrio. *Communis* vero *vita* ea hoc loco dicitur, quæ Essenorum propria erat, quod essent inter eos vt supra dictum est, omnia communia; nihilque omnino facultatum & possessionum proprium quisquam haberet. Vnde quemadmodum hic τὸ κοινωνεῖν est, sic in præclara illa, quæ κοινωνικὸν. Isto igitur modo *quiete* seu *constanter* egit Iudas, *communiterque vixit*. Philo sanè duo Essenorum genera fuisse docet, quorum alii essent κοινόβιοι *communem vitam agentes*, prout de vetere itidem ἕ κοινοβίᾳ more tradit lib. 1. cap. 9. Aul. Gellius. & alii μονάζοντες vel μονόβιοι & illorum vitam persequitur libro, *quod omnis vir bonus* sit *liber*; horum vero libro *de Theoretica vita Essenorum*. Interdū *vita cōmunis*, Ethnica est & polluta, vti de cibis supra: & sic loquitur Iosephus li. 13. cap. 1. E nuptiis istis filium accepisse, affirmat lib. 3 c. 21. Gorionides, cui tamen assentire vix possum. quia neq; ibi, neq; vnquam postea illam filii huius mētionē video. At in Magistratibus, in Sacer-

Sacerdotij successione, in genealogiis, quomodo tam tacitè, tam laudati viri soboles præterierint? nisi fortè præpropera morte sublatum quis fingat. Deinde verò accipiebāt quidem vxores Esseni, sed antequam solenni eas modo ducerent, earum fœcunditatem triennio toto probabant, vti narrat Iosephus. At sequens annus Iudam nostram abstulit. Quos verò v. 22. iussit esse armatos, erant, vt ibidem à Gorionide dicitur, *Hasmonæi*. Quia porrò vers. 20. legerat S. Thomas *sacra agebat*, pro eo, quod in correcto nostro textu est *satis agebat*, vel *satagebat* multum, vt cui sacra fecerit Alcimus, explicaret. fatigit, Græcus textus cum lectione nostra penitus congruit, sed paulò clarius indicat, contendisse Alcimum magnopere, vt Machabæis Pontificatum extorqueret, sibique vendicaret, sed frustrà τὴν ἱερωσύνην ἐζήτει τῆς ἀρχιερωσύνης. *Decertabat*, ait, *pro summo sacerdotio*: neque tamen quidquam obtinuit. Ideoque pe. vetus legitimusque Pontifex mansit Iudas, quidquid tandem Pseudopapa iste molitus sit.

Tandem ab Alcimo de ista in Iudam beneuolentia Nicanor accusatus, ad ingenium rediit, & sicuti Philistæi Samsonem Iudic. 15. vers. 10. ita & iste sibi Iudam tradi petiit, diris sacerdotibus, ni facerent, & templo minitatus. Vbi nota *duo. Primum*, pro gentili Rege sacrificia esse oblata, vt etiam suprà lib. 2. cap. 3. vers. 32. & infrà lib 1. cap. 12. ver. 11. sicuti & in Esdra, cap. 6. ver. 10. Idque vetusto semper more apud Iudæos viguisse docent eorum doctissimi contra seditiosum Ananiæ Pontificis filium Eleazarum apud Iosephum lib. 2. Capriu. 30. & 31. Viguit quoque apud veteres Christianos idem institutum, vt ex Clemente lib. 8. Constit. cap. 15. & sequentibus perspicuum, ex Cœlestini primi epistola 1. cap. 11. S. Chrysostomo homil. 77. in Iohannem, Tertulliano ad Scapulam *Sacrificamus*, ait, *pro salute Imperatoris* qui eo tamen tempore Gentilis erat, potestque confirmari ex Arnobio sub finem libri 4. contra Gentes, & omnium optimè ex D. Paulo 1. Timoth 2 ver. 2. vt eum locum explicat D. Augustinus epist. 59. D. Prosper de vocat. cap. 4. Videatur Soarez Tomo 3 disput. 78. sect. 2. Scitè verò Hananias capite 3. libro Pirke auoth; *Ora*, inquit, *pro pace regni. Nisi enim Magistratuum metus alterum alterum viuum deuoraret.* Cur verò Nicanor vers. 33. non *ho.*, sed *hic.* (nam Græcè est ὁ τοῦτο, etsi eadem semper sententia videatur) se templum consecraturum dicat, causa quædam antea lib. 2. ca. 6. dicta. Adde, quod erant isti Reges & Principes violenti, vt Antiochus Magnus & Epimanes, Lætitiæ inanis auidi vt Demetrius Poliorcetes apud Plutarchum. Oratio porro sacerdotum vers. 35. sic loco citato à Gorione refertur. DEVS *qui habitasti in domo ista à diebus antiquis vsque nunc, vbi est solium tuum, & scabellum pedum tuorum atque omnis cultus tuus. En Nicanor impleuit cor suum, vt blasphemare ausus fuerit domum tuam & sanctissimum sanctuarium tuum; sume quæso vindictam, vt sciant cunctæ gentes, quod quia locutus est stultitiam, ideò moriatur sit sicut Nabal.*

De seniore Razia seipsum interimente.

RAZIAS iste in Græco ῥαζὶς vocatur, à D. Augustino epist. 61. *Razius*, à Gorionide libro cir. cap. 22. *Ricasius*. cuius *sextuplex* hoc loco vel descriptio vel *commēdatio* traditur. *Prima*, quod è senoribus, siue senatoribus Hierosolymitanis erat; ideoque infrà v. 42. magnis clarisque natalibus ortus ostenditur. *Altera*, quod boni communis amator. Hoc enim valet ὁ φιλοπολίτης, siue vti amator ciuitatis. *Tertia*, quod apud omnes bene audiret. *Quarta*, quod beneuolentiæ suæ in patriam ratione, siue pro bono in illam, adeoque in omnes affectu, Parer Iudæorū appellaretur. *Quinta*, quod prioribus illis calamitosissimis temporibus, quibus à vera DEI religione, Patrumque institutis plerique defecerunt, seque Gentilium impuritatibus miscuerunt, ab iis sese iste continuerit, purum integrumque semper seruarit. In Græco tamen ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις κρίσιν ἐσχηκὼς ἀποστασίας καὶ Ἰουδαισμοῦ vertit potest, prioribus temporibus in iudicium est ob Iudaismum vocatus. siue actio ei, ob Iudaicæ religionis defensionem & zelum, intenta est. quasi apud Antiochum Regem, eiusque Duces eo nomine accusatus olim fuerit, quod religionem acrius & conseruaret ipse, & conseruandam aliis ostenderet. Vertit noua translatio, eum in se Iudaismi specimen edidisse. sed κρίσιν ἐσχηκέναι portius est, ad tribunal accersi, iudicioque postulari. *Sexta*, quod corpus & animam, pro perseuerantia, tradere contentus fuerit. Græcè verò σῶμα καὶ ψυχὴν ὑπὲρ τοῦ Ἰουδαισμοῦ προβαλόμενον τῇ μὲν πάσης ἐκτενείᾳ. corpus & animam pro Iudaismo, cum animi voluntate maxima, siue contentione summa obiecit. Adiecit Gorionides loco citato, ex Hasidæorum eum numero fuisse, vt præclara eius sanctitas magis demonstretur. *Septima*, denique, tantus ac talis fortunæ animique bonis erat, vt eo expugnato, Iudæos vnà omnes expugnatos putaret Nicanor, vti dicitur vers. 40. vbi legi posset, non *decepisset* sed *cepisset*, cum sit in Græco vox συλλαβεῖν, quæ superiore versu, per *comprehendere*, versa fuit. Subditur, quam tot libuisse modis intulit, mirabilis mors. & quod v. 44. dicitur venisse *per mediam cerucem*, intelligunt ex Græco quidam, per turbæ medium, in ventrem aut latus cecidisse. Sed Græcè tamen scribitur κλῆσις κατὰ μέσον τὸν κοιλῶνα. *venit per medium ventrem*, aut, *per vacuum in spatium*. D. Augustinus cap. 23. libro 2. contra Gaudentij epistolam, huc spectans, de eo ait; *se in cerucem præcipitem dedit.* Per mediam igitur cerucem venit, dum sese volutando, & capite connitendo, in vacuum eū locum deuenit, vnde surrexit & per mediam turbam excurrit. Sed peruetus quæstio est,

Universidad de Deusto Biblioteca

An, seipsum interficiendo, peccarit Razias hic?

FVIT D. Augustini temporibus, è Donatistarum secta, genus hominum, qui *Circumcelliones* dicebantur. *Genus hominum*, inquit D. Augustinus libro de hæresibus, hæresi 69. *agreste, & famosissima audaciæ, non solum in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eâdem insana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maximè præcipitiorum, & aquarum, & ignium, seipsos necare consuerunt, & in istum furorem, alios, quos potuerint, sexus vtriusque seducere, aliquando, vt occidãtur ab aliis, mortem nisi fecerint, comminantes.* Et hi tãtæ suæ vesaniæ, cum, vt hæreticis mos est; aliquod è scripturis velum speciemque conquirerent, cœperunt isto Raziæ facto abuti, vt ostendit idem D. Augustinus epistola 61. & libro 2. contra Gaudentium cap. 20. Quid igitur, in tanti momenti re, D. Augustinus? Si quæ nostri huius æui Sectariis est, mens ei læuior fuisset, vnico pænè verbulo, totum hoc exemplum profligasset. *E libro*, dixisset, *apocrypho est, non habent summam, de qua Christianis laborandum sit, alia qualibet historiæ auctoritatem. Nego in Canonicis vllis scripturis vllum, qui se occiderit, Raziam inueniri.* At non ita doctissimorum iste Patrũ doctissimus. Sed aliud quidlibet potius respõdet, mauult Raziam ipsum quàm de ipso librum damnare, è beatorum ipsum hominum catalogo, quàm eam ex authenticarum scripturarum canone historiam detrahere. Cum igitur ille omnium primò ad hoc exemplum responderet in epistola illa citata, dicit; *Veruntamen, quod fatendum, de isto Razio seniore, quem summa exemplorum inopia coartati se in Machabæorum libris, quasi ad authoritatem sceleris quo se ipsos perdunt, perscrutatis omnibus ecclesiasticis authoritatibus, vix aliquando inuenisse gloriantur, adhoc eis nunquam respõdisse me recolo: sed quod tuæ charitati & prudentibus quibusque sufficiat ad istos redarguẽdos, si ad vitam Christianorum de Iudæa gente atque illis litteris parati sunt omnium sanctorum exempla transferre, tunc & hoc transferent: Si autem illic sunt plurima eorum quoque hominum, qui litterarũ illarum veritate laudati sunt, vel huic iam tempori non conuenientia, vel etiam illo tempore non rectè facta, tale etiam hoc est quod in se ipsum Razias iste commisit: qui cum esset & apud suos nobilis, & multum in Iudaismo profecisset, quæ sibi in comparatione iustitiæ Christianæ, damna & stercora fuisse dicit Apostolus: & propter hoc idem Razias, Iudæorũ pater appellatur, quid mirum est, si tanquam homini elatio superba subrepsit, vt mallet manu propria perimi, quã post illam in suorum aspectibus celsitudinem sustinere indignam in hostium manibus seruitutem? Solent in litteris Gentilium ista laudari. In his autem Machabæorum libris, quamuis homo ipse fuerit laudatus, factum tamen eius narratum est non laudatum, & iudicandum quam imitandum, quasi ante oculos constitutum: nõ sanè nostro iudicio iudicandum, quod nos vt homines habere possemus, sed iudicio doctrinæ sobriæ, quæ in ipsis quoq; libris veteribus data est.* In ipso autem contra Gaudentij epistolam, opere, libro 2. ca. 23. multo & operosius, & copiosius responsum adhibet. *Primò* enim malè Raziam fecisse affirmat. *Senior*, ait, *ille Razias, quem sibi isti exemplis sui sceleris destituti, de Machabæorum libris tanquam imitandum se inuenisse gloriantur, hoc facere debuit quod in eisdem litteris leguntur septem illi fratres etiam exhortante matre fecisse, vt comprehensus, & a lege Domini sui non auersus, omne quod illi applicitum esset; acciperet, & in dolore sustineret, & in humilitate sua patientiam haberet, quod circa humilitatem inter manus inimicorum non valens ferre, non planè sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non* CHRISTI *martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum. Deinde*, etiamsi benè fecisset, eius tamen exemplo docet nihil adiuuari Circumcellionum insaniam; quod se iste occiderit, cum fugere nullo modo posset, cumque spiritu minimè infirmus, sed promptus & fortis admodum esset. *Illius qui se gladio grauiter vulnerauit, qui vulneratus murum petijt, qui se inde in ceruicem præcipitem dedit, qui & postea potuit ad petram currere, in petra stare, intestina educere, carpere spargere, nunquid dici potest spiritus promptus, caro autem infirma, cuius non solum spiritus tam promptus apparuit, sed etiam caro tam firma, vt vix credibile sit eum facere voluisse ac valuisse quæ fecit? Tertiò*, cum in scripturis quidem laudari, non tamen ob illatam sibiipsi mortem, sed ob alias quaspiam res, quæ tamen verè bonæ, ad æternamque salutem propriè pertinentes non sint. *At enim sanctarum scripturarum authoritate laudatus est Razias. Quomodo laudatus? Quia fuit amator ciuitatis. Hoc potuit & carnaliter, ciuitatis scilicet illius terrenæ Hierusalem, quæ seruit cum filiis suis, non autem illius quæ sursum liberæ matris. Laudatus est quia continentiam seruauit in Iudaismo: & hæc sibi in comparatione iustitiæ Christianæ damna & stercora fuisse dicit Apostolus: Laudatus est quia pater Iudæorum appellabatur: hoc magis est, vnde illi tanquam homini subrepsit humilitatis impatiẽtia, vt prius mori vellet quam hostibus subiici. Dictum est quod elegerit nobiliter mori: melius vellet humiliter, si enim viliter. Illis autem verbis historia gentium laudare consueuit, sed viros fortes huius sæculi, non martyres* CHRISTI. *Dictum est, quod se viriliter de muro præcipitauit in turbas, nec nos dicimus eum hoc fecisse muliebriter, quanquam vos qui multum exemplo isto profecistis, etiam fœminas vestras hoc facere docuistis. Sed fatemur etiam ipsum hoc non facere muliebriter, sed viriliter, non tamen salubriter, quia non fideliter. Ad extremum quod inuocasse dictus est dominatorem vitæ ac spiritus, vt hæc illi iterum redderet, id est vitam & spiritum, nec tunc aliquid proposuit quo boni discernuntur à malis. Reddet enim hæc* DEVS *& his qui male egerunt, non in resurrectione vitæ æternæ, sed in resurrectione iudicij æterni. Quartò*, probanda quidem omnia, sed non imitanda omnia. *Quintò*, scripturam istam esse quidem ab Ecclesia receptam, sobriè tamen legendam vel audiendam, prout in Præloquio 3. exposui fol. 368. *Sextò*, etiamsi malè Razias egerit, eius tamen exemplum nobis prodesse, vt vel sic ratiocinemur. Si à seipso tan-

taille

ta ille passus est, quanta pro DEO ab aliis pati nos conuenit? *Septimò, & vltimò*, non omnia, quæ etiam à scriptura laudati homines fecerunt, laudata vel imitanda esse, vt in quibusdam peccatis patet, Dauidis, Salomonis, Petri, Noæ, Iudæ Patriarchæ & Samsonis. Indicat sanè tam varia, multiplex & accurata disputatio, quanta libri huius apud illius temporis Ecclesiam auctoritas fuerit, cum alioquin, ob rei difficultatem, illum subitò exsibilare, ac repudiare non difficulter potuisset, omninoque, vt apparet, voluisset. Ita igitur de voluntaria ista Raziæ morte sensit iis locis Diuus Augustinus, quem & alij posteà, & in primis D. Thom. secutus est 2.2. quæst. 64. a. 5. ad 5.

Qui subtiliorem tamen in Hispania Theologiam vel excitauit, vel restaurauit Franciscus Victoria, relectione de homicidio, existimat de Razia etiam isto dici posse, quod ab eodem D. Augustino, & loco contra Gaudentium iam memorato, & lib. 1. de ciuitate DEI cap. 21. de Samsone dictum est, peculiari DEI scilicet instinctu eum sibiipsi vim attulisse. *Spiritus*, ait, *hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat.* itemque cap. 26. vbi & concedit virginibus quibusdam, *quæ vt insectores suæ pudicitiæ deuitarent, in rapturum atque necaturum se flumen proiecerunt.* imò cum generatim tradat, consciscere sibi mortem debere neminem, generatim semper eos excipit, quos *specialiter* DEVS moueret. *Qui*, ait, *audit non licere se occidere, faciat, si iussit, cuius non licet iussa contemnere. Vnde punitur, si fecerit iniussus, inde punietur, nisi fecerit iussus.* Illud vnum tamen rectissimè admonet, nõ debere huc quemquam prosilire, nisi minimè fallaciter, obscure, ambiguè, sed certò, apertè, liquideque cognoscat specialem hanc DEI voluntatem & iussionem. *Tantummodo*, ait, *videat, an diuina iussio nullo nutet incerto.* Quia verò intimis animi recessibus inclusa hæc peculiaris DEI iussio est, & nos, vt ibidem ait, Augustinus, *occultorum nobis iudicium non vsurpamus*, (nam 1. Cor. 2. *Nemo scit quid agatur in homine nisi spiritus hominis, qui in ipso est*) ideo coniecturis hic agendum, & exquirendum, an argumenta vlla sint, quæ, vt non nisi summi imperatoris iussu, è vitæ statione Raziam discessisse arbitremur, nos adducant. Sunt autem apud laudatum iam Theologum ista.

Primum. Erat Razias pius & prudens admodum: neque mentis impos iam factus erat, quin domi suæ impetum istum repentinum ignorans, sanus & sapiens commorabatur. Quomodo igitur ad tam imprudens, tamquam sceleratum subitò facinus aggrederetur? *Deinde*, si à Nicanore viuus caperetur, non tam ipsius, quam populi totius negocium agi videbatur v. 40. vt suprà dictum. *Tertiò*, ipse iamiam moriturus, DEVM piè admodum orauit, suumque ipsi spiritum commendauit. Quomodo igitur ab illo ipso sese impulsum, ad mortemque istam commotum non intelligeret? Possunt & adiici alia. *Tot* hactenus annos, pro religione, tam fortiter acriterque decertarat. pro ea calumnias, accusationesque graues, absque dubio mulctas etiam & condemnationes nonnullas perpessus erat, &, vt breuiter vers. 38. notatum est, pro sancto patrioque DEI cultu, corpus & animam tradere paratus semper fuerat, & etiamnum erat. Quomodo igitur, nulla, de qua quidem pronunciare liceat; grauiore præeunte culpa, ita subito à DEO desereretur, in tantumque prolabi facinus permitteretur? Ipsa *insuper* scriptura, ita hunc eius è vita discessum describit, vt omnino laudare videatur, cum & eius principium & extremum, religionem semper faciat. Ob hanc enim captus est: ex hac DEVM precari non destitit. Et vbiq; nomina, verba, & aduerbia, quæ laudationis aliquid habeant, interserit: nullam verò omninò particulam, quæ vituperet aut reprehendat. Cum suprà lib. 2. cap. 20. vers. 13. haustum sponte à Ptolemæo venenum scriberetur, præterquam quòd Gentilis erat, eius etiam facti vituperatio à Græco textu adiuncta est, prout ibi audiuimus fol. 448. Nihil hic istiusmodi. *Conferatur* & hæc mortis huius descriptio cum Samsonis morte Iudicum 16. v. 29. & 30. plus hic laudationis apparebit. adeo, vt nisi Spiritus sanctus bonam sanctamque Samsonis mentem mortemque alibi patefecisset Hebr. 11. argumentorum pro eo vel minus, vel, certè vix quidquam plus è textu illo, suppeditaret. Mihi autem & *postremò* illud non paruum argumentum videtur, quòd, vt peccati Raziam conuincat, nullam è textu rationem affert D. Augustinus, sed tantùm generatim quid secundum *communem* scilicet regulam, non secundum *specialem* Spiritus sancti afflatum, de quo quærimus; facere debuerit, vrget. quodque præterea minus aptè ipsius laudes obterere studeat. Etsi enim signatè non dicatur, ideo laudandus, quod sua sibi manu mortem afferat, eo tamen modo narratio tota instituitur, vt quemadmodum supra dixi, ab eo, qui laudare vellet, vix in simplici minimeque oratoria oratione laudari aliter posset. Esto tamen signatè non laudetur, signatè num vituperatur?

Sed iam consideremus, quemadmodum in eorum, quæ ex ipso recensui septem, tertio, sex potissimum Raziæ laudationes idem sanctus eleuet. *Primò* ciuitatem amare *potuit*, ait, *& carnaliter, ciuitatis videlicet illius terrenæ Hierusalem amator.* At non lapides, ligna, cæteramque vrbis huius materiam aut figuram tantùm amabat Razias, verum, & multo quidem magis, etiam communitatem ipsam, statum, religionem & sacra omnia, prout per *Iudaismi* vocem postea significatur. *Secundò, continentiam* in Iudaismo, comparatione iustitiæ Christianæ, damna & stercora fuisse dicit Apostolus. Nimium angustè *continentiam* sumere videtur hoc loco sanctus. eum, vt supra vidimus, valeat, constantem fuisse in DEI cultu, non defecisse ad idola, non Ioues & Bacchos adorasse. An hoc Apostolo tam vile, & non potius nudæ illæ Iudaismi cæremoniæ? *Tertio*, quòd Pater Iudæorum appellaretur, hoc illi potius impatientiæ, superbiæque occasio fuit, ne hostibus subiiceretur. Potest

 imperito,

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperito, vel incauto è quolibet fere corporis, fortunæ, famæ, animique bono superbiæ ansa esse. sed non quid esse potuerit, sed quid fuerit, hac in quæstione quæritur. Et verò non simpliciter hominis etiam fortassis magna peccati occasio obtruderetur, vela Dei sacris discessisse apud populum fingeretur. *Quartò. Melius elegisset humiliter mori, quam nobiliter.* v. 42. At possum tristia duo connecti, vt & *nobiliter*, & *humiliter* moriatur quispiam. Qui enim generosè, vel nobilibus splendidisq; maioribus conuenienter pro iustitia & religione mortui vmquam fuat martyres, ij etiam simul huiusmodi morte ipsa defuncti sunt. Et eodem pertinet *quintum* illud, quòd *viriliter* vers. 43. sese præ- *inuocasse dictus est, donatorem vitæ ac spiritus, vt hac illi iterum redderet*, id est, *vitam & spiritum, nec resurrectione vitæ æternæ, sed in resurrectione iudicij æterni.* Sed ita ista disputantur, quasi simpliciter *vi-* intelligi hoc soleat, vt cum ait Iob 19. v. 26. *Rursum circumdabor pelle mea.* Non & sua pelle circumdaverò oportuisse Raziam facere, dicit eiusdem capitis initio Augustinus, *quod in eisdem litteris legun-* quod & piis & impiis commune sit, dicere quiddam videtur? *Ab ipso* Deo *mea ea* (linguam & manus) *recepturum spero.* Nonne & mater vers. 23. *Qui omnium inuenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet, & vitam.* Omninò verò videtur Dominus Deus voluisse, vt quàm ab idolatria, omnique impiorum consuetudine abhorrendum esset, hoc etiam mortis genere in omnium conspectu, monstraretur, cum per Eleazarum & Machabæos fratres, aliis idem modis deguistini capitibus, primum & tertium viro illi nihil officere arbitrabitur, quinque cætera libentissimus amplectetur, & omnia Circumcellionibus sapienter illo tempore opposita iudicabit.

Quintum verò, quod vt sobriè hoc exemplum legatur, monet, alta est mente reponendum. Fuerunt enim semper, quibus scelus nullum, quin & virtus videretur, vitam sibiipsi quandoque abrumpere. & in his Stoicus Seneca epistola 12. 17. 24. 58. 59. 70. 71. 78. & ex eodem Stoa alij, quibus Cicero, lib. 1. epist. 12. & 22. Plinius. Indorumque nonnullis eadem opinatio fuit apud Curtium lib. 8. & aliis apud Hyginum, & Iudæorum. aliquibus apud Iosephum lib. 12. cap. 5. lib. 15. cap. 3. & lib. 3. Capt. 19. vbi hoc ipsum reprehendit, prout etiam fecerunt Gentiles, qui, vt apud Festum est, tales appellabant *carnifices*, eorumque in charistus & parentalibus nomina non ciebant, vt apud Artemidorum est li. 1. Et quemadmodum suprà etiam monebam, abiecti pusillique animi ἀυτοφονίαν & ἀυτοχειρίαν esse, id est, sui ipsius carnificinam docuit Nicomachiorum lib. 5. Aristoteles cap. 7. & apud Euripidem ille, qui dicit:

Τὸν αὐτοφονέα δεῖ σε γῆς ἐκβάλλειν
ἀδ' ἀνδρὸς ἄν δυσκλεᾶ θανεῖν βίᾳ.

Et Latinus Poëta dum mœrore squalidos tales inferis addicit, dicens:

Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu. lucemq; perosi
Proiecere animas. Quàm vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.

Sed è nostris legantur Lactantius lib. 3. cap. 18. D. Augustinus 1. de ciuitate Dei cap. 19. 20. 22. 23.

Atque ista, opinor, suspexit, voluitque litteratissimus ille Lipsius, ne cui eius forte pro Stoicis, disputatiuncula fraudi fit; cum in Cent. 3. epist. 26. scriberet. *Quæris*, ait, *an sapienti fas aut ius conscisce sibi mortem? Olim id disputarum, nunc decisum. & scis quid hac in re statuant religionis nostræ leges, quas improbe solicitemus.* Et postea. *Nihil desinto (absit, absit) præter desueta piu, sapientibusq, viris.* Ideoque popularis illa quidem, falsa tamen similitudo est, dum ait. *Vt in domo conductitia si habitem, nihil pecco, si paulum ex eam ante diem pensionis: ita hic videtur.* Falsa inquam similitudo est. quia ante pensionis diem, è domo illa exire, est suo ipsius iure cedere, nullique iniuriam inferre, nullius leges perumpere. At qui citius quam à Deo iubeatur; è vita propetat, in alienum ipse ius, quod penes rempublicam, & Deum ipsum est; inuadit, iis iniuriam facit; naturæ, Deique leges violat. Diuus porro Thomas hoc loco, posteriorem etiam de Razia opinionem non improbare videtur.

E CAPITE SEPTIMO LIBRI PRIMI.

39 Et exiit Nicanor ab Ierusalem, & castra applicuit ad Beth-horon: & occurrit illi exercitus Syriæ.

40 Et Iudas applicuit in Adarsa cum tribus millibus virisi & erauit Iudas, & dixit:

41 Qui missi erant à rege Sennacherib, Domine, 19. 35. + Regũ

Tobiæ. 1. 21. Eccles. 48. 25. Isaiæ. 37. 36. 2. Mac. 2. 19.

angelus, & percussit ex eis centum octoginta quinque millia.

42 *Sic contere exercitum istum in conspectu nostro hodie: & sciant ceteri quia male locutus est super sancta tua, & iudica illum secundum malitiam illius.*

43 *Et commiserunt exercitus prælium tertiadecimadie mensis Adar: & contrita sunt castra Nicanoris, & cecidit ipse primus in prælio.*

44 *Vt autem vidit exercitus eius quia cecidisset Nicanor, proiecerunt arma sua, & fugerunt:*

45 *Et persecuti sunt eos viam vnius diei ab Adaser vsquequo veniatur in Gazara, & tubis cecinerunt post eos cum significationibus:*

46 *& exierunt de omnibus castellis Iudææ in circuitu, & ventilabant eos cornibus, & conuertebantur iterum ad eos, & ceciderunt omnes gladio, & nõ est relictus ex eis nec vnus.*

47 *Et acceperunt spolia eorum in prædam: & caput Nicanoris amputauerunt, & dextram eius quam extenderat superbè, & attulerunt, & suspenderunt contra Ierusalem.*

48 *Et lætatus est populus valdè: & egerunt diem illam in lætitia magna.*

49 *Et constituit agi omnibus annis diem istam tertiadecimadie mensis Adar.*

50 *Et siluit terra Iuda dies paucos.*

E CAP. VLT. LIB. II.

Nicanor autem, vt comperit Iudam esse in locis Samariæ, cogitauit cum omni impetu die Sabbathi committere bellum.

2 *Iudæi vero, qui illum per necessitatem sequebantur dicentibus: Ne ita ferociter, & barbarè feceris, sed honorem tribue diei sanctificationis, & honora eum, qui vniuersa conspicit.*

3 *ille infelix interrogauit, si est potens in cœlo, qui imperauit agi diem sabbatorũ.*

4 *Et respondentibus illis. Est Dominus viuus ipse in cœlo potens, qui iussit agi septimum diem.*

5 *At ille ait: Et ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia regũ impleri. Tamen non obtinuit vt consilium perficeret.*

6 *Et Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitauerat commune trophæum statuere de Iuda.*

7 *Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo assuturum.*

8 *& hortabatur suos ne formidarent ad aduentum nationum, sed in mente haberent adiutoria sibi facta de cœlo, & nunc sperarent ab Omnipotente sibi assuturam victoriam.*

9 *Et allocutus eos de lege, & prophetis, admonens etiam certamina, quæ fecerant prius, promptiores constituit eos:*

10 *Et ita animis eorum erectis simul ostendebat Gentium fallaciam, & iuramentorum prævaricationem.*

11 *Singulos autem illorum armauit, non clypei, & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus, expositio digna fide somnio, per quod vniuersos lætificauit.*

12 *Erat autem huiusmodi visus: Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonũ & benignum, verecundum visu, modestũ moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudeorum.*

13 *Post hoc apparuisse & alium virum ætate, & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum.*

14 *Respondentẽ vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multũ orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias propheta Dei.*

15 *Extendisse autem Ieremiam dextram, & dedisse Iudæ gladium aureum, dicentem.*

16 *Accipe sanctum gladiũ munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.*

17 *Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, & animi iuuenum confortari, statuerũt dimicare & confligere fortiter: vt virtus de negotijs iudicaret, eo quod ciuitas sancta, & templum periclitarentur.*

18 *Erat enim pro vxoribus, & filijs, itemq; pro fratribus, & cognatis minor solicitudo: maximus vero & primus pro sanctitate timor erat templi.*

19 *Sed & eos, qui in ciuitate erant, non minima solicitudo habebat, pro his qui congressuri erant.*

20 *Et, cum iam omnes sperarẽt iudicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, bestiæ, equitesque opportuno in loco compositi.*

21 *considerãt Machabæus aduentum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendẽs manus in cœlum, prodigia facientem Dominum: non enim secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam.*

22 *Dixit autem innocans hoc modo: Tu Domine*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sup. 8. 19.

Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Iuda, & interfeciſti de caſtris Sennacherib centum octogintaquinque millia.

23 *& nunc dominator cœlorum mitte angelum tuum bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachij tui.*

24 *Vt metuant qui cum blaſphemia veniunt aduerſus ſanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroranit.*

25 *Nicanor autem, & qui cum ipſo erant, cum tubis & canticis admouebant.*

26 *Iudas vero, & qui cum eo erant, inuocato Deo, per orationes congreſſi ſunt:*

27 *manu quidem pugnantes, ſed Dominũ cordibus orantes, proſtrauerunt non minus triginta quinque millia: præſentia Dei magnificè delectati.*

28 *Cumque ceſſaſſent, & cum gaudio redirent, cognouerunt Nicanorem ruiſſe cũ armis ſuis.*

29 *Facto itaque clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant.*

30 *Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore & animo mori pro ciuibus paratus erat, caput Nicanoris, & manum cum humero abſciſſam, Ieroſolymam perferri.*

31 *Quo cum peruenisſet, conuocatis cõtribulibus, & ſacerdotibus ad altare, accerſiit & eos, qui in arce erant.*

32 *Et oſtenſo capite Nicanoris, & manu nefaria, quam extendens contra domum ſanctam omnipotentis Dei, magnifice gloriatus eſt.*

33 *Linguam etiam impij Nicanoris præciſam ieſſit particulatim auibus dari: manum autem dementis ſuſpira templum ſuſpendi.*

34 *Omnes igitur cœli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum ſuum incontaminatum ſeruauit.*

35 *Suſpendit autem Nicanoris caput in ſumma arce, vt euidens eſſet, & manifeſtum ſignum auxilij Dei.*

36 *Itaque omnes communi conſilio decreuerunt nullo modo diem iſtum abſque celebritate præterire.*

37 *habere autem celebritatem tertiadecima die menſis Adar, quod dicitur voce Syriaca, pridie Mardochæi diei.*

COMMENTARIVS.

IVDAS apud Gorionidem c. 22. *cum audiſſet Raziæ mortem, ſuccenſus furore miſit ad Nicanorem dicens, Quandiu accingu te? Egredere in agrum, & oſtendas ſoli virum, quem etiam intra penetralia queſiniſti, En is exſpectat te in conualle & planitie.* Tum copias congregant Nicanor & Iudas. Cum Nicanore iſto pugnaturus lib. 2. cap. vlt. verſ. 11. dicitur alia præclariſſima feciſſe, tum ſomnio ſuos vehementer excitaſſe. At *ſomnium* iſtud diuinum erat, ideoque verſ. 11. dicitur ἀξιόπιστος; & Græcè ὕπαρ, non, vt quidam, ὄναρ, qui vertunt; *ſuper modum lætificauit.* Eſt verò ὕπαρ, quod in correctis Septuaginta legitur, *viſio clara & certa*, quæ à dormientibus videtur; vel etiam à vigilantibus, vti ex Homero Odiſſea τ & υ. monet Euſtathius Plato epiſt. 3. & 2. de Republ. Plutarchus lib. *de ſera numinis vindicta*, Ammonius, Budæus: vt longe aliud ſit, quam ὄναρ. Sic enim Homerus lib. 5. οὐκ ὄναρ, ἀλλ' ὕπαρ ἐθέλων. Ex hac vero tam clara viſione, clariſſimè videmus, ſanctos iam vita functos noſtri curam gerere, pro nobis orare: adeò, vt Caluinus, non, niſi reiiciendo iſtos libros, reſpondere potuerit. *Sicut*, ait Petrus Venerabilis, epiſt. 2. lib. 1. *bona viuorum mortuis poſſe prodeſſe ſylua oſtendit, ſic mortuorum viuentibus poſſe proficere demonſtret*, & vbi exemplum iſtud retulit, ſubdit: *Quo exemplo, quid bona mortuorum viuentibus prodeſſe valeant, clarius patet.* Et idem paulo poſt ex Origene de Hieremia notabitur. D. Bernardus ſerm. 3. Vigiliæ Natiuitatis, & in Cant. ſerm. 11. & 76. monet, huic Oniæ religioſum bonum eſſe ſimilem, qui pro omni populo DEVM orat. Ab hoc autem Ieremiæ encomio, ſuos in eum prophetam commentarios orditur S. Thomas.

Ieremias verò, quia alias lib. 4. Reg. & ſuæ prophetiæ cap. 37. à bello dehortatus erat; gladium nunc porrigit. &, vti Angelus Zach 1. pro populo DEVM precatur, iam quidem mortuus, cœlo tamen nondum receptus, cum in limbo eſſet. *Gladij* etiam hodie Regi Romanorum, Polonorum & aliorum ad religionis & iuſtitiæ defenſionem ab Archiepiſcopis porriguntur, vt eſt apud Guaguinum, & alios. Rabanus verò CHRISTVM Dominum per Hieremiam ſignificari ait, qui Iudæ aureum gladium dedit, cum diuinam ſcripturam ſenſu ſpiritali fulgentem, ad munimen totius Eccleſiæ, defenſionemque populi ſui, ſanctis conceſſit Doctoribus. Quod verò paulo ante notabam, ita iam olim notauit Origenes Tomo 18. in Ioannem. *Apparet*, inquit, *ſanctos qui ex hac vita emigrarunt, curam eſſe de populo, quemadmodum in Machabæorum geſtis ſcriptum eſt, poſt quamplurimos annos ab obitu Hieremiæ. Hic eſt Hieremias* DEI *prophetæ, qui multum orat pro populo.*

Cæterum Nicanor, quemadmodum Iulianus, qui Cæſareæ Cappadociæ minitatus erat; à Iudæ deletus & occiſus eſt, quodque in Ciceronis caput, linguam & manus, ab Antonio & Fulvia crudeliter id iam recte, iuſtiſſimo DEI iudicio, in eadem Nicanoris membra factum eſt verſ. 37. & ſequent. cap. vlt. Ita vt in illum videatur Veronenſis Poëtæ illud congruere.

Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum,
Lingua exſecta auido ſit data vulturio.

Effoſſos

Effoſſos oculos voret atro gutture cornus,
Inteſtina canes, cætera membra lupi.

Modum, quo occiſus eſt, ita proſequitur Gorionides cap. 22. *Vidit Iudas in ipſa pugna Nicanorem habentem in manu ſua gladium euaginatum, clamauitque ait, contra te, ô Nicanor. Et cum curreret contra illum in feruoris ſui virtute, auertit Nicanor humerum ſuum, & fugit à facie Iudæ. At Iudas apprehendit eum, percuſſitq; gladio ſuo, & diſſecuit in duas partes deijciens ipſum in terram.* Quæ cum ita ſint, mendacij tenetur Ioſippus ille Hebræus, qui ſe à Gorionide accipere profitetur. dum ſcribit, *Nicanorem viuum comprehenſum ſub fœdere dimiſſum, & cum rubore ac ignominia ad Regem eſſe reuerſum.* Sed Gorion tantum proſtrata inquit 30000. noſter verò In 2. c. vlt. verſ. 27. non minus triginta quinque millia.

Fuit in victoriæ huius memoriam feſtus dies inſtitutus, quem vocat lib. 12. c. 17. Ioſephus τὴν νικητήριον ἡμέραν. 13. die menſis 12. qui *dicitur voce Syriaca Adar.* Sic enim, quæ verſ. 37. tranſpoſita, reponenda ſunt. Quia verò à Mardocinæo, Eſtheris c. 9 dies eius dem menſis duodecimi, decimuſquartus, decimuſquintus feſti facti erant, ideo in Græco dicitur, *pridie vnius, ſeu prime diei Mardochæi.* Noſter verò Interpres, eos dies, quorum vna cauſa & vna feſtiuitas quaſi vnum conſiderat, & dicit, *pridie Mardochei diei.* Adar verò dicitur Syriaca vox, quia vt alias dixi, ſuos olim menſes numeris Hebræi expreſſerunt. Et pro *Adar*, nominat etiam Ioſephus *Dyſtrum*, Macedonicum ſcilicet menſem, quem in Alexandreo anno, ſupra ca 11. lib. 2. fol. 432. ipſi *Niſan* reſpondere dicebam, quoad *aliquam* ſcilicet *partem*, cum alioqui fere ſemper ipſe, de quo etiam illic; *Xanthicus*, à Ioſepho *Niſan* dicatur. lib 1. Antiq. cap. 4. lib. 2. c. 5. lib. 3. cap. 10. Habent Iudæi hodie ſuo in Calendario, die illo 13. ieiunium Eſther, de quo etiam Antonius Margarita lib. de Iudæis, quod tunc vel non erat, vel alium in diem transferebatur. Nam triumphali huiuſcemodi feſto ieiunium nõ congruebat. Vide quæ in Eſther dixi parte 4. quæſt. 1. 2. 4. Nota etiam hîc poſſe nouos in Dei beneficiorũ memoriam, quæ per ſe, ſuoſque ſanctos, in nos & in Eccleſiam ille confert, feſtos inſtitui, vti notat D. Auguſtinus, lib. 10. de ciuit. cap. 4. & epiſt. 115. Atque hîc libri ſecundi finis, præter epiſtolam, & libri clauſulam, de qua poſtea.

CAPVT VIII. LIBRI I.

1 ET audiuit Iudas nomen Romanorum, quia ſunt potentes viribus, & acquieſcunt ad omnia quæ poſtulantur ab eis; & quicunque acceſſerunt ad eos, ſtatuerũt cum eis amicitias, & quia ſunt potentes viribus.

2 *Et audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, quia obtinuerunt eos, & duxerunt ſub tributum.*

3 *Et quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ, & quod in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ illic ſunt.*

4 *& poſſederunt omnẽ locum conſilio ſuo & patientia: locaque quæ longe erãt valde ab eis, & reges, qui ſuperuenerant eis ab extremis terræ, continuerunt, & percuſſerunt eos plaga magna: ceteri autem dãt eis tributum omnibus annis.*

5 *Et Philippum & Perſen Ceteorum regẽ & cæteros qui aduerſum eos arma iuterant contriuerunt in bello, & obtinuerunt eos:*

6 *& Antiochum magnum regem Aſiæ, qui eis pugnam intulerat habens centum viginti elephantes, & equitatum, & currus & exercitum magnum valde contritum ab eis:*

7 *& quia ceperũt eum viuum, & ſtatuerunt ei vt daret ipſe & qui regnarent poſt ipſum, tributum magnum, & daret obſides, & conſtitutum.*

8 *& regionem Indorum, & Medos, & Lydos de optimis regionibus eorũ: & acceptas eas ab eis, dederunt Eumeni regi.*

9 *Et quia qui erãt apud Hellada, voluerũt, ire & tollere eos: & innotuit ſermo hic.*

10 *Et miſerunt ad eos ducem vnum, & pugnauerũt contra illos, & ceciderunt ex eis multi, & captiuas duxerunt vxores eorum, & filios, & diripuerunt eos, & terram eorum poſſederunt, & deſtruxerunt muros eorum, & in ſeruitutem illos redegerunt vſque in hunc diem:*

11 *Et reſidua regna, & inſulas, quæ aliquando reſtiterant illis, exterminauerũt, & in poteſtatem redegerunt.*

12 *Cum amicis autem ſuis, & qui in ipſis requiem habebant, confirmauerunt amicitiam, & obtinuerunt regna, quæ erant proxima, & quæ erant longe: quia quicũque audiebant nomen eorũ timebant eos.*

13 *quibus vero vellẽt auxilio eſſe vt regnarent, regnabant: quos autem vellẽt, regnõ deturbabant: & exaltati ſunt valde.*

14 *Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, vt magnificaretur in ea.*

15 *Et quia curiam fecerunt ſibi, & quotidie conſulebant trecentos viginti conſiliũ agentes ſemper de multitudine, vt quæ digna ſunt geraut.*

16 *Et committunt vni homini magiſtratum ſui per ſingulos annos dominari vniuerſa terra ſua, & omnes obediunt vni;*

& non

Universidad de Deusto
Biblioteca

& non est inuidia, neque zelus inter eos.

17 *Et elegit Iudas Eupolemum filium Ioannu, filij Iacob, & Iasonem filium Eleazari, & misit eos Romam constituere cum illis amicitiam, & societatem:*

18 *& vt auferrent ab eis iugum Græcorum, quia viderunt quod in seruitutem premerent regnum Israel.*

19 *Et abierunt Romam viam multã valde, & introierunt curiam, & dixerunt.*

20 *Iudas Machabæus, & fratres eius, & populus Iudæorum miserunt nos ad vos statuere vobiscum societatem, & pacẽ, & conscribere nos socios & amicos vestros.*

21 *Et placuit sermo in conspectu eorum.*

22 *Et hoc rescriptum est, quod rescripserũt in tabulis æreis, & miserunt in Ierusalẽ, vt esset apud eos ibi memoriale pacis, & societatis.*

23 BENE SIT ROMANIS, *& genti Iudæorum in mari, & in terra in æternum: gladiusque & hostis procul sit ab eis.*

24 *Quod si insteterit bellũ Romanis prius, aut omnibus sociis eorum in omni dominatione eorum,*

25 *auxilium feret gens Iudæorum, prout tempus dictauerit, corde pleno*

26 *& præliantibus non dabunt neq; subministrabunt tritticum, arma, pecuniam, naues, sicut placuit Romanis. & custodiẽt mandata eorum, nihil ab eis accipientes.*

27 *Similiter autem & si genti Iudæorum prius acciderit bellum, adiuuabũt Romani ex animo, prout eu tempus permiserit.*

28 *Et adiuuantibus non dabitur tritticum, arma, pecunia, naues sicut placuit Romanis: & custodient mandata eorum absque dolo.*

29 *Secundum hæc verba constituerunt Romani populo Iudæorum.*

30 *Quod si post hæc verba hi aut illi addere, aut demere ad hæc aliquid voluerint facient ex proposito suo: & quæcunque addiderint, vel dempserint, rata erunt.*

31 *Sed & de malis, quæ Demetrius rex fecit in eos, scripsimus ei, dicentes: Quare grauasti iugum tuum super amicos nostros, & socios Iudæos.*

32 *Si ergo iterum adierint nos aduersum te, faciemus illi iudicium, & pugnabimus tecum mari terraque.*

COMMENTARIVS.

IVDAS verò lib. 1. cap. 8. primum cum Romanis fœdus & societatem iniit, vbi magnæ Romanorum laudes ab eorum rebus gestis institutis, & moribus describuntur, de quibus legendi Liuius, Diodorus, Iustinus, Florus, & alij. Bella enim quæ extra Italiam Romani gessere, Punica, Hispaniensia, Illyrica, Gallica, Macedonica, Syriaca, Ætolica, Galatica, seu Gallogræca, cæpere ut omnia post Seleucidarum annum 47. vrbis 488. ita vt Macedonicum posterius, quo Perseus captus, paucis ante hunc ipsum, in quo versamur, annis, quemadmodum & supra intellectum est, contigerit. Perseum vero siue Persen istum ait D. Thomas *Persarum Regem secundum Iosephum*. At ne terræ quidem passum in Perside habuit ille vnquam. Pro, *fecerunt in Galatia* vers. 2. Græce est, ποιῆσαι ἐν τοῖς Γαλάταις *faciunt in Galatis*, quasi Galaticum adhuc bellum vigeret, cum scilicet iam finitum esset. Sequitur enim, *obtinuerunt eos*. Ex hoc autem, *eos*, fortè colligendum, fuisse in Latino textu olim scriptum, *in Galatis*, licet possit rerum potius quam nominum esse connexio, vti fit alias non nusquam. Hispanienses argenti aurique fodinæ, de quibus lib. 3. Strabo, desierũt: vel in nouum certe orbem translatę, multis magnisque classibus, iam reuehuntur. Plinius in Operis sui extremo, cum regionum omnium primas Italiæ suæ detulisset, subiunxit. *Metallis auri, argenti, æris, ferri, quandiu libuit exercere: nullis cessit.* Tandemque concludit. *Ab ea* (Italia) *excepta India fabulosis, proxime quidem duxerim Hispaniam, quacunque ambitur mari.*

Sunt in his tamen quæstiunculæ aliquot. *Prima*, cur Punicorum bellorum non meminit Iudas? *Altera*, quæ Græciæ seu Helladis bella vers. 9. *Tertia* habueritne tot elephantes Antiochus vers. 6. *Quarta*, fueritne is vinus à Romanis captus. *Quinta*, Eine Indiæ, Mediæ & Lydiæ regiones ademptæ. *Sexta*, num eædem Pergameno Regi Eumeni traditæ? *Septima*, sitne iustus Romanorum Senatorum numerus vers. 15. *Octaua*, num vni tantum homini, apud eosdem, summa quotannis potestas deferebatur vers. 16. *Nona*, num inter eosdem nulla inuidia, zelus nullus, versu eodem?

Ad *primam* dico, fieri, licet non nominatim, Carthaginiensium bellorum mentionem vers. 4. prout ea nominatim expressit Iosephus lib. 12. cap 17.

Ad *secundum*. Helladica bella sunt, quæ per Nabidem, & alios susceptа, apud Liuium lib. 34. 35. Florum lib. 2. cap. 7.

Ad *tertiam*. Minorem quidem numerum videtur Liuius lib. 37. statuere. Florus cap. 8. tantum ait, *Elephantis immensæ magnitudinis, auro, purpura, argento & suo ebore fulgentibus, aciem vtrimq; valauerat.* Sed Polybius lib. 5. refert eundem Antiochum, contra Ptolemæum, elephantos eduxisse *centum & duos*. Quid ergo mirum, si contra Romanos eduxerit *centum viginti*?

Ad *quartam* dico *primo vniuerse*, quod ad alias difficultates transferri quoque potest; necessarium quidem esse, vt ista Iudæ *narrata sint*, cum scriptura id sacra enunciet. Dicitur enim ver. 1. *Audiuit*

diuit Iudas. vers. 2. *Et audierunt*: sed necessarium non esse, vt quæ narrata sunt, omnia vera sint. Nam scriptura, quid narratum sit, enunciat, non quod narratum est, verum esse testatur. Quemadmodum de Christo D. multa dixerunt Iudæi, ver. c. esse *vinipotatorem, populi seductorem, dæmoniophlenum*; de procera Chanaæorum statura, & gigantea feritate Mosaici exploratores. Num. 13. quæ vere scriptura, vti dicta sunt, refert: non vti reuera erant. *In Euangelio* ait S. Augustinus c. 9. lib. contra Priscil. & Origen. *quamuis verum sit omnino, quod dicta sint, non tamen omnia quæ dicta sunt vera esse creduntur, quoniam multa à Iudæis falsa & impia dicta esse, vera ex Euangelii scriptura testatur.* Hinc ergo semel & iterum ait textus noster ver. 1. & 2. Iudam hæc ab aliis, qui narrabant audiisse. Ab istis verò narratoribus potuit, vt fieri solet in aliqua gestarum rerum circumstantia peccari & plus minusue dici. *Speciatim* verò, fateor, venisse Antiochum viuum in Romanorum manus non asserunt Liuius, Florus, Appianus, sed fuga elapsum, de pacisque conditionibus per legatos absentem egisse: nihilominus tamen fieri potuit, vt captus, statimque dimissus fuerit, opera fortè Scipionis, qui, ob receptum ab Antiocho filium, quibusdam suspectus fuit, vti referunt Liuius, & Appianus. Quid si captus diceretur, qui fere captus fuit? Quid si à Perſea hoc referendum esset, cum post hæc verba in Græco sit, *& statuerunt eis*, non *ei*.

Ad *quintam* diceret fortè quispiam, *Indiam* hic vocari terram *Euilath*, quam in disputatione de paradiso latius patere dixi, quam proprie dictam Indiam; Mediam vero & Lydiam dici alias omnes Asiæ minoris partes, quæ Medici aliquando regni fuissent. Diceret alius, pro *India* legendam Ioniam, pro Media, *Mysiam*, alius verùm simpliciter Indiam & Mediam Antiocho ademptam fuisse. Licet enim Liuius lib. 37. semper Asiam tantummodo, quæ eis Taurum est, ablatum narret: Appianus tamen ait, Antiochum iussum ἀπέχεσθαι Ἀσίας τῶν πρὸς ἕω τοῦ Ταύρου, *credere Asia locis & prouinciis, quæ vltra montes Tauri.* In his verò, vt ex Strabonis 11. patet, Media & Indiæ pars aliqua est. Quid, quod decem à Romano Senatu legati missi fuerunt, qui res Asiæ istas disceptaren & componerent? Quid si vt Antiocho amplius auferretur, è re putassent iidem legati? Certè *Indorum* etiam nomen Scenitis Arabibus & Saracenis quandoque tributum fuisse, monstrat Procopius; *Post Saracenos*, ait, *sunt Indorum genera.* Rursum de sinu Arabico, qui & mare rubrum dicitur, *Hoc*, ait, *mare ab Indis incipit.* Et Iulianus Apostata Saracenos & Indos coniungit in epistola ad S. Basilium. Penegyristarum quidam, *Dent*, ait, *veniam trophæa Niliaca, sub quibus Æthiops & Indus intremuit.* Imò Æthiopas eodem Indorum nomine quandoque insignitos apparet apud Ælianum lib. 17. de historia animalium, & Virgilium dum de Nilo ait:

Vsq; coloratis amnis deuexus ab Indis.

Et de Choaspe, qui prope Susa fluit, ait in Dionysio Priscianus, *fonte cadens Indo.* Plutarchus etiam Demetrii regnum vsque ad Indos porrigit. Denique solent remotiores à nobis regiones *India* interdum appellari, vt ait noster Acosta lib. 1. de natura orbis. D. Thomas tamen in lib. quibusdam tantum *Medos* hic legi notauit.

Nihil constituo, generali illa responsione etiam ad *sextam* contentus. Nam minutè diligenterque admodum, quæ Eumeni data sint, enumerat libro trigesimo septimo Liuius.

Ad *septimam*, & *octauam* eadem vti responsione licebit. Addo tamen, *Senatorum numerum* variasse non raro. Primo *centum* tantum à Romulo constituti fuerant, mox *ducenti*, paulo post *trecenti* statimque, sublato superbo Rege, idem ab eo diminutus numerus restauratus, & vt videtur cum viginti accessione, prout populi dignitas postulare visa est, apud Liuium initio libri 2. ersi Sigonio l. 2. de antiquo iure Rom. c. 2. secus videtur. Et hic numerus hoc Iudæ tempore vigebat viguitque vsque ad Gracchi seditiones, quando *trecenti* fuerunt; certe ex quadam Ciceronis ad Atticum epistola, *vltra quadringentos*, sicuti eodem isto Iudæ tempore, *vltra trecentos* erant. Et post ea fuerunt *nongenti* tandemque *mille*, & amplius. Vnde etiam *Orcini* senatores dicti nonnulli. Quod verò *vni* cuidam *obedire* vers. 16. dicuntur, intelligendum est, vel de *Imperatore*, quem cum exercitu in aliquam prouinciam mittebant; vel de *Dictatore*, qui quotannis, dum scilicet opus esset, creabatur. Si verò *de consulibus* accipiamus, cum ii duo essent, quos Lr. Augustinus lib. 5. Ciuit. 12. *binos Imperatores* vocat: sciendum, eorum vnum, alternis diebus, maxime imperasse vt ex Liuio discimus, cum lib. 2. ait, *alterum tantum Consulum* fasces habuisse. lib. 22. in bello cõtra Annibalem *vno die penes Paulum* summam Imperii fuisse, & postero die, Varronem; cui *fors eius diei imperii* erat; nihil consulto collega, signum pugnæ proposuisse; lib. 28. *eodem die*, quo pugnatum esset; fuisse M. Liuii *auspicium*. Et idem colligi potest ex Plutarcho in Numa, & Fabio; sicut apud Græcos interdum eorum *Strategi*, alternis imperabant, ex eodem in Aristide. Et Athenienſium *Epistatæ*, vnum diem tantum cum imperio erant, vt explicat lib. 4. de Repub. Athenienſium cap. 2. Sigonius: rui sumque de Romanis decemuiris Liuius lib. 3. *Decimo*, ait, *die ius populo singuli reddebant. Eo die penes præfectum iuris fasces duodecim erãt, collegũ nouem singuli accensi apparebant.*

Ad *nonam*. Fuerunt Romani ante bellum Punicum tertium, modestiores ac meliores, quam vel postea, vel antea. Quæ tamen hic laudatio est, intelligitur humano more, fuisse scilicet satis inter se Romanos concordes, absque zelo & inuidia, quæ admodum notaretur, & inter pæne omnes

Universidad de Deusto
Biblioteca

mnes grassaretur. De his maxime temporibus apud Ciceronem Ennius: *Moribus antiquis stat res Romana, virisque.* prout doctissime conficit S. Augustinus, qui hunc ad locum omnino legendus lib. 2. de ciuit. cap. 17. 18. & sequentibus lib. 5. c. 12. 15 16. 17. itemque Agrippæ Regis oratio apud Iosephum lib. 2. Capt. 28 & ipse Iosephus eodem lib. c. 42. vbi se ait animaduertisse, *duabus* maxime rebus Romanorũ robur, vt inuictum esset, consecutũ esse. *Vna* (& quidem maxima est, *εὐπειθεία obedientia: altera ἡ τῶν ὅπλων μελέτη, armorum exercitatio.* Iam Aristidis de eadem Romanorum disciplina, verba sunt. *Bella vero vix vnquam nunc creduntur exstitisse, ac pro commentis habentur à plerisq;. Quod si alicubi ad limites conflictus fuerit, (vt in magno & immenso imperio facile fit ob Getarum insaniam, vel Afrorum miseriã, vel rubri maris accolarum infelicitatem, qui commodu bonisq; suis nescierunt vti) mox ista tanquam fabula, cum omni memoria euanuerunt. Tanta pax apud vos viget, ô Romani, etsi militiam bellumq; habetis inter patria instituta.* Simile de Francis quidpiam narrat lib. 1. Agathias: & subdit, quod huc valde spectat, magnoque ab omnibus opere obseruandum. *Iustitia & Charitas vbicunque inter mortales fouentur felicem procul dubio, Rempublicam reddunt.*

Qui mittitur legatus Eupolemus, filius Ioannis illius est, de quo lib. 2. cap. 4. Et dicitur iste Ioannes, in Græco textu filius Ακκὼς in nostro *Iacob.* An rectè societatem & fœdus cum Romanis inierit, dicam postea. Fœdetis vero ipsius exemplum, quia instar literarum mittebatur; vocatur Græcè ἀντίγραφον τῆς ἐπιστολῆς. Rursum, quia illud idem à legatis ipsis Romæ vel scriptum, vel subscriptum erat; à Iosepho additur post v. 30. ἐγράφη τὸ δόγμα τοῦτο Εὐπολέμῳ Ἰωάννου τοῦ, καὶ ὑπὸ Ἰάσονα τὸν Ἐλεαζάρου, τῷ μὲν ἀρχιερέως μὲν ἔθνους Ἰούδα, στρατηγοῦ δὲ Σίμωνος τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. *Scriptum est hoc decretum ab Eupolemo Ioannis filio, & ab Iasone Eleazari filio, Pontifice quidem Iudæ, belli vero Imperatore, Simone fratre ipsius.*

De Bacchide rursum, & Alcimo, deque gloriosa Iudæ morte.

Caput IX. Libri I.

1 Nicrea vt audiuit Demetrius, quia cecidit Nicanor & exercitus eius in prælio, apposuit & Bacchidem & Alcimum rursum mittere in Iudæam, & dextrum cornu cum illis.

2 Et abierunt viam, qua ducit in Galgala, & castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis: & occupauerunt eam, & peremerunt animas hominum multas.

3 In mense primo anni centesimi & quinquagesimi secundi applicuerunt exercitũ ad Ierusalem.

4 & surrexerunt, & abierunt in Beream viginti millia virorum, & duo millia equitum.

5 Et Iudas posuerat castra in Laisa, & tria millia viri electi cum eo:

6 Et viderunt multitudinem exercitus quia multi sunt, & timuerunt valde: & multi subtraxerunt se de castris, & non remanserunt ex eis nisi octingenti viri.

7 Et vidit Iudas quod defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, & confractus est corde: quia non habebat tempus congregandi eos, & dissolutus est.

8 Et dixit his, qui residui erant; Surgamus, & eamus ad aduersarios nostros, si poterimus pugnare aduersus eos.

9 Et auertebant eum, dicentes: Non poterimus, sed liberemus animas nostras modo, & reuertamur ad fratres nostros, & tunc pugnabimus aduersus eos: nos autem pauci sumus.

10 Et ait Iudas: Absit istam rem facere vt fugiamus ab eis, & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.

11 Et mouit exercitus de castris, & steterũt illi obuiam: & diuisi sunt equites in duas partes, & funditores & sagittarii præibant exercitum, & primi certaminis omnes potentes.

12 Bacchides autem erat in dextro cornu, & proximauit legio ex duabus partibus,

13 exclamauerunt autem & hi qui erant ex parte Iudæ, etiam ipsi, & commota est terra à voce exercituum, & commissum prælium à mane vsq; ad vesperam.

14 Et vidit Iudas, quod firmior est pars exercitus Bacchidis in dextris, & conuenerunt cum ipso omnes constantes corde:

15 Et contrita est dextra pars ab eis, & persecutus est eos vsque ad montem Azoti.

16 Et qui in sinistro cornu erant, viderunt quod contritum est dextrum cornu, & secuti sunt post Iudam, & eos qui cum ipso erant à tergo.

17 Et ingrauatum est prælium & ceciderũt vulnerati multi ex hiis, & ex illis.

18 Et Iudas cecidit, & cæteri fugerunt.

19 Et Ionathas, & Simon tulerunt Iudam fratrem suum, & sepelierunt eum in sepulchro patrum suorũ in ciuitate Modin.

20 Et

20 Et fleuerunt eum omnis populus Israel planctu magno, & lugebant dies multos,

21 & dixerunt: Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat populum Israel?

22 Et cætera verba bellorum Iudæ, & virtutum quas fecit, & magnitudinis eius nõ sunt scripta: multa enim erant valde.

23. Et factum est: post obitum Iudæ emeserunt iniqui in omnibus finibus Israel, & exorti sunt omnes, qui operabantur iniquitatem.

24 In diebus illis facta est fames magna valde, & tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis.

25 Et elegit Bacchides viros impios, & constituit eos dominos regionis:

26 Et exquirebant, & persequebantur amicos Iudæ, & adducebant eos ad Bacchidem, & vindicabat in illos & illudebat.

27 Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die, qua non est visus propheta in Israel.

28 Et congregati sunt omnes amici Iudæ, & dixerunt Ionathæ.

29 Ex quo frater tuus Iudas defunctus est, vir similis ei non est qui exeat contra inimicos nostros, Bacchidem, & eos, qui inimici sunt gentis nostræ.

30 Nunc itaque te hodie elegimus esse pro eo nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum.

31 Et suscepit Ionathas tempore illo principatum, & surrexit loco Iudæ fratris sui.

32 Et cognouit Bacchides, & quærebat eum occidere.

33 Et cognouit Ionathas, & Simon frater eius, & omnes, qui cum eo erant: & fugerunt in desertum Thecuæ, & consederunt ad aquam lacus Asphar.

34 Et cognouit Bacchides, & die sabbatorũ venit ipse, & omnis exercitus eius trans Iordanem.

35 Et Ionathas misit fratrem suum ducem populi, & rogauit Nabuthæos amicos suos, vt commodarent illis apparatum suum, qui erat copiosus.

36 Et exierunt filii Iambri ex Madaba & comprehenderunt Iohannem, & omnia quæ habebat, & abierunt habentes ea.

37 Post hæc verba renunciatum est Ionathæ & Simoni fratri eius, quia filii Iambri faciunt nuptias magnas, & ducunt sponsam ex Madab filiam vnius de magnis principibus Chanaan cum ambitione magna.

38 Et recordati sunt sanguinis Iohannis fratris sui: & ascenderunt & absconderunt se sub tegmento montis.

39 Et eleuauerũt oculos suos, & viderũt: & ecce tumultus, & apparatus multus, & sponsus processit, & amici eius, & fratres eius obuiam illis cum tympanis, & musicis, & armis multis.

40 Et surrexerunt ad eos ex insidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi, & residui fugerunt in montes & acceperunt omnia spolia eorum.

41 Et conuersæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum ipsorum in lamentum.

42 Et vindicatum sanguinis fratris sui: & reuersi sunt ad ripam Iordanis.

43 Et audiuit Bacchides, & venit die sabbatorum vsque ad oram Iordanis virtute magna.

44 Et dixit ad suos Ionathas: Surgamus & pugnemus contra inimicos nostros: Non est enim hodie sicut heri, & nudius tertius.

45 Ecce enim bellum ex aduerso, aqua vero Iordanis hinc & inde, & ripa, & paludes, & saltus: & non est locus diuertendi.

46 Nunc ergo clamate in cœlum, vt liberemini de manu inimicorum vestrorum. Et commissum est bellum.

47 Et extendit Ionathas manum suam percutere Bacchidem, & diuertit ab eo retro:

48 Et dissiluit Ionathas, & qui cum eo erãt in Iordanem, & transnatauerunt ad eos Iordanem.

49 Et ceciderunt de parte Bacchidis die illa mille viri, & reuersi sunt in Ierusalem

50 & ædificauerunt ciuitates munitas in Iudæa, munitionem, quæ erat in Iericho, & in Ammaũ, & in Beth-horon, & in Bethel, & in Thamnata, & Phara, & Thopomuru excelsis, & portis, & seris.

51 Et posuit custodiam in eis, vt inimicitias exercerent in Israel.

52 & muniuit ciuitatem Bethsuram, & Gazaram, & arcem, & posuit in eis auxilia, & apparatum escarum.

53 & accepit filios principum regionis obsides, & posuit eos in arce in Ierusalem in custodiam.

54 Et anno centesimo quinquagesimotertio, mense secundo, præcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, & opera prophetarum: & cœpit destruere.

55 In tempore illo percussus est Alcimus, & impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi, nec vltra potuit loqui verbum, & mandare de domo sua.

56 Et mortuus est Alcimus in tempore illo cum tormento magno.

57 Et vidit Bacchides quoniam mortuus est Alcimus: & reuersus est ad regem, & siluit terra annis duobus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

58 Et cogitauerunt omnes iniqui dicentes: Ecce Ionathas, & qui cum eo sunt, in silentio habitant cõfidenter: nunc ergo adducamus Bacchidem, & comprehendet eos omnes vna nocte.
59 Et abierunt, & consilium ei dederunt.
60 Et surrexit vt veniret cum exercitu multo: & misit occulte epistolas sociis suis, qui erant in Iudæa, vt comprehenderent Ionathan, & eos, qui cum eo erant. sed nõ potuerunt, quia innotuit eis consiliũ corũ
61 Et apprehẽdit de viris regionis qui principes erant militiæ quinquaginta viros, & occidit eos.
62 & secessit Ionathas & Simon, & qui cum eo erant, in Bethbessen, quæ est in deserto: & extruxit diruta eius, & firmauerunt eam.
63 Et cognouit Bacchides, & congregauit vniuersam multitudinem suam: & his, qui de Iudæa erant.
64 Et venit, & castra posuit desuper Bethbessen: & oppugnauit eam dies multos, & fecit machinas.
65 Et reliquit Ionathas Simonem fratrem suum in ciuitate, & exiit in regionem, & venit cum numero.
66 & percussit Odaren, & fratres eius, & filios Phaseron in tabernaculis ipsorum, & cœpit cadere, & crescere in virtutibus,
67 Simon vero, & qui cum ipso erant, exierunt de ciuitate, & succenderunt machinas.
68 Et pugnauerunt contra Bacchidem, & contritus est ab eis: & afflixerunt eũ valde, quoniam consilium eius, et congressus eius erat inanis.
69 Et iratus contra viros iniquos, qui ei consilium dederant vt veniret in regionem ipsorum, multos ex eis occidit: ipse autem cogitauit cum reliquis abire in regionem suam.
70 Et cognouit Ionathas et misit ad eum legatos componere pacem cum ipso, et reddere ei captiuitatem.
71 Et libenter accepit, et fecit secundũ verba eius, et iurauit se nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ eius.
72 Et reddidit ei captiuitatem quam prius erat prædatus de terra Iuda, et conuersus abiit in terrã suam, et non apposuit amplius venire in fines eius.
73 Et cessauit gladius ex Israel, et Ionathas in Machmas, et cœpit Ionathas ibi iudicare populum et exterminauit impios in Israel.

COMMENTARIVS.

TErtio tandem remisit Demetrius Rex *Bacchidem*, anno 152. cap. 9. à quo cum hostium ista-gem maximam edidisset, à tergo circumuentus Iudas, cecidit, cui & fratres, & populus vniuersus multo cum luctu iusta persoluerunt, v. 19. & sequentibus. Scribit verò Gorion c. 23. *Dominum præcepisse Iudæ, vt diem suum clauderet, colligeretur q; ad populos suos Hasidæos*: venisse Bacchidem cum 30000. (At hoc libro 1. cap. 9. versu 4. tantum 22000.) Vno in latere fuisse 15000. per medios cucurrisse Iudam ad Bacchidem, tam multis cæsis, vt cogeretur super omnes incedere, eosque tanquam iter calcare: instar Leonis, in die, quo inhiat prædæ, irruisse, quando scilicet ex eius facie tremor & horror apparet: Fugisse Bacchidem in Azotum, sed ab eo exeunte, reliquisque quindecim millibus, Iudam pugnæ labore vehementer fessum cecidisse. Quid vero significet in sinistro cornu eum cecidisse, exponit Cantipratensis lib. 2. c. 30. vbi dum Bacchidem sinistro huic cornu præfuisse dicit, intelligendus est, vel posteaquam cornu dextrum contrectum iam erat vers. 16. vel quia summus erat exercitus totius Dux. Non sunt vero præclare gesta Iudæ ipsius omnia hoc in libro descripta, sed vt liber Machabæorum secundus, est Iasonis epitome: ita hic liber prior, est Iudæ gestorum epitome versu 22. quemadmodum & in Euangelio quodam tantummodo Christi Domini gestorum compendium est, Iohannis 20. ver. 30.

Sed quæritur, *An rectè*, tam paucos cum haberet, *tantum in discrimen se conjecerit?* Respondeo, rectè, cùm heroicæ fortitudinis opus ediderit, ad quod rectè aggrediebatur, quia diuino auxilio à paucis magnas hostium copias sæpe fusas sciebat, neque ipsa expertus fuerat. Hostilibus enim viribus vt obuiam irent Abraham, Gedeon, Ionathas, Dauid, alii, quantos ipsi exercitus eduxerunt? Heroica fortitudo, non communem tritamque fortitudinis viam, sed arduam magis difficilioremque, Dei potius quam suo ipsius rõbori confidens, ingreditur. Ideoque suprà 2. Machab. vlt. vers. 7. *Machabæus autem semper confidebat cum omni spe, auxilium sibi à Domino affuturum*. Et ibidem v. 19. *allocutus est eos de lege & prophetis, admonens etiã certamina, quæ fecerunt prius*, siue vt in Græco adhuc sonantius est, τὰς ἐν προοιμίοις ἀνδρείας, οὔσας ἦσαν ἐκτελεκότες, *redigens ipsis in memoriã etiam certamina illa grauissima, quæ perfecerant*. Sibi ergo etiam ipsi eadem omnia hæc in memoriam reuocans, simulque magnifica illa, quæ in lege & prophetis promissa sunt, de quibus Deuter. 28. & hoc libro supra cap. 3. ver. 18. & 19. cap. 4. vers. 8. licque in hostes heros fortissimus irruit. *Dixerat* tamen, fuit ipse vers. 7. *conturbatus corde*, siue *dissolutus*. At fuit naturalis hæc quædam conturbatio, cui tamen vti consequa euenta monstrant; neque cessit, neque succubuit. *Difficile est*, inquit epist. ad Saluinam S. Hieronymus, *quem potius impossibile, perturbationi*

nis initijs carere quempiã, quas significantius Græci προπαθείας *vocant: nos, vt verbũ vertamus è verbo, ante passiones possumus dicere*. D. Thomas confractũ corde interpretatur *tædio affectũ, & hoc*, ait, *quia vehementè zelũ habebat, & ipsum prosequi non poterat*: Dices iterũ; fugere noluit, *ne gloriæ suæ maculã inferret* vers. 10. *Respondeo*, quemadmodum corporis viribus, fortunæ opibus, item q; gloriã & bona famã, sic imbecillitate, inopia, infamia & dedecore ad bonũ præcipuum q; finẽ, tanquam medio quodam vti licet. Ideoque quod Iudas fecisse hic dicitur, expressim iubetur Ecclesiastici 33. vers. 24. *Ne dederis maculã in gloria tua*. & ab eodem sapiente cap. 47. vers. 22. Salomoni obijcitur, *dedisti maculam in gloria tua*. Finis vero Iudæ præcipuus clare proponitur capite vltimo lib. 2. v. 18. cap. 3. lib. 1. vers. 59. videlicet vt Dei gloria, vera religio templi, sacrarumque cæremoniarum sanctitas defenderetur, ita vt in eo illa gloriæ cupiditas cernatur, quam *bonam & veram* statuit. D. Augustinus lib. 5. de ciuit. cap. 12. 14. & 18. illa verò vana & futilis abfuerit, quam ibidem idem Augustinus & cap. 13. 15. 17. 20. in Gentilibus Romanis improbat. *Gloriam nostrã*, ait, quæ ex Deo est, quæ in Deo, quæ propter Deum, & ad Deum. Nam illius beneficio & manu, ipsius sanctissimam legem & cæremonias, propter ipsius honorem & reuerentiam, vt ipse verus, & omnipotens ab omnibus Dominus haberetur, & coleretur, tot & tantas hactenus pij isti bellatores gesserant. Gloria ipsorum Deus est. Grauẽ *crimen* vocatur ἀνδρία. quasi diceret Iudas; nullam cuiquã gloriam, Deumque nostrum calumniandi, accusandi & criminandi occasionem demus, *ne dicant* scilicet *gentes, vbi est* Deus *eorum* Psalm. 78 vers. 10. ne impune blasphemet quisquam cum Nicanore lib. 2. cap. vlt. v. 5. Sanè verò scripsit Iosephus lib. 16. cap. 9 apud Iudæos moris esse, vt in benefactis non gloria spectetur, ad eamque quod agitur, referatur, sed ipsa tantum bonitas, virtusque adametur. Quin & summo id studio à tanto, tamque prudente viro factum sit, quis dubitet? Ideoque & ad obiectiunculas istas breuiter ac vere hoc loco D. Thomas. *Non*, ait, *hæc dixit confidens de seipso, sed de diuino auxilio* & dixit, *non inferamus crimen gloriæ nostræ, non tam humanæ quam diuinæ*, id est, *non tam in via quam in patria*.

Sed *obiectabit* adhuc forte aliquis; hanc Iudæ orationem vers 10. *Si appropiauit tempus nostrum, moriamur*, videri è superstitiosa impiaque fatali necessitate. olere aliquid, posseque huic suspicioni firmamentum è Iosepho lib. 13. cap. 9. substrui, dum ait τὸ τῶν Ἐσσηνῶν γένος θεσπότην πάντων ἀεὶ μεμαρτύρηται κυρίαν εἶναι φανέντα. *Essenorum genus fatum pronunciat omnium Dominum*. At sane cum se omnes quidem Iudæorum viuendi rationes, Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum aliquantum explorasse, tandemque Pharisæorum sectam sequutum in vita sua idem Iosephus aiat, nescio an in Essenos opinionis huius stultitiam deriuare potius, quam in Pharisæis hærere voluerit, quos quædam tantum fatò ascripsisse, cætera in hominum arbitrio libero posuisse refert: aut nõ satis eorum mentem explicarit, cum aliquando *fatum*, rectè vereque admitti possit, vti etiam in Philosophicis docet lib. 2. Physic. Toletus cap. 6. quæst. 11. Conimbricenses ibidem q. 1. art. 2. Suarez Metaphys. disput. 19. num. 9. Est enim, *fatum*, vt ait lib. 4. de consolatione Boëtius, *inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam diuina prouidentia, suis quaq; nectit ordinibus*. Qui verò aliter fatum fantur, *fatui* sunt, vt ait D. Augustinus trac. 37 in Ioh. lib. 5. de ciuit. 9. eamque fatuitatẽ non Essenis, sed Pharisæis tribuit S. Epiphanius hæresi 16. & videri potest insuper Iosephus lib. 18. cap. vlt. lib. 17. c. etiã vltimo. Abiit vero vt tã sinistrè optimi Machabæi sententiam interpretari quisquam audeat. Christvs Dominus, quia definitè suæ mortis tempus prænorat, absque vllo *si*, dicit, *appropinquauit hora, surgite eamus*. Iudas verò hic noster, temporis, quo mori deberet, incertus, præponit, hominũ more *si*, prout etiam locuti sunt S. Martinus apud Sulpitium, S. Ambrosius apud S. Paulinum, boni quotidie Christiani cum à Medicis desperantur. Si aduenit mortis hora, ea piè christianeque moriamur, sacramentis nos communiamus, animos Deo commendemus, vt nihil aliud iam dicatur quàm *fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*. Hinc D. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 41. *Quia*, inquit, *fortitudo non solum secundis rebus, sed etiam aduersis probatur, spectemus Iudæ Machabæi exitum. Is enim post victum Nicanorem Demetrij ducem, securior aduersus viginti millia exercitus Regis, cũ nongentis viris bellum adorsus, volentibus his cedere ne multitudine opprimeretur gloriosam magis mortem, quam turpem fugam sualit. Ne crimen*, inquit, *nostra relinquamus gloriæ. Ita q; commisso prælio, cum à primo ortu diei in vesperam dimicaretur, dexterum cornu, in quo validissimã manum aduersæ hostium aggressus facile auertit, sed tum fugientes sequitur, à tergo vulneri locum præbuit, ita gloriosiorem triumpho mortem inuenit*.

Pontificem Maximum fuisse tradit, vt in sociali etiam fœdere vidimus; Iosephus lib. 12. ca. 17. Sed quia verùm initi Pontificatus tempus præterierat, magno cum errore scripsit, post Alcimi mortem, ei hanc à populo dignitatem delatam, Nam Iudæ ipsi fuit superstes Alcimus, vt infrà vers. 57. explicatur, & suis seipsum verbis impedit & refutat Iosephus. Cum enim clare dicat, Alcimum Sacerdotio annos quatuor potitum, peruenisse ipse, vt ex supradictis constat; ad annũ 154. cùm Iudas iam anno 152. mortem opperat. Rursum lib. eodem 12. c. vlt. ait, tenuisse Iudam sacerdotium annos tres, vt annum 157. attigisse oporteret. A veritate verò, & à seipso dissonantissimè, ipsum, dum Pontificum catalogum lib. 20. cap. penultimo recenset, omnino tacuit, vti iam supra fol. 378. notaui. Ideoque verius sacerdotio magno Mathathiam, Iudamque starint à

Universidad de Deusto
Biblioteca

principio perfunctos, etiamsi Menelaus & Alcimus eundem à Regibus honorem impetrassent, armisque & dolis eundem occupare omni ratione studerent.

Eius vero Iudæ laus & fama tam illustris semper fuit, vt eius nomine soleant Christiani heroes decorari, qui pro religione, contra infideles egregiè dimicant, vt è Lotharingica domo, qui Hierosolymitanum regnum illustrissimi Duces recuperárunt, quorum primus Godefridus, vel coronam regalem gestare noluit, vt est apud Wilhelmum de bello sacro; vel certè nónisi spineam, vt in statuis Oenipontanis visitur, gestauit, prout notat Herculis Prodicij author Stephanus Vinandus Pighius. In eius, qui Hierosolymitanus Rex fuit secundus, sepulchro est hoc Epiraphium.

Rex Balduinus, Iudas alter Machabæus,
Spes patriæ, vigor Ecclesiæ, virtus vtriusque.

Ex eadem familia, qui tam mirabiliter tot hæreticorum in ipsa Galliæ viscera inuadentium copias olim deleuit, Illustrissimum Guisium audio, eodem Machabæi nomine tituloque à magnis quibusdam viris, ornatum. Quin &, in eadem Gallia, idem splendidissimum ante 700. annos nomen consecutus fuit Winchindi Saxonis filius Rupertus, vt est apud Auentinum libro 4. Est eiusdem Iudæ quoddam veluti epitaphium apud Iosephum, in extremo libro duodecimo.

Ionathas Iudæ frater, Dux & Pontifex, è Machabæis, tertius.

DE hoc à cap. 9. ver. 28. ad cap. 13. Iosephus libro 13. Et à morte Iudæ, vsque ad Antipatrum Herodis Regis patrem, porrigitur liber quartus Iosephi Gorionis. Fuit *Ionathas* Dux electus cap. 9. vers. 28. & ab eo etiam tempore Pontifex Maximus cap. 12. vers. 6. Fuerunt ei varia vel bella vel fœdera & amicitiæ cum variis Regibus; cum Demetrio scilicet, de quo hactenus; Alexandro Bala, Epiphanis Antiochi filio, Ptolemæo Philometore, Demetrio, superioris Demetrij filio, Tryphone Duce.

Anno igitur 152. cum à copiis, & ad bellum necessariis minus instructus esset, in Thecuæ desertum, vna cum paucis sese contulit ver. 33. Iambritas, qui fratrem Ioannem interfecerant, ver. 36. egregie vltus est, nuptiis eorum interceptis, & male mulctatis ver. 37. & sequentibus. Cum *Bacchide*, qui Iudam vicerat & occiderat, pugnauit ver. 43. Sed pro *mille*, qui ceciderunt vers. 49. Iosephus ponit duo millia. Is vero Bacchides munitiones complures excitauit, ver. 50. de quibus cap. 10. vers. 12. Sed obseruanda vers. 48. pugnæ ratio. Ipse Ionathas insiluit in Iordanem, & qui cum eo erant, sicque enatarunt. Sed in Græco additur, ὑπὲρ ἐκείνους τὸν πέραν τοῦ Ἰορδάνου. quod nostes vertit, *transnatauerunt ad eos Iordanem*. Quinam verò illi de quibus dicitur, *ad eos*? Sane ipsi illi sunt, qui cum Ionatha erant, & qui cum Bacchide tum erant, non sunt ausi ad Ionathæos in ripã alteram transnatare. Ideoque in Græco duo verba διενηξάμενοι enatarunt, & non διέβησαν transierunt, significant in Latino duo, *Dissiliit Ionathas, & qui cum eo erant, in Iordanem: & enatauerunt: & non transnatauerunt* (Bacchidæi scilicet) *ad eos Iordanem*.

Anno 153. cum impius *Alcimus* templi muros diruere. vers. 54. diuina vindicta miserrimè interiit vers. 55. vbi scelerum & diuinæ vindictæ comparatio videri potest vtilissima. Vnde & ad Regem rediit Bacchides. Sicque duobus annis 154. 155. pax Ionathæ, & quies in Iudæa fuit, talis, qualem initio cap. 3. lib. 2. scribit Florus. Quam ægrè cum ferrent impij, Bacchidem reuocarunt, qui plures occidit ver. 61. & Ionatham, eiusque fratrem Simonem Bethbessæ obtedit vers. 62. Quam Iosephus Flauius vocat Berhalagam villam, Gorion lib. 4. cap. 1. Beersehebam; Græcus textus βαιθβασὶ. Sed erupit Ionathas, Bacchidis tentorium, vt ait Gorion, imuasit; ipsumque, non Odomiram, sed vt recte noster textus vers. 66. *Odaiem*, Græcè Ὀδαΐην, seu, vt Gorion. cap. 1. lib. 4. *Hadarahan* cum fratribus interfecit, & regionem victor peragrauit vers. 66. Bacchides vero à Simone, Hasamonæis stirpe, vt addit Gorion, hac in obsidione tam malè acceptus est, vt impios qui eum reuocarunt, interfici curarit, pacem cum Ionatha inierit, neque in Iudæam amplius redierit; sicque totos quinque annos secutos fuit Ionathæ pax. Fugiens enim *Bacchides* in desertum, fuerat à Ionatha & fratribus *captus*, sed is supplex factus, iurauit, se, quæ abduxerat, omnia redditurum, vt est apud Gorionidem.

CAPVT X. LIBRI I.

1 ET anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis: & occupauit Ptolemaidē: & receperūt eū, & regnauit illic.
2 Et exaudiuit Demetrius rex, & congregauit exercitum copiosum valde, & exiuit obuiam illi in prælium.
3 Et misit Demetrius epistolam ad Ionathan verbis pacificis, vt magnificaret eum:

4 dixit enim: Anticipemus facere pacem cum eo, priusquam faciat cum Alexandro aduersum nos.
5 recordabitur enim omnium malorum quæ fecimus in eum, & in fratrem eius, & in gentem eius.
6 Et dedit ei potestatem congregandi exercitum, & fabricare arma, & esse ipsum socium eius, & obsides, qui erant in arce iussit tradi ei.
7 Et venit Ionathas in Ierusalem, & legit epistolas in auditu omnis populi, & eorum qui in arce erant.
8 Et timuerunt timore magno, quoniam audiuerunt quod dedit ei rex potestatem congregandi exercitum.
9 Et traditi sunt Ionathæ obsides, & reddidit eos parentibus suis.
10 & habitauit Ionathas in Ierusalem & cœpit ædificare, & innouare ciuitatem.
11 Et dixit facientibus opera, vt extruerēt muros, & montem Sion in circuitu lapidibus quadratis ad munitionem: & ita fecerunt.
12 Et fugerunt alienigenæ, qui erant in munitionibus, quas Bacchides ædificauerat.
13 & reliquit vnusquisque locum suum, & abiit in terram suam.
14 Tantum in Beth-sura remanserunt aliqui ex his, qui reliquerant legem, & præcepta Dei, erat enim hæc eis ad refugium.
15 Et audiuit Alexander rex promissa, quæ promisit Demetrius Ionathæ: & narrauerunt ei prælia, & virtutes, quas ipse fecit, & fratres eius, & labores, quos laborauerunt.
16 et ait: Nunquid inuenienus aliquem virum talem? & nunc faciemus eum amicum, & socium nostrum.
17 Et scripsit epistolam, & misit ei secundū hæc verba dicens:
18 Rex Alexander fratri Ionathæ salutem.
19 Audiuimus de te quod vir potens sis viribus, & aptus es vt sis amicus noster.
20 & nunc constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ, & vt amicus voceris regis, (& misit ei purpuram, & coronam auream) & quæ nostra sunt sentias nobiscum, & conserues amicitias ad nos.
21 Et induit se Ionathas stola sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo in die solenni scenopegiæ: & congregauit exercitum, & fecit arma copiosa.
22 Et audiuit Demetrius verba ista, & contristatus est nimis, & ait.
23 Quid hoc fecimus, quod præoccupauit nos Alexander apprehendere amicitiam Iudæorum ad munimen sui?
24 Scribam & ego illis verba deprecatoria & dignitates, & dona: vt sint mecū in adiutorium.
25 Et scripsit eis in hæc verba: Rex Demetrius genti Iudæorum salutem.
26 Quoniam seruastis ad nos pactum, & mansistis in amicitia nostra, & non acquieuistis ad inimicos nostros, audiuimus, & gauisi sumus.
27 Et nunc perseuerate adhuc conseruare ad nos fidem, & retribuemus vobis bona pro his quæ fecistis nobiscum.
28 et remittemus vobis præstationes multas, & dabimus vobis donationes.
29 Et nunc absoluo vos & omnes Iudæos à tributis, & pretia salis indulgeo, & coronas remitto, & tertias seminū:
30 Et dimidiam partem fructus ligni quod est portionis mea, relinquo vobis ex hodierno die, & deinceps, nec accipiatur à terra Iuda, & à tribus ciuitatibus, quæ additæ sunt illi ex Samaria, & Galilæa ex hodierna die, & in totum tempus.
31 & Ierusalem sit sancta, & libera cum finibus suis: & decimæ, & tributa ipsius sint.
32 Remitto etiam potestatem arcis, quæ est in Ierusalem: & do eam summo sacerdoti, vt constituat in ea viros, quoscunque ipse elegerit, qui custodiant eam,
33 Et omnem animam Iudæorum, quæ captiua est à terra Iuda in omni regno meo relinquo liberam gratis, vt omnes à tributis soluantur, etiam pecorum suorum.
34 Et omnes dies solennes, & sabbatha, & neomeniæ, & dies decreti, & tres dies ante diem solennem, & tres dies, post diem solennem sint omnes immunitatis et remissionis omnibus Iudæis, qui sunt in regno meo.
35 Et nemo habebit potestatem agere aliquid, & mouere negotia aduersus aliquē illorum in omni causa.
36 Et adscribantur ex Iudæis in exercitu regis ad triginta millia virorum: & dabuntur illis copiæ vt oportet omnibus exercitibus regis, & ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni:
37 et ex his constituentur super negotia regni, quæ agentur ex fide. & principes sint ex eis, & ambulent in legibus suis, sicut præcepit rex in terra Iuda.
38 Et tres ciuitates, quæ additæ sunt Iudææ ex regione Samariæ, cum Iudæa reputentur: vt sint sub vno, & non obediant alii potestati, nisi summi sacerdotis.
39 Ptolemaida, & confines eius, quas dedi donum sanctis, qui sunt in Ierusalem ad necessarios sumptus sanctorum.
40 Et ego do singulis annis quindecim millia siclorum argenti de rationibus regis, quæ me contingunt:

Universidad de Deusto
Biblioteca

41 Et omne, quod reliquum fuerit, quod non rededuerant qui super negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus.

42 Et super hæc quinque millia sicelorum argenti, quæ accipiebant de sanctorum ratione per singulos annos: & hæc ad sacerdotes pertineant, qui ministerio funguntur.

43 Et quicunque confugerint in templum quod est Ierosolymis, & in omnibus finibus eius; obnoxii regi in omni negotio dimittantur, & vniuersa, quæ sunt eis in regno meo libera habeant.

44 Et ad ædificandas vel restaurandas opera sanctorum, sumptus dabuntur de ratione regis:

45 Et ad extruendos muros Ierusalem, & communiendos in circuitu, sumptus dabuntur de ratione regis, & ad construendos muros in Iudæa.

46 vt audiuit autem Ionathas, & populus sermones istos, non credidérunt eis, nec receperunt eos: quia recordati sunt malitiæ magnæ quam fecerat in Israel, et tribulauerat eos valde.

47 Et complacuit eis in Alexandrum, quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis, ipsi auxilium ferebant omnibus diebus.

48 Et congregauit rex Alexander exercitũ magnum, & admouit castra contra Demetrium.

49 Et commiserunt prælium duo reges, & fugit exercitus Demetrii, & insecutus est eum Alexander, & incubuit super eos.

50 Et inualuit prælium nimis, donec occidit sol: & cecidit Demetrius in die illa.

51 Et misit Alexander ad Ptolemæum regem Ægypti legatos secundum hæc verba, dicens.

52 Quoniam regressus sum in regnum meum, & sedi in sede patrum meorum, & obtinui principatum & contriui Demetrium, & possedi regionem nostram.

53 Et commisi pugnam cum eo, & contritus est ipse, & castra eius à nobis, & sedemus in sede regni eius.

54 & nunc statuamus adinuicem amicitiam: & da mihi filiam tuam vxorem, & ego ero gener tuus & dabo tibi dona, & ipsi digna te.

55 Et respondit rex Ptolemæus, dicens: Forte lix dies, in qua reuersus es ad terram patrum tuorum, & sedisti in sede regni eorum.

56 Et nunc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemaidam, vt videamur inuicem nos, & spondeam tibi sicut dixisti.

57 Et exiuit Ptolemæus de Ægypto, ipse & Cleopatra filia eius, & venit Ptolemaidam anno centesimo sexagesimo secundo.

58 Et occurrit ei Alexander rex & dedit ei Cleopatram filiam suam: & fecit nuptias eius Ptolemaidæ, sicut reges in magna gloria.

59 Et scripsit rex Alexander Ionathæ, vt veniret obuiam sibi.

60 Et abiit cum gloria Ptolemaidam, & occurrit ibi duobus regibus, & dedit illis argentum multum, et aurum, et dona: et inuenit gratiam in conspectu eorum.

61 Et conuenerunt aduersus eum viri pestilentes ex Israel, viri iniqui interpellantes aduersus eũ: et non intendit ad eos rex.

62 Et iussit spoliari Ionathan vestibus suis, et indui eum purpura: & ita fecerunt. Et collocauit eum rex sedere secum.

63 Dixitq; principibus suis: Exite cum eo in medium ciuitatis, & prædicate, vt nemo aduersus eum interpellet de vllone negotio, nec quisquam ei molestus sit de vlla ratione.

64 Et factum est, vt viderunt, qui interpellebant gloriam eius, quæ prædicabatur & opertum eum purpura, fugerunt oẽs.

65 Et magnificauit eum rex, & scripsit eum ducem, & participem principatus.

66 Et reuersus est Ionathas in Ierusalem cũ pace & lætitia.

67 In anno centesimo sexagesimoquinto, venit Demetrius filius Demetrii à Creta in terram patrum suorum.

68 Et audiuit Alexander rex, & contristatus est valde, et reuersus est Antiochiam.

69 Et constituit Demetrius rex Apollonium ducem, qui præerat Cœlesyriæ: & cõgregauit exercitum magnum, & accessit ad Iamniam: & misit ad Ionathæm sũmum sacerdotem.

70 dicens: Tu solus resistis nobis: ego autem factus sum in derisum, & in opprobrium propterea quia tu potestatem aduersum nos exerces in montibus.

71 Nunc ergo si confidis in virtutibus tuis, descende ad nos in campum, vt comparemus illic inuicem, quia mecum est virtus bellorum.

72 Interroga, & disce quis sum ego, & cæteri, qui auxilio sunt mihi, qui & dicũt quia non poterit stare pes vester ante faciem nostram, quia bis in fugam conuersi sunt patres tui in terra sua:

73 Et nunc quomodo poteris sustinere equitatum & exercitum tantum in campo, vbi non est lapis neque saxum neq; locus fugiendi?

74 Vt audiuit autem Ionathas sermones Apollonii, motus est animo: et elegit decẽ millia virorũ, & exiit ab Ierusalem, et occurrit ei Simon frater eius in adiutoriũ.

75 Et applicuerunt castra in Ioppen, & excluserunt eum à ciuitate: quia custodia Apollonij Joppe erat, & oppugnauit eam.

76 Et exterriti qui erant in ciuitate, aperuerunt ei, & obtinuit Ionathas Ioppen.

77 Et audiuit Apollonius, & admouit tria millia equitum, & exercitum multum.

78 Et abijt Azotum tanquam iter faciens, & statim exiit in campum, eo quod haberet multitudinem equitũ, & confideret in eis. Et insecutus est eum Ionathas in Azotum, & commiserunt prælium.

79 Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occultè.

80 Et cognouit Ionathas quoniam insidiæ sunt post se, & circuierunt castra eius, & iecerunt iacula in populum à manè vsque ad vesperam.

81 Populus autem stabat, sicut præceperat Ionathas: & laborauerunt equi eorum.

82 Et eiecit Simon exercitum suum, & commisit contra legionem, equites enim fatigati erant: & contriti sunt ab eo, & fugerunt.

83 Et qui dispersi sunt per campum, fugerunt in Azotum, & intrauerunt in Bethdagon idolum suum, vt ibi se liberarent.

84 Et succendit Ionathas Azotum, & ciuitates, qui erant in circuitu eius, & accepit spolia eorum, & templum Dagon: & omnes, qui fugerant in illud succendit igni.

85 Et fuerunt qui ceciderunt gladio cum his, qui succensi sunt: fere octo millia virorum.

86 Et mouit inde Ionathas castra, & applicuit ea Ascalonem: & exierunt de ciuitate obuiam illi in magna gloria.

87 Et reuersus est Ionathas in Ierusalem cum suis, habentibus spolia multa.

88 Et factum est: vt audiuit Alexander rex sermones istos, addidit adhuc glorificare Ionathan.

89 Et misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum, & dedit ei Accaron, & omnes fines eius in possessionem

COMMENTARIVS.

ANNO 160. bellum inter *Demetrium* Regem & *Alexandrum*, qui apud Iosephum lib. 13. *Belli* cap. 3. apud Strabonem lib. 16. *Balas* dicitur, ortum est. Hic erat Epiphanis Antiochi filius, vel saltem esse se dicebat, prout lib. 35. tradit Iustinus. Appianus loc. cit. vbi ait, mētitum eum, ex Seleuci scilicet primi, genere se procreatum: infimæ sortis hominem fuisse, dictumque ante *Pompanum* ait idem Iustinus & Liuij epitome lib. 52. quemadmodum hoc eodem tempore prodiit, qui contra Romanos bellum Macedonicum tertium excitauit *Pseudophilippus*, de quo lib. 2. Florus cap. 14. Epitome Liuij lib. 49. & postea rursum *Pseudoalexander* alius, de quo Iosephus lib. 17. cap. 14. Quia ergo verus Antiochi Epiphanis filius non fuit Alexander hic, cum vers. primo, vocatur *filius*, intelligendum erit *exapsiw*, scilicet *affirmatione, & plerorumque opinione*. Cum enim propter ignauiam & superbiam odiosus admodum suis esset Demetrius, illum, vti narrat Iosephus, primò Ptolemæenses, deinde alij Regem crearunt, Demetrio relicto. Hinc Rex vterque Ionathan sibi adiungere, multis magnisque promissis & donis, studuit; Primò quidem *Demetrius* vers. 3. sed multo prolixius & efficacius *Alexander* vers. 15. Et fratrem suum vocat Ionathan vers. 18. id est, magnum amicum, qui fratris instar esset, quemadmodum lib. 2. cap. 11. vers. 22. Antiochus Lysiam. Addidit alia Demetrius vers. 25. Sed Alexandro Ionathas cum Iudæis reliquis adhæsit, vers. 46. Sicque ab Alexandro pugna commissa victus Demetrius vers. 50. & equo ipsius cadente, hostium telis vulneribus obrutus, vt apud Iosephum est lib. 13. cap. 5.

Anno verò 162. *cum Ptolemæo Philometore* affinitatē iniit, victor *Alexander*, eiusque filiam Cleopatram vxorem duxit, vers. 51. & sequentib. Nota, his ipsis temporibus, vti scribit lib. 13. cap. 6. Iosephus, *Oniam* filium boni illius Oniæ Pontificis, de quo lib. 2. c. 3. & c. vlt. petisse à Ptolemæo, templi in Ægypto ædificandi potestatem, quod Hierosolymitano esset simile, & vbi Pontificatum gerere posset, eamque ad rem Isaiæ verbis cap. 19. de templo in Ægypto quandoq; excitando, quod Ecclesia Christiana erat, vt ostendit in caput illud, & Danielis 11. S Hieronymus, & lib. 5. Sybilla, abusus est. Et quia *templum* hoc *in Heliopolitana* Ægypti portione, seu *nomo* fuit, ad Leontopolim, ideo *Heliopolitanum templum* dictum est, vt hoc ipso tempore tria Iudæorum templa essent; sed vnum verum, vbi verus Pontifex, Pontificatusq; successio, Hierosolymitanum scilicet, reliqua duo veluti schismatica, hoc *Ægyptiacum*, & *Garizitanum*, de quo sub Esdræ finem dixi. Monet ibidem Iosephus, cum inter Iudæos & Samaritas, de religionis & templi sanctitate lis esset, Ptolemæum istum, *ex successione Pontificum* non interrupta, causam Hierosolymitanis adiudicasse, magno cum aliorum detrimento & sanguine. Sed Ionathas noster fuit quidem adpud Ptolemæum accusatus & apud Alexandrum, magis tamen magisque semper cultus & honore affectus vers. 62.

):(

De alter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

De altero Demetrio rege.

EXORTVS verò est anno 165. Demetrij filius *Demetrius*, quem Iosephus cap. 8. *Nicanora* cognominat, quemque videtur Gorion lib. 4. cap. 1. vocare Antiochum, quod Syriorum Reges omnes *Antiochi* dicerentur, vt ait in Ezech. 29. D. Hieronymus. Is contra Ionathan vers. 70. & Simonem, *Apollonium* quendam misit, alium à superioribus, quem tamen Iosephus Alexandri Ducem facit cap. 8. Sed Ionathas eum repulit vers. 78. *Dagonisq; templum* incendit, vers. 84. & ab Alexandro rursum maiore gloria nobilitatus vers. 88. Patet vero ex vers. 84 & ex Græco textu legendum vers. 83. non *idolum*, sed *idolium*, τὸ εἰδωλεῖον, prout eandem vocem retinuit Interpres, 1. Corint. 8. vti suprà fol. 396. in simili dicebam. Dum vero dicitur vers. 21. se induisse Ionathas *stola sancta*, siue Pontificali veste, non accipiendum, quasi tum primò Pontificiam dignitatem & officium inierit, cum istud iam factum sit anno 160. vt ait versus 1. & 2. Iudas verò mortuus sit anno 152. Quid enim causę fuisset, cur non vt in cætero principatu, sic & in Pontificatu, fratri succederet? Iosephus quidem lib. 13. cap. 5. condidit Pontificem, toto eo tempore, quod nonnisi quadriennio definit; nullum fuisse, sed non veritati modo, verum sibi etiam ipsi repugnat, cum Alcimum, qui Iudæ superfuit; Pontificem aliquoties dixerit. Nunc ergo non simpliciter omniū primo Pontificiam stolam induit Ionathas: sed primo tantum *quoad bonam Regis veniam, & concessionem*. Solebant vero, ipsa scenopegiorum solennitate maxime, suo in Pontificali habitu; conspici Pontifices, vt etiam apud Iosephum lib. 15. cap. 3. *Dies decreti* vers. 34. sunt, qui ad sacros cœtus, ferias, & cæremonias indicebantur. Iosephus tantummodo dicit, *omnem festum diem*. *Laborauerūt* vers. 18. *equi eorum*, quos scilicet in insidiis reliquerat Apollonius. Quæ amicis, & iis quos honore maximo afficere vellent, Reges tribuerent, ornamenta semper aliqua fuerunt, vt in Esther satis perspectum est, & perspicitur hoc capite 10. vers. 20. & infra cap. 14. vers. 44. itemque ex Iosepho lib. 13. cap. 8. lib. 20. cap. 2. sed *auream fibulam* dicit, D. Thomas hoc capite, *in mulieribus* quidem *esse pectoris ornamentum, in militibus cingulum*. Sanè in muliebribus ornamētis fibulas enumerat Homerus Iliad. 6. & ex eo, vt videtur; Plinius lib. 33. cap. 7. in militaribus vero Liuius lib. 39. Sed tam in viris quam in fœminis eæ vel ad pectus vel ad cingulum, vel ad quamcumque aliam vestium partem applicabantur, vt ex iis longiora & fluxiora vestimenta subnecti possent. Vnde & Poeta Æneid. 4. *Aurea purpuream subnectit fibula vestem*, & alius. *Rasilis hinc summam mordebat fibula vestem*. Quia vero vel ipsa vestibus infigebatur, vel ei vestium orę ipsæ, ideo à Græcis περόνη aut ἄορτη. vt hoc loco & infra cap. 14. vocatur. Putant vero præstantissima doctrina homines *annulum aureum*, de quo S. Iacobus cap. 2 vers. 2. loquitur; nihil aliud quam fibulam istiusmodi fuisse. Assentiri tamen haud possum. Duo enim quæ in hominibus splendida videantur; nominat Apostolus, *annulum* scilicet *aureum* & *vestem candidam* siue *splendidam*. & hæc ornamēta distincta esse, distincteque illic iumi, potest intelligi *primo*, ex ipsa oppositione, cum pauper in *sordido habitu* dicatur, ideoque & diues *esse* intelligitur *in veste* illa *splendida*, non ipse annulus. *Deinde* ver. 3. subditur aperte diues *indutus veste praclara*. *Tertio*, Syriacus textus particulam *aut* quæ duo illa disiungat, interposuit sic *annulum aureum habens aut in veste candida*. *Quarto* in Græco ait Apostolus ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ. Fibula vero non δακτύλιον, sed vt dixi; περόνη vocatur. Et quidem istud olim ornamentum paucis admodum concedebatur, prout hic ostenditur vers. 89. Hodie vero & fibulæ argenteæ aureæque, & enses, & vestes, & quid non pæne omnibus licet? Militibus verò pro militaribus præmiis dari etiam solitas patet ex adducto Liuij loco.

CAPVT XI. LIBRI I.

1 ET rex Ægypti congregauit exercitum sicut arenam, quæ est circa eram maris, & naues multas: & quærebat obtinere regnum Alexandri dolo, & addere illud regno suo.

2 Et exiit in Syriam verbis pacificis, & aperiebant ei ciuitates, & occurrebant ei: quia mandauerat Alexāder rex exire ei obuiam, eo quod socer suus esset.

3 Cum autem introiret ciuitatem Ptolemæus, ponebat custodias militum in singulis ciuitatibus.

4 Et vt appropiauit Azoto, ostenderūt ei templum Dagon succensum igni, & Azotum, & cætera eius demolita, & corpora proiecta, & eorum, qui cæsi erant in bello, tumulos quos fecerant secus viam.

5 Et narrauerunt Regi quia hæc fecit Ionathas, vt inuidiam faceret ei: & tacuit rex.

6 Et occurrit Ionathas regi in Ioppen cum gloria, & inuicem se salutauerunt, & dormierunt illic.

7 Et abiit Ionathas cum rege vsque ad fluuium, qui vocatur Eleutherus: & reuersus est in Ierusalem.

8 Rex autem Ptolemæus obtinuit dominium ciuitatum, vsque Seleuciam maritimam, & cogitabat in Alexandrum consilia mala.

9 Et

9 Et misit legatos ad Demetrium, dicens: VENI, componamus inter nos pactum, & dabo tibi filiam meam, quam habet Alexander, & regnabis in regno patris tui.

10 pœnitet enim me, quod dederim illi filiā meam: quæ fuit enim me occidere.

11 Et vituperauit eum, propterea quod cōcupierat regnum eius.

12 Et abstulit filiam suam & dedit eam Demetrio, & alienauit se ab Alexandro, & manifestata sunt inimicitiæ eius.

13 Et intrauit Ptolemæus Antiochiam, & imposuit duo diademata capiti suo, Ægypti, & Asiæ.

14 Alexander autem rex erat in Cilicia illis temporibus: quia rebellabant qui erāt in loco illo.

15 Et audiuit Alexander, & venit ad eū in bellum: & produxit Ptolemæum rex exercitum, & obtriuit ei in manu valida, & fugauit eum.

16 Et fugit Alexander in Arabiam, vt ibi protegeretur: rex autem Ptolemæus exaltatus est.

17 Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexandri: & misit Ptolemæo.

18 Et rex Ptolemæus mortuus est in die tertia: & qui erant in munitionibus perierunt ab his, qui erant intra castra.

19 Et regnauit Demetrius anno centesimo sexagesimoseptimo.

20 In diebus illis cōgregauit Ionathas eos, qui erant in Iudæa, vt expugnarent arcē, quæ est in Ierusalem: & fecerunt contra eam machinas multas.

21 Et abierunt quidam qui oderant gentē suam viri iniqui ad regem Demetrium, & renunciauerunt ei quod Ionathas obsideret arcem.

22 Et vt audiuit iratus est: & statim venit ad Ptolemaidam, & scripsit Ionathæ ne obsideret arcem, sed occurreret sibi ad colloquium festinatò.

23 Vt audiuit autem Ionathas, iussit obsidere: & elegit de senioribus Israel, & de sacerdotibus, & dedit se periculo.

24 Et accepit aurum, & argentum, & vestem, & alia xenia multa, & abiit ad regem Ptolemaidam, & inuenit gratiam in conspectu eius.

25 Et interpellabant aduersus eum quidā iniqui ex gente sua.

26 Et fecit ei rex sicut fecerant ei, qui ante eum fuerant: & exaltauit eum in cōspectu omnium amicorum suorum.

27 & statuit ei principatum sacerdotij, & quæcunque alia habuit prius pretiosa, & fecit eum principem amicorum.

28 Et postulauit Ionathas à rege vt immunem faceret Iudæam, & tres toparchias, & Samariam, & confines eius: & promisit ei talenta trecenta.

29 Et consensit rex: & scripsit Ionathæ epistolas de his omnibus, hunc modum continentes.

30 REX Demetrius fratri Ionathæ salutem, & genti Iudæorum.

31 Exemplum epistolæ, quam scripsimus Lastheni parenti nostro de vobis, misimus ad vos vt sciretis:

32 Rex Demetrius Lasthheni parēti salutē.

33 Genti Iudæorū amicis nostris, & conseruantibus quæ iusta sunt apud nos, decreuimus benefacere propter benignitatē ipsorum quam erga nos habent.

34 Statuimus ergo illis omnes fines Iudææ, & tres ciuitates, Lydan, & Ramatham, quæ additæ sunt Iudææ ex Samaria, & omnes confines earum sequestrari omnibus sacrificantibus in Ierosolymis pro his, quæ abeis prius accipiebat rex per singulos annos, & pro fructibus terræ, & pomorum.

35 Et alia, quæ ad nos pertinebant decimarum, & tributorum ex hoc tempore remittimus eis: & areas salinarum, & coronas quæ nobis debebantur,

36 omnia ipsis concedimus: & nihil horū irritum erit ex hoc, et in omne tempus.

37 Nunc ergo curate facere horum exemplum, & detur Ionathæ, & ponatur in monte sancto, in loco celebri.

38 Et videns Demetrius rex quod siluit terra in conspectu suo, & nihil ei restitit, dimisit totū exercitum suum, vnumquēque in locum suum, excepto peregrino exercitu, quem contraxit ab insulis Gentiū: & inimici erant ei omnes exercitus patrum eius.

39 Tryphon autem erat quidam partium Alexādri primi. & vidit quoniam omnis exercitus murmurabat contra Demetriū, & iuit ad Emalchuel Arabē, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri:

40 & assidebat ei, vt traderet eum ipsi, vt regnaret loco patris sui: & enunciauit ei quanta fecit Demetrius, & inimicitias exercituum eius aduersus illum. Et mansit ibi diebus multis.

41 Et misit Ionathas ad Demetrium regem, vt ejiceret eos, qui in arce erāt in Ierusalem, & qui in præsidiis erant: quia impugnabant Israel.

42 Et misit Demetrius ad Ionathan, dicens: Non hæc tantum faciam tibi, & gēti tuæ, sed gloria illustrabo te, & gentem tuam cum fuerit opportunum.

43 Nūc ergo recte facies, si miseris in auxilium mihi viros: quia discessit omnis exercitus meus.

44 Et misit ei Ionathas tria millia virorum fortium Antiochiam: & venerunt ad regem, & delectatus est rex in aduentu eorum.

45 Et

Universidad de Deusto Biblioteca

45 Et conuenerunt, qui erāt de ciuitate, centum viginti millia virorum, & volebant interficere regem.
46 Et fugit rex in aulam: & occupauerūt qui erant de ciuitate, itinera ciuitatis. & cœperunt pugnare.
47 Et vocauit rex Iudæos in auxilium, & conuenerunt omnes simul ad eum, & dispersi sunt omnes per ciuitatem.
48 & occiderunt in illa die centum millia hominum, & succenderunt ciuitatem, & ceperunt spolia multa in die illa, & liberauerunt regem.
49 Et viderunt qui erāt de ciuitate, quod obtinuissent Iudæi ciuitatem sicut volebant: & infirmati sunt mente sua, & clamauerunt ad regē cum precibus, dicentes:
50 Da nobis dextras, & cessent Iudæi oppugnare nos, & ciuitatem.
51 Et proiecerunt arma sua, & fecerunt pacem, & glorificati sunt Iudæi in conspectu regis, & in conspectu omnium, qui erant in regno eius, & nominati sunt in regno: & regressi sunt in Ierusalem habentes spolia multa.
52 Et sedit Demetrius rex in sede regni sui: & siluit terra in conspectu eius.
53 Et mentitus est omnia quæcunque dixit, & abalienauit se à Ionatha, & nō retribuit ei secundum beneficia, quæ sibi tribuerat, & vexabat eum valde.
54 Post hæc autem reuersus est Tryphon, & Antiochus cum eo puer adolescens, & regnauit, & imposuit sibi diadema:
55 Et congregati sunt ad eum omnes exercitus, quos disperserat Demetrius, & pugnauerunt contra eum: & fugit, & terga vertit.
56 Et accepit Tryphon bestias, & obtinuit Antiochiam.
57 & scripsit Antiochus adolescens Ionathæ; dicens: Constituo tibi sacerdotium, & constituo te super quatuor ciuitates, vt sis de amicis regis.
58 Et misit illi vasa aurea in ministeriū, & dedit ei potestatem bibendi in auro, & esse in purpura, & habere fibulam auream:
59 & Simonem fratrem eius constituit ducem à terminis Tyri vsq; ad fines Ægypti.
60 Et exijt Ionathas, & perambulabat transflumen ciuitatis: & congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, & venit Ascalonem; & occurrerūt ei honorificè de ciuitate.
61 Et abijt inde Gazam: & concluserunt se qui erant Gazæ: & obsedit eam, & succendit qui erant in circuitu ciuitatis, & prædatus est ea.
62 Et rogauerunt Gazenses Ionathan, & dedit illis dextram: & accepit filios eorū obsides, & misit illos in Ierusalem: & perambulauit regionem vsque Damascum.
63 Et audiuit Ionathas quod præuaricati sunt principes Demetrij in Cades, quæ est in Galilæa, cum exercitu multo, volentes eum remouere à negotio regni:
64 Et occurrit illis: fratrem autem suum Simonem reliquit intra prouinciam.
65 Et applicuit Simon ad Bethsuram, & expugnabat eam diebus multis, & conclusit eos.
66 Et postulauerunt ab eo dextras accipere, & dedit illis: & eiecit eos inde. & cepit ciuitatem, & posuit in ea præsidium.
67 Et Ionathas, & castra eius applicuerunt ad aquam Genesar, & ante lucem vigilauerunt in campo Asor.
68 Et ecce castra alienigenarum occurrebant in campo, & tendebant ei insidias in montibus: ipse autem occurrit ex aduerso.
69 Insidiæ vero exsurrexerūt de locis suis, & commiserunt prælium.
70 Et fugerunt qui erant ex parte Ionathæ omnes, & nemo relictus est ex eis, nisi Mathathias filius Absalomi, & Iudas filius Calphi princeps militiæ exercitus.
71 Et scidit Ionathas vestimenta sua, & posuit terram in capite suo, & orauit.
72 Et reuersus est Ionathas ad eos in prælium, & cōuertit eos in fugam, & pugnauerunt.
73 Et viderunt qui fugiebant partis illius, & reuersi sunt ad eum, & insequebantur cum eo omnes vsque Cades ad castra sua, & peruenerunt vsque illuc.
74 Et ceciderunt de alienigenis in die illa tria millia virorum: & reuersus est Ionathas in Ierusalem.

COMMENTARIVS.

PTOLEMÆVS genero suo Alexandro, vrbes plures per affinitates & amicitiæ simulationem eripuit, filiamque suam eidem Alexandro ereptam, Demetrio tradidit vxorem, qui Demetrius Alexandrum fugauit ver. 15. Et sic *Alexander* ver. 17. *occisus* est, anno regni sui quinto. vt notat Iosephus lib. 13. cap. 8. vbi Zabelus vocatur Arabs, qui ver. 17. in nostro & Græco *Zabdiel*. Vide Iustini verba vltima lib 35.

Anno verò 167. Demetrius Demetrij filius, ab obsidione arcis Hierosolymitanæ desistere, sibique obuiam venire ipsum Ionathan iussit. Cum verò in hoc posteriori ver. quarto acquieuisse Ionathan, expresse dicat textus; mirum cur in priori non acquieuerit? Et quomodo tantam à Rege gratiam iniisset? An in Græco excidit μὴ quod antea vers. 22. positum erat, vt legendum sit ἐκέλευσε μὴ περικαθῆσθαι, & in Latino, *iussit non obsidere*, vel, *iussit supersedere*, vel *abscedere*. At istud *non*, tunc in Iosepho redundaret, qui lib. 13. cap. 8. scripsit τὴν μὲν πολιορκίαν οὐκ ἔπαυσε, *obsidionem nō soluit*. An iussit obsideri arctius, vt fieri si posset, antequam ad Regem iret, caperet: aut forte nē iret, quidem, si capere potuisset? Sed cum non potuerit, *dedit se periculo* tam ob causam modo dictam, quam ob amicitiam cum Alexandro initam. At ver. 24. non modo, mali nihil passus est, sed ei etiam Rex magnas immunitates & priuilegia dedit ver. 30. 31. vbi honoris causa vocat *patrem* suum Lasthenem, vti supra dictum. At ver. 34. *ciuitates* vocantur non vrbes aut vrbium incolæ tantum: sed, vt lib. 1. belli Gallici apud Cæsarem, communitates prouinciarum aliquæ, seu, vt in Somnio Cicero, concilia, hominumque cœtus iure sociati: qui *præfecturæ* etiam vocantur, hic ver. 28. *toparchiæ*, à Iosepho *Satrapiæ*, & hoc versu, itemque 57. pro ciuitatibus sunt, οἱ νόμοι, prout in Ægypto nominatos fuisse in Exodo monui. *Tres* verò ciuitates cum dicantur, solarum tamen duarum nomina Latinus textus habet; sed Græcus trium; & primo quidē loco tradit ἀφαίρεμα, tum Lyddam & Ramathan. Videtur autem prima illa, esse *Ephrem*, de qua Ioannis 11. vbi mirandum non est, Græcè vocari ἐφραίμ, cum ipsum Syrorum vel Hebræorum αι mutetur in η, quemadmodum pro *Hierusalaim* dicitur *Hierusalem*. At ista erat in Iudææ vrbibus iuxta eius desertum. Istæ vero toparchiæ, quæ à Rege dabantur, erant extra Iudæam, cum ei addantur. Iosephus cap. 8. lib. 13. fuisse ait Toparchias Samariæ, Ioppes, & Galilææ. Postea tamen dicuntur, ἀφαίρεμα, *Lydda, & Ramatha*. Est autem hic in Græco textu ῥαμαθέμ. Versus 34. ex Græco textu & Iosepho lucis aliquid mutuari potest. Et ver. 35. *areas salinarum* Græcus λίμνας ἁλός, *stagna salis* vocat. De salariis reditibus, & aliis agit lib. 2. Admir. c. 1. Lipsius.

Tunc exercitum dimisit Demetrius vers. 38. & grauis contra eum exorta seditio per Triphonem, & per Antiochenos vers. 39. Ille antea vocabatur *Didotus*: sed seipsum, vt Appianus inquit, *Tryphonem* nominauit. *Apameum* Iosephus dicit, quia vel in Apameorum Castello natus, vel quià Apameæ, quæ à Macedonibus *Pella* etiam vocabatur, altus & educatus fuit, prout Strabo lib. 16. narrat; quem & depinxit lib. 14. sicuti Iosephus lib. 13. cap. 14. Iustinus lib. 36. Is vero iam Alexandri Regis filium Antiochum adducebat; quem primò Regem fecit, deinde interfecit, regnumq; ipsemet arripuit, vt infra cap. 13. vers. 31. 32. dicitur. Antiochenos verò Demetrius compescuit, cū ter mille Iudæorum operâ, eorum 100000. cecidisset vers. 48. Sed Demetrius promissis non stetit. v. 53. Vnde & paulo post à Tryphone victus est. Ipse *iunior rex Antiochus* honorificas ad Ionathan literas dedit, vers. 57. Et ipse Ionathas ab ipso stetit, pro eo copias duxit vers. 60. vt ostenditur à Iosepho lib. 13. cap. 9. bis Demetrij Duces fugauit. *Primò*, hic sub finem capitis: sed præsentissimo Dei auxilio, quod asperso cinere capite, discissisque vestibus vers. 71. orauerat. *Deinde* cap. sequenti vers. 24. Notat in Iosuæ 11. Masius, melius legi vers. 67. Asor, quam νασώρ, & Cades in Galilæa distat ab ea, de qua Deuter. vers. 20. A Iosepho Κέδασα dicitur. E Ionathæ ducibus duo manserunt vers. 70. cum suis scilicet copiis. Alioqui tres tantum viri sequuto prælio vers. 72. prælium iniissent, hostesque fudissent. Iosephus vero è Ionathæis vult mansisse circiter quinquaginta, & istos duos duces, sed, præter morem suum, occisorum ab iis numerum minuit. Habet enim versus 74. cecidisse *tria millia*: ipse *duo* ait. Dux prior Mathathias videtur illius Absolomi filius; de quo 2. Machab. 11. vers. 17. frater illius Ionathæ, de quo infra hoc li. 1. cap. 13. vers. 11. Posterior Iudas filius Chalphi, quem Iosephus Chapsæū nominat. At versu 63. quod Græcus ait παρῆσαν videtur noster, dum præuaricatos, vertit, legisse παρέβησαν.

CAPVT XII. LIBRI I.

1 ET vidit Ionathas quia tempus eum iuuat, & elegit viros, & misit eos Romam statuere & renouare cum eis amicitiam:
2 Et ad Spartiatas, & ad alia loca misit epistolas secundum eandem formam:
3 & abierunt Romam, & intrauerunt curiam, & dixerunt: Ionathas summus sacerdos, & gens Iudæorum miserunt nos, vt renouaremus amicitiam, & societatē secundum pristinum.
4 Et dederunt illis epistolas ad ipsos per loca, vt deducerent eos in terram Iuda cū pace.
5 Et hoc est exemplum epistolarum, quas scripsit Ionathas Spartiatis:
6 IONATHAS summus sacerdos, & seniores gentis, & sacerdotes, & reliquus populus Iudæorum, Spartiatis fratribus salutem.
7 Iampridem missæ erant epistolæ ad Oniā summum sacerdotem ab Ario, qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut scriptum continet, quod subiectum est.
8 Et suscepit Onias virum, qui missus fuerat, cum honore: & accepit epistolas, in quibus significabatur de societate, & amicitia.

9 Nos, quum nullo horum indigerimus, habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris,
10 maluimus mittere ad vos renouare fraternitatem, & amicitiam, ne forte alieni efficiamur à vobis: multa enim tempora transierunt, ex quo misistis ad nos.
11 Nos ergo in omni tempore sine intermissione in diebus solennibus, & cæteris quibus oportet, memores sumus vestri in sacrificiis quæ offerimus, & in obseruationibus, sicut fas est, & decet meminisse fratrum.
12 Lætamur itaq; de gloria vestra.
13 Nos autem circumdederunt multæ tribulationes, & multa prælia, & impugnauerunt nos reges, qui sunt in circuitu nostro.
14 Noluimus ergo vobis molesti esse, neque cæteris sociis, & amicis nostris in his præliis.
15 Habuimus enim de cœlo auxilium, & liberati sumus nos, & humiliati sunt inimici nostri.
16 Elegimus itaq; Numenium Antiochi filium, & Antipatrem Iasonis filium, & misimus ad Romanos renouare cum eis amicitiam, & societatem pristinam.
17 Mandauimus itaq; eis, vt veniant etiam ad vos, & salutent vos, & reddant vobis epistolas nostras de innouatione fraternitatis nostræ.
18 Et nunc benefacietis respondentes nobis ad hæc.
19 Et hoc rescriptum est epistolarum, quod miserat Oniæ:
20 Arius rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno salutem.
21 Inuentum est in scriptura de Spartiatis, & Iudæis, quoniam sunt fratres, & quod sunt de genere Abraham.
22 Et nunc ex quo hæc cognouimus, benefacitis scribentes nobis de pace vestra:
23 Sed & nos rescripsimus vobis: Pecora nostra, & possessiones nostræ, vestra sunt: & vestra, nostra. Mandauimus itaque hæc nunciari vobis.
24 Et audiuit Ionathas quoniam regressi sunt principes Demetrii cum exercitu multo supra quam prius, pugnare aduersus eum,
25 & exiit ab Ierusalem, & occurrit eis in Amathite regione: non enim dederat eis spatium, vt ingrederentur regionem eius.
26 Et misit speculatores, in castra eorum: & reuersi renunciauerunt, quod constituunt superuenire illis nocte.
27 Cum occidisset autem sol, præcepit Ionathas suis vigilare, & esse in armis paratos ad pugnam tota nocte, & posuit custodes per circuitum castrorum.
28 Et audierunt aduersarii quod paratus est Ionathas cum suis in bello: & timuerunt, & formidauerunt in corde suo: & accenderunt focos in castris suis.
29 Ionathas autem, & qui cum eo erant, non cognouerunt vsque mane: videbant autem luminaria ardentia.
30 Et secutus est eos Ionathas, & non comprehendit eos: transierant enim flumen Eleutherum.
31 Et diuertit Ionathas ad Arabas, qui vocantur Zabadæi: & percussit eos, & accepit spolia eorum.
32 Et iunxit, & venit Damascum, & perambulabat omnem regionem illam.
23 Simon autem exiit, & venit vsque ad Ascalonem, & ad proxima præsidia: & declinauit in Ioppen, & occupauit eam.
34 (audiuit enim quod vellent præsidium tradere partibus Demetrii) & posuit ibi custodes vt custodirent eam.
35 Et reuersus est Ionathas, & conuocauit seniores populi, & cogitauit cum eis ædificare præsidia in Iudæa.
36 & ædificare muros in Ierusalē, & exaltare altitudine magna inter medium arcis & ciuitatis, vt separaret eam à ciuitate, vt esset ipsa singulariter, & neque emant, neque vendant.
37 Et conuenerunt, vt ædificarent ciuitatem: & cecidit murus qui erat super torrentem ab ortu solis, & reparauit eum, qui vocatur Caphetetha.
38 & Simō ædificauit Adia in Sephela, & muniuit eam, & imposuit portas & seras.
39 Et cum cogitasset Tryphon regnare Asiæ, & assumere diadema, & extenderet manum in Antiochum regem:
40 Timens ne forte non permitteret eum Ionathas, sed pugnaret aduersus eū, quærebat comprehendere eum, & occidere. Et exurgens abiit in Bethsan.
41 Et exiuit Ionathas obuiam illi cū quadraginta millibus virorum electorum in prælium: & venit Bethsam
42 Et vidit Tryphon quia venit Ionathas cum exercitu multo vt extenderet in eum manus: & timuit.
43 Et excepit eum cum honore, & commēdauit eum omnibus amicis suis, & dedit ei munera: & præcepit exercitib. suis vt obedirent ei, sicut sibi.
44 Et dixit Ionathæ: Vt quid vexasti vniuersum populum, cum bellum nobis nō sit?
45 Et nunc remitte eos in domos suas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum sint, & veni mecum Ptolemaidem, & tradā eam tibi, & reliqua præsidia, & exercitū, & vniuersos præpositos negotii, & conuersus abibo: propterea enim veni.
46 Et credidit ei, & fecit sicut dixit: & dimisit

dimisit exercitum, & abierunt in terram Iuda.
47 retinuit autem secum tria millia virorum: ex quibus remisit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo.
48 Vt autem intrauit Ptolemaidam Ionathas, clauserunt portas ciuitatis Ptolemenses: & comprehenderunt eum: & omnes qui cum eo intrauerant, gladio interfecerunt.
49 Et misit Tryphon exercitum, & equites in Galilæam, & in campum magnum, vt perderent omnes socios Ionathæ.
50 At illi cum cognouissent quia comprehensus est Ionathas, & periit, & omnes qui cum eo erant, hortati sunt semetipsos, & exierunt parati in prælium.
51 Et videntes hi, qui insequuti fuerant, quia pro anima res est illis, reuersi sunt.
52 Illi autem venerunt omnes cum pace in terram Iuda, & planxerunt Ionathā, & eos qui cum ipso erant valde: & luxit Israel planctu magno.
53 Et quæsierunt omnes Gētes, quæ erant in circuitu eorū, cōterere eos, dixerunt enim.
54 Non habent principem, & adiuuantē: nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam eorum.

COMMENTARIVS.

SECVNDVM cum Romanis fœdus & societatem iniuit Ionathas: simulq; cum Spartiatis seu Lacedæmoniis, huiusque ad illos extant literæ vers. 6. & horum ad Iudæos vers. 19. Sed notat hîc, suis in notationibus Franc. Brugensis duo. *Primum*, errare Lyranum & Carthusianum, qui vers. 19. putant Lacedæmoniorum literas iis respondere, quas iam miserat Ionathas, cum antequam, iis vel Iudas, Iudæorumque vllus ad eos scriberet, ipsi sponte ad Iudæos scripsissent, idque propter repertam Abrahamitici generis cognationem. Et probatur *primo* ex Iosepho lib. 12. cap. 5. lib. 13. cap. 9. *Secundo*, quia ad ea quæ scripserat Ionathas, hæc Lacedæmoniorum epistola, nihil omninò responderet. *Tertio*. Quia ob causam iam dictam se omnium primò scribere testantur, & ad scribendum Iudæos inuitant. Vnde vers. 22. cum Græcis legendum vt vers. 18. *benefacietis*: aut cum anni 1477. editione Norimbergensi, *benefacietis*: vel, vt sæpe aliàs, pro futuro, *benefacietis*, accipiendum istud præsens, *benefacietis*; quod Biblia correcta retinent, quemadmodum vers. 23. è contrario illud, *rescripsimus*, est, pro *rescribimus*, vt in Græcis est ἀντιγράφομεν, id est, iam vicissim deinceps scribendi consuetudinem incipimus, mutuæ rescriptionis initium facimus. Quod vero versu 9. *se solatio sanctos libros habere* aiunt Iudæi, eo pertinet, vt significent, sibi non esse opus scriptis, aut testimoniis ad credendam suam cum Lacedæmoniis cognationem. Ad hanc enim credendam, se à suis ipsorum libris facile incitari: prout perspicuè Iosephus 13. cap. 9. exponit. Libri vero hi sacri, videntur *genealogici* quidam esse, qui non extant, vnde Paralipomenorum genealogias esse petitas, credibile.

Notandum etiam τὸ ἀντίγραφον, quod noster vertit modo *rescriptum*, modo *literarum exemplum*, sumi posse dupliciter, *primo* pro eo apographo, quod ex ipso autographo misso exscribitur, vt supra cap. 8. *Secundo*, pro ipsomet autographo misso, quatenus id ex Reipub. à qua mittitur, decreto perscripto exscribitur; vt clarè indicat Iosephus lib. 12. cap. 17. Et sic hoc loco sumi potest, vt ipsum *rescribere*, sit scribere respectu eius ad quem mittitur. Hac voce vtuntur etiam in singulari; & plurali nostro Rabbini [illegible] *antigrapha*; & interpretatur Bahal Aruch, scripturas grypheo calamo conscriptas, qui vocetur in Beresith cap. 25. *graphium*. Sed à γράφω est, non à grypho.

Alterum, quod notat Burgensis, est, nonnulla in iisdē epistolis corrigenda. *Primo* v. 7. *non à Dario*, sed, *ab Ario* legendum, licet in Græco *Darim* etiam sit, sed *Arium* monstrant Iosephus lib. 13. cap. 9. Pausanias in Laconicis, Plutarchus in Pyrrho, Eusebius in Chronicis, & Biblia correcta. *Deinde* ver. 19. pro eodem *Ario* vel *Areo*, legitur in Græcis *Oniares*, & ita ille non improbabiliter legendum censet. Nostra tamen correcta hîc etiam reposuerunt *Arius*. *Tertio*, distinctio eodem versu, ex iisdem correctis sic corrigenda: *Et hoc rescriptum Epistolarum, quod miserat Arius. Rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno salutem.* Iosephus lib. 12. cap. 5. sic refert: *Rex Lacedæmoniorum Arius, Oniæ salutem*, & subiungit, quæ scripta erant, fuisse *tetragona*, sigillum *Aquilam*, quæ *Draconem* comprehendisset.

Cognationis verò inter Lacedæmonias & Iudæos, propter quam, ex Abraami genere sese *fratres*, hic & cap. 14. vocant, quam liber Machabæorum secundus iam supra cap. 5. vers. 9. attigit; vestigia forte aliqua inuenientur, si quis *primo* consideret, exteros scriptores nullam certam Lacedæmoniorum originem, neque cur Lacedæmonii Spartiatæ aut Lacones vocentur, causam dare. *Deinde* aduertat, *Dores*, qui vt Pindari Scholiastes ait, post Achæos, Spartam incoluerunt, deri ab Hebræo *Dor*, vel vrbe *Dora*. Et Stephanus lib. de vrbibus: verbo Ἰουδαία, clare ait, *Iudæum Spartona*, seu *Spartiatam*, *cuius filios fabulatus sit Claudius Iolaus Iudam & Idumæam, quos Alexander Polyistor Semiramidi tribuerat*. Rursum in *Azoto* dicit, eam vrbem olim *Peloriam* dictam, *à Spartano*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quodam Peloro, vt commigratio mutua ex Palæstina in Laconiam, & contra hinc illuc satis appareat. Iam iidem literam, quæ à Græcis aliis *sigma* vocatur, ipsi *san* vocant, quasi Hebraicum *sin*, vt Herodotus libro 1. testatur, vbi etiam ait, *Heraclidarum*, qui & Lacedæmonij, *parentem ex Iardane* quasi *Iordane*, filium concepisse. Et sane, vt in Samsone dixi, remotis poëtarum fabulis; tam in Hercule, quam Cadmo, Iudaica multa eminent. *Lacedæmon* certe videtur quasi *lapis Cadmi* Λάας κάδμος. Nam eodem Stephano teste, fuit vrbs etiã Laconica, quæ dicebatur λᾶς, id est, lapis, quod in altissima petra esset, vnde & *Lacerſæ* dicti, & scribit lib. 1. Strom. Clemens, lapicidinã à Cadmo inuentam. Quid mons *Eua* nominatus, de quo lib. 5. Polybius. Maleæ promontorium, quod versus Laconiæ huius orientem, apud Ptolemæum ὀνύγαθος, apud Tzetzen in Lycophronis Cassandra, dicitur *Asini maxilla*, nonne quod in Indicum cap. 15. ver. 15. in Samsone dixi, confirmat? Iosephus lib. 12. cap. 5. in Lacedæmoniorum sigillo, vt dixi, draconem statuit. At fabulam legimus versa in draconem Cadmi coniuge, & testatur oratione de regno Dio Chrysostomus, ferrum hastæ immissum naturaliter Spartanis inesse, seu, vt ait Hyginus, draconem adeo, vt è Spartanorum genere putarint nonnulli ortum Epaminondam, quod in clypeo draconem gereret, vti docet Pausanias. Nec desunt, qui ab anguineis dentibus, quos Cadmus seuerit, Spartanos extitisse congentur, vt vel inde vel à serpentum esu in annonæ caritate, ὀφιοδέτοι vocati sint, Pierio teste lib. 15. Plinius lib. 5. c. 19. *Sidonem* ait Thebarum Bœotiarũ parentem, quidni *Dora*, vel quælibet Iudæorum colonia, Lacedæmoniorum etiam parens ducatur? In Doricis verò Lacedæmonij sunt. D. Hieronymus in epist. ad Ephesios tradit, ab Hebræo nomine רצון quod est *voluntas*, dictam *Ephesum*. Cur & ab Hebræis aliquid Lacedæmon accipere non potuit? Pelasgicorum porrò lingua dicitur ab Herodoto lib. 1. fuisse barbara, quod Hebræa scilicet aut Syra esset; ideoque mixta & pro ea susceptа Attica. In prouerbiis etiam celebratæ *Laconica lunæ*, nonne Iudaicarum neomeniarum aliquid referunt? *Ionum partes duodecim*, nonne cum 12. tribubus Israel affinitatis aliquid habent? Clarissima ipsius Asiæ minoris vrbs *Pergamus*, audi, quid in Ruffiniana vetere Iosephi versione lib. 14. cap. 19. loquatur. *Decretum*, ait, *intimans nostri populi sententiam, & petens eustodiri vel ampliari nostras cum Iudæis amicitias, & vt meminerit* Hyrcanus princeps sacerdotum gentis Iudææ, *temporibus Abraham, qui omnium Iudæorum pater extitit, nostros maiores amicos ei fuisse, sicut & in publicis conscriptis inuenimus.* Quid illi in Africa Cyrenæi? Nonne maximam ipsi partem Iudæi erant? Dictum id è veteribus antea cap. 2. lib. 2. fol. 372. Et tamen in publico Iudæorum omnium cœtu, Rex Agrippa Κυρηναῖοι, ait apud Iosephum lib. 2. Cap. 28. *τὸ Λακώνων γένος*. *Cyrenæi sunt è Laconum genere.* Est etiam in plerisque ipsorum legibus, vti ait lib. 1. Stromatum Clemens, & institutis, præsertimque ablutionibus quotidianis, & vnctionibus, de quibus lib. 3. Strabo; in constantia & duritate magna cum Iudaicis moribus similitudo. Vide Xenophontem, Pausaniam, Plutarchum, Polybium, alios, è quibus alij qui marore, quam ego, doctrina & ingenio sunt, plures & certiores Iudaicæ, Laconicæque propinquitatis notas elicient. Mihi hasce tantum aliquas decerpere visum fuit, vt quibus non libri huius nostri, non Iosephi auctoritas sufficit, haberent quandam veluti præmonstratam semitulam, qua, si quidem modestè vellent, ad veritatis coniecturam & sensum aliquem venire possent. Nimium enim audacter in suo Sporitanorum regno fol. 355. hæreticus ait Reineccius: *Hæc* (de Iudæorum & Lacedæmoniorum coniunctione) *plane fabulosa & commentitia statuimus.* Quam ob rem verò? Vt contra tam antiquos, tamque bonos auctores, ambos inquam horum librorum scriptores, quibus ego Iosephum, ipse verò Hegesippum addit; tam graues, tanto cum supercilio, sententia statuatur, multis sanè magnisque & certis, quibus mendacium ipsum teneatur, argumentis opus est. Quid igitur, mi homo, affers? Quid, tanto in Syntagmate, demonstrationum collegisti? *Vetustatis* ait, *nobilitatem & gloriam Spartanos hinc quasiisse, suspicari libet.* At cur libet? Nullam suæ huius libidinis vel minimam ratiunculam subiicit. *Vetustatis nobilitatem* nonne ab Ægyptiis, ab Arcadibus, ab aliis repetere, nonne se ab origine iactitare poterant? Sed quam parum sibi Aristarchus iste constet, videamus. *Sibi*, paulo post *de Lacedæmoniorum familijs & nominibus, certi nihil esse* fateatur, rursumque fol. 358. *Sparta nomen* ait *Ægyptium & Chaldaicum, à pulchritudine & iucunditate petitum. & a qua inde posteritas diceretur, patria esset. Cyrenen* verò illam, quam iidem & Lacones & Iudæi, vti paulo ante ostensum, tenebant, nonne adeo à Iudæis profectam erectamque esse vult, vt Iubus Κυρήνη quasi κρήνη, id est, *fons* appellatur, ita apud istum *Karena*, id est, *urbs fontis*, & *ab Enamim filio Cham.* Iam *Messenen*, quã à Stephano μέση, ab Homero μέσση dicitur, ait ex Pausania idé ipse *Spartanorum esse colonia. & ab Hebræo massa, quod profectionem & translationem notat: nuncupatam.* Quid ergo commentitium, si Hebræa Spartanis origo vindicatur? Hunc verò Reineccium plenis, in libri vestibulo, tibiis depredicauit Matthæus Dresserus, idem tamen, ab amicorum suorum quodam, hac de re rogatus, cõtra sui illũ, hæc in verba, Lypsiã, rescripsit. *De fraterna cognatione Spartanorum & Iudæorum nihil quidem scriptum reperitur in historijs: sed coniectura facilis est: Vnius patris Abrahã erant filij ambo, Iudæi & Spartani, Iudæi quidem nati ex Isaaco, Spartani vero ex Ismaele filio Agar, quæ*

quæ fuit ancilla Ægyptia, vnde Spartani olim duce Danao nauibus aduecti regnum Spartanum condiderunt. Sanè verò scripsit in Isaiæ 23. D. Hieronymus, cũ à Nabuchodonosore Tyrus obsideretur, multos inde ciues nauib. ad Ionij Ægeiq; maris insulas in Cyprum, Macedoniam, Græciamque reliquam profugisse. vt etiamsi antea nulla fuisset, iam inde tamen Iudæorum & Spartanorum aliqua necessitudo esse potuerit. Verum hæc iam satis. Legatorum porro nominatorum v. 16. fit etiam mentio infrà c. 14. v. 22. Et postea fuit alius quidam *Numenius* Antiochi filius ab Hyrcano legatus apud Iosephum l. 14. cap. 16. Qui *Antipater*, idem interdum *Antipas* nominatur. Vtroque namque modo appellatur Herodis tyranni Pater. Qui vero v. 31. *Zabadæi*, Græcè sunt *Zabedæi*, qui cum sint Arabes, nescio quid ad Euangelicum *Zebedæum*, Iohannis Iacobiq; patrem pertinere possint. *Singulariter* esse *arcem* voluit Ionathas v. 36. id est, ita ab Hierosolyma vrbe disclusam, vt qui in ea erant, commercij cum ciuib. habere nihil possent. Sed *Adiada* infrà ca. 13. v. 13. *Addus* dicitur. Nam in Græco illic est ἀδδὰ. Ideoque fortassis non inepte loco illo legeretur, *Applicuit in Adidis*, siue *castra posuit in Adidis*. Est enim ibidem παρεμβολὴ. Iosephus l. 13. c. 11. ἄδδιδα nominat. Est vero apud Ptolemæum *Adada* in Palmyrena, & *Addæa* versus Persicum sinum, ad Tigrim. Ionathas tandem templum reædificauit. & vrbem v. 35. Sed à Tryphone, per pacis speciem captus est, & sequenti capite interfectus, v. 23. de quo & Egesippus l. 2. c. 13.

Simon, Iudæ & Ionathæ frater, è Machabæis Dux & Pontifex quartus.

CAPVT XIII. LIBRI I.

1 IAudiuit Simon, quòd congregauit Tryphon exercitum copiosum, vt veniret in terram Iuda, & attereret eam.

2 Videns quia in tremore populus est & in timore, ascendit Ierusalem, & congreganit populum:

3 & adhortans dixit: Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei fecimus pro legibus, & pro sanctis prælia, & angustias quales vidimus:

4 horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Israel, & relictus sum ego solus.

5 Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: nõ enim melior sum fratribus meis.

6 Vindicabo itaque gentem meam, & sanctã, natos quoque nostros, & vxores: quia congregatæ sunt vniuersæ Gentes conterere nos inimicitiæ gratia.

7 Et accensus est spiritus populi simul, vt audiuit sermones istos.

8 & responderunt voce magna, dicentes: Tu es dux noster loco Iudæ & Ionathæ fratris tui.

9 pugna prælium nostrum: & omnia quæcunque dixeris nobis, faciemus.

10 Et congregans omnes viros bellatores, accelerauit consummare vniuersos muros Ierusalem, & munit eam in gyro.

11 Et misit Ionathan filium Absalomi, & cum eo exercitum nouum in Ioppen, & eiectis his, qui erant in ea, remansit illic ipse.

12 Et mouit Tryphon à Ptolemaida cum exercitu multo, vt veniret in terram Iuda, & Ionathas cum eo in custodia.

13 Simon autẽ applicuit in Addus contra faciem campi.

14 Et vt cognouit Tryphon quia surrexit Simõ loco fratris sui Ionathæ: & quia commissurus esset cum eo prælium, misit ad eum legatos,

15 dicens: Pro argento, quod habebat frater tuus Ionathas in ratione regis, propter negotia, quæ habuit, detinuimus eum.

16 Et nunc mitte argenti talenta centum, & duos filios eius obsides, vt nõ dimissus fugiat à nobis, & remittemus eum.

17 Et cognouit Simon, quia cum dolo loqueretur secum: iussit tamen dari argentum, & pueros: ne inimicitiam magnam sumeret ad populum Israel, dicentem:

Universidad de Deusto
Biblioteca

18 *Quia non misit ei argentum, & pueros,*
propterea periit,
19 *Et misit pueros, & centũ talenta: & mentitus est, & non dimisit Ionathan.*
20 *Et post hæc venit Tryphõ intra regionem,*
vt contereret eam: & gyrauerũt per viam
quæ ducit Ador: & Simon & castra eius
ambulabant in omnẽ locũ quocunq; ibant.
21 *Qui autem in arce erant, miserunt ad*
Tryphonem legatos, vt festinaret venire
per desertum, & mitteret illis alimonias.
22 *Et parauit Tryphon omnem equitatum,*
vt veniret illa nocte: erat autem nix
multa valdè, & non venit in Galaaditim.
23 *Et cum appropinquasset Bascaman, occidit Ionathan, & filios eius illic.*
24 *Et cõuertit Tryphõ, & abijt in terrã suã.*
25 *Et misit Simon, & accepit ossa Ionathæ*
fratris sui, & sepeliuit ea in Modin ciuitate patrum eius.
26 *Et planxerunt eum omnis Israël planctu*
magno, & luxerunt eum dies multos.
27 *Et ædificauit Simon super sepulchrum pa-*
tris sui & fratrum suorum ædificium al-
tum visu, lapide polito retro & ante:
28 *Et statuit septẽ pyramidas, vnam contra*
vnam patri & matri, & quatuor fratrib.
29 *Et his circumposuit columnas magnas: &*
super columnas arma, ad memoriam aeter-
nã: & iuxta arma naues sculptas, quæ vi-
derentur ab omnibus nauigantibus mare.
30 *Hoc est sepulchrum quod fecit in Modin*
vsque in hunc diem.
31 *Tryphõ autem cum iter faceret cum An-*
tiocho rege adolescente, dolo occidit eum.
32 *Et regnauit loco eius, & imposuit sibi dia-*
dema Asiæ, & fecit plagã magnã in terra.
33 *Et ædificauit Simon præsidia Iudææ, mu-*
niens ea turrib. excelsis, & muris magnis,
& portis, & seris: & posuit alimenta in
munitionibus.
34 *Et elegit Simon viros, & misit ad Deme-*
triũ regẽ, vt faceret remissionẽ regioni: qa
actus oês Tryphon p deceptionẽ fuerãt ge-
sti
35 *Et Demetrius rex ad verba ista respon-*
dit ei, & scripsit epistolam talem:
36 REX *Demetrius Simoni summo sacerdo-*
ti, & amico regum, & senioribus & genti
Iudæorum salutem.
37 *Coronam auream, & baltheũ quæ misistis, su-*
scepimus, & parati sumus facere vobiscum
pacẽ magnã, & scribere præpositis regi re-
mittere vobis quæ indulsimus.
38 *Quæcunq; n. constituimus, vobis constãt.*
Munitiones quas ædificastis, vobis sint.
39 *Remittimus quoq; ignorantias, & pecca-*
ta vsq; in hodiernũ diem, & coronã q̃ de-
bebatis: & si quid aliud erat tributarium
in Ierusalem, iam non sit tributarium.
40 *Et si qui ex vobis apti sunt conscribi inter*
nostros, conscribãtur, & sit inter nos pax.
41 *Anno cẽtesimo septuagesimo ablatum est*
iugum Gentium ab Israël.
42 *Et cœpit populus Israël scribere in tabu-*
lis, & gestis publicis, anno primo sub Simo-
ne summo sacerdote, magno duce, & prin-
cipe Iudæorum.
43 *In diebus illis applicuit Simon ad Gazã,*
& circundedit eam castris: & fecit machi-
nas, & applicuit ad ciuitatem, & percussit
turrem vnam, & comprehendit eam.
44 *Et eruperũt, q erant intra machinã in ci-*
uitatẽ: & factus ẽ motus magn⁹ in ciuitate
45 *Et ascenderunt qui erant in ciuitate cum*
vxoribus & filiis supra murum scissis, tu-
nicis suis, & clamauerunt voce magna,
postulantes à Simone dextras sibi dari,
46 *& dixerunt: Non nobis reddas secundũ*
malitias nostras, sed secundum miseri cor-
dias tuas: & seruiemus tibi.
47 *Et flexus Simon non debellauit eos eieecit*
tamẽ eos de ciuitate. & mũndauit ædes in
quib. fuerant simulachra, & tũc intrauit
in eã cum hymnis benedicens Dominum:
48 *Et eiecta ab ea omni immunditia, collo-*
cauit in ea viros, qui legẽ facerent: & mu-
niuit eam, & fecit sibi habitationem.
49 *Qui aũt erant in arce Ierusalẽ, prohibe-*
bantur egredi & ingredi regionem, & e-
mere, ac vendere: & esurierunt valdè, &
multi ex eis fame perierunt,
50 *& clamauerunt ad Simonem vt dextras*
acciperent: & dedit illis, & eiecit eos inde
& mundauit arcem à contaminationib.
51 *& intrauerunt in eam tertia & 20. die se-*
cundi mensis, anno 171. cum laude & ra-
mis palmarum, & cinyris, & cymbalis, &
nablis, & hymnis, & canticis, quia cõtri-
tus est inimicus magnus ex Israël.
52 *Et constituit vt omnibus annis agerentur*
dies hi cum lætitia.
53 *Et munierunt montẽ templi qui erat secus arcẽ*
& habitauit ibi ipse. & qui cum eo erant.
54 *Et vidit Simon Iohannẽ filium suũ, quod*
fortis vir praly esset: & posuit eũ ducẽ vir-
tutũ vniuersarũ, & habitauit in Gazaris

COMMENTARIVS.

VOCATVR iste SIMON, Iudæorum *Ethnarcha* & *Euergetes* à Iosepho l. 13. c. 11. à quibusdã *Iohannes* & *Hyrcanus* de quo postea. Nunc ab hoc c. 13. ad caput vltimũ, v. 13. de eo agitur. Eum Id veto de Iuda potius tradit Flauⁱ Iosephus l. 1. de bello, c. 1. Seder minor, Iosippus & libri Hebræorũ de reb. gestis Regũ Israël, templi secundi, qui & secũdo loco Ionathan nominant. Nam quo in principatu & pontificatu præteriretur primogenitus? Scriptura quidem cur cæteris præponatur, causam tradit, c. 2. v. 66. quod à iuuentute fortis virib. fuerit, & Essenorum scilicet exercitationib. excultus. non tamen primogenitum negat: sed ab insigni eius robore, ipsius potius laudes ornat & amplificat. Quomodo enim & cur eidem Simoni, si primogenitus esset, non Iudas tantùm, sed & Ionathas præferretur? præsertim cum prudentia ille admodum præstaret, lib. 1. cap. 2. adeò, vt apud Iosephum lib. 12. cap. 6. eum tanquam patrem à fratribus aliis colendum Patet præcipiat? Egesippus lib. 1. Ioannem primogenitum, Simonem secundum vult, vt etiam enumerat Iosephus loco citato. Sed quod iam probaui, amplector.

Fuit verò Simon populi Iudaici *Dux & Pontifex*, factus anno 170. & Tryphoni, vt fratrem captum redimeret centum talenta dedit id est, circiter 60000. coronatorum, cum vni talento tribuantur à Budæo, & aliis nonnullis, 600. coronati. Sed frustra, cum perfidus ille Trypho bonum Ionatham conscelerati ssime interfecerit, vers. 22. 23. Eum inquam, qui superiori capite vers. 50. solerti præfagaq; omnium opinione *periisse* dicebatur, re iam ipsa perit, vers. 23. perit inquam corpore, non anima, non fama. *Qui* enim *per virtutem perit, at non interit*, vt apud Nonium ait è veteribus quidam. Sed cum cognosceret Simon vers. 17. dolo secum agere Tryphonem, falsoque argentum Ionathæq; filios petere, cur & illud, & hos misit? Imprudenter numquid egit? Si euentum spectet quis, ita sanè iudicabit. At prudentia non ex eo quod euenit, sed ex eo quod euenire potuit, potius pendenda. *Careat*, inquit ille, *successibus opto, Quisquis ab euentu facta notanda putat.* De Simonis prudentia extat non dubium morituri Patris testimonium supra lib. 1. cap. 2. vers. 66. *Simon frater vester scio quod vir consilij est.* Videbat igitur Simon populum timore iam perculsum, totumque metu contremiscentem vers. 2. ideoque si offensio & abalienatio minima incideret, futurum, vt victas hostibus manus daret, se, sacraque sua & religionem non ita pridem restitutam, pristinæ Regum tyrannidi subiiceret. Offensionis verò & abalienationis certissima præsto erat materia, si vel auaritiâ vel diffidentia nimia, petitum argentum, Ionathæque liberos non mittere iudicaretur, prout asserit versus 18. E contrario autem, etsi valde probabilis, nondum tamen certa omnino & explorata erat Tryphonis perfidia. E duobus ergo malis quod maius & certius erat, maluit vir prudentissimus auertere. Atque istud paucis ita Diuus Thomas aperuit: *Videtur* Simon *excusabilis, primò, quia certus de fraude non erat: & tamen rationabiliter maius malum formidabat. scilicet ne populus ab ipso recederet & per consequens, à lege: & ita tota Respublica deperiret.* Quin & pietas in fratrem, omnia vt seruaretur, tentare suadebat. Quis verò alioqui maleuolorum impietatis etiam Simonem non accusasset? An non ea Tryphoni optatissima Simonẽ apud Iudæos calũniandi fuisset occasio? Et prudentiæ igitur & pietati satisfecit ipse, simulque hostium ora omnium infibulauit, & in officio populum continuit.

Suis verò parentibus & fratribus vita functis, sibique ipsi egregium in patria sua vrbe Modin monumentum exstruxit ver. 27. cuius pulchra etiam apud Iosephum libro 13. cap. 11. descriptio est, vbi inter cætera inquit, fuisse illud è lapide albo & polito: habuisse porticus circumcirca, & σύλας μονολίθους columnas, quæ singulæ vno tantum lapide constarent: septem etiam pyramydas, *quæ*, inquit, *ad hoc vsque tempus seruantur.* Quin verò & multo post eum Diuus Hieronymus libro de locis, prout etiam supra ad cap. 2. lib. 1. fol. 421. attuli; *Machabæorum*, ait, *hodieque ibidem* (in Modin) *sepulchra monstrantur.* Sed quid? non fuit hoc vanitas? Certè Plinius lib. 36. cap. 12. & 13. pyramidum exstructionem aliquoties vanitatem nominat. Strabo lib. 17. βαρβαρικὴν ματαιοπονίαν *barbaricum inanem vanumque laborem.* Et quod hic dicitur vers. 29. *ad memoriam æternam*, non honoris gloriæque studium ostendit? At verò iam suprà dixi, per se, haud mali quidquam esse, si gloriam quis non inanem & fluxam, sed veram solidamque, bonis iustisque rationibus, quærat. Quo enim modo alicui fas patrimonia & opes, amicitias & dignitates appetere & conse ctari, eodem etiam modo ei concessum, gloriæ veræ studio teneri, quodque inde colligitur, opera nonnulla, quæ gloriam eam vel significent, vel conseruent. maximè vero quando ea gloria prodesse aliis etiam potest, dum ad simile virtutum beneque factorum (hæc enim veræ glotiæ fundamentum & quasi solum) studium & exercitationem inuitant: *Qui*, ait S. Augustinus libro contra Secundinum, cap. 17. *amat honorem,* DEVM *imitatur. Sed humiles animæ* IN ILLO *se honorare volunt: superbi* PRÆ ILLO. Et ad hoc honoris, gloriæque genus omnia, quæ sibi, suisque viri boni excitârunt, monumenta referuoco, vt sunt illa filiorum Iacob, quæ memorat Iosephus: tres illæ Helenæ optimè Adiabenorum Reginæ, eiusque filiorum Regum Izatæ & Monobazi pyramides, apud eundem Iosephum libro 20. cap. 2 quas Diuus Hieronymus in Epitaphio Paulæ, *Mausolæum* appellat. Alioqui *vesana*, inquit Plinius libro citato, cap. 13. *dementia est, quæsisse gloriam, impendio nulli profuturo.* Et eiusmodi erant in Ægypto barbara pyramidum miracula, de quibus ibidem Plinius, Herodotus libro 2. Strabo libro 17. Diodorus libro 2 illæ item tot & tantæ Regis Herodis φιλοτιμίαι prout à Iosepho appellantur libro 16. capite 9. Quanta vanitas, dum in vilissimum puluerem redactum corpus est, anima verò forte apud inferos, ob superbiam, dirissimè cruciatur, velle adhuc, apud homines, in saxis & lapidibus, superbire? O quam multorum Epitaphia, iis aliud nihil sunt, quam perpetua ipsorum ambitionis, iniustitiæ, vanitatisque monumenta!

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cum verò dixisset libro de locis S. Hieronymus; Machabæorum *hodieq;* in Modin *sepulchra monstrantur*, subiunxit, *Sat itaq; miror, quomodo Antiochiæ eorum reliquias, aut quo hoc certo auctore sit creditum.* An fortè fuerant, reliquiæ istæ illinc illuc translatæ, nudaq; in Modin cenotaphia relictæ? An potius, vt ante dictum est fol. 603. Machabæorum septem fratrum, non istorum Antiochiæ fuerunt reliquiæ? In hisce verò pyramidibus, obseruantiæ, erga Machabæos, ergò, incidebat hosce versus è meis quidam familiaribus.

In felicissimi MACHABÆORVM patris pyramide.

Ille ego MATATHIAS *mea, mihiq;, meosq;, meorumq;*
Obiecti Antiocho robur, opes, animas.
Altius ex ista iam victor clamo columna:
ME SEQVERE, *atq;* MEOS, *qui sacra salua cupis.*

In optimæ Machabæorum matris pyramide.

Hîc iaceo, sine quâ templum ignis, Iupiter aras,
Miles opes habeat, corda superstitio.
Hoc vtero est propugnata salus, quæcumq; deinceps
Natorum inuictâ creuit adulta manu.
Singula debentur natis: matri omnia. Quintum
Facta parens, quintum sum noua facta salus.

In herois fortissimi Iudæ pyramide.

Hoc IVDA *tibi ponit amor. Nam quod tua virtus*
Promeruit, posit marmore terra tegi.
Te, Regem, Reguq; duces, duce, Patria vicit:
Te, pietas Templo reddita, Pontifice.
Nunc Patria, & Templum, aternæ tibi sunto columna:
Hæc ad mortalas, illud ad superos.

In spectatissimi Ionathæ pyramide.

Vici hostes, vinxi meritis Regesq;, Meosq;,
Iam decumbo, Tryphon barbare, fraude tua.
Nimirum perdit, quam ferrum hostile timebat,
Ipsaq; sceptra; fides perfida sæpe fidem.

In periculorum omnium cum fratribus consortis Iohannis pyramide.

IOANNES ferrum patrios agitabat in hostes,
Cum malè Iambræis occidit insidiis:
Iambræus molles agitabat ab ara choreas,
Cum benè fraternis occidit insidiis,
Vult DEVS, *vt vita sit mors insigne peracta,*
Fortibus arma inter, mollibus ad crotalum.

In magnanimi Eleazari pyramide.

Longum ELEAZAR *haue, vitam tentare tyranni*
Audax, & fortis proticere ipse tuam.
Vidisti armato sub pegmate bella minantem
Regali lucam veste nitere bouem.
Rex est, dixisti; qui ni cadit; occidit omnis
Religio, hem tibi! Rex, perstet vt illa, cadet,
Bellua suffossâ licet in me corruat aluo,
Fulcuet Isacidum nostra ruina domum.
Nec mora. suppostus ventri latè ilia vastas.
In te elephas turrim, sed, sine Rege, trahit.
Sed non vota cadunt. cecidisti elephante cadente:
Religio tandem, Rege cadente, stetit.

In Euergetæ, Ethnarchæq; Simonis pyramide.

Religio, ô Solyme, & magni sacraria templi
Sunt IVDÆ *fratris Marte recepta mei:*
Dulcis libertas, veterisq; arx alta Sionis,
Sunt modo SIMONIS *Marte recepta meo.*
Vt longum serues, quod SIMON *præstitit armis,*
Custodi IVDÆ *quod peperere manus.*

Exposuit verò mysticè sepulchralia hæc omnia iampridem pius doctusque auctor Galfridus, è quo, vt de cæteris iudicare liceat, subiiciam paucula: *Quid*, ait, *dicimus esse sepulchrum patris & matris, & fratrum Simonis? Mihi quidem videtur. saluo meliore intellectu, sepulchrum hoc esse textum simplicem literalis historiæ, vbi gesta priorum, veluti ossa mortuorum, condita delitescunt.* Et postea: *Septem*

pyramides

pyramides, sunt septem spiritualia dona. Quod vero dicitur vnam contra vnam, germanam quandam societatē & concordiā ipsarū gratiarū designat, non discrepantiā aliquam veloppositam habentem qualitatem. Septem pyramides super additium & sepulchrum statuuntur à Simone, vna contra vnam quia spiritualis intellectus ab ipso erigitur in concordia charitatis super historias noui ac veteris testamenti quæ nimirum scriptura sacra palam est. quanto suscipiantur honore, quo complectantur amore, qua reuerentia, qua diligentia pertractentur a successoribus Apostolorum, sanctis doctoribus. Hæ sunt ille magne columnæ, quæ circumpositæ dicuntur à Simone, iuxta illud: Circumdate Sion, & complectimini eam. Super istas etiam arma Simon circumposuit ad memoriam eternam. Arma doctorum quæ sunt, ostendit Paulus ipse bellator armis inclitus. Arma inquit militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum. Item: Alii per spiritum datur sermo sapientiæ. His quasi nauibus, vita procellosum huius pelagus transmeatur, & vnus terræ portus omnibus aperitur. Hæ sunt naues, quæ iuxta columnas positæ a Simone referuntur, sculptæ tamen memorantur, nec modo petra fide verum etiam petrinæ fuisse creduntur: quippe quibus viuere Christus est, & mori lucrum. Petra enim Christus: Non tanguntur fluctibus in alto non sunt etiam remotæ. Nec ventorum turbine concutiuntur, immaculatos se custodiunt ab hoc sæculo sancti, nec ad eos spumea iniqui æquoris amaritudo pertingit. Insultus nequam spirituum quasi circumstrepentium flabra ventorum constanter frangunt, & prudenter elidunt. O quot credentium millia, quot cæteras animarum sanctarum, naues ista portauerunt ad portum salutis æternæ. Sunt autem iuxta columnas a quibus nimirum accipiunt tutamen spei, robur fiducie, fides munimentum. Videntur ab hominibus nauigantibus mare quæ in mari non sunt: & alii quidem sunt odor mortis in mortem: alii autem odor vitæ in vitam. Hoc est sepulchrum quod fecit Simon in Modin vsque in hodiernum diem. Sepulchrum dicit aperte totam illam fabricam superiectam, eo quod tota facta sit ornandi gratia. Modin interpretatur iudicium. per quod congrue designatur, eos fore idoneos ad arcana contemplationis, qui iudicare nouerint inter diem & noctem, inter pollutum & mundatum. Tantum Galfridus.

Adhæsit Simon contra Tryphonem Demetrio vers. 35. qui literas ad eum munificentissimas dedit ver. 36. Sed in iis pro *habem*, lege cum Græco & ordinariæ glossæ textu Lugdunensi, *hainem*. Hanc verò quidam ex Lyrano colli ornamentum interpretantur. Sed videtur palma fuisse, vt cap. 4. lib. 2. ver. 4. vel palmarium quid: quia *baiy & baion* palmæ ramus est, siue palmæ spadix videriquè potest Faber. lib. 2. Agonist. cap. 25. E consuetudine, quæ supra iam notata; Græcam vocem retinuit Interpres.

Post captam Gazam anno 171. Hierosolymitanam arcem recepit, eam, eiusque montem funditus euertit Ioseph. cap. 11. l. 13. Sicque libertatem, quam anno superiore Iudæis restituere cæperat, perfectè iam restituit, vt neque iam Regibus subessent, neque tributum deinceps vllum penderent, inquit Iosephus, cum Gentiles isti reges, ab anno 145. totos 25. annos in arce illa præsidium, Iudæis & templo infestissimum habuissent. Hinc vero *duo* facta sunt. *primo*, vt 23. die mensis *Iiar*, festus dies anniuersarius esset, vt ver. 52. 53. *Deinde* vt regni Græcorum abiecta putatione & calculo, inciperent in contractibus numerari à primo Simonis huius anno ver. 42. Scaliger lib. 5. de temp. existimat, ab Ethnarcha isto *duplicem* esse numerationem: vnam minus propriam ab anno eius primo qui fuit 170. *alteram* magis propriam ab anno eius secundo, qui fuit 171. dum arx recuperata est. Et hinc fieri, vt Iosephus mensem *Iiar*, qui fuerat hactenus secundus, tãquam primum iam consideret & inde faciat *Adar* vndecimum mensem, *Thamuz* tertium, *Thebeth* nonum. quod aliqui in ipso ceu errorem reprehendunt. Videtur tamen magis propria numeratio à primo Simonis anno ducta, vti patet cap. 14. ver. 27. *Ador.* ver. 20. vocatur à Iosepho Δῶος quam & cap. 13. eodem libro dicit Idumeæ vrbem esse.

CAPVT XIV. LIBRI I.

1 ANno centesimo septuagesimo secundo congregauit rex Demetrius exercitum suum, & abiit in Mediam ad contrahenda sibi auxilia, vt expugnaret Tryphonem.

2 Et audiuit Arsaces rex Persidis, & Mediæ, quia intrauit Demetrius confines suos, & misit vnum de principibus suis vt comprehenderet eum viuum, & adduceret eum ad se.

3 Et abiit, & percussit castra Demetrii: & comprehendit eum, & duxit eum ad Arsacem, & posuit eum in custodiam.

4 Et siluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis, & quæsiuit bona genti suæ: & placuit illis potestas eius & gloria eius omnibus diebus.

5 Et cum omni gloria sua accepit Ioppen in portum, & fecit introitū in insulas maris

6 Et dilatauit fines gentis suæ, & obtinuit regionem.

7 Et congregauit captiuitatem multam, & dominatus est Gazara, & Beth-sura, & arcem: & abstulit immunditias ex ea, & non erat qui resisteret ei.

8 Et vnusquisque colebat terram suam cũ pace: & terra Iuda dabat fructus suos, & ligna camporum fructum suum.

9 Seniores in plateis sedebant omnes, & de bonis

Universidad de Deusto
Biblioteca

de bonis terræ tractabant, & iuuenes induebant se gloriam, & stolas belli.
19 Et ciuitatibus tribuebat alimonias, & constituebat eas vt essent vasa munitionis quoadusque nominatum est nomen gloriæ eius vsque ad extremum terræ.
21 Fecit pacem super terram, & letatus est Israel lætitia magna.
22 Et sedit vnusquisque sub vite sua & sub ficulnea sua: & non erat qui eos terreret.
23 Defecit impugnans eos super terram: & reges contriti sunt in diebus illis.
24 Et confirmauit omnes humiles populi sui & legem exquisiuit, & abstulit omnem iniquum & malum.
25 sanctã glorificauit, & multiplicauit vasa sanctorum.
26 Et audiuerunt autem Roma, quia defunctus esset Ionathas: & vsque in Spartiatas: & contristati sunt valde.
27 Vt audierunt autem quod Simon frater eius factus est summus sacerdos loco eius, & ipse obtineret omnem regionem & ciuitates in ea:
28 scripserunt ad eum in tabulis æreis, vt renouarent amicitias & societatem, quam fecerant cum Iuda, & cum Ionatha fratribus eius.
29 Et lecta sunt in conspectu ecclesiæ in Ierusalem. Et hoc exemplum epistolarũ quas Spartiatæ miserunt.
30 Spartianorum principes, & ciuitates Simoni sacerdoti magno, & senioribus, & sacerdotibus & reliquo populo Iudæorum fratribus salutem.
31 Legati, qui missi sunt ad populum nostrũ nunciauerunt nobis de vestra gloria, & honore ac lætitia: & gauisi sumus in introitu eorum.
32 Et scripsimus quæ ab eis erant dicta in concilio populi, sic: Numenius Antiochi, & Antipater Iasonis filius, legati Iudæorum, venerunt ad nos, renouantes nobiscum amicitiam pristinam.
33 Et placuit populo excitare virum gloriosum, & ponere exemplum sermonum eorum in segregatis populi libris, vt sit ad memoriam populo Spartiatarum. Exemplum autem horum scripsimus Simoni magno sacerdoti.
34 Post hæc autem misit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo minarum mille, ad statuendam cum eis societatem. Cum autem audissent populus Romanus sermones istos.
35 dixerunt: Quam gratiarum actionem reddemus Simoni, & filiis eius?
36 Restituit enim ipse fratres suos, & expugnauit inimicos Israel ab eis, & statuerunt ei libertatem, & descripserunt in tabulis æreis, & posuerunt in titulis in monte Sion.
37 Et hoc est exemplum scripturæ: Octaua decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone sacerdote magno in Asaramel,
38 in conuentu magnæ sacerdotum, & populi, & principum gentis, & seniorum regionis, nota facta sunt hæc: Quoniam frequenter facta sunt prælia in regione nostra.
39 Simon autem Mathathiæ filius ex filiis Iarib, & fratres eius dederunt se periculo, & restiterunt aduersariis gentis suæ vt starent sancta ipsorum, & lex & gloria magna glorificauerunt gentem suam.
40 Et congregauit Ionathas gentem suam, & factus est illis sacerdos magnus, & appositus est ad populum suum.
41 Et voluerunt inimici eorum calcare, & atterere regionem ipsorum, & extendere manus in sancta eorum.
42 Tunc restituit Simon, & pugnauit pro gente sua, & erogauit pecunias multas, & armauit viros virtutis gentis suæ, & dedit illis stipendia:
43 Et muniuit ciuitates Iudææ, vbi erant arma hostium antea: & posuit illic præsidium viros Iudæos.
44 Et Ioppen muniuit, quæ erat ad mare Gazarum quæ est in finibus Azoti, in qua hostes antea habitabant. & collocauit illic Iudæos: & quæcunque apta erant ad correptionem eorum, posuit in eis.
45 Et vidit populus actum Simonis, & gloriã quã cogitabat facere genti suæ, & posuerunt eum ducem suũ, & principem sacerdotum, eo quod ipse fecerat hæc omnia & iustitiam, & fidem quam conseruauit genti suæ, & exquisiuit omni modo exaltare populum suum.
46 Et in diebus eius prosperatum est in manibus eius, vt tollerentur Gentes de regione ipsorum, & qui in ciuitate Dauid erant in Ierusalem in arce, de qua procedebant, & contaminabant omnia quæ in circuitu sanctorum sunt, & inferebant plagam magnam castitati;
47 Et collocauit in ea viros Iudæos ad tutamentum regionis, & ciuitatis, & exaltauit muros in Ierusalem.
48 Et rex Demetrius statuit illi summum sacerdotium.
49 Secundum hæc fecit eum amicum suum & glorificauit eum gloria magna.
50 Audiuit enim quod appellati fuerint Iudæi à Romanis amici, & socii, & fratres, & quia susceperũt legatos Simonis glorioſè.
51 Et quia Iudæi, & sacerdotes eorum cõsenserunt eum esse ducem suum & summum sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis.
52 & vt sit super eos dux, & vt cura esset illi pro sanctis, & vt constitueret præpositos super opera eorum, & super regionem & super arma, & super præsidia:
53 & cura sit illis de sancto: & vt audiatur ab omnibus, & scribantur in nomine eius omnes conscriptiones in regione: & vt operiatur purpura, & auro:
54 Et ne liceat vlli ex populo & ex sacerdotibus irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut conuocare conventum in regione sine ipso: & vestiri purpura, et vti fibula aurea.
55 Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit.
56 & complacuit omni populo statuere Simonem & facere secundum verba ista.
57 Et suscepit Simon & placuit ei vt summo sacerdotio fungeretur, & esset dux, et princeps gentis Iudæorum, & sacerdotum & præesset omnibus.
58 Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis æreis, & ponere eas in peribolo sanctorum, in loco celebri:
59 exemplum autem eorum ponere in ærario, vt habeat Simon & filii eius.

COMMENTARIVS.

DEmetrius iste Rex contra Parthorum Regem pugnans, ab eo captus est, vti explicat etiam lib. 38. Iustinus & Appianus. Hinc longa satis in Iudæa pax secuta, ver. 4. & 8. Literæ à Lacedæmonijs venerunt quæ præsente populo lectæ sunt, ver. 19. Misit Romam Simon legatos, coronam auream & alia munera, quemadmodum moris tunc erat, vti de Rege Demetrio narrat loco citato Appianus, de Ptolomæo Liuius lib. 36. de Antiocho lib. 42. de aliis Cicero Verrina sexta. Hinc vero vocati sunt Iudæi *Romanorum socij & fratres* ver. 41. non quod Romani, quemadmodum supra Lacedæmonii ab Abraham genus ducerent, seu ab vna ciuitate quapiam, vt apud Liuium li. 27. Rhodii & Soli: sed vt summa inter eos amicitia significaretur. Sic enim *Romanorum fratres* dicti fuerunt Bataui apud Constantini Panegyristem paneg. 7. & 8. & se fratres eorundem gloriati sunt Teutones apud Plutarchum in Mario. & supra lib. 2. cap. 4. Hierosolymitani, quasi præclarum quid esset, scribi volebant *Antiochenses*.

Anno 172. populus, non *Romanus*, vt à quibusdam putatum est, & hic insertum vers. 25. sed vti series tota declarat *Hierisolymitanus* vel *Iudaicus*, ob tanta Simonis, eiusque fratrum, & patris, in religionem & patriam merita, egregiam grati animi in ipsos, eorumque posteros, significationem dedit. & *primo* quidem laudando vers. 25. vbi legendum, *Restituit enim ipse & fratres sui, & domus patris sui. Restituit* vero valet *constabilituit nos*. Sic enim habet Græcus textus, ἐστήσεν γὰρ αὐτὸς, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ οἶκος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Fit que isto modo, vt ad plures, qui dignissimi sunt laudatio ista spargatur, ad Simonis videlicet Patrem, & fratres, Iudam, Ionatham, Eleazarum & Iohannem. Æquum enim fuit omnium meminisse, acceptorumq; beneficiorum memoriã altius ordiri. Possemus vero Latinum, vt nunc quidem legitur; rectum explicare, vt *fratres suos* restituerit, non Iudam aut alios proprie dictos fratres. sed *Israelitas* omnes: à quibus subditur inimicos Israelis expugnasse, siue depulisse. Aut vero *restituit ipse fratres suos*. quia in eo facti quodammodo sunt redituri omnes: omnium in eo vno virtus reuixit, quod cap. 13. vers. 8. videntur optasse. Sed quod sequitur; & *expugnauit*, Græcus per plurarem effert de Machabæis videlicet omnibus loquendo, ἐπολέμησαν τοὺς ἐχθροὺς Ισραὴλ ἀπ' αὐτῶν, *debellarunt hostes Israel ab ipsis*, qui iam scilicet ista dicebant, id est, à populo toto Iudaico. *Et statuerunt ei libertatem*. Qui, quam, cui? An iidem ipsi Machabæi eidem Israelitico populo libertatem ab duro impioq; Syriæ Regum dominatu? Ita credit noua translatio, nisi quod per numerum singularem, hoc ipsum Simoni tribuit, sic *ipse cum fratribus suis, domoque paterna constabiliuit Israelem, & hostibus bello propulsatis, libertatem ei peperit*. An potius ii de quibus iam subditur, *& descripserunt & posuerunt* iidem ipsi sunt, qui Simoni libertatẽ statuerunt? libertatẽ inquam eã, vt solus ipse princeps esset, ei subditi alii omnes nulli ipse pareret, ei omnes. Hæc enim vberius in cõfectis ea de re tabulis publicis, quæ ver. 27. incipiunt, explicantur maxime ver. 35. 42. 43. 44. Videntur vero istæ tabulæ finiri ver. 46. ibi *secundum verba ista*. Nam à ver. 29. est perpetua gestarum rerum narratio, &, vt ait D. Thomas; *recapitulatio*. Nam quod v. 39. de Demetrio dicitur, eò pertinet, vt ostendatur quæ causa illum mouerit, vt sibi quasi è manibus Iudæam, quam Syriæ hactenus Reges occuparant, & diuexarant, elabi sineret, neque bellum nouum moliretur. Terrebat enim ipsum arctissima Romanorum cum Iudæis amicitia, & summa Iudæorum ipsorum in perpetuum Simonis principatum & pontificatum consensio. Etsi enim iam primo tam solemni concilio, publicisque sacerdotum, & populi & principum gentis, & seniorum regionis tabulis omnia ista confirmantur, & posteritati mandantur, hactenus tamen & verbis, & factis probata iam erant, vti perspicuum est ex 13 cap. versu 8. & deinceps.

In ea vero publica scriptura possunt paucula optari. & *primo* quidem verum videri quod supra dicebam, à primo Simonis anno tamquã à re admodum memorabili, anno deinceps numerato fuisse. Nam cum cœperit anno 170. & publica hæc auctoritas perscribatur anno 172. dicit tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen is annus Simonis *tertius* ver. 27. prout inchoatum fuerat cap. 13. ver. 42. & hic repetitur atque confirmatur ver. 43. *Scribantur in nomine eius omnes conscriptiones*, siue vt in Græco est; syngraphæ, *in regione* Israelitica scilicet. Vnde & in Thalmudico *Perek Rosch hasschanah* legitur hæc ipsius Rab. Aha bar Huna sententia. *In tertio die mensis Tisri abolita est è contractibus mentio edicti, quod Græcia regnum edixerat, ne in ore suo Israelitæ commemorarent nomen cœlorum. Post quã vero præualuit regnum Hasmonæorum, istique ipsos Græcorum Reges vicerunt, sanxerunt, vt nomen cœlorum etiam in contractibus commemorarent. Sic igitur scribebant. In anno sic & sic siue tali & tali Iohannis sacerdotis magni Dei excelsi: Quo audito sapientes dixerunt. Cras aliquis soluet debitum suum & inuenitur chirographum proiectum in fimum. Et aboleuerunt illud, eumque diem festum instituerunt.* Per *Græcorũ* porro *regnum*, intelligit iste Rabbinus Græcos istos Syriæ reges, per *nomen cœlorum*, nomen Dei. Visitatum enim Hebræis, vt qui in cœlis habitat altissimus, quique omnium supremus est Deus, *cœlorum nomine* appellatur, vt cum aiunt, *Birschout Schamaim*, pro *Dei Deus*, siue *Dei promissu ita fiat*. Rursum, *omnia in manu cœli: sit timor cœli super vos. Timor hominum expellit timorem cœli.* Et sic è nostris quidam accipiunt illud Lucæ 15. *Peccaui in cœlum.* & hoc lib. 1. cap. 3. ver. 50. *Clamauerunt voce magna in cœlum.* cap. 4. ver. 10. *Clamemus in cœlum.* cap. 9. ver. 46. *Clamate in cœlum.* Minime tamen ea iis locis necessaria videtur notio, cum *clamare in cœlum* valere possit, Deum precari suspiciendo in cœlum, quemadmodum & propheta dicebat, *Leuaui oculos in montes, vnde veniat auxilium mihi.* Psalm. 120: *& ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis* Psalm. 123. Hic verò vna cum Simonis anno appositus est adhuc Seleucidarum annus, vt res videlicet certior & testatior esset, quemadmodum publicis quibusdam literis, vna cum Domini anno, adiungitur & Pontificis & Imperatoris annus.

Notandum præterea pro *Asaramel* ver. 27. in Græco esse σαρσμὲλ, vt cap. 13. vers. 20. pro *Ador*, δὼρ in Iosepho erat. Coniungitur vero ista vox tam in Latino quam Græco textu, cum sacerdote magno, vt videatur ille dici, *sacerdos magnus in principe ipsorum Deo*, quemadmodum si in allata Rabbini sententia Hebraica verba retinerentur hoc modo *in anno Ioannis sacerdotis magni Leelhelion.* Iam vers. 28. pro *nota facta sunt hæc*, dicit Græca Romana editio ἐγνωρίσεν ὑμῖν *notum nobis fecit.* quasi in conuentu illo prius ipse Simon verba fecerit, & ea in memoriã ipsis reuocarit. Alii quidam Græci libri habent ἐγνωρίσαμεν ὑμῖν *notum vobis fecimus*, aut *publice declarandum iudicauimus. Exquisiuit* ver. 35. *omni modo exaltare populum suum.* Id antea vet 4. dicebatur, *quæsiuit bona genti suæ.* Hoc vero verũ est Tiranni & Principis discrimen. Ille sibi bona quærit: iste suo populo. Ideoque de regiis nominibus quæ à Polluce tradita sunt, ea in principem quemlibet congruere oportet, vt sit πατὴρ καὶ φροντιστὴς τῶν ἀρχομένων σωτὴρ ἐπιμελητὴς τῶν ὑπηκόων, *Pater, benignus, eorum quibus præest, curator, Saluator, subditorum custos.* Atque hinc factum, vt quemadmodum ait Iosephus 11. Scriberetur passim vna cũ anno Simon ὁ συνεργέτης Ἰουδαίων καὶ εὐνοέχης. & causa subditur, quia eius operâ mita Iudæis extitit felicitas, quæ hoc ipso capite à ver. 4. describitur admodum varia, tam in temporalibus & humanis, quam spiritualibus & diuinis. *In illis* cum alia, tam verò numeratur vers. 5. *introitus in insulis maris* & vers. 10. *vasa munitionis.*

Posset vero illud, *in*, omitti & sensus foret; *fecit insulis introeundi potestatem in Palæstinam & Iudæam: fecit vt possent insulares ex Cypro, Sicilia, Rhodo, aliunde terram ingredi, merces inferre & efferre*, qa portus tenebat. *Vasa* vero *munitionis* sunt machinæ, propugnacula, turres, omnisq; generis machinæ instrumẽta, quibus loca quæpiã muniũtur. *In spiritualib.* vero diuinisq; bonis recẽsentur v. 41. legis diuinæ obseruatio, improborũ ablatio, tẽpli glorificatio, sacræ supellectilis amplificatio. Vnde videtur è cõtrario necessariũ, vt sint ea perquã infelicia tẽpora & loca, in quibus diuinarum legũ neglectio est improborũ licẽtia, tẽplorũ direptio, sacræ supellectilis vel imminutio, vel depeculatio. *Qui plagam magnam inferebant castitati* ver. 36. sunt Gentiles, qui in Hierosolymitanæ arcis præsidio collocari, valdè illos impediebant, qui in Dei cultu castiue puri esse volebant: qui vt castitatẽ, siue puritatem assequerentur, ad templum venire consueuerant. Græcus ait ἐποίησαν πληγὴν μεγάλην ἐν τῇ ἁγνείᾳ, *faciebant plagam magnam in puritate aut munditia, i.e.* inquit, nouæ translationis explicator, *rebus diuinis, quæ castè ac purè sunt colenda, atque in summa religione ac sanctitate conseruandæ.*

De rege Demetrio vers. 39. narratura quod antequam ab Arsace caperetur, fecerat. *Arsacæ* vero dicitur ver. 2. *rex Persidis & Mediæ.* At Parthorum rex erat, vti solenne Arsacidarum nomen indicat, & Iosephus lib. 13. cap. 9. Exquisitæ doctrinæ vir Hesselius præfatione in primam S. Iohannis epistolam, putat pro *Media* legendam hic Parthiam. Sed cum Latini Græcique Codices Mediam habeant, & qui tum Parthorum Reges erant, iidem etiam Persarum & Medorum regna obtinerent, possunt per duo potissimarum gentium nomina significari, quæcumque alia regna Regi eidem subiicerentur. Et vero sæpe in Plutarcho & Thucydide *Meditum* appellari videmus, quod ab aliis *Persicum* dicitur, nec male sic intelligatur Esaias cap. 17. v 13. *Medos* nominãs, quos postea distinctius Ælamitas, & Medos nominat cap. 21. ver. 2. Huius porro Demetrii iam captiui vxor, *Cleopatra* nomine Seleucam ad se illius fratrem Antiochum euocauit, eumque sutum ex leuiro virum fecit, apud Iosephum eodem libro cap. 13.

Posi-

Positum est hoc Iudæorum siue Senatusconsultum siue plebiscitum *in titulo*, id est, columnis ver. 26. *in monte Sion*, & *in peribolo sanctorum* vers. 48. qui *peribolus* aliud nihil est, quam murus & exedrarum illud genus, quod templum seu sancta ipsa, vt lib. 3. Reg. dixi; ambibat. Sed apud Strabonem lib. 17. locus, vbi sepulti Reges; περίβολος est. A nostro Interprete vertitur lib. 2. c. 1. vers. 15. *ambitus* cap. 6. vers. 4. *ædes.* Exemplum porro scripti eiusdem in gazophylacio positum est vers. 49. De legato Iudæorum *Numenio* iam supra cap. 12. vers. 16. dictum, & iterum infra cap. 15. vers. 25. *Clypeus* ille *aureus* vers 24. erat ex illo munerum genere de quo supra, & apud Iosephum lib. 14. c. 16. Lipsium lib. 2. Admir. cap. 9. lib. 3. cap. 5.

Sed obserua vers. 42. tam principatus quam pontificatus honorem istum huic Asamonæorum familiæ rectè tribui, *donec surgat Propheta fidelis.* Nam reuera posteaquam iis Principatus per Herodem adeptus fuit, & pontificatus venalis esse cœpit, venit Propheta ille magnus CHRISTVS IESVS Dominus & Saluator noster, vti superius explicatum ad c. 4. lib. 1. fol. 434. Et iampridem cessarant in Israël veri prophetæ.

CAPVT XV. LIB. I.

1 ET misit rex Antiochus filius Demetrij epistolas ab Insulis maris Simoni sacerdoti, & Principi gentis Iudæorum, & vniuersæ genti:

2 Et erant continentes hunc modum: REX Antiochus Simoni sacerdoti magno, & genti Iudæorum salutem.

3 Quoniam quidam pestilentes obtinuerunt regnum patrum nostrorum, volo autem vendicare regnum, & restituere illud sicut erat antea: & electam fec. multitudinem exercitus, & feci naues bellicas.

4 Volo autem procedere per regionem vt vlciscar meos, qui corruperunt regionem nostram, & qui desolauerunt ciuitates multas in regno meo.

5 Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes, quas remiserũt tibi ante me omnes reges, & quæcunq; alia dona remiserunt tibi:

6 & permitto tibi facere percussuram proprij nummismatis in regione tua:

7 Ierusalem autem sanctam esse & liberam; & omnia arma quæ fabricata sunt, & præsidia quæ construxisti, quæ tenes, muneant tibi.

8 Et omne debitum regis & quæ futura sunt regi, ex hoc, & in totum tempus remittuntur tibi.

9 Cùm autem obtinuerimus regnum nostrum glorificabimus te, & gentem tuam, & templum gloria magna, ita vt manifestetur gloria vestra in vniuersa terra.

10 Anno centesimo septuagesimoquarto exiit Antiochus in terram patrum suorum, & conuenerunt ad eum omnes exercitus, ita vt pauci relicti essent cum Tryphone.

11 Et insecutus est eum Antiochus rex, & venit Dor fugiens per maritimam.

12 sciebat enim quod congregata sunt mala in eum, & reliquit eum exercitus.

13 Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti millibus virorum bellegerantium, & octo millibus equitum:

14 Et circuiuit ciuitatem, & naues à mari accesserunt; & vexabant ciuitatem à terra, & mari, & neminem sinebant ingredi, vel egredi.

15 Venit autem Numenius, & qui cum eo fuerant, ab vrbe Roma habentes epistolas regibus, & regionibus scriptas, in quib. continebantur hæc:

16 LVCIVS Consul Romanorum, Ptolemæo regi salutem.

17 Legati Iudæorum venerunt ad nos amici nostri, renouantes pristinam amicitiam, & societatem, missi à Simone principe sacerdotum, & populo Iudæorum.

18 Attulerunt autem & clypeum aureum minarum mille.

19 Placuit itaque nobis scribere regibus & regionibus, vt non inferant illis mala, neque impugnent eos, & ciuitates eorum: & vt non ferant auxilium pugnantibus aduersus eos.

20 Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum.

21 Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni principi sacerdotum, vt vindicet in eos secundum legem suam.

22 Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi, & Attalo, & Ariarathi, & Arsaci,

23 & in omnes regiones: & Lampsaco, & Spartiatis, & in Delum, & in Myndum, & in Sicyonem, & in Cariam, & in Samum, & in Pamphyliam, & in Lydiam, & in Halicarnassum, & in Coo, & in Siden, & in Aradon, & in Rhodum, & in Phaselidem, & in Gortynam, & Gnidum, & Cyprum, & Cyrenem.

24 Exemplum autem eorum scripserunt Simoni Principi sacerdotum, & populo Iudæorum.

25 Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundo admouẽs ei semper manus, & machinas faciens: & conclusit Tryphonem, ne procederet.

26 & misit ad eum Simon duo millia viro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum electorum in auxilium, & argentum, aurum, & vasa copiosa:
27 Et noluit ea accipere sed rupit omnia, quæ pactus est cũ eo antea, & alienauit se ab eo.
28 Et misit ad eum Athenobium vnum de amicis suis, vt tractaret cum ipso, dicens: Vos tenetis Ioppen, & Gazaram, & arcem, quæ est in Ierusalem, ciuitates regni mei:
29 fines earum desolastis, & fecistis plagam magnam in terra, & dominati estis per loca multa in regno meo.
30 Nunc ergo tradite ciuitates, quas occupastis, & tributa locorum, in quibus dominati estis extra fines Iudææ.
31 sin autem, date pro illis quingenta talenta argenti, & exterminij, quod exterminastis, & tributorum ciuitatum alia talenta quingenta: sin autem, veniemus, & expugnabimus vos.
32 Et venit Athenobius amicus regis in Ierusalem, & vidit gloriam Simonis, & claritatem in auro, & argento, & apparatum copiosum, & obstupuit: & retulit ei verba regis.
33 Et respondit ei Simon, & dixit ei: Neque alienam terram sumpsimus, neque alienam detinemus: sed hereditatem patrum nostrorum tum, quæ insuste ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est.
34 Nos vero tempus habentes, vindicamus hereditatem patrum nostrorum.
35 Nam de Ioppe, & Gazara quæ expostulas, ipsi faciebant in populo plagam magnam, & in regione nostra: horum damus talenta centum. Et non respondit ei Athenobius verbum.
36 Reuersus autem cum ira ad regem, renunciauit ei verba ista, & gloriam Simonis, & vniuersa quæ vidit, & iratus est rex ira magna.
37 Typhon autem fugit naui in Orthosiada.
38 Et constituit rex Cendebæum ducem maritimum, & exercitum peditum & equitum dedit illi.
39 Et mandauit illi mouere castra contra faciem Iudææ: & mandauit ei ædificare Gedorem, & obstruere portas ciuitatis, & debellare populum. Rex autem persequebatur Typhonem.
40 Et peruenit Cendebæus Iamniam, & cœpit irritare plebem, & conculcare Iudæam, & captiuare populum, & interficere, & ædificare Gedorem.
41 Et collocauit illic equites, & exercitum vt egressi perambularent viam Iudææ, sicut constituit ei rex.

COMMENTARIVS.

ANNO 173. Antiochus Demetrij prioris *filius*, posterioris, quem à Parthis captum esse dixi, *frater*, ex Insula Rhodo, vbi eum fuisse scribit Appianus, honoris plenas ad Simonem litteras dedit. Vbi vers. 6. notabis, multa tum fuisse, quæ non quibuslibet potentibus licerent: sed vel Regibus tantum, vel quibus ij concederent, vt monetam cudere, purpuram aut coronam gestare, cap. 10. auream sedem & lectum habere, & similia: de quibus supra cap. 11. v. 58. Iste porro Antiochus à quibusdam *Sidetes* vocatur, à Rabano hic *Asidetes*. An ab ea, vt videtur Hebraica voce, à qua supra fol. 705. dixi Asidæos ortos? Fuit enim, vt infra patebit, hic vocatus Antiochus εὐσεβὴς, id est, *pius*. An à *Side*, id est malo punico, vel potius à *Side* Pamphyliæ vrbe, de qua Stephanus, & lib. 5. Polybius Strabo lib. 12. & hic infra vers. 23. *Sidetes* appellatus. quemadmodum apud D. Hieronymum contra Iouinianum lib. 2. *Marcellus Sidetes*, & compendij Cedreniani principio *Theodorus* ὁ Σιδήτης.

Anno 174. contra Tryphonem perrexit iste Antiochus, eumque Doræ quam arctissime obsedit vers. 13. 25. Respuit vero, quæ à Simone ipsi tunc mittebantur; auxilia, & cum eo initum fœdus ac societatem rupit vers. 27. ad ipsumque Simonem, legatum, qui cum eo expostularet, misit; & paulo post, Ducem Cendebæum, qui ipsum Iudæorumque fines omnes bello vexaret, vers. 38. Ipse interim Dora elapsum Tryphonem ac fugientem secutus est, vers. 37. & 40. Iosephus illum ab hoc Apameæ tandem captum & interemptum ait. Ipse quidem Apameæ fuerat educatus, & in Apamenium castello, quod *Secoana* vel vt habent manuscripti libri *Castana* dicebatur; natus erat, auctore, Strabone lib. 16.

Legati vero, qui cap. 14. Romam à Simone missi erant, & de quorum actis & reditu nihil dictũ erat, iam reuertuntur vers. 15. Sed cum annus iste 174. in vrbis annum 616. incurrat, & tunc Consules fuerint M. Æmilius Lepidus, C. Hostilius Mancinus, vti suis in Fastis notat Sigonius, quomodo v. 16. nominantur Lucius consul? forte pro *Lucio* Caius legendus aut Lepidus. Nam & in Græco est Λεύκιος, quasi λίμνη & fuisset. Quamquam hosce Consules sequutus illico est *Lucius Furius* de quo Offic. 3. & in Bruto Tullius. cuius consulatus initium incidit in penultimum anni huius 174. mensem, vt ipsum esse, qui scribat, consentaneum sit. Idem vero legati pro Iudæis litteras afferunt ad varios reges & populos. Reges illi sunt quinque. *Primus* Ptolemæus Ægypti. *Alter* Demetrius Syriæ. Adhuc enim Syriæ regnum tenere à Romanis putabatur, cum tamen à Parthis captus iam esset. *Tertius*, Asiæ Attalus. *Quartus*, Cappadociæ Ariarates vers. 22. Sic enim pro *Arabe* capto iam esset. *Tertius*, Asiæ Attalus. *Quartus*, Cappadociæ Ariarates vers. 22. Sic enim pro *Arabe* legendũ, restantur Græca, & correcta Latina. *Quintus*, Arsaces Parthorum. Inter populos vero ponitur

nitur primò *Samsoma*, quæ vel Syriæ vrbs est, vel Heliopolis, quæ Syriæ cauæ vrbs apud Ptolemæũ lib. 5. c. 15. Quia, vti de vrbibus Stephanus tribit, Arabibus *Sol* vocatur *Samsa* Mydus in Græco *Myndus* est. Varij verò casus ponuntur vers. 23. qui tamen aptè respondent verbo scribendi, cum & alicui & ad aliquem scribatur. Hic verò de Gazaris, de quibus supra, rursum agitur vers. 28. 35. & iam pridem in Iudæorum potestatem venisse vides. Eodem vers. 28. stat adhuc *arx Hierosolymitana*, quã tamen postea, nec à Gentilibus vnquam intercipi, ex eaque templum & populus vexari posset: à Simone, vna cum monte cui insistebat, solo æquatam tradit Iosephus lib. 13. c. 7. sicque factum, vt esset etiam templum non solum modo tutius, sed multo etiam conspectius. At vers. 23. *claritatem in auro & argento* dicit Græcus κλισίαν, quasi dicas, abacum instructum poculis aureis & argenteis, siue claritatem poculorum in auro & argento. *Orthosiadem* quidam dicunt *Antaradum*, quæ hodie *Tortosa* dicitur. Sed apud Ptolemæum lib. 5. Geographiæ c. 15. in Phœnicia ponitur *Orthosia*, in Cassiotide *Antaradus*. Ex vers. 39. hic & ex cap. seq v. 9. intelligimus non vallem tantum esse *Cedronem*, *trans* cuius *torrentem* egressus est Dominus Iohan. 18. & olim CHRISTI Domini Typus Dauid 2. Reg 15. v. 23. sed etiam vrbem, quæ in Græco semper dicitur ὁ Κεδρών, vt vel inde auctari possint, quæ Iohan. 18. differit Maldonatus. Obseruare demum licet duo, quæ Simon de occupatis locis respondet vers. 33. Nam vel propria fuerunt, & iuste recuperata sunt vel aliena quidem, sed infesta perpetuasq; clades inferentia. ideoque & ipsa iuste capta. Vt maior tamen redimatur vexatio, neque iusta Regi quærendi occasio sit, pro iis offert Simon talenta centum.

CAPVT XVI. LIB. I.

ET ascendit Iohannes de Gazaris, & nunciauit Simoni patri suo quæ fecit Cendebæus in populo ipsorum.
2 Et vocauit Simon duos filios suos seniores, Iudam & Iohannem, & ait illis: Ego, & fratres mei, & domus patris mei expugnauimus hostes Israël ab adolescentia vsque in hunc diem: & prosperatum est in manibus nostris liberare Israel aliquoties.
3 Nunc autem senui, sed estote loco meo, & fratres mei, & egressi pugnate pro gente nostra: auxilium vero de cœlo vobiscum sit.
4 Et elegit de regione viginti millia virorum bellatorum, & equites, & profecti sunt ad Cedebæum; & dormierunt in Modin.
5 Et surrexerunt mane, & abierunt in campum: & ecce exercitus copiosus in obuiam illi peditum, & equitum, & fluuius torrẽs erat inter medium ipsorum.
6 Et admouit castra contra faciem eorum ipse, & populus eius, & vidit populum trepidantem ad transfretandum torrentem, & transfretauit primus: & viderunt eum viri, & transierunt post eum.
7 Et diuisit populum, & equites in medio peditum. Erat autem equitatus aduersariorum copiosus nimis.
8 Et exciamauerunt sacris tubis, & in fugam conuersus est Cendebæus, & castra eius, & ceciderunt ex eis multi vulnerati: residui autem in munitionem fugerunt.
9 Tunc vulneratus est Iudas frater Iohannis: Iohannes autem insecutus est eos, donec venit Cedronem quam ædificauit:
10 Et fugerunt vsque ad turres, quæ erant in agris Azoti, & succendit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorum, & reuersus est in Iudæam in pace.
11 Et Ptolemæus filius Abobi constitutus erat dux in campo Iericho, & habebat argẽtum, & aurum multum.
12 Erat enim gener summi sacerdotis.
13 Et exaltatum est cor eius, & volebat obtinere regionem, & cogitabat dolum aduersus Simonem, & filios eius, vt tolleret eos.
14 Simon autem perambulans ciuitates, qui erãt in regione Iudææ, & solicitudinem gerens earũ, descendit in Iericho ipse, & Mathathias filius eius, & Iudas anno centesimo septuagesimo septimo, mense vndecimo, hic est mensis Sabat.
15 Et suscepit eos filius Abobi in munitiunculam, quæ vocatur Doch, cum dolo, quam ædificauit: & fecit eis conuiuium magnum, & abscondit illic viros.
16 Et cum inebriatus esset Simon & filij eius, surrexit Ptolemæus cum suis, & sumpserũt arma sua, & intrauerunt in conuiuium, & occiderunt eum, & duos filios eius, & quosdam pueros eius.
17 Et fecit deceptionem magnam in Israël, & reddidit mala pro bonis.
18 Et scripsit hæc Ptolemæus, & misit regi vt mitteret ei exercitum in auxilium, & traderet ei regionem, & ciuitates eorum, & tributa.
19 Et misit alios in Gazaram tollere Iohannem: & tribunis misit epistolas, vt venirent ad se, & daret eis argentum, & aurum & dona.
20 Et alios misit occupare Ierusalem, & montem templi.
21 Et præcurrens quidam, nunciauit Iohanni in Gazara, quia perisset pater eius, & frater eius, & quia misit te quoq; interfici.
22 Vt audiuit autem, vehementer expauit: & comprehendit viros, qui venerant perdere

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum, & occidit eos: cognouit enim quia quærebant eum perdere.
23 *Et cætera sermonum Iohannis, & bellorum eius, & bonarum virtutum quibus fortiter gessit, & ædificij murorum, quos extruxit,*
& rerum gestarum eius:
24 *ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotij eius, ex quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.*

COMMENTARIVS.

HABVIT Simon filios Iudam, Ioannem, Mathathiam. neque hunc numerum negat Gorionides, vti credidit epist. 15. Druſius. Plures ne verò hiſce tribus habuerit, non multo infra dicetur. Sed iſtorum trium duos priores & ſeniores vers. 2. contra Cendebæum venientem, miſit. ita, vt Imperator præcipuus eſſet Ioannes cap. 13. vers. 54. Is vers. 6. hoc cap. 16. boni ducis egregiè officio fungitur, dum primus periculum adit, Iudas verò vulneratus quidem eſt vers. 9. fugatus tamen hoſtis Cendebæus. Videtur vero Iohannes fuiſſe *primogenitus*, quia ipſe ſummus expeditionis huius dux conſtituitur & de eo ſemper intelliguntur iſta iſto capite verba, *elegit* vers. 4. *admouit* vers. 6. *& vidit, tranſfretauit*, Et ſupra cap. 13. vers. 54. ſatis ſignificatur.

Simon vero anno 177. indigna morte (quod vnum de eo narrat Gorion lib. 4. cap. 2.) à ſuo genero Ptolomæo quodam, qui nimia præceps ambitione principatum arripere optabat, in conuiuio per dolum interfectus eſt. Aduerſatur vero & veritati, & Ioſepho Ioſippus, dum 18. annos Simonem regnaſſe ait: & Ptolemæum iſtum fuiſſe Ægypti Regem Antiocho ſubditum, ab eodēque ad facinus hoc ſollicitatū, & Simonem veneno mortifero potatum, ſicq; à DEO punitū quod cum gentibus affinitatem contraxiſſet. Sed illud vers. 16. *Cum inebriatus eſſet Simon*, poſſunt ebrioſi ad ebrietatis ſuæ patrocinium aliquod aſciſcere, quemadmodum eos feciſſe ait D. Auguſtinus quæſt. 144. ex illis Geneſis verbis cap. 43. *Biberunt* (fratres Ioſephi) & *inebriati ſunt cum eo*. Sed in ebrietate poſſunt *duo* conſiderari. *Vnum* eſt ipſa potionis abundantia: *alterum* ipſa potandi exuperantia, & hæc ebrietatem veram efficit. Abundantia eſſe poteſt abſque omni proprie dicta ebrietate, quæ mentem adimat, rationiſque vſum obturbet. Interim tamen etiamſi ab abundantia iſta omnis abſit exuperantia, interdum tamen ebrietas vocatur. ſicque, quia vini Ioſepho, eiusque fratribus nihil defuit, idque largiter biberunt, etiamſi nulla proprie adeſſet ebrietas; dicuntur *inebriati* & ſimiliter noſter iſte Simon. *Ebrios*, inquit Nonius, *non vinolentos aut vinoſos, ſed expletos qualibet re poſſumus dicere*. Et apertius grauiusque loco citato D. Auguſtinus, *Hoc*, ait, *inebriandi verbum, & pro ſatietate ſolere poni in ſcripturis, qui diligenter aduerterit, multis in locis adinueniet. Vnde eſt illud Pſalm. 64. Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti ditare eam, eo quod in laude benedictionis hoc poſitum eſt, & donum* DEI *commemoratur, apparet hanc ebrietatem ſatietatem ſignificare. Nam ita inebriare, vt inebriantur ebrioſi, nec ipſi terræ vtile eſt, quoniam maiore quā ſatietati ſufficit, humore corrūpitur, ſicut vita ebriioſorum, qui non ſatietate ſe replent, ſed mergunt diluuio*. Et vero ſi ebrius vere Simon fuiſſet, eius potius exitio ebrietatem horrere, quam exemplo propugnare oporteret. Cum eo dicuntur etiam hic eius *filij duo* cecidiſſe, Iudas ſcilicet, & Mathathias. & cum iis famulorum nonnulli. Vnde, quod lib. 13. cap. 15. de Iohannis fratribus captis, & vinctis narrat Ioſephus, vel de filiis aliis intelligendum (nam tribus nominatis Simoni plures fuiſſe monſtrat, cap. 16. Ioſephus, cum inter obſides Antiocho Piodatos, ipſum Hyrcani fratrem collocat) vel iſti duo, non ſtatim iſto conuiuii articulo interfecti ſent, ſed capti tantum, & poſtea interfecti, ſicuti & eorum mater, de qua ibidem Ioſephus. Et plane hoc aſſerit Gorion loco citato. *Cepit Ptolemæus vxorem eius, & duos filios, eosque catenis areis vinxit. Voluit idem Ptolemæus Hieroſolymam occupare, & Ioannem Gazare* (quam *Gazam*, vt ſupra, rurſum hic vocat Gorion) *tunc moriantem occidere*. Sed meliora DEVS vers. 22. Eum Ioſephus loco citato & Egeſippus lib. 1. cap. 1. extra vrbem fuiſſe, cum percuſſores ad eum venirent, ait; ſed curſu in vrbem fugiſſe, libenterque à ciuibus acceptum, parricida illo excluſo. tuncque exclamat Egeſippus: *Vtinam Simon tam perſpicax ad fraudes cauendas, quam manu validus, bellandique artibus ſatis inſtructus*. Ioſephus cap. 14. ei principatus annos *octo* dat. *ſeptem* tamen ſolummodo fuerunt, cum anno 170. cœperit anno 177. in viuis eſſe deſierit. Ideoque forte littera *η* poſſet Homerice pro *ſeptem* in Ioſepho ipſo accipi, licet cap. decimoquinto, more conſueto littera *ζ* ponatur.

De reſiduo Simonis filio, Iohanne Hyrcano.

POSSET *quintus* è Machabæis *Dux & Pontifex* vocari, cum, vt libri huius prioris exitus demonſtrat, Patri nefariè interfecto confeſtim ſucceſſerit. Quia tamen eius geſta hi propoſiti duo Machabæorum libri non perſequuntur, ideo noluiiam ſic vocare, cum ſuprà fol. 418. quatuor tantum Machabæos Principes hac hiſtoriâ deſcribi dixerim. Nos autem de eo ablegat extremus hic liber ad libros dierum eius Pontificatus, qui, quod quidem ſciam; non extant. Qui tamen inuenitur liber Machabæorum quartus, habet de ea non pauca (verùm canonica is auctoritate, vti Prælocutio tertio fol. 367. expoſitum; caret. In eius etiam explicandis rebus verſantur Ioſephi ambo,

ambo, Flauius quidem 13. à cap. 14. Gorionides verò lib. 4. à cap. 2. Et *Iohannis* quidem nomen interdum etiam Simoni tribuitur, vt in Rabbino Aha bar Huna perſpici antea potuit; huic tamē eius filio, vt ſcriptura hæc noſtra monſtrat; proprie conuenit. Vocatur non raro ſimpliciter *Hyrcanus*, vt apud Ioſephū vtrumq; locis iam indicatis, licet in Hebraico apud Gorionidē ſcribatur *Hourcanus*, aitq; hoc *Hyrcani* nomen à patre impoſitum accepiſſe, quod magnum quendam Regem Hyrcanum interfeciſſet, Euſebius Chron. quòd Hyrcanos viciſſet; itemq; D. Thom. notatq; Ioſippus, cum ſic *in lingua Græcorum* appellari. Sed; ante ipſum, iam alij nomen hoc geſſerunt apud Ioſeph. lib. 12. c. 4. & ipſius etiam Ioſephi filius vnus poſtea, quemadmodum ſua in vita narrat. Eum etiam *Ionathan* vocat lib. 1. c. 1. Egeſippus, & in Chron. Euſeb. quemadmodum ſcilicet Ioadæ filius *Ionathan*. Nehemiæ 12. interdum vocatur *Ioannes*, & à Nicephoro *Ioas*.

Factus eſt vt dixi, poſt patrem, Iudæorum Dux, & Sacerdotum Princeps vers. 24. & Ioſephus 13. addit cap. 15. ſicuti & Gorion lib. 4. c. 2. eum in quadam ſupra in Hierichuntem arce, quę à Ioſepho *Dagon*, à Gorionide *Digoua* vocatur, ſtatim obſediſſe parricidam illum Ptolemæum. Sed cum iſte captos illius fratres, & matrem ſupra murum collocaret; verberaret, præcipitiumq; eis minaretur, hunc miſericordia & pietate flexum, obſidionem nō vtiſſe, eamq; tandem, propter annum Sabbaticum, ſoluiſſe. *Ptolemæus verò*, ait Gorion, *crudeliter offenſus. Hyrcani matrem & fratres occidit, & Philadelphiam*, quæ vt in Ezech. 25. ait D. Hieronymus, Ammonitarum metropolis, olim *Rabbah* vocabatur, *fugit*. Vult verò Scaliger lib. 2. de emēdat. temporum, hunc annorum ſabbatiſmum fuiſſe eodem hoc anno 177. quo interfectus eſt Simon. Sed cum menſe vndecimo interfectus pater fuerit vers. 14. antequam ad obſidionem aggrederetur, eius anni iamiam inſtātem finem exſpectaſſet Hyrcanus, cum contrario modo factum ſit. vt propter annum Sabbathicum, à cœpta iam obſidione deſiſteret. Deinde, diſertè ait Ioſeph. c. 15. *Cum protracta eſſet obſidio, adeſt annus, quo Iudæos feriari contingit*. Ad hæc fuit ſupra lib. 1. c. 6. vers. 53. annus ſabbaticus anno 150. Inde, ſi numeres, incidet ſecutus ſabbatiſmus in annum 157. alter in 164. tertius in 171. quartus, qui & noſter iſte, in 178.

Adiungit cap. 6. Ioſephus Flauius, & lib. 4. cap. 3. Gorion, *Antiochum* veniſſe Hieroſolymam obſeſſum, & cum, ſcenopegiorum diebus, inducias ab eo Ioannes petiiſſet, illum & conceſſiſſe, & ad ſacrificia inſignes auratis cornibus tauros, pluribus cum odoribus, aromatibus & munerib. in vrbem miſiſſe, vti etiam ſcripſit in Apophtegmatibus Regum Plutarchus. Vnde, vt ſupra retegi, εὐσεβὴς & *pius* dictus eſt, idq; Latinum nomen bis repetit Gorion lib. 4. c. 3. Præclarum id ſanè cognomentum eſt. ſed, vti & alia nonnulla; nimium facile falſoque plerūque datum. Tiberius dicendus erat *Inuictus & Pius*, niſi interceſſiſſet Auguſtus. Fuit & M. Antonij frater, Lucius Antonius. non *Pius*, ſed *Pietas* apud Dionem vocatus. Verum rectè, in Teſſarada quadā ſua gnomica, Rabbini; *Scheli ſchelach, veſchelach ſchelach, chaſid: ſchelach ſcheli, veſcheli ſcheli, raſcha*, id eſt: *Qui dicit, quod meum eſt, tuum eſt, & quod tuum eſt, tuum ſit, is* pius *eſt*: *Qui verò dicit, quod tuum eſt, meum eſt, & quod meum eſt, meum ſit, is* impius *eſt*.

Tunc verò, vti poſt Ioſephum refert etiam cap. 1. lib. 1. Egeſippus, Dauidis ſepulchrum aperuit Hyrcanus, ex eoque ter mille talenta ſuſtulit. è quibus Regi trecenta, vt pretio emptus abiret, annumerauit. Atque, *vt facti*, ait Egeſippus, *inuidiam leuaret, fertur ea pecunia Hyrcanus inſtituiſſe primus Xenodochia, quibus aduentum ſuſciperet pauperum peregrinorum*. Magno tamē opere vereor, vt Egeſippus iſte, quem non eſſe antiquum illum à D. Hieronymo aliiſque laudatum recte cenſet Tomo 1. Reuerendiſſimus Baronius; in Ioſephi verbis hallucinatus ſit. Quia enim *Xenotrophia & Xenodochia* peregrinis hoſpitio excipiendis poſtea inſtituta ſunt, putauit hoc à Ioſepho, per ξενοδοχεῖον, ſignificari. Sed hoc potius videtur dicere Ioſephus: Hyrcanum cum tanta ſubiiſſe auctus pecunia, omnium Iudæorum primum cœpiſſe mercenarios, & è peregrinis gentibus conductitios milites habere. Ita enim hoc verbum ſuprà intelligi vidimus lib. 2. c. 10. vers. 14. & res pæne ipſa loquitur. Quomodo enim? Ante Hyrcanum, peregrinos hoſpitio Iudæorum nullus accipiebat? Dici non poteſt, vt ex dictis Tobiæ cap. 6. quæſt. 3. perſpicuum. An hoſpitalia quædam domicilia peregrinis iiſdem accipiendis ædificauit? Non habeo quidem è Iudæis, quem ante ipſum feciſſe hoc dicam. ſed neque id verbo illo ξενοδοχεῖον ſignificatur. neque id neceſſarium videbatur, cum vigeret adhuc commendata in ſcripturis hoſpitalitas. Expendantur etiam Ioſephi verba δεξάμενος δὲ ἀπὸ τούτων, πεῖρᾶτ' ἰουδαίων ξενοτροφεῖν ἤρξατο. Vertit ea, verbo primo prætermiſſo, Ruffinus, niſi mendum in libris ſit; *Ex quibus primus Iudæorum cœpit peregrinos alere*. At vertendum *ex his incitatus*, ſiue *tanta tot talentorum pecunia impulſus, cœpit è Iudæis primus externum peregrinorum q; militem alere*. Sic videtur: licet ſi quidem probari poſſet, pauperes & egentes eum aluiſſe mallem. Et ex hoc tempore in Iudæorum caſtris audiri cœperunt Thraces, Galatæ, Germani, & neſcio qui alij. Eandem quidem hiſtoria ſcholaſtica lib. 2. Machab. c. 3. narrationem narrat, ſed ex eodem, vt opinor, Egeſippo.

Initâ porro cum Rege amicitiâ, eum in expeditionem Parthicam comitatus eſt Hyrcanus. Sed cum in itinere accidiſſet, vt Sabbathi diem Pentecoſte ſtatim conſequeretur, petiit à Rege Hyrcanus biduum; *non enim*, ait ibidem Ioſephus, *nobis* Iudæis *licet neq; in Sabbatis, neq; in die feſto*

Universidad de Deusto
Biblioteca

iter facere. & annuit Rex libenter. Simile quid de Scipione, cum ancilia mouerentur, memorat lib. 37. Liuius. Ex ista verò sabbati & Pentecostes continuatione, patet, feriarum canones, qui in Iudæorum Hahibbur, præcipiunt, ne *duo sabbata* seu feriati dies *continuentur*, vel omnino generales non esse, vel hoc Machabæorum tempore (multo verò minus ante Seleucidarũ tempora, vt vult lib. 7. fol. 604. Scaliger) constitutos nondum fuisse. *Inde*, vt ait c. 17. Iosephus, *Syriæ vrbes multas cepit Hyrcanus, Samaritas vicit, Garizitanum templum euertit, Idumæos domuit, ad circumcisionẽ & Iudaicam legem adduxit: ad renouandam societatem Romam legatos misit*, qui non ἐν νομαίῳ, sed vt lib. 2. formularum corrigit Brissonius, ἐν νομίῳ auditi, votiq; compotes facti sunt. Ab hoc Ioanne incipiunt Iudæi annos domus, seu familiæ Hasamonæorũ numerare, & ad id vsq; tẽpus, à mundi conditu numerant in suo Computo 36. & 23. annos. Sed biennium huic eorum calculo deesse tradit Scaliger lib. 7. quod alterius disputationis est.

TERTIA MACHABÆORVM HISTORIÆ PARS.

Quæ librorum istorum appendices & conclusionem proponit.

CAPVT I. LIB. II.

1 IRatribus, qui sunt per Ægyptum, Iudæis, salutem dicunt fratres, qui sunt in Ierosolymis, Iudæi, & qui in regione Iudæa, & pacem bonam.

2 Benefaciat vobis Deus, & meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, & Isaac, & Iacob seruorum suorum fidelium.

3 & det vobis cor omnibus vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti.

4 Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem.

5 Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.

6 Et nunc hîc sumus orantes pro vobis.

7 Regnante Demetrio, anno centesimo sexagesimonono, nos Iudæi scripsimus vobis in tribulatione, & impetu, qui superuenit nobis in annis, ex quo recessit Iason à sancta terra, & à regno.

8 Portam succenderunt, & effuderunt sanguinem innocentem: & orauimus ad Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium, & similaginẽ, & accendimus lucernas, & proposuimus panes.

9 Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu.

10 Anno centesimo, octogesimooctauo, populus, qui est Ierosolymis, & in Iudæa Senatuq; & Iudas, Aristobolo magistro Ptolomæi regũ, qui est de genere christorum sacerdotum, & his, qui in Ægypto sunt Iudæis, salutem & sanitatem.

11 De magnis periculis à Deo liberati, magnifice gratias agimus ipsi, vtpote qui aduersus talem regem dimicauimus.

12 Ipse enim ebullire fecit de Perside eos, qui pugnauerunt contra nos, & sanctam ciuitatem.

13 Nam cum in Perside esset dux ipse, & cum ipso immensus exercitus, cecidit in templo Naniæ, consilio deceptus sacerdotum Naneæ.

14 Etenim cum ea habitaturus venit ad locũ Antiochus, & amici eius, & vt acciperet pecunias multas dotis nomine.

15 Cumq; proposuissent eas sacerdotes Naneæ, & ipse cum paucis ingressus esset intra ambitum sancti, clauserunt templum.

16 Cum intrasset Antiochus: apertoq; occulto aditu templi, mittentes lapides percusserũt ducem, & eos qui cum eo erant, & dimiserunt membratim, & capitibus amputatis foras proiecerunt.

17 Per omnia benedictus Deus, qui tradidit impios.

18 Facturi igitur quinta & vicesima die mẽsis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis: vt & vos quoq; agatis diem scenopegiæ, & dii ignis, qui datus est, quando Nehemias ædificato templo, & altaris obtulit sacrificia.

19 Nam cum in Perside ducerentur patres nostri, sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altaris occulte abscenderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus, & in eo contuitati sunt eum, ita vt omnibus ignotus esset locus.

20 Cum autem præterissent anni multi, & placuit Deo vt mitteretur Nehemias à rege

rege Persidis: nepotes sacerdotum illorum, qui absconderant, misit ad requirendum ignem: & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam.

21 Et iussit eos haurire, & afferre sibi: & sacrificia, quæ imposita erant, iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita.

22 Vtque hoc factum est, & tempus affuit, quo sol resulsit, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur.

23 Orationem autem faciebãt omnes sacerdotes, dum consummaretur sacrificium, Ionatha inchoante, cæteris autem respondentibus.

24 Et Nehemiæ erat oratio hunc habens mõdum. DOMINE DEVS omnium creator, terribilis, & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus Rex,

25 Solus præstans, solus iustus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israël de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos:

26 Accipe sacrificiũ pro vniuerso populo tuo Israël, & custodi partem tuam, & sanctifica.

27 Congrega dispersionem nostram, libera eos, qui seruiunt Gentibus, & contemptos

28 Afflige opprimentes nos, & contumeliam facientes in superbia.

29 Constitue populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses. Deut. 12.5.

30 Sacerdotes autem psallebant hymnos, vsque quo consumptum esset sacrificium. Leuit. 2. Inf. 2. 18.

31 Cum autem cõsumptum esset sacrificium, ex residua aqua Nehemias iussit lapides maiores perfundi.

32 Quod vt factum est, ex eis flamma accensa est: sed ex lumine quod resulsit ab altari, consumpta est.

33 Vt vero manifestata est res, renunciatum est Regi Persarum quod in loco, in quo ignem absconderant hi, qui translati fuerant sacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, & qui cum eo erant, purificauerunt sacrificia.

34 Considerãs autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, vt probaret quod factum erat.

35 & cum probasset, sacerdotibus donauit multa bona, & alia atq; alia munera, & accipiens manu sua, tribuebat eis.

36 Appellauit aũt Nehemias hunc locum *Nephthar*, quod interpretatur Purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.

CAPVT II. LIBRI II.

1 INuenitur autem in descriptionibus Ieremiæ prophetæ, quod iussit eos ignẽ accipere qui trãsmigrabant: vt significatum est, & vt mandauit transmigratis.

2 Et dedit illis legem ne obliuiscerentur præcepta Domini, & vt non exerrarent mentibus videntes simulachra aurea, & argẽtea, & ornamenta eorum.

3 Et alia huiusmodi dicens, hortabatur ne legem amouerent à corde suo.

4 Erat autẽ in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum, & arcam iussit propheta diuino responso ad se facto comitari secum, vsquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hereditatem. Deut. 34.1.

5 Et veniens ibi Ieremias inuenit locum speluncæ: & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostiũ obstruxit.

6 Et accesserunt quidam simul, qui sequebãtur, vt notarent sibi locum: & non potuerunt inuenire.

7 Vt autem cognouit Ieremias, culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus cõgregationem populi, & propitius fiat:

8 et tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut & Moysi manifestabatur, & sicut cum Salomon petiit vt locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc. 3. Reg. 8.14. 2. Paral. 6.

9 Magnifice etenim sapietiam tractabat: & vt sapientiam habens, obtulit sacrificium dedicationis, & consummationis templi. Leuit. 9.24.

10 Sicut & Moyses orabat ad Dominum, & descendit ignis de cœlo, & consumpsit holocaustum, sic & Salomon orauit, & descendit ignis de cœlo, & cõsumpsit holocaustũ. 2. Paral. 7.1.

11 Et dixit Moyses, eo quod non sit comestum quod erat pro peccato, consumptum est. Leuit. 10.16.

12 Similiter & Salomon octo dieb. celebrauit dedicationem.

13 Inferebantur autem in descriptionib. & commentariis Nehemiæ hæc eadem: & vt construens bibliothecam cõgregauit de regionibus libros, & prophetarũ, & Dauid, & epistolas Regum, & de donariis.

14 Similiter autem & Iudas ea, quæ deciderant, per bellum, quod nobis acciderat, cõgregauit omnia, & sunt apud nos.

15 Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis.

16 Aduri itaq; purificationem scripsimus vobis: bene ergo facietis si egeritis hos dies.

17 Deus autem qui liberauit populum suum, & reddidit hereditatem omnib. & regnũ, & sacerdotium, & sanctificationem.

18 sicut promisit in lege, speramus quod citò Deut. 10.3.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostri miserebitur, & congregabit de cœlo in locum sanctum: 19 *Eripuit enim nos de magnis periculis, & locum purganit.*

COMMENTARIVS.

ANTE annos fere quingentos vir diuinarum litterarum amans & sciēs, cœnobij Sigebergensis Abbas *Cuno*, à Tuitiensi *Rupertо*, vt istud libri secūdi Machabęorum initium exponeret, flagitauit, vt ait ipse Rupertus c.2. l.9. *de Victoria verbi.* Exposuit ergo ille librum istum libro decimo de victoria verbi à c.4. ad finem. A Cassiodoro verò lib. *de diuinis lectionib.* c.6. scriptum est, *S. Ambrosius in libro Patriarcharum, vbi de persona Esaæ ipse loquitur, secūdum librum Machabæorum, exempli causa, commemorat. Cuius maximam partem, ad demonstrandam tolerantiam, eloquentiæ suæ dulcissimo liquore patefecit.* Bellatorem, virum sanè à Cassiodoro valdè laudatum, antea optaui; sed multo Ambrosianum istud mihi nectar optatius. Continet verò libri secundi initium hoc, litteras, ab initio huius capitis ad capitis secundi versum vicesimum. vnde ego supra fol. 371. librorum istorum præfationem exorsus sum. De hisce porro litteris quæstiunculę quædam sunt.

QVÆSTIVNCVLA I.

An vnæ, an plures hic litteræ?

DVAS esse, docent Rupertus libro decimo citato c.6. Lyranus hoc loco, Medina lib.6. de fide cap.13. Canus l.12.c.1. Bellarminus lib.1. de verbo cap. 11. Sed horum *quidam* secundas incipiunt à verbis illis vers.10. *Anno centesimo octogesimo octauo. Quidam* verò, vt Canus & Bellarminus, priorum litterarum ea verba finem esse dicunt, & secundas hinc incipiunt, *Populus qui est Hierosolymis*, vers.10. Sed dicendum, *duarum* quidem *hic epistolarum mentionem fieri*, quarum *vna* vers.7. missa fuerit anno 169. *altera* anno 188. *vnicam tamen earum tantummodo hic positam esse, & quidem eam, quæ anno 188. scripta est.* Probatur *primò*, quia Græcè id satis clarè significatur. Cum n. dictum esset vers.7. *scripsimus vobis*, additur Græcè v.9. *& nunc, vt agatis dies scenopegiæ Casleu mensis, anno 188. qui Hierosolymis & in Iudæa sunt.* quasi diceret: scripsimus vobis aliàs, vt dies illos festos ageretis, nunc verò iterum scribimus; sed pro isto, *scribimus*, ponunt rursus ipsius epistolæ salutē initio positam, ad maiorem beneuolentiam significandam, vt sit sensus, *& nunc inquam salutem dicimus*, vel; scribimus inquam dicentes iterum vocis salutem. Vnde, pro illis verbis, *Populus*, eadem Græcè ponuntur, quæ initio posita videtur *qui sunt in Hierosolymis Iudæi, & qui in Iudæa.* Sed maioris authoritatis ergo, inter eos, qui saltem dicunt, iam adiungitur *Senatus & Iudæ* inter eos, quibus dicitur salus, *Aristobulus*. Deinde absurde videtur, epistolam secundam à verbis illis, *Populus* incipere: cum Latini etiam correcti, & Græci correcti hæc verba cum superioribus, Anno *188.* prorsus coniungant. Absurdum etiam incipere ab *anno 188.* quia in epistola inferiore non satis viderentur conuenire tempora & res gestæ cum epistola superiore, prout quidem ab auctoribus illis explicantur.

QVAESTIVNCVLA II.

Quis Iudæ ille, qui vers.10. dicit Ægyptiis Iudæis salutem?

BELLARMINVS, Canus, alij esse *Iudam Machabæum adhuc viuum.* Sed non conueniret annus 188. quem tamen hisce verbis, *Populus*, copulandum iam dixi: eum multo ante istum annum, imò & ante annum 169. hic vers.9. positum, mortuus ille sit, anno scilicet 152. vt supra patuit: neque conuenirent, quæ cap.1. v.17. enumerantur, de recuperata hæreditate & regno. Id enim Simonis tantum tempore obtingere cœpit. Medina vult esse Iudam Machabæum, sed *iam mortuū*, qui voluntate tamen huic epistolæ scribendæ adfuerit. Sed inauditum est, in epistolarum salutationibus mortuos cum viuis salutatoribus aliis, numerari. Pari enim ratione adiungi etiā potuisset Ionathas, & Simon, quin Moyses, & Abraam. Memini quidem legere, *mortuos* quosdam *ad viuorum aliquos* litteras dedisse, prophetam scilicet Eliam ad Iosaphati filium, Iudęæ Regem Ioram 2. Paralip.21. vers.12. deinde *viuos* quosdam *ad mortuorum nonnullos*, vt Imperatorem Theodosium ad S. Iohannem Chrysostomum, apud Nicephorum lib.14. cap.43. imò verò etiam *homines ad Angelorum aliquos*, Thaumaturgum videlicet Gregorium ad Satanam, dum in CHRISTI nomine fugam à certo ipsi loco præciperet, apud Gregorium Nyssenum: sed, vt in litteris vllis, inter eos, qui adhuc viuerent, aliosque adhuc itidem viuentes alloquerentur, ij qui vixissent, iamque hinc pridem emigrassent, numerarentur, nusquam legi. nec video, quomodo fieri hoc possit, nisi *per* mirabilem quendam *personarum metaschematismum*. qui probabilitatis tamen habeat minus, quam ille Clementis in epistola ad Iacobum fratrem Domini, apud Turrianum lib.2.

lib.2. pro epistolis Pontificum cap.13. D. Thomas primò refert Rabani opinionem, non esse in huiusmodi computationibus hærendum, quod auctores diuersi sint. At quales quales, si veri sunt, vt sane sunt verissimi; eos consonare oportet. Deinde illam Medinæ expositionem indicat. Tandem verò statuit Iudam hunc, esse *Simonis filium*, de quo suprà cap.16. vers.2. & 9. At eum à Ptolemæo illo parricida interfectum, probaui antea. Sciendum igitur his ipsis Hyrcani temporibus *Iudas* plures, maxime tamen *tres* eximios fuisse. *Primus* esse potest Rabbi *Ada*. cuius sunt traditiones de quibus suprà ad cap.2. lib.1. fol.421. Is enim apud S. Epiphanium hæresi 33. *Iudas* etiam vocatur, & interdum *Anda* vel *Annas*, si mendum librariorum nullum est. imò & *Dauid* ab eodem appellatur hæresi 42. vbi, licet videri queat, Iudam istum hisce temporibus antiquiorem facere, non faciat tamen definitè, sed tantum ait, eius traditiones post Babylonium reditum cœpisse. *Quando*, ait, *traditio & inuentio seniorum ipso Iudæos contigit? Nimirum Dauidis quidem, post reditum ex Babylone: Akiba verò, etiam ante captiuitatem Babylonicam facta est: Filiorū autem Assamonai, temporibus Alexandri & Antiochi ante aduentum* CHRISTI *centum nonaginta annis.* Et fortassis voluit ista subindicare Iosephus l.13.c.9. dum *hoc ipso* Machabæorum *tempore tres* Iudæorum *sectas* fuisse ait. Quin verò & Rabbi Abraham Leuita, filius Dauid, *in historica sua Cabala*, Iudā Tabæi filium, & Natheum Arbelitem ad hæc tempora reuocat, quorum discipulus fuerit Iosuę Peraiæ filius, quem nugales Rabbinorum chartæ IESV Domini ac saluatoris nostri Magistrum fabulantur. *Quod si*, ait Rabbinus ille Abraham, *res ita habet, viguit ille profecto temporib. Ioannis Regis, non autem Herodis diebus natus est.* At longe quidem aliter de CHRISTO Domino res habet, horum tamen opinionem, videmus *Iudam* tum celebri doctrinæ fama quēdam extitisse. Fuit verò vel *Iudas* vel *Adda* ille alius, quem, post Hierosolymitanum excidium, anno 245. in Iudæorum doctrinis primas tenuisse refert *Seder* minor, quem Rabbi Haie Hispanus ait filium Ahabæ, simulque auctorem methodi annorum, quos veteribus Hipparchi placitis conuenientes tractat. l.4. Scaliger. Multi alij etiam *Adde* fuerunt, vt in Proteuangelio, & apud Sozomenum l.7. c.21. D. Augustinum l.2. contra aduersarium legis in fine. *Alter* verò illis temporib. *Iudas* fuit ipse Hyrcani primogenitus filius, qui & alio nomine *Aristobulus* dicebatur. Ita enim l.20.c. penultimo Iosephus: *Hyrcanus, cum Pontificatus dignitate annos vnum & triginta potitus fuisset, moritur senex, Ἰούδᾳ τῷ καὶ Ἀριστοβούλῳ καλουμένῳ, Iudæ, qui & Aristobulus vocatus fuit: successionem relinquens. Tertius* fuit *Iudas* quidam Essenus, qui ob sapientiam, futurorumque prædicendorum scientiam, magnæ apud omnes auctoritatis erat, vti ostendit Iosephus l.13.c.19. vbi anno, post 188. istum, vicesimo refert, illum Antigoni, qui Hyrcani huius filius alter fuit, mortem certò prædixisse, neque in prædictionibus mentiri vnquā solitum. Ex hisce tribus *primus* iam omittatur Iudas, quia definitè ipsum, his ipsis, annis, in viuis adhuc fuisse probare non possumus. *Secundus* profectò *vt hoc loco accipiatur, aptum valde fuerit.* Nam Regis primogenitus erat: in Senatu primas facile iā tenebat: maxima apud omnes gratia & auctoritate pollebat, maximè post insignem victoriam, qua Antiochi à Parthis interfecti filium Antiochum Cyzicenum, in Samariæ obsidione, vicit, fugauitq;, vt apud Iosephum est l.13.c.18. sicq; vocaretur hic potius *Iudas* quam *Aristobulus*, ne vel minus commodè, vel minus gratè diceretur *Aristobulus Aristobulo*. dum Hebraico illius nomine omisso, Græcum Hebræi, & quidem Hierosolymitani ponerent. *In Iudam* tamē *tertium valdè propensus sim*, quia multum apud Ægyptios Iudæos eius viri auctoritas valeret, quem propheticā veluti vaticinatione celebrem audirent: & quia is idem esse videtur, qui infra huius eiusdem l.2.c.2. v.14. horum bellorum gesta collegisse narratur. Demum, quia ita etiam Ruperto visum l.10. c.15. Refert in Demetrio Plutarchus, apud Athenienses more fuisse receptum, vt in fœderum & contractuum tabulis, ipsisq; adeo Senatusconsultis, & psephismatibus, deorum, qui Soteres dicebantur, sacerdotum nomina, vt tanto maior esset auctoritas, inscriberentur. Cur ergo fieri non potuit, vt auctoritatis maioris ergò, *Iudas hic Essenus*, his in litteris, nominaretur?

QVÆSTIVNCVLA III.

Quinam isti in Ægypto Iudæi, quibus Hierosolymitani & litteras & salutem mittunt?

ILLI nimirum ipsi erant, quos ingenti planè numero, è Iudæa, captis Hierosolymis, in Ægyptum abduxerat Ptolemæus Lagi, vt exponit Iosephus lib.12. cap.1. quorumque millia plurima, ob Septuaginta Interpretum versionē, libertate donarat Ptolemæus Philadelphus, vt inibi c.2. commemoratur. Rursum, qui suapte sponte in Ægyptū ierant, & vel Alexandriæ, vel in Heliopolitana regione, vbi, vt supra dictum est, templū excitarant; morabantur. Quin & illi omnes, qui Cyrenem, Libyasq; Libyæ partes incolebant, isto Ægyptiorum numero contineri possunt, de quibus libro 14. cap.12. Iosephus.

QV AE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVÆSTIVNCVLA IV.

Quis verò ille Aristobulus, cui tam signatè salus asscribitur vers. 10?

ERAT is *ex christorum* siue vnctorum *sacerdotum genere*, quemadmodum & Onias ille, quem suprà Heliopolitanum templum erexisse, inibique Pontificatu perfunctum fuisse dixi. Nã *& christorum* vox retinetur Psal. 104. *Nolite tangere christos meos.* Fuerant autem Oniæ illi duo filij magnæ apud Ægyptios Reges dignitatis & gratiæ *Ananias & Chelcias*, de quib. lib. 13. c. 18. & 21. Iosephus. Horum forte cognatus fuit hic *Aristobulus*, vt subindicat Rupertus loco citato. Quia verò Hierosolymitani hoc maxime his litteris agebant, vt Ægyptius quiddam persuaderet, ideo hunc, præ sacerdotibus aliis, & nominant & salutant, quia tam apud Iudæos, quam apud Ægypti Regem pollebat plurimum, quòd *Regis Magister* esset. Nam & Iosephus lib. 20. c. 2. Izatæ Regis Iudæos Magistros Ananiam & Eleazarum nominat, & Artapanus apud Eusebium l. 9. præparationis Euangelicæ Moysen, licet falsò, *Orphei doctorem*, nominet, & Iosephus, nonne in Pharaonis palatio, & Regis & aulicorum omnium doctorem quendam agebat? *Nec vero mirum*, inquit c. 15. Rupertus, *hominem Iudæum dici magistrum Regis Ægyptiorum, quia videlicet à diebus Philadelphi, qui legem per Septuaginta, sibi fecit interpretari, magistros Iudæos habere consueuerunt Reges Ægypti.* Rabanus & D. Thomas eum in Moysen Commentarios ad Philometorem scripsisse aiunt. Nec vero fallunt. Id enim iam olim scripsit Clemens Alexandrinus, & ex eo Eusebius l. 9. Præparationis semel & iterum. citatq; pulchram eius sententiam, & Peripateticum fuisse ait. *Aristobulum* verò & *Aristobolum* dici suprà monui. & ita cum textu nostro eum nominat D. Gregorius l. 1. epist. 28. D. Augustinus l. 18. Ciuit. 45. D. Hieronymus in Eusebij Chronicis.

QVAESTIVNCVLA V.

Quis Ptolemæus Rex, cuius Aristobulus magister?

PHILOMETOREM esse docent citati Rupertus, D. Thomas, alij. quia videlicet ad istum Commentarios illos suos inscripsisse legitur. Atque hunc quidem Philometorem, de quo dictum lib. 2. Machab. c. 4. v. 21 vixisse adhuc ano 149. cum è vita extrusus Antiochus, manifestum fit ex libri eiusdem c. 9. vers. 29. eiq; in Chronicis tribuit Eusebius regni annos 35. Quia tamen eos annos orditur ab anno 2. Olympiadis 150. non pertinent eius anni 37. ad annum hunc nostrum Seleucidarum 188. qui ad Olympiadem 164. pertinet. Ideoq; Ptolemæus hic fuisse videtur, qui ei successit *Euergetes* aut *Physco*. Hunc enim Iosephus lib. 13. c. 17. Simonis iam tempore, in Ægypto regnantem facit, & quidem ita, vt peretib. Syris Regem det *Alexandrum Zebinam*. Rursumque sequenti c. 18. *Ptolemæum Lathurum* tradit *Alexandro Cizyceno*, cum obsiderent Hyrcani filij Samariam, misisse sex millia suppetias. Strabo certe *Physconem* & *Euergetem* vnũ eundemque esse putat l. 17. quem forte, quia Iudæis erat benignior, vocarunt Alexandrini, qui illos fere semper oderant; *Euergetem*. Quanti etiam sequutus *Ptolemæus Alexander*, cum Cleopatra matre, Iudæos fecerit, narrat lib. 13. cap. 18. Iosephus.

QVÆSTIVNCVLA VI.

Ad vtrum Machabæorum librum, priorem an posteriorem, hæc ad Ægyptios Iudæos epistola pertinet?

CANVS & Bellarminus è duabus quas constituunt epistolis; priorem dicunt ad librum primum spectare, & ab istis verbis. *Populus* &c. librum secundum incipiendum. Sed repugnat hoc omnib. libris, Latinis, Græcis, veterib. & nouis correctis. Dicendum igitur, *si res ipsa & historia connexio spectatur, omnino ad priorem libri finem spectare.* Si tamẽ libri eiusdem prioris clausulam, & verborum contextum spectemus, *eadem epistola libro secundo, tanquam eius pars, non posse coniũgi.* Res enim quas epistola ista tractat, multo sunt posteriores iis, quas liber secundus. Verborum verò contextus non patitur, vt ante libri alicuius præfationem, & eorum, quæ dicenda sunt, enumerationem, aliud quippiam, & quidem copiosè proponatur, quod cum præfatione præcisè non cohæret. Ideoq; existimandum, hanc epistolam libro secundo, *non tanquam propriã eius partem*, præpositam fuisse, sed *tanquam quidpiam separatum*: eidem tamen rectè iungendã & præponendam, quia eius, qui libri secũdi author videtur, Iudæ scilicet Essæi authoritatem & comendationem ostendit c. 2. v. 4. Solet enim interdum fieri, vt authorum libris, ea, vel testimonia, vel aliorum epistolæ præfigantur, quæ de huiusmodi authorib. agunt. Hinc igitur factum, vt vel ab ipso

ipso authore, vel ab aliis, epistola ita cum lib. 2. contextu iuncta sit, vt eius iam *pars* videatur, *adsentitia* scilicet & *apposita* ante vers. 20. c. 2. Alioquin ibi, *de inda Machabæo & fratrib. eius*, propriè incipit liber secundus. Vt verò initium istud cum epistola superiore nectèretur, accessisse videtur particula, *verò*, de qua in 1. parte quærebam. quemadmodum & similes interdum particulas adiicere solent Interpretes. verbi causa Exod. 34. v. 1. *deinceps*. q. neq; in Hebræo neque in Græco est.

Est verò epistolæ huius argumentum; Ægyptios Iudæos ad Hierosolymitanum templum, prę eo, quod in Ægypto ædificarant, venerãdum hortari, vti rectè monet Rupertus c. 8. 9. 15. Ad hoc porrò valet festorum, quæ ad templi eiusdem sanctitatem ostendendam spectant, celebratio. Ideoq; id potissimè agit hæc epistola, vt *duo* huiusmodi *festa* celebrentur, *encæniorum*, videlicet, de quib. lib. 1. c. 4. & *dies ignis*, de quo postea.

In principio autem notanda sunt, quæ bonorum maximorum instar optant Hierosolymitani Iudæi Ægyptiis vers. 3. *Primò* quidem, vt credant; sed non tantum, verum etiam, vt *mandata* DEI *faciant*, & quidem *corde magno*, & *libero*, quẽadmodum, dum, contra nuperum Franciæ huius Orientalis ad Catholicam fidem reditum, verba ista, in suæ ipsius hæreseos iugulum, Smalkaldensis furia citasset; notauit in Apologia noster Scherenius. Potest verè cor *volẽs* vocari etiam promptum, libens, alacre. Optant etiam mentis illustrationem, cordisq; apertionem ad DEI leges, sanctasque scripturas intelligendas & in opus reuocandas v. 4. Quod enim clausum est cor, neque salutare quidquam admittit: neq; operis boni quidquam emittit. At felices illi quorum aperti sunt oculi & cognouerunt CHRISTVM Dominum Luc. 24. vers. 31. Notat verò lib. 2. c. 45. Cantipratenus rectè post apertionis huius vota, rogari DEVM *vt faciat pacem. Pacis enim*, ait, *tempore opera iustitiæ liberius exercentur* ideo alibi dicitur Ecclesiastici 38. v. 25. In tempore *vacuitatis, hoc est pacis, scribe iustitiam*, (noster textus legit, *sapientiam*) *quasi diceret; quod tempore belli non potest appẽdere potes, qualis ista salutatio sit. Benefaciat vobis* DEVS, *& meminerit testamenti sui, quod ad Abraham, Isaac, & Iacob locutus est seruorum suorum fidelium, & det vobis cor omnib. vt colatis eum, & faciatis voluntatem eius in corde magno, & animo volenti. Ad aperiat cor vestrũ in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo. Et nunc hic sumus orantes pro vobis. Quomodo debuit fraterna charitas, ita salutauit, & imprecata est fratribus suis Iudæis, quorum vtiq; cor non fuerat adapertum in lege & in præceptis* DEI, *dicens. & nunc hic sumus orantes pro vobis. Si enim cor adapertum habuissent in lege & in præceptis Domini, nequaquam fecissent, quod male adapertis ad illam Esaiæ prophetiam. Et erit altare Domini in medio terræ Ægypti. Hoc namq; faciendo præuaricatores se constituerant legis & præceptorum Domini, secundum suprà memoratam prophetiam Danielis, qua dictum fuerat. Filij quoque præuaricatorum populi tui extollantur, vt impleant visionem, & corruant. Idcirco dicunt. Et reconcilietur vobis, & nunc hic sumus orantes pro vobis. subaudiendum est, quia præuaricatores vel filij præuaricatorum estis, faciendo vel habendo templũ in terra Ægypti, quale Dominus per Esaiam non mandauit, nec in cor eius ascendit; super hac re reconcilietur, aiunt, vobis.* Et c. 13. *Memoriter tenendum illud, quod iam suprà diximus, totam libri vel scripturæ huius seriem spectare atq; intendere ad Hierosolymæ ciuitatis venerationem, templiq; quod erat in ea dignitatẽ & honorem singularem, simulq; causa scienda, quam itidem suprà diximus, quia mouebant eos templa contra legem facta, vbi esse non debebant, ad illius templi similitudinem. Templum illud sanctum, sacrificia illo in templo celebrata, sanctabant, ad illius templi similitudinem. Templum illud sanctum, sacrificia illo in templo celebrata, sancta esse & legitima, ciuitatem Hierusalem sanctam esse, vbiq; scriptura libri huius tota intentione declamat, vt hoc modo ex quo recessit Iason à sancta terra. Deinde cum subiungunt, & orauimus ad Dominum, & exauditi sumus, & obtulimus sacrificium similagine, & accendimus lucernas, & proposuimus panes. Cũcta hæc dicta sic rectè accipimus, tanquam firmissimas defensiones priuilegij legitimè pro templo iam dicto, quod erat Hierosolymis. Quod ipsorum, qui templo illi deseruiebant, fieret, vel esse deberet sacrificia offerre. paret templa erant æmulationis.*

At v. 8. verba illa, *Portam succenderunt*, non nisi commatè à superiorib. distinguenda sunt, vt libri quidam veteres habent & Græci, nisi malis quæ impiè hostes, quæque Iudæi pie fecerunt, ab hoc initio *Portam succenderunt*, vsq; *panes* parentheti quadam includere. Sunt verò hisce festis de quib. epistola hæc vti dictum est, laborat; suadendis argumenta generalia, *Primum* à periculis, è quib. liberati v. 11. Secundum, à pœna impiorũ v. 11. & 12. Illud n. v. 12. *Ipse ebullire fecit*; ad DEVM cuius v. 11. mentio facta erat, referendum, qui effecit, vt in Perside, de qua infrà, sese cum suis Rex conferret, animo irato & futurorum nescio. Est n. hic ἐξιβράσεις, quemadmodum Sapientię c. 10. v. 18. ἀνέβρασεν quod vertitur, *transfuxit. Transtulit illos* DEVS *per mare rubrum, & transfuxit illos per aquam nimiam.* Nehemiæ vltimo v. 28. ἐξιβράσθαι, *fugam à me.* Ideoque illud, *de Perside*, cũ in Græco semel tãtum in hisce duob. versibus ponatur, vel omittendũ, vel in Perside intelligendum, quasi in ipsam, vel ob ipsam, ita efferbuerint hostes isti. Tertium verò argumentũ postea.

Sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sunt porro variæ hic quæstiunculæ superioribus aggregandæ. Sit igitur QVÆST. VII.

Quæ Nanæa, de cuius templo hic vers. 13.

LYRANVS, & D. Thomas & alij, *Dianam* existimant, adeo vt idcirco Pererius lib. 10 Daniel. 9. per Elymaidem, de qua in Epiphanis morte actum est, Susa intelligi velit; Lutherus verò sine Melanchthon hîc, in ipso versionis suæ textu, *Dianam* expresse posuerit. Sed *Venerem esse*, inde colligitur *primò*, quod Nanium & Nano apud Plautũ & Comicos, & frequẽtissimè apud Athenæum l. 13. sunt, quę meretricantur, mulierculę, sicuti apud Menandrum in Colace, Nanarium. *Secundò* Dea fuit apud Armenios, & Persas, Strab. teste l. 11. 12. & 15. *Anaitis*, quæ & *Nais* ab eodem vocatur. Hanc verò Clemens in exhortatione ad gentes, *Venerem* esse scribit, traditque eius simulachrum primò omnium collocasse Artaxerxem Ochi filium Babylone, Ecbatanis, Persis, Bactris, Damasci, & Sardibus. ideoq; & apud Menãdrum pro *Laide*, *Naidem* legi, vult Stephanus Niger libro de nimio luxu fol. 354. *Tertio*, docet loco citato Strabo in Nanæo fano magnam Sacerdotum dignitatem & maximam sactorum seruorũ copiam fuisse, vt optimè cum historia nostra ista omnia faciant. *Quarto*, Veneris impuritati valde consentanea sunt, quæ idem Strabo eodem l. 12. vbi ab eo Zela vrbs describitur; de Anaitidis huius sacris, quæ *Sacæa* vocantur, memorat, *Vbicunq;* ait, *huius Dea templum est, legib. statutum est, vt Bacchanalia Sacæorum festa celebrentur, viris omnino Scythicè tum interdiu, tum noctu sese tractantib. dum inter se & cum mulieribus vna libentib. poculis certant, & lasciuiunt.* Dio Chrysostomus oratione 4. *de regno*, Athæneus lib. 12. etiam alia. *Quinto*, ita Deam istam exposuerunt Agathias, Berosus, Athenocles, Symmachus, qui Medorum Assyriorumq; res gestas grauissimè conscripserunt & Gyraldus Syntag 12. vbi addit: *Scribunt alij, vt Dea antiquos deasse ex præstantioribus puellas, ac ibi prostarent, quæ deinde velut vnus traderentur, ipsa hilarè accipientib. maritis.* de quib. Herodotus l. 1. Sunt verò veteres illi scriptores maiore digni fide, quam qui Dianam esse aiũt, Pausanias l. 3. Plutarchus in Artaxerxe. cum quib. nihil est, vt Plinium l. 35. c. 4. iungamus, quin potius ex eo loco videatur l. 6. c. 27. pro *Diana* legi oportere *Anaitidem*, licet fatear libenter, Dianam etiam in hisce Orientis partib. valdè cultã fuisse, vti narrant D. Hieronymus in Danielis 7. 8. 9. 11. Diodorus & Polybius, ideoq; Syntag. 12. in Persia & Elymaitide refert Gyraldus. Et fortè Deæ vtrique nomen hoc commune fuit: pro *Venere* tamẽ potius faciũt, quæ de pyritheis & ignib. ardoribusq; perpetuis colligit l. 6. Saxonicorum Goropius, quam pro ipsius Diana. Et verò illud à Venere stat, quod eidem Deæ consociat Strabo l. 11. *Omanum*. Is enim à calore & æstu, quemadmodum ex Hebraico חמרי *Choman*, in l. 4. Tibulli notat Scaliger, nomen sortitus est, sicut & *Achaimenij*, seu *Achamanij* & videri potest in Hieremiæ 31. S. Hieronymus. *Ad hæc*, mulieribus, quæ in Dianæ sacerdotium legebantur, perpetuam à viris omnibus pudicitiam indictam fuisse, scribit idem Plutarchus sicut & de iis, quæ solis sacerdotes erant, refert l. 10. Iustinus. Istud verò à Nanææ mulierib. abesse, ostendit, quæ sequetur quæstio. Quemadmodum verò vocatur etiam *Nais* vt dixi; sic etiam ab Hermolao in Plinio ex Pausania loco citato *Anaitis*, vel, vt apud Plutarchum, *Anitis*. *Deniq;* est apud Stephanum & Thucydidẽ l. 3. Cariæ vrbs *Anea*, quod ibi, vt ait Ephorus, Amazonum vna sepultra sit *Aneæ* Salaces verò libidinosasq; fœminas vocat in 35. Ieremiæ D. Hieronymus Amazones, *quæ vsque ad decrepitam ætatẽ bella libitanum exercuerint.* Quidni ergo Nanæa, Venus? Et forte vsitatum etiam fuit veteribus Nanææ nomen. Nam in Bretzenheimensi prope Moguntiam, pago, vbi veteris Gentilitatis lapides aliquot sunt, vt *Petronius* cum corona querna, itemque cippus *Iouis* & *Iunonis* dicatus, qui CHRISTO tamen, ante templi ianuam, seruire iam cogitur, est etiam exteriori templi muro insertum monumentum, in quo hæc *Regenolt Socho Nannechco.*

QVÆSTIVNCVLA VIII.

Quomodo cum Nanæa, is, de quo hic agitur, Antiochus habitare vers. 14. volebat?

LYRANVS dicit, eum Deæ debitam reuerentiam facere voluisse. Sed Græcum συνοικεῖν, coniugalem cohabitationem importat, vt apud Iosephum lib. 11. cap. 6. lib 12 cap. 4. Herod lib. 1. & 4. Plutarchum in M. Crasso, Iustinianum Nouella 79. alios passim. Sciendum enim, Regum veterum nonnullos, suis cum deab. matrimonia inire voluisse, vt de Elagabali *Vrania*, quam & *Venerem* in libro Iudicum probaui; scribit Xiphilinus: de Caligula insinuat Suetonius c. 22. nisi quod Elagabalus cum Solis Sacerdos in Syria fuisset, enim in ritis Orientis partib. morẽ apertius indicat. Est verò historia huic loco aptissima, q̃ in Augusto narrat Xiphilinus ex Dionis epitome. *Cum videret Athenienses, velle Antonius Dionysij nomine ornari, Minervæ ei despondere. Is cupidè placere sibi re-*

sibi respondit, ab iisq; centum miriadas drachmarum, seu vt Albiensis Blancus vertit, *quadraginta millia aureorum exegit, dotis nomine.* De Peleo vero Isocrates in Euagora: Θέτιδι τῇ γήρως θνητὸς ὢν ἀθανάτοις συνῴκησεν. Rursumque fuerunt, quæ Diis suis nubere volebant, vti apud D. Augustinũ lib. 6. ciuit. cap. 10. prodit Seneca, lib. *de superstitione. Sedent*, ait, *quædam in capitolio. quæ se à Ioue amari putant: nec Iunonis quidem, si poetis credere velis, iracundissimæ aspectu terrentur.* Confirmatur vero ista expositio vel inde perspicue, quod accipere volebat Rex pecunias *dotis nomine*: εἰς Φερνῆς λόγον, seu vt in Syriacis Appianus & li. 12. cap. 3. Iosephus loquitur, Φερνῆς ὀνόματι. Eæ quidem quibus locupletatum erat templum, pecuniæ, possent eius Deæ *dos* vocari, quemadmodum hodie apud nos *templa* interdum *dotata* vocantur, & ab ipsa etiam Venere lib. 10. Metamorphoseos, cum ait.

Est ager, indigenæ Damascum nomine dicunt;
Telluris Syriæ pars optima, quam mihi prisci
Sacrauere senes; templisque accedere dotem
Hanc iussere meis.

Siquis tamen sine aliqua nuptiarum specie depeculari pecunias easvellet, is *dotem* quidem acciperet, non tamen *dotis nomine*, prout de Antonio iam est dictum. Et perspicue admodum li. 1. Suaperet, non tamen *dotis nomine*, prout de Antonio iam est dictum. Et perspicue admodum li. 1. Suasoriarum Seneca: *despondebunt*, ait, *Athenienses Antonio in matrimonium Mineruam, & rogauerunt, vt duceret, & Antonius ait ducturum: sed dotis nomine imponere se illis mille talenta.* Vides *dotis nomen?* Nam de summæ variatione legi potest lib. 5. Animaduersionum cap. 1. Iunius. Ideoq; hasce pecunias, in dotem, Regi, per suas sacerdotes, quasi sponso, Dea offerre videbatur. Quod contrà Lyranum est obseruandum, quem nisi essent hæc multo probabiliora iuuarem libenter ex verbo συμπίσγειν, quod cum alias *verbum*, vt veteres aiebant, *nuptum* sit, supra tamen li. 1. ca. 11. pro bo *colloqui* sumitur. Opinarer etiam eum non cum Dea ipsa, sed cum aliqua dicatarum Veneri puellarum & sacerdotum cohabitare voluisse, nisi eadem dotis pecunia impediret, quæ certè pro tot puellis, cum nuberent, à Dea in illarum dotem dari non poterat. Strabo tamen extremo lib. 11. eodem hoc verbo συνοικεῖν vsus, docet è splendissimis familiis, puellas in Tanaidis Deæ honorem, meretricari solitas, & suis operibus amplissimos viris, qui ipsis congrederentur, munera dare, sed iis præsertim, qui pari dignitate polleren. Si Rex igitur istarum aliquam vellet, eam, suo ære, sed iis præsertim, qui pari dignitate polleren. Si Rex igitur istarum aliquam vellet, eam, suo ære, peculio & Deæ ipsius ærario, dotis plurimum attulisse, quis dubitet? præsertim cum auri plurimum hoc in templo fuisse, *testis holosphyratos aurea illa statua* sit, de qua lib. 33. cap. 4. Plinius. Vide interim hîc & exhorre sceleratissimam, planeq; cœcissimam Gentilium istorum cœcitatem?

QVÆSTIVNCVLA IX.

An, qui hîc nominatur Antiochus, vere etiam hoc in loco interfectus tradatur?

NEgant plerique omnes. Sed eorum *quidam* aiunt, eius *Ducem* quempiam interfectum, quia alius esse videtur, qui hoc libro *Dux* & qui *Rex* vel *Antiochus*, nominatur. Cum enim dictũ esset vers. 11. *aduersus Regem*, subditur vers. 13. *Dux ipse* & ver. 14. *Antiochus*, si autem esset ipsemet dux, frustra iste nominatiuus poneretur. Rursum ver. 15. dicitur, *illo*, scilicet duce, *ingresso*. Et postea subditur, *intrasse Antiochum*, additurque *percusserunt ducem*, cum satis fuisset, *eum percusserunt*. Et satis expositio probabilis, præferturque alius à Diuo Thoma. Quia tamen dicitur non *dux ipsius*, à Latino Interprete, sed *Dux ipse*, & fieri potest vt rei magis explicandæ causa modo *Rex*, modo *Dux* nominetur, dicunt *alii* eundem esse *ducem & Antiochum*, eum tamen *interfectum non esse*, sed eos, qui cum ipso erant ver. 14. quia verba hæc: *cecidit, percussus est*, ei etiam in scripturis tribuuntur, qui non quoad se ipsum, sed quoad suos. cecidit & percussus est, vt Danielis cap. 11. quemadmodum notat ibi D. Hieronymus, Iosuæ 11. Gen. 14. Ita Hugo, Catius, Bellarminus locis citatis, & Pererius lib. 10. in Danielem, qui, quemadmodum apud Canum nonnulli, tollit mallet particulam, &, ver. 16. ante, *diuiserunt*. Ab iis vero, *si quæras*, quomodo fieri potuit, vt è festo, vbi conclusus cum amicis erat, elaberetur Antiochus? *Respondet* Canus *dupliciter. Primo*, templum non fuisse clausum post ipsius ducis ingressum, sed militum. *Secundò*, ipsos milites occultũ templi aditum aperuisse. Sed hoc vtrumque clarè textui repugnat, idque magis intelliges, si, quænam sacerdotum istorum fallacia fuerit, vers. 15. consideres. In eum enim templi locum ducem istum pellexerunt, vbi è latentibus quibusdam foraminibus, quæ in parietum lateribus erant, quemadmodum in nauibus, ea per quæ in hostes missilia mittuntur, vel è superiori etiam laqueari peti posset. Vnde textus Græcus, *lapidibus fulminasse* sacerdotes istos refert; βάλλοντες κίλικες ἐπιχειροῦντας τὸν ἡγεμόνα. Neque causa est, cur verborum proprietate relicta, illos cædendi & percutiendi tropos confectemur, cum vix clarius significari possit, ducem illum vere percussum esse, licet necesse non sit, quæ de corporum concisione & capitum abscissione dicuntur ad eum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel alios omnes referre: sufficit ad aliquos. Et quamuis vers. 16. 17, qui cum ipso Duce erant, intelligantur, ij tamen in Græco non exprimuntur: Dico igitur, *eundem & Ducem & Antiochum esse, vt eque quoad seipsum. hic cecidisse.* Quomodo vero iis, quæ de Epiphanis morte dicta sunt, hoc prout hæretici clamitant, nihil aduersetur, sequens quæstio demonstrabit.

QVÆSTIVNCVLA X.

Ecquis vero Antiochus hic?

TRes opiniones. *Prima* est, esse *Antiochum magnum*, quia apud Strabonem lib. 16. cum Beli templum spoliare vellet, apud Iustinum li. 32. Iouis Dindymi, à finitimis barbaris interemptus dicitur. Ita Lyranus initio suæ in hunc locum expositionis, D. Thomas, Carthusianus, Canus. Sed tanto gaudio non exultarent hic Iudæi, cum is in eos, vt supra dictū est, beneficentissim⁹ fuerit. *Secunda* opinio est, esse Epiphanem, qui cum similiter Dianæ templum, vt ait D. Hieronym. in Dan. cap. 11. Polybius, & Iosephus, aut etiam Veneris Elymææ, vt mauult Appianus in Syriacis, spoliare vellet, occisus est. Ita Bellarminus; Pererius locis citatis, & hæretici quidem omnes sed modo menteque longe alia, cum eum isti Antiochum velint, vt persuadeant hanc libri secūdi narrationem, ei quæ supra fuit lib. 1. cap. 6. li. 2. ca. 9. è diametro repugnare, prout hic etiam, in margine notat aut Melanchton aut Lutherus. *Sed* cum anno 188. mors Antiochi huius contigerit, vel anno superiore, non potest Epiphan, cum is pridem misere perierit, tribui. *Neque* potuerunt, qui epistolam scribebant, de eo vno iam scribere, de secutis regibus aliis tanto, post illius mortem, annorum spacio, penitus tacere. *Tertio*, mortis eius modus & locus, nisi quæ superioribus quæstiunculis relecta sunt, tueri quis possit, huic loco repugnant. Est igitur *tertia* opinio, esse *Antiochum Demetrii maioris filium, & minorem*, quem à Parthis captum dixi, *fratrem*, qui ab Eusebio & Bellarmino nescio cur *Trypho & Grypus* vocetur, cum tres diuersi sint, vt de Tryphone patet, & *Gryphum* Demetrii minoris iam dicti filium esse docent, Appianus, Iosephus, Iustinus. Sed *probatur* hæc opinio *quadrupliciter. Primò*, quia iste Antiochus hoc tempore vixit, initam eū Simone societatem disrupit, Hierosolymam septem diuersis castris obsedit & plurimum vexauit. *Secundò*, quia in Persidem, seu Orientales illas plagas, vt contra Parthos pugnaret, profectus est, vt libro 38. Iustinus explicat, cum quo loco conferendum libri 36. principium, vbi de Persis. *Tertiò*, in expeditione ista Parthica, omnes Antiochum istum mortuum tradunt, sed vel generatim tantum, vt Iosephus cap. 16. lib. 13. vel speciatim quidem, sed ita, vt in mortis genere non satis profani scriptores consentiant, vt mirum non sit, si à nostro ipsi authore aliquantulum dissentiant. Nam Iustinus in prælio, metu suorum, *desertum*, ait, & *occisum* lib. 38. Appianus sub finē Syriacorum, eum *seipsum interfeciſſe*. Ælianus de animalibus lib. 10. cap. 34. *seipsum* è loco quodam *præcipitasse*. Accedit demum, vt Antiochum hunc esse opiner; bonorum etiam scriptorum calculus. Nam ita olim sensit Rupertus cap. 6. & 16. & 24. lib. 10. & nostro sæculo Medina loco citato, itemque Sigonius lib. 2. in Sulpitium.

Obiicit, veritatis indagandæ causa, duo doctissimus Pererius. *Prius* est istiusmodi: A nullo proditum est, eum *tali textu, qualis* hic describitur, periisse. Respondeo, si *exitus quoad omnes* circumstantias *talis* accipiatur, verum est. Sed idem de cuiuscunque alterius Antiochi tam Magni quā Epiphanis morte dici posset. Si vero *quoad* circumstantias *aliquas*, exitus *talis* accipiatur, nō sunt hic omnino nullæ, quas prophani etiam scriptores agnoscant, verbi causa, violenta morte periisse. Quod vero illis authoribus aliis deest, id ex hoc loco supplendum. *Posterius*, fuit iste Antiochus pius, & Iudæis ita amicus, vt Hyrcanum secum in expeditione haberet. Respondeo *primò*, fuisse ab illo vno facto, quod supra narratum est, voeatum pium, neque adhuc apud omnes, vt supra vidimus, neque solus, cum sit Antiochus alius isto posterior, imò huius nepos, quem siue *Sotio*, siue *ioco*, vti tradit Appianus, vocarunt Gentiles *pium*. *Deinde* ista in istis Regibus pietas admodum exigua & inconstans erat. Et cum bellum bis, vt loco nuper citato dicit Plutarchus, gesserit contra Medos; priorique bello feliciter admodum progressus sit, vt ait lib. 38. Iustinus, fieri potuit, vt, quod antea ruptis fœderibus, fecerat lib. 1. Machab. cap. 15. Iudæos rursus vexaret, victoria elatus. Vnde & Iustinus lib. 36. dicit, eum Iudæos subegisse. Sicque in priore tantum expeditione secum Hyrcanum habuit, cum esset tunc amicitia instabilis, & quodammodo etiam dura, cum libertatem iis eripere, tributaque imponere adlaboret, quæ sub Simone iam excusserant, & deinceps, post huius mortem, excusserunt, vt ait Iosephus, & Iustinus loco citato. *Tertiò* fortè dicat quispiam: Quomodo post Epiphanis mortem tam cito huiusmodi sacrilegium Antiochus alius tentasset? Respondeo, quemadmodum Epiphanem non terruit Magni exitus, sic nec Epiphanis exitus hunc Asidetem. Nec vero ipse etiam hic Asidetes Parthorum Reges cohibuit, nisi vt maiore manu ditissima Elymæorum templa spoliarent, prout decimo sexto Strabonis libro exponitur.

Ad cœptam porro festorum suasionem, argumentum tertium à duplici miraculo ducitur. *Vnum* est ignis cœlitus demissi ver. 19. quod olim etiam factum erat Leuit. 9. 2. Paralip. 21. 3. Reg. 18. Et adiungitur hic Neemiæ oratio, ver. 24. Legis approbatio, v. 33. Ieremiæ authoritas c. 2. v. 1.

QVAE-

QVÆST IVNCVLA XI.

Quænam Persis ver. 19. cum in Babilonyam ductos Iudæos dictum sit libro 4. Regum?

REspondeo, Persidis nomen latius interdum sumitur, vt Orientales illas partes complectatur Chaldæam, Parthiam, Mediam. Sic hoc cap. ver. 12. 13. 20. Et D. Chrysostomus hom. 6. in Matthæum, & Mamertinus Panegyrico ad Iulianum, dum gemina Persidos flumina memorat Tigrin & Euphratem. Itemque Lucanus libro 3. quemadmodum hodie Franciæ regni vel Hispaniæ nomina latius accipi solent, pro iis scilicet pænè regionibus omnibus, quæ vicinæ cū sint vni Regi parent. Sicuti & ab vna Persidis regione, Persæ omnes dicti olim *Achæmenii*, vt ait Stephanus, interdum etiam *Elymæi* aut *Elamitæ*.

QVÆSTIVNCVLA XII.

Quis dies scenopegiæ?

REspondeo, est dies encæniorum, qui instar scenopegiorum celebratur libro 1. Machabæorū cap. 4. lib. 2. cap. 10. vt ibidem expositum. Alioqui Scenopegia siue Tabernaculorum solemnitas ad Tisri spectabat, Exod. 23. & 34. Leuit. 23. Vide Ribetam lib. 5. de festis cap. 17. 18.

QVAESTIVNCVLA XIII.

Quis dies ignis?

REspondeo non est dies, quo ante templum secundum, in altari solo sacrificabant è Babylone reduces Iudæi, Esdræ cap. 3. vt patet hic versu 18. vbi dicitur *ædificato templo*. Non etiam dies dedicationis murorum, Neem. 12. vt existimat cap. 19. Rupertus, quia hoc eodem ver. 18. dicitur Græcè *cum ædificasset templum*: Sed est *dies Encæniorum templi secundi*, non illorum de quibus lib. 1. cap. 4. licet tunc etiam, vti supra dictum, ignis ex altari eruperit, (nam neque Neemias tunc aderat, neque Persarum Rex vllum in Iudæos imperium, prout hic significatur, habebat) sed est dies Encæniorum Esdræ 6. Adar mensis die tertio. Tunc enim & Neemias aderat, vt ibidem dictum & Persarum Reges vigebant. Idque ita etiam scribit Gorion, lib. 1. cap. 16. & 17. nisi quod *Esdræ* tribuit, quæ textus facere ipsi *Nehemiæ*. Agunt vero & de hoc inuehro igne Abulensis Exod. 29. quæst. 20. Blesensis epistola 74. Ribera de templo lib. 5. cap. 17. vbi pulchra omnino mystica legi potest expositio. Vnum iam tantummodo D. Ambrosium afferre licet. Is cū Tobiæ pietatem, sinceramque iustitiam & simplicitatem laudasset. *Consideremus*, inquit, *aliud, quod in captiuitate gestum, summum tenuit honestatis decorem. Nullis enim aduersis honestas impeditur, quæ in his eminet, & magis praeellit quam in prosperis. Inter vincula itaq;, inter arma, inter flammas seruitutem, quæ liberis omni supplicio grauior est, inter pœnas morientium, excidia patriæ, viuorum formidinem, sanguinem peremptorum non excidit cura honestatis: sed inter cuersæ patriæ cineres & fossillas, in affectibus pijs resplenduit & refulsit. Nam cum in Persidem ducerētur patres nostri, qui tunc Dei omnipotentis cultores erant, acceptum ignem de altari, sacerdotes Domini occultè in valle absconderunt. Erat illic veluti puteus pateus, aquæ iecesu infrequens, nec populari vsui patens, ignoto & sub arboris remoto loco. Illi obsignauerunt iudicio sacro pariter & silentio ignem reconditum. Non illis studio fuit aurum defodere, argentum abscondere, quod seruarent posteris suis: sed inter extrema sua honestatis curam habentes sacrū ignem seruandum putarunt: ne eum vel impurus contaminaret, vel defunctorum sanguis extingueret, vel deformium ruinarum acernus aboleret. Abierunt itaque in Persidem sola religione liberi, quoniam sola illis per captiuitatem extorqueri nequiuit. Post plurimum vero temporis, quando placuit Deo, dedit hanc mentem Regi Persarum, vt instaurari in Iudæa templum & legitimos reparari Hierosolymis ritus iuberet. Cuius gratia muneris, Neemiam sacerdotem Rex Persarum direxit. At ille secum deduxit illorum sacerdotū nepotes, qui profecturi de patrio solo, sacrum ne periret ignem absconderant. Venientes autem, vt patrum sermone est proditum, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam. Et cum deesset ignis, quo adolerent alaria, haurire eos aquam Neemias sacerdos, sibique deferre, & aspergere super ligna iussit. Tunc visu mirabile, cum esset cœlum intectum nubibus, sol repente illuxit, accensus est magnus ignis, ita vt omnes in tam euidenti Domini gratia factum stupentes, lætitia perfunderentur. Orabat Neemias, psallebant sacer doctor hymnum Deo: vt igne consumptum est sacrificium, iussit iterum Neemias residuā aquam maceres perfundi lapides. Quo facto flamma accensa est, lumen autem refulgens ab altari consumptum illico est. Hoc patefacto iudicio, rex Persarum in eo loco, in quo ignis fuerat absconditus, & spissa reperta est aqua: templum fieri mandauit cui inferebantur dona plurima. Appellauerunt autem illud, quæ erant cum sancto Neemia, Epathar, quod interpretationem habet purificationis: alijs autem nomine Nephte vocatur. Inuenitur autem in descriptionibus Hieremiæ prophetæ, quod imperit accipere de igne eos qui postea esset futuri. Hic est ignis qui cecidit super sacrificia Moysi, & consumpsit illud, sicut scripta ejus exuit ignis à Domino, & consumpsit vniuersa quæ sa-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

per altare, holocaustum. Hoc igne oportebat sanctificari sacrificium. Ideoque & in filios Aaron qui alienum ignem inferre voluerunt, exiuit iterum ignis à Domino, & consumpsit eos, ita vt mortui extra castra proicerentur. Veniens autem Ieremias in locum inuenit domum in modum spelunca, & tabernaculum, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & obstruxit ostium. Quod cum hi, qui simul venerant curiosius perscrutarentur, vt notarent sibi locum, nequaquam comprehendere atque inuenire potuerunt. Vt autem cognouit Hieremias quod assecutassent, dixit: Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi & propitius fiat. Tunc Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini. Congregationem populi tenemus, propitiationem Domini Dei nostri agnoscimus, quam propitiator in sua operatus est passione. Arbitror quod nec ignem istum possimus ignorare, cum legerimus, quia baptizat Dominus Iesus in Spiritu sancto & igne, sicut in Euangelio dixit Ioannes. Merito consumebatur sacrificium, quoniã pro peccato erat. Ille autem ignis typum Spiritus sancti fuit, qui descensurus erat post Domini ascensionem, & remissurus peccata omnium, qui quasi ignis inflammat animum ac mentem fidelem. Est vero his temporibus obseruanda & imitãda insignis illa veterum illorũ sacerdotũ laus, quæ vt præconem tantum, D. inquam Ambrosium nanciscereturdigna fuit, & eum imitans Rupertus lib. 10. de vict. cap. 18. *Quid illorum*, ait, *fidei contemplatione? Ignem morientem, qui nutriri non poterat, qui vbi nutriretur, non habebat, illi reuscitãdum commiserunt, in quo est spes resurrectionis mortuorum. Nec eos fefellit spes. Quomodo?* Pergit ipse c. 19. explicare, sed ego in textu pergo.

Ionathan ver. 23. non summus Pontifex fuit, vt nouæ translationis commentatori videtur, sed potius, vt censuit Lyranus, Leuita & Cantor. Atque hæc lectio inter prophetas legitur sabbato ante quadragesimæ dominicam secundam. Fuit porro *quadruplex* hîc *miraculum*. *Primum*, ignis in aquam versi, non cinerem, non aërem, ver. 20. *Alterum*, aquam istam lignis & hostiis superfusam, accensam esse: ver. 22. *Tertium*, superfusam itidem lapidibus maioribus, qui vel ex ædificatione residui erant, vel ad ædificia & atria spectabant, vers. 31. *Quartum*, ignem istum in altari non esse consumptum, sed tantum in istis lapidibus. Id enim ver. 32. Græcè clarius significatur, ⸀δὲ ὅπως ⸁συνετέθη ὁ λίθος ἐὰν μὴ φλὸξ ἐξαναλίσκῃ. *Eo, quod in altari erat, lumine refulgente, consumpta est flamma.* Ideoq; latina ista, *ex lumine quod refulsit, consumpta est*, intelligenda sunt, quasi ab isto altaris lumine, seu flamma, lapidum lumen & flamma superata atque consumpta sit.

QVÆSTIVNCVLA XIV.

Quid Persarum Rex vers. 33. fecit?

PRimò rem diligenter exploranit. *Deinde* fecit templum, id est, inquit Lyranus, fecit vel *proprie* templum, vt Darius Esd. 6. vel *improprie*, iam factum scilicet decorauit, vt Artaxerxes. Sed Genebrardus in Notis dicit, factum aliquod ædificium, cuiusmodi probatica piscina erat Ioannis c. 5. & apud Bedam Esd. 2. fuisse tunc ædificatum. Eodemq; sensu posset Græcotũ ἱερὸν adiectiuè sumi, vt scilicet locum illum. *sacrosanctum* fecisset, vt qui antea puteus profanus erat, iam in eo quædam Dei veneratio esset, ac religio, vt etiam inquit, Nouæ translationis commentator. Facitque ad hanc expositionem non parum, quod eum locum Rex sepsisse & conseruasse dicatur, Græcè περιφράξας. Vnde in Latino vers. 34. videtur fuisse, non, *considerans*, sed *conserans* vel *circumserans*, vel certe *obserans*. Nam hæc alioqui obseratio eo in textu omitteretur, & qui in Græco est διωρισάμενος verbis æquo pluribus verteretur, cum addatur, *rem diligenter examinans*. *Deinde* quod loca istiusmodi religiosa, templorum etiam nomen, quo Interpres noster vtitur, admittant, vt Leuci, asyla, & similia, sicut & Virgilius dixit Æneid. 8. *Scrupea saxa, Bacchi, templa*. *Tertiò* sacerdotibus benefaciebat, iisque sua ipsius manu multa diuersa dabat, quæ suis è thesauris accipiebat. Possent vero τὰ διαφέροντα etiam sumi, quasi διαφέροντα, id est, præstantia & eximia, seu meliora, & excellentiora, vt Rom. 2. Heb. 1. ver. 4. *Quanto differentius, præillis nomen hereditauit*. An vero ista propter Persicas de igne opiniones Rex fecit? Tanta Dei bonitas est, vt quemadmodum ait S. Augustinus, è malis etiam bonum eliciat. Cum ergo ex delapso cœlitus igne, qui vt supra iam notarum, memoratur in scripturis aliquoties diuinitus etiam apud se ignem lapsum vel excitatum Gentiles fabularentur, apud Plinium lib. 2. cap. 110. Seruium lib. 12. Æneid. omnium vero maxime Persæ apud Ammianum lib. 23. quibus etiam ignis sacer & perpetuus, multaque item pyrithea, & πυρεῖα ναοῖς, vt vocat in Cosroe Cedrenus, istam Persarum Regis huius vel opinionem vel superstitionem potius, in bonum iam conuertit Deus, suumq; verum opus & beneficium à barbaro etiam laudari coliq́ue fecit.

QVAESTIVNCVLA XV.

Quidnam est vers. 36. Nephthar?

IND. Ambrosio vt supra notare licuit, vocatur Epathar. Dicitur vero in textu, interpretati, καθαρισμὸν, id est, purificatio. Cuius vero linguæ sit, & ob quam causam istud significet, mihi quidem

dem exploratum non est. Video qui *Persicam* vocem esse dicant pari fortè facilitate dicturi, *Babylonicam*, si è captiuitate Babylonica sacerdotes istos tum reduces cogitassent. *Tres*, quoad à doctoribus certius quid afferatur, proponam *coniecturas*. *Prima* est נטר *potar*, Hebræis, Chaldæis & Syris est *dimittere & liberare*, *Niphtar* vero *liberatus*. Ideoque & in festalibus Iudæorũ saxis & epitaphiis, cuiusmodi etiam aliquot, prope fontem, Iudæorum ipsorum arenæ vicinum, ad Moguntiam visuntur, crebrum istud *Niphtar* est, prò *obiit* aut *mortuus est*. Rursum vero *patir* etiã *purum* significat, vt Ezechiel. 13. *patir tin*, id est purum lutum, & *azymum* ac *purum* Exod. 23. dumv. 15 dicitur in Thargum Onkelos; *Iathchagga depattirata thittar. Solemnitatem azymorum seruabis*. Posset que nomen fieri *happatar* aut *Nepthar*, quod sit ἄφεσις *dimissio*, *remissio*, *liberatio*. Quidni & *purificatio* hinc esse possit, nostrumque istud *nephtar*, primo quidem, quia purificationis mentio clara vers. 33. purificauerunt sacrificia: deinde, quia quæ purificata & sanctificata loca sunt, eo iã ab omni prophano, vulgariq; vsu liberata, & ab omni pænè hominum tributo immunia esse solent. Neq; obesse potest Græcè Latineq; aspirari *th*. Potest enim & hoc aliquando in ט fieri, & ad istam significationem vocari etiam potest cognatum verbum פתר cui hodie tantũ tribuitur, vt *explicare*, vel *interpretari* valeat. *Altera* porrò coniectura. Fuit antiquitus apud Gentiles moris, vt in expiationibus & lustrationibus, *sulphure*, ideoq; & *bitumine*, *naptha*, similibusq; sacris aliis vterentur.

------ cuperent (ait Iuuenalis) *lustrari, si qua darentur*
Sulphura cum tædis, aut si forte humida laurus.

Plinius lib. 35. cap. 15. *Habet*, inquit, *Sulphur in religionibus locum ad expiandas suffitu domos*. Videlicet, putabant igni isti sulphureo & bituminoso cœlestis & diuini quid inesse, quod quæ apud ipsos sacra erant fulmina & fulgura, sulphuris ὀdorem haberent, & eorum ipsa lux sulphurea esset, vt ibidem à Plinio scriptũ est. Hinc enim & θεῖον Græcè *sulphur* appellarunt, & quæ fulmine tacta essent loca, studiosè procurarunt Romani, arisq; excitatis & bidentibus cæsis *bidentalia*, nominarunt, prout Syntagmate decimoseptimo tradit Gyraldus. Scimus verò *Niphei*, *Naptha* Esther. 1. & Exod. decimo quarto in Thargum Hierosolymitano, esse *picem*, *Naphtam*, *petroleum*. Hic vero expiationem, & delapsum cœlitus ignẽ videmus, *vt Nephtar* inde dictum videatur. Ad quod etiam facit, Babylonis, vnde hi redierant, muros è bitumine istiusmodi, quoad calcis visum præbuisset, feruminatos fuisse, Plinio eodem ibidem testante. Putata vero etiam sunt olim omnia *sancta* esse *inoluta*, cuiusmodi & ea, quibus locus iste circumscriptus, esse poterunt. Taceo Naphtæ cum igne isto miram similitudinem, cum in *illam*, vt lib. 2. cap. 105. ait Plinius, & ex eo lib. 3. de fossilibus prodit Agricola; *vndecunq; visam, protinus insilire ignes soleant*, quemadmodum ignis hic in victimas & lapides transiliuit. Ad coniecturam *tertiam* propero. In Arabico, quod pro sua humanitate, mihi ex Hispania mittebat R. P. Petrus Soto Maior, Dictionario, verbo, *purificare peccatum*, inuenio *Nikfar*, quod ab Hebræo *Cophar*, id est, *expiare & purificare*, profectum satis constat. Quid si ergo *Nikphar* pro *Nephtar* legeretur? Et vero ab eadem Hebræa radice est illud, quod tam variè scribitur, *Caphrita*, id est, *sulphur*, Psalm. 11. forte, quia, vt supra dictum, ad purgationes & expiationes valet. Ex hisce vero coniecturis, quæ primo posita, mihi prima. Et forte videri queat pro *Ephtar* factum in Græco *Nephtar*, per distractionem literæ v à priore dictione ⸀συνοῤῥενσαν τὸ νεφθαρ cum fuisset τὸν τόπον, vt intelligatur τόπον locus. Nam expresse hunc posuit Latinus textus, hunc locum. A Græco autem potuit in Latinum error transferri.

QVÆSTIVNCVLA XVI.

Quid similiter vltimum capitis verbum, Nephi?

IN D. Thomæ commentario sunt hæc verba vltima *Nephi, idem est, quod penitus*, sed forte legẽdum, *idem est penitus*, vt indicetur idem hoc nomine significari, quod altero nomine *Nephthar*. Videtur enim & hoc textus noster innuere, dum ait. *Vocatur autem*, inquit textus, *apud plures Nephi*, sed vocatur etiam Græcè νεφθαεὶ, & apud Ambrosium loco citato *Nephte* quod non mirabitur, qui syncopas & mutationes, quas in vulgari sermone fieri quotidie videmus, consideraris, itemque illas, quæ in linguis etiam antiquioribus obueniunt, vt dũ pro *corah*: lætatus est, Chaldaicè dicitur *chas*, vt in Chaldææ Grammaticæ principio monet Boderianus pro *chesid*, id est, sancto & beneficio. Syriacè *chasi* Act. 2. vt supra iam attigi fol. 468. Et nonne in illa vsitata Rabinorum phrasi dicitur אכתיב *iccethib* pro אמתיב *iccethib*, id est, scriptum est, de quo in suo Syro-chaldaico fol. 15. idem Boderianus? Et *Bei* vel *Bai*, pro *Beith*, tam in compositione quam extrà vt Matth. 12. id est domus apud eundem fol. 22. Quin vero & per apocopen inuenitur *eic* pro *ciaton*. de quo nomine in Ionæ vltimum D. Hieronymus, an cucurbitam, vel hederam; aliudue significet, disserit. Quia tamen Hierosolymitani isti Ægyptiis iudæis scribunt, posset non omnino pingue forsan iudicium videri, si quis Ægyptiacum diei, quo solemnitas hæc perageretur, nomen loco huic accomodatum existimaret. Cum enim haberent Ægyptii dierum 30. menses o-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mnes, è quibus non nisi dies 360. fiunt, vt solis annum assequerentur dies quorannis adiiciebãt quinque vt eorũ etiã annus constaret diebus 365. Horum vero quinq; adiectitiorum dierum ἐπαγομένας ἡμέρας vocant Græci Ægyptii & Arabes *nesi* aut *νεσὶ*) *primus* dicebatur *σῖρις*, *alter ἄρνης*, *tertius τυφῶνις*, *quartus ἶσις*, *quintus νεφθύς*. quod prorsus est Ambrosianum *Nephte*. de quo supra. Vocatur vero apud Iunilium Firmicum li. de errore prophanarum religionum, soror Isidis *νεφθύς*. Sed dederint meliora ditiores, quibus, dum lectori terunciolum offero; si suos è conflictis arcis, in hac aliisque rebus, thesauros offerendi occasionem dedero, erit mihi sanè lætitia: ipsis honor: scripturis lux; Deo gloria. Illud vero ver. 36. *appellauit Nehemias*, elegantem habet in Græco atticismũ, de quo in commentariis linguæ Græcæ Budæus, *ὁ περὶ Νεεμίαν*. Sed quia istud etiam verti posset, hi, qui cum Neemia erant, vtraque versio ver. 33. supra in textum ingesta; *Nehemias, & qui cum eo erant, purificarunt sacrificia.*

Cæterum sunt nonnulli, qui se naturales Magos volunt dici, qui docent, quemadmodum ignes perpetui fiant, aut quomodo aqua accendantur, oleo extinguantur, solis item radiis incendantur. Et in his est Ioannes Baptista à porta libro 12. Magiæ naturalis cap. 10. Scaliger exercitatione in Cardanum 13. 14. Et vero id genus quædam legimus apud Philostratum lib. 3. Eorum tamen quæ illi fieri iubent, & applicari, nil hic vel factum vel applicatum, ideoque merum miraculum fuit. Nec *dies ignis* aut *mensis* aut *tempus* vllum notatur, quia vt ait cap. 19. Rupertus, id Ægyptiis Iudæis notum erat, cum à Nehemiæ temporibus, dies ille festus receptus iam fuisset, antequam in Aegyptum scilicet illi venirent. Atque hi sane Iudæi multo iustius dixissent *φῶς ἐυρήκαμεν*, quam illi, de quibus lib. 1. cap. 2 & 20. Firmicus. Ait porro D. Ambrosius loco citato ignem istum *typum fuisse Spiritus sancti*, qui descensurus erat, quasi ignis, *& spiritualis gratiæ*, quæ per ignem exurit, per aquam mundat peccata nostra. D. Chrysostomus hom. 11. ad Hebr. *Nonne*, ait, *admiramur, ignem olim descendentem omnia consumpsisse? Potest fieri vt ignis quoq; nunc descendat illo longe admirabilior, & omnia quæ sunt proposita, consumat, imo vero non consumat, sed in cœlũ tollat. is n. ea quæ efferuntur nõ in cinerem redigit, sed dona à Deo offert. Tales erant Cornelii orationes* Act. 10.

IN CAPVT II. LIBRI II.

CApitis huius secundi textum à superiore num discerpere decuit, cum vna, eademque perpetuo esset epistola? Quia vero & in longioribus epistolis capita constituuntur, recte quidem textus nouum caput instituit, sed superiori tamen connexè legendum. Est vero in eo alterum miraculum versu 4. ad probandum directè vel indirectè, quod propositum erat, vt videbitur. Ieremias enim cui in Græco textu additur *ὁ προφήτης*, *in monte Nabo* tria hæc abdidit, arcam, altare aureum thymiamatis, tabernaculum, quod in Salomonis templo duplex asseruabatur, Mosaicum, & Dauidicum, vt lib. 3. Reg. cap. 8. dictum. Narratur vero eadem historia à Gorionide lib. 1. c. 19. qui etiam de tabernaculo Mosaico maximè iam agi docet: insuper etiam à Dorotheo in synopsi de Prophetis capite de Ieremia, Epiphanio de vita & morte Prophetarum, è quo D. Thomas. Quia vero in eorum verbis sunt, quæ aut fidem aut disputationem & explicationem aliquam requirant, ea ordine subnectam. Ait ergo inibi Gorionides. *Arca non aderat, quia abstulerat eam Ieremias propheta, vna cum omnibus certis quas fecerat Moyses seruus Domini in deserto, & posuit eas in monte Nebo, vbi inuenit speluncam, in cuius concauitatem posuit eas. Cumque sequerentur sacerdotes qui fuerũt in diebus istis, prophetã, vt aduerteret locũ, respiciens Ieremias post se, & videns, iteratus, iurauit, dicens: Nõ sciet homo, neq; cognoscetur locus donec veniam ego, & Esaias propheta, famulus Domini. tũc restituemus arcã in locũ suũ sanctorum subter alas Cherubin. Factum est itaq; à die illa, & deinceps, & obtulerunt patres nostri oblationes suas holocausta sua, sacrificia sua, pacifica sua: & iuge sacrificiũ suũ, vnumquodq; in die suo, adiuuantes eos Rege Persarum & Medorũ, & subministrante argentũ & aurum, triticũ, oleũ, vinũ, iuuencos & arietes per singulos annos. quoniã dilexerunt Reges Persarum, & Medorum templum Dei nostri, atq; sanctuarium eius.* Dorotheus vero, quisquis tandem est. *Hic*, ait, *prophetа antequam caperetur templum, arcam legalẽ & quæ in illa erant, abripuit, & in petrã quandã abdidit, dixitq; adstantibus, profectus est Dominus Sinai in cœlũ. Et iterũ, veniet legislator ex Sion cum potentia, & signum aduentus ipsius erit vobis, quando vniuersæ gentes lignum adorabunt. Dixit etiam arcam illam nemo eripiet præter Aaronẽ, & tabulas in illa reconditas nemo introspiciet siue sacerdotum siue Prophetarum præter Moysen electum Dei. Et in die resurrectionis arca primum resurget, & ex petra prodibit, ponetur q; in montem Sina, & congregabuntur ad eam omnes sancti expectantes Dominum & fugantes inimicum, occident eum venientẽ ad hanc petram. Obsignauit aũt eam digito per nomen Dei, & facta est figura instar sculpturæ ferri, & nubes lucida obtexit nomen Dei, nec quisquã locũ hunc cognouit, neq; obsignationem legere potest in hodiernum vsque diem, & ad consummationem vsq;. Est autem petra in solitudine, vbi & primum fabricata est arca, inter duos montes, in quibus sepulti iacent Moyses & Aaron. Et noctu nubes velut ignis locũ hunc obtegit, iuxta quod olim factum est. Nunquã n. deesse potest gloria Dei a nomine Dei, propter ea gratiam Ieremiæ dedit Deus, vt finẽ mysterio suo ipse faceret, fieretq; consors Moysis & Aaronis, qui & vna coniuncti sunt ad hunc vsq; diem. Nam & Ieremias sacerdotali semine prognatus est.* De sancto Epiphanio Diuinunc Thomæ verba sunt: *Dicit Epiphanius, hic est Ieremias, qui templum subuertenti Chaldæo prænuntiauit, & captiuitatem populi, & quod post septuaginta annos reuerterentur in terram suam, & templum ædificarent, & quod Christus nasceretur ex Virgine, & quod baptizaretur in Iordane, & quod ascenderet in cœlum, & quod mitteret Spiritum sanctum, & quod iudicaturus esset viuos & mortuos, & quod resurrectio futura esset mortuorum. Hæc ille.*

sens, arcam testamẽti cum his, quæ in eadem erant, tulit. & precibus eam absorberi fecit in petram: petram vero digito designans, nomen Dei *impressit, & factum est sigillum in similitudine scripturæ, quæ ferro caratur, & ipsum domini nomen nubis operimento ita celatum est, vt ex tunc nec locum quis cognoscere queat, nec nomen legere vsque in hunc diem & vsque in finem, & pristinæ figuræ instar ignis & nubes sæpe illic fit nocturno tempore, eo quod gloria Domini ab eius lege non desinat. Est autem petra illa in eremi terra, inter duos montes, inter quos iacent sepulti Moyses & Aaron, dixitque Ieremias præsentibus: Dominus de Sion ascendit ad cœlos, inde cum virtute reuersurus, & erit signum præsentiæ eius, quando omnes gentes adorauerint lignum, dixitque quod arcam hanc nemo poterit producere, præter Moysen electum* Dei *prophetam. Et tabulas, quæ in ea sunt, nullus operiet sacerdotum, nullusque prophetarum, nisi electus* Dei *Aaron. Et in prima resurrectione resurget hæc arca, & exibit de petra, & ponetur in monte Sinâ, & omnes sancti congregabuntur ad ipsam, regressum Domini exspectantes, & vt vitent aduersarium, qui eos fugientes, est quasi intus interimere.* Hæc ille.

QVÆSTIVNCVLA XVII.

Quando ignem, arcam, tabernaculum abduxit Ieremias?

RESPONDEO. hæc in vasis, quæ Nabuchodonosor abstulit è templo, non fuisse, constat ex Ierem. 52. Esdræ 1 ideoque tum in templo non fuisse, vel alicui tradita esse, satis patet. Quando verò ablata sint, duplex opinio. *Prior* est S. Epiphanij in vita Ieremiæ; factum id à Ieremia esse, antequam Hierosolyma & templum vastarentur tertiâ captiuitate, vt scilicet Ieremias ipsi Iechoniæ persuaserit, fineret arcam auferri, quemadmodum & eidem persuasit, sese dederet in secunda captiuitate Ieremiæ 27. 29. *Posterior* opinio, factum id esse, postquam iã Hierosolymam occupasset in tertia captiuitate Nabuchodonosor, quod Ieremias Hierosolymæ relictus facile ab ipso, vel ipsius ducibus arcam & alia illa impetrare potuit, cum apud hostes ipsos gratia & authoritate multum valeret, Ierem. 39. & antequam templum incenderetur, post vrbem iam occupatam, dies aliquot interfluxerint, vti 4. Reg. dictum cap. vltimo.

QVAESTIVNCVLA XVIII.

Quomodo ignis, arca, tabernaculum dicuntur vers. 4. Ieremiam comitata?

RESPONDEO, Lyrano videri hæc *à certis hominibus*, qui Ieremiam comitarentur, perlata esse. Dici tamen potest, *Angelorum operâ*, delata fuisse, præsertim cum Ieremias nullos videatur eius loci, vbi hæc abderentur, conscios voluisse vers. 7. Sic enim & sanctissimum illud Lauretanum sanctuarium, libro contra Vergerium, translatum confirmat Turrianus. Quæres an videntibus hominibus hæc Ieremiam comitarentur? Respondeo, fortè non omnes, sed aliquos tantum vidisse, qui idcirco ad illum sequendum concitati fuerint vers. 6. quemadmodum qui cum Christo resurrexerunt Matth. 27. non omnibus, sed quibusdam tantum apparuere.

QVAESTIVNCVLA XIX.

Quando hæc eadem vel inuenta iam, vel inuenienda?

TRIPLEX *opinio*. *Prima* Riberæ Aggæi 1. inuenta fuisse Cyri tempore, cum è captiuitate Babylonica populus iterum Hierosolymis congregatus est. Et si hoc esset, valeret miraculum hoc ad directè probandum templi secundi Hierosolymitani sanctitatem, cum in eo scilicet reposita hæc fuissent & quidem tanto miraculo inuenta. *Altera* opinio, inuenta fuisse non *propriè* sed *mysticè* Christi Domini tempore, qui est arca vera, & verum thymiamatis altare, qui verum tabernaculum excitauit, & in vnitatem fidei gentes congregauit, prout clarè dicitur Ioan. 11. Ita Rupertus cap. 21. Ambrosius lib. 3. offic. cap. 14. *Congregationem*, ait, *populi tenemus, propitiationem Domini* Dei *nostri cognoscimus. Tertia* vult, in nouissimis mundi diebus hæc inuenienda, cum Elias & Enoch reliquias Israël congregabunt, & ad Christvm adducent. Ita Epiphanius loco citato, Dorotheus, Richardus de S. Victore lib. 4. exceptionum cap. 11. (qui tamen posteà subdit, *Antiochum tulisse altare aureum*) Historia scholastica cap. 3. Iudith. Canus loco citato, & ipse tandem Ribera. Ideoque Gorion Ieremiam ita locutum vult. cap. 17. lib. 1. *Non sciet homo, neque cognoscetur locus, donec venero Ego & Elias propheta famulus Domini. Tunc restituemus arcam in locum suum intra sancta sanctorum subter alas Cherubinorum.*

Dico *primo*; in templo secundo videri *non fuisse arcam*, vel *tabernaculum*, licet altare thymiamatis

Universidad de Deusto Biblioteca

matis nouum constructum sit. Patet *primò*; Quia si hęc inuenta fuissent, hoc epistola dixisset, cum magnoperè ad institutum faceret. *Secundo*, hæc erant, dum Dominus populum congregaret, inuenienda ver. 7 Sed Cyri tempore congregationem istam nondum perfectam ostendit hoc capite versus 18. & superiori cap. ver. 27. *Tertio*, si reperta fuissent, tum in templi secundi expoliatione, quæ per Titum facta est, arca in spoliis poneretur. At non ponitur apud Iosephum lib. 7. de bello cap. 17. & 19. Imò idem lib. 6. cap. 6. expressè docet, tunc in sancto sanctorum nihilomninò fuisse. Cum in idem sanctum sanctorum ingressus est Pompeius, quid in templo viderit, enumerat idem Iosephus diligenter lib. 14. Antiq. cap. 8. de arca tamen semper mutus. *Dices* fortè, arca, quæ post Babylonicum reditum inuenta fuit; erat iam antea per Epiphanem vel Crassum, qui apud Iosephum lib. 14. templum expoliauit, ablata. *Respondeo.* Hoc vnum maximè spoliorum genus à Iosepho notaretur, vel, vt cætera saltem vasa, explicaretur 1. Machab. 1. *Denique* ista in sententia sunt & veteres nostri Doctores, & recentiores, vt iam patuit, adeoque ipsi Rabbini, vt dixi Esdræ 6.

DICO *secundò*, duæ illæ sententiæ, quæ & arcam istam CHRISTI Domini tempore inuentam, & post modum extremo mundi tempore inueniendam aiunt, benè cohærent. Nam idcirco non propriè inuenta fuit, vt veram & figuratam arcam haberemus. & figurantem illam non requiremus, prout dicitur Ieremię 3. Propriè tamen hæc nouissimis mūdi diebus inueniri possunt, non vt Iudaismus restauretur, sed vt Iudæi, arcâ visa, & Ieremiæ prophetiâ completa magis ad verissimam arcam CHRISTVM Dominum & verissimum tabernaculum, ECCLESIAM CATHOLICAM adducantur, inuitantibus Enoch & Elia. Et hoc modo, ad indirectè probandam templi sanctitatem ista valent, *quia*, vt ait cap. 20. Rupertus, *occurritur obiectioni, cur videtur forte templum minus venerandum, quod in eo arca & tabernaculum non essent. Respondetur enim, diuina in voluntate in futurum tempus, Ieremia teste, differri.*

Et ex his patet *primò*, arcam in triumpho Romæ non fuisse, vt existimat historia Scholastica, Iudith 5. Neque *hodie* in triumphali Titi Imp. arcu Romæ videri, quemadmodum loco citato se diligenter quæsisse nec inuenisse refert Ribera, neque *veras* illas priores testamenti *tabulas*, & *Cherubinos* apud Egesippum lib. 1. cap. 17. Pompeium vidisse: sed illis *prioribus tantummodo similes. Tertio* intelligere liceat, imposterem illum, qui sacra vasa in monte Garizim Moysen defodisse nugabatur, ex hac historia, vel occasionem vel colorem aliquem quæsisse apud Iosephum lib. 18. cap. 5.

QVÆSTIVNCVLA XX.

Quænam sunt hic ver. 1. citatæ Ieremiæ descriptiones?

NON sunt vlla Ieremiæ libri, qui hodie inter Prophetas canonicum locum obtinet; portio: sed videntur esse alius quidam eiusdem prophetæ liber, quem non habemus; in quo illius temporis acta quædam continerentur. Nam Græcè hic dicuntur ἀπογραφαὶ, quo nomine sicuti & altero τῶν ἀναγραφῶν, in eam significationem, sæpe vtitur Iosephus in libris Antiquitatis & cōtra Apionem, sicque Menander etiam Ephesius τῶν ἐν τύρῳ βεβασιλευκότων ἀναγραφὴν edidit. Confirmatur hæc sententia. *Primo*, quia S. Matthæus cap. 27. ver. 9. ait; *Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos precium appreciati, quem appreciauerunt à filijs Israel.* At in hodierna Ieremiæ prophetia testimonium hoc non legitur. Ergo alius quidam eiusdem prophetæ liber concedendus est. Negant conclusionem istam non pauci, & Euangelistam septem potissimum modis exponere annituntur. Omnes proponit Maldonatus noster in illum locum: priores quidem sex refutat; septimum verò hunc tamquam omnium optimum proponit, vt in Matthęi contextum *Ieremiæ* vox irrepserit. At meum in animum vix ca, de tot Græcis, Latinisque Codicibus, irrepere potest suspicio. *Sed* alium etiam Ieremiæ librum olim fuisse *testes* in eum Matthæi locum Origenes & D. Hieronymus, qui tunc tamen vel ob nullas deprauationes, vel ambiguas narrationes quas Iudæi fortè, in quorum is manibus erat, addiderant; apocryphus habebatur. *Demum*, visa est probabilis hæc sententia Francisci nostro Turriano lib. 2. pro epistolis Pontificum, cap. 13. prout etiam citaui Præloquio tertio, fol. 369. Hinc patet, quemadmodum exigui momenti sint, quæ ex hisce difficultatibus, contra horum librorum authoritatem, obiiciunt quidam apud Medinam lib. 6. de fide, cap. 13. Iudæi & hæretici nostri.

Specialia verò hisce festis suadendis argumenta, sunt quædam comparationes cum Moysis & Salomonis encæniis & ignibus cœlestibus, ver. 9. 10. 12. 13. Deinde est authoritas Neemiæ ver. 15. Sed notandum *primò*, videri varias versiones simul congestas sub finem versus octaui, & principio noni. Nam Græcè tantum habetur *vt locus sanctificaretur*, μεγάλως *magnificè*. tum interposito puncto *Manifestabatur enim hoc, seu manifestum fiebat, quod veluti sapientiam habens obtulit sacrificium.* Nota *secundo* verborum illorum ver. 11. *Eo quod non sit comestum*, sententiam esse; cum sacrifi-

cium

cium esset pro peccato, ideoque immundum videretur, sicuti & peccatum ipsum, ideoque nec comestum à sacerdotibus esset. id ipsum à flamma esse consumptum vt explicat cap. 23. Rupertus. Et sumuntur verba hæc ex Leuit. 10. ver. 16. videnturque continuata esse cum superioribus, vt quemadmodum ignis cæteras victimas accēdit, ita & hostiam pro peccato istam consumpserit. Nota *tertio*, per eam *librorum congregationem*, quæ à Neemia ver. 13. facta est, non significari libros sacros, quasi deperditos, esse ab eo vel Esdra restitutos, vt quidam apud Leonem Castrium cap. 43. Prolegomenorum in Isaiam existimant, sed tantum bibliothecam extructam, in qua essent libri de Regibus & Prophetis, res ipsius Dauidis, Epistolæ Regum, de anathematibus seu donariis. Sed quia librorum nomē charitatis causa, Latinus interpres, hoc loco, addiderat, ideo, modo ablatiuo, *de Regibus libros*, modò genitiuo vsus est, *libros prophetarum & Dauid.* Istud verò etiam notandum, quāti faciendus sit *Bibliothecarum thesaurus*, cum & antiquissimus sit, & à clarissimis viris tanti factus, vt à Neemia isto nostro, & postea à Ptolemæo Philadelpho, ab Attalo Pergameno Rege, à Paulo Æmilio è Cassiodoro, ab aliis, de quibus Molanus libro de canonicis. Diuus Augustinus *Ecclesiæ bibliothecam, & omnes codices diligenter posteris custodiendos semper iubebat*, inquit cap. vlt. eius Vitæ Possidonius. Hinc etiā vides, ante Aristotelē, quem lib. 13. Strabo primū bibliothecarum authorem tradit, & ante Philadelphum, & Pergamenos Reges, fuisse apud Iudæos bibliothecas, sicut etiam apud Persas fuerunt Esdræ 6. Vide lib. 6. cap. vlt. Gellium; Plutarchum in Æmylio & Antiocho, Isidorum lib. 6. Goropium lib. 4. Nota *postremò*, quemadmodum omnia, quæ à vers. 15. vsque ad 20. ponuntur, significent epistolam claudi. *Si ergo desideratis hæc: acturi itaque:* DEVS *autem, qui speramus, quod.* Ideoque nihil deest, præter *Vale*, quod tamen & ab Apostolicis epistolis præterquam Actorum 15. v. 29. abesse non nescit, qui legit. Instar horum librorum conclusio, sed, quæ vnius alicuius Machabæi propriæ non sunt, quæstiunculæ prius aliquot enodandæ, eæque è Tuitiensi Ruperto fere omnes.

QVAESTIVNCVLA XXI.

Cur Machabæos armis esse inclytos, bellisque defensos voluit Dominus? vbi & de cæde, à Iudæis, in Esther cap. 9. facta.

MIHI non aliis his, quam ipsius Ruperti verbis vtendum, qui in suorum de victoria verbi DEI librorum ad Chunonem de quo antea, præfatione ita scribit. *Cum de regnis illis*, quæ à Daniele cap. 7. proponuntur: *& de sanctis altissimi, quos illa regna bestialiter contriuerunt, loqueremur, tu repente, quæstionem fecisti de Machabæis, qui pardi, quæ tertia bestia fuit*, id est, *regni Græcorum sæuitiam cruentam, multis prœliis & materialibus armis repercusserunt, & exinde in Ecclesia* DEI *memoriam inclytam sibi acquisierunt, dixisti. Scire vellem certius, quæ causa sit, vt eorum bellicam defensionem non minus, quam in defensam sanctorum martyrum patientiam in sancta Ecclesia legendo & cantādo celebremus? Respondi ad hæc, certamen illorum & virtus militaris cum auxilio* DEI *multum nobis & omni sæculo profuit. Agebat enim diabolus per Antiochum, qui appellatus est Epiphanes, id est, nobilis, vt nulla esset memoria siue exspectatio vel fides eius repromissionis, quæ ad Abraham facta est, dicente* DEO. *In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quid enim agit ille Antiochus? ædificauit abominandum idolum desolationis super altare* DEI, *& per vniuersas ciuitates Iudææ in circuitu ædificauerunt aras, & ante ianuas domorū & in plateis incendebant thura, & sacrificabant, & libros legis* DEI *combusserunt igni, scindentes eos, & apud quēcunque inueniebantur libri testamenti, & quicunque obseruabant legem* DEI, *secundum edictum Regis trucidabant eum. Nimirum hoc agendo fiebat, vt arbor bona succideretur, & radicibus extirparetur, ne bonus ex ea proueniret fructus, id est, vt genus Iudaicum destrueretur, ne in semine Abrahæ, quod est* CHRISTVS, *omnes gentes benedicerentur, fieretque irritum quod proposuerat & promiserat* DEVS. *Defensa est radix, vt talis & tantus inde posset fructus fieri, atque impleretur veritas* DEI. *Et idcirco Machabæi, per quos id effectum est, iure nomen celebre possident in Ecclesia* DEI. *Similiter de Hester atque Mardochæo sentiendū est: qui cum diceretur vrso illi, surge; comede carnes plurimas, id est, cum Persarum atque Medorum Regi Assuero dixisset Aman, decerne vt pereat gens Iudæorum, & decem millia talenta appendantur arcarijs Gazæ tuæ, steterunt pro animabus suis & pro gente sua, ita vt versa vice in patibulo appēderetur Aman, quod Mardochæo parauerat, & decem filij eius cruci affigerentur, & per omnes prouincias vna die vltionis constituta, vindictam caperent Iudæi de hostibus suis.* Ideoq; lib. 10. cap. 24. quot & quanti, quamq; cito sanctæ religionis hostes perierint, expendit: DEIq; meritò, eam ob rem, & bonitatem & potentiā celebrat. *Interea*, inquit, *salutis atq; intemeratus permanebat thesaurus patris Abrahæ, thesaurus Dauid fidelis, scilicet verbū promissionis, quod sub iuramento* DEVS *verax super illos thesaurisauit. Stabat enim locus, & gens, vnde oportebat illud adimpleri. Generatio præteribat, & generatio adueniebat: ipse autem cui veraciter dicitur, Tu autē ipse es, & anni tui non deficient, in proposito suo permanebat. Anno illo, quo (vt iā dictū est) fratres qui erant Hierosolymis, & in regione Iudæa scripserunt fratribus, qui erant per Ægyptū, anno, inquā, centesimo octogesimo octauo, Ioannes cognomento Hyrcanus locum & gentem regebat, & ille*

annus

Universidad de Deusto
Biblioteca

annus principatus eius vndecimus erat, vbi tunc erant qui locum & gentem illam tantis odijs persequentes exterminare voluerunt, velocius sicut vmbra transierant, alius post alium diuersis clasibus morientes, quorum interitus velocitatem si consideres, recte dicas, quia in generatione vna nemẽ eorũ delectum est. Vna igitur pe Machabæorũ generatio vix exacta fuerat, principatũ agente suis, principatus annum habente vndecimũ Hyrcano, cuius per patrem SIMEON *patruosq; IVDAM atq; IONATHAM, locum & gentem* DEVS *refertaſſ acium. Denig, post radicem peccatricem, scilicet Antiochum Epiphanẽ, qui sine manu contritus est, filius eius Antiochus Eupator decessit. post Eupatorẽ patruelis eius Demetrius filius Demetrij. Deinde Typhon Tyrannus regni, quis* IONATHA, *& Antiocho adolescente filio Alexãdri dolo interfectis diadema sibi imponit, deinde Antiochus filius Demetrij, qui in templo Nanee cecidit. Septem fuerant, iamq; non erant, nimirum cito deleti in vna (vt iam dictum est) generatione Machabæorum, & benedicebatur* DEVS, *atque laudabatur secundum Psalmistam dicentem. Inimici vero Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.*

QVÆSTIVNCVLA XXII.

Cur eosdem Machabæos ipsorum tantummodo Iudæorum, non aliarum etiam gentium Principes, Regesque fecit Deus?

NEQVE verò hic, vt aliud quidpiam, quam quod ab eodem Ruperto scriptum afferam, mihi laborandum. Pergit enim eodem lib. 10. cap. 25. hisce verbis prudenter. *Non poterat hic* DEVS *terribilis, qui tam cito abstulit spiritum principum, & auxilio tam paruulo subleuauit gentem & locum, non poterat hoc facere verbum* DEI, *verbum* DEVS, *vt gens sua locus suus, regnis omnibus imperaret, quomodo regnum Græcorum paulo ante ab Alexandro Macedone dominabatur? Non poterat istud efficere, vt regnorum mundi caput Hierosolyma haberetur, seu Machabæi vincentibus, seu anteriùs regnante Dauid, quem electione sua, secundum cor suum Regẽ posuerat* DEVS? *Poterat plane, si voluisset de huiusmodi curare, plus quam exigebat propositum ipsius. At verò propositum eius non erat, vt beati viri suæ benedictionis hæredes in ista valle lachrymarum, in isto loco, qui positus est eis ad flendum & esuriendum, & ad sanctæ pauertatis studium, tam subsilirent in equis & curribus & in gentibus more regum gentium potestatem haberent, aut dominarentur. Sed quid erat in proposito eius? nimirum sanctos eius & electos omnes in hoc mundo peregrinos esse, vel exules, & exspectare regnum eius, cuius Rex vel Imperator ipse* DEVS *& Dominus est. Bene igitur secundum hoc propositum suum contentus fuit* DEVS *tantillum suis præbere auxilium, quatenus inter gentes gens vnica & locus vnicus conseruaretur, donec ex ea* DEI *veritas, id est, verbum promissionis adimpleretur. Vltra cautelam hanc vel prouidentiam gentem exulem, filio peregrinorum Abrahæ, Isaac, & Iacob, cur exaltaret, causam non habuit Rex humilium* DEVS, *gentibus siue nationibus gentium, reges autem regum Imperatores habentibus, satis fuit illi genti loco ille prouidere reges aut principes, vt fuit* DAVID, *vt fuerunt isti* MACHABÆI, *qualium præliis aut victoriis non quæreretur, vt vlla fieret pressura mundi, sed vt defenderetur gens, vnde esset ventura salus mundi. Regnum autem & Imperium gentis illius super omnes gentes, quando vel quo tempore consurgeret prouidebat, sedens in throno ille apud Danielem antiquus dierum, qui venturo de illa gente filio hominis iam possidebat regnum & potestatem, vt omnes populi, tribus & linguæ seruiant illi in æternum.*

QVÆSTIVNCVLA XXIII.

Peccarintne Machabæi fœdera cum Romanis fœdera ineundo?

PECCASSE tradebat supra fol. Iosippus Iudæus: creditque idem Rupertus eodem lib. 10. cap. vltimo. *Subobscurum*, ait, *quiddam fratribus victoriosis in medio suæ claritatis accidit,* IVDÆ IONATHÆ *atq;* SIMONI, *quod videlicet victoriis clarificati, vltro miserunt societatem & amicitiam statuere cũ Romanis potentibus, & famosis, quamuis super hac re eos non culpet scriptura, res gestas continens ipsorum; nihilominus tamen animaduertere proptũ est, non fuisse tutum coram* DEO, *neque lege concessum Iudæis, vt expetere, ent amicitias gentium. Veruntamen sicut fuerunt in vita sua, ita & post mortem gloriosi sunt, quia si quid pulueris, aut pulueres vanitatis, taliter admiserunt, omnino deletum est eis a subsequente morte singulorũ. Deniq;* IVDAS *primus miserat Romam constituere cum illis amicitiam & societatem. Et interea Demetrium Rex post casum Nicanoris & exercitus eius, opposuit Bacchidem & Alcimum rursus mittere in Iudæa. & in illo prælio cecidit ille potens, qui salutem faciebat populum Israel. Deinde* IONATHAS *Romam miserat statuere & renouare cum illis amicitiam: & postmodum a Tryphone dolis circumuentus atque occisus est. Similiter* SIMON *miserat cũ illis renouare amicitiam, nec multum post a genero suo Ptolemæo interfectus est. Ta-*

est. Tales enim tantos singulorum fines obscurare videntur, quod in eo videlicet sibi cælestem diminuerint auxilium, dum quærunt ab hominibus seculi quasi pacis & securitatis firmamentum. Sic & Petrus Blesensis epist. 146. quæ Reginæ Angliæ nomine ad Celestinum Pontificem scripta est. *Pugnas*, inquit, IVDÆ, IOANNIS, SIMONIS, *Machabæorum fratrum, cælestis dispensatio felicibus prosperabat auspicijs, missa verò legatione sibi firmantes amicitiam Romanorum,* DEI *perdiderunt auxilium: nec eis semel, sed sæpius venalis eorum familiaritas, versa est in singultum.* Subscripsere his alij, quibus & meum ego punctum adderem, nisi graues iustasque causas, antequam sceleris quisquam damnetur, adferendas putarem. Quanto verò magis, antequam tales tantique viri? Nunc vero quod afferitur? Non culpat, inquiunt, eos scriptura: sed cita ipsi morte vel præliis vel insidiis, ceciderunt. Non est ea vel cita vel certe culpanda mors, quæ matura, sancta, gloriosa. Horum verò mors alia num fuit? Mitte singulorum ætatem in digitos, disputa eorum pro sanctissima religione pugnas, ærumnas, discrimina. Expende ipsorum in DEI templum, cæremonias, gentemque totam promerita, num ipsis immatura putanda mors? Licet enim bonorum, fortiumque virorum, ipsi Reipublicæ, iisque omnib. qui eorum præsidio & virtute defendebantur & ornabãtur, parum vnquam maturus sit ex hoc mundo abitus: ipsis tamen nunquam non maturus est. Quibus vero aliis mediis, qui in acie castrisq; semper versantur, aut certè, qui hostes, æmulosque habent, mori solent? Quid in istorum morte nouum, inuisum, inusitatũ? Sed esto, faciamus esse aliquid cur eius mortis causam potius dicamus percussa cum Romanis fœdera, quam aliud quodlibet peccatum, homines cum essent? Et vero hæc ita dicuntur, quasi, qui moriuntur omnes, proprium, ob quod mori debeant, peccatum admiserint. Ipsi verò bona mente cum essent, DEVM timerent, religionis zelo flagrarent, pro patria, rituumque diuinorum sanctitate fortiter dimicarent, aut certe mali nihil, vt supra vidimus, paterent, vitam reliquerunt. An istiusmodi mala mors? At *lege Iudæis concessum non est*, gentium amicitias expetere. Si legem istam ibi recitarent, confecta res foret. Erat iis forte in animo illa Deuteronomij 7. vers. 3. sanctio. *Non inibis cum eis gentibus fœdus, nec miserebris earum.* Sed quænam istæ gentes? Num totius mundi omnes? Non, sed eæ, quæ promissionis terram incolebant: quæ ibidem vers. 1. numerantur septem, Hethæi, Gergezæi, Amorrhæi, Chananæi, Pherezæi, Heuæi, & Iebusæi. Permittunt diuina præcepta, suadetque naturæ lex, vt ob sui defensionẽ, humana diuinis præsidiis iungantur: vita, patria, religiõ humanis etiam armis propugnetur: ideoque & iis etiam modis ac rationibus, quæ neque per se iniustæ, neque aliàs à DEO, vel Magistratu vllo vetitæ sunt. Fœdera sane societatemq; coiit olim *Abraham* cum *Eschol* & *Aner*, Gen. 14. v. 13. cum *Abimelech* & *Phitol*, Genes. 21. ver. 24. 27. 32. *Isaac* similiter cum *Abimelech*, *Ochozath* & *Phicol*, Genes. 26. ver. 28. & 31. *Iacob* cum *Laban* Genes. 31. ver. 44 53. *Dauid* cum filiorum *Ammon Rege*, 2. Reg. 10. ver. 1. cum *Bendade* Damasci Rege *Asa*, 3. Reg. 15. vers. 19. cum aliis alij licet eorum quidã interdum peccarint, quod modum in omni actione humana necessarium non tenerẽt, dum in hominũ viribus & opibus, quam in DEO ipso spei, ab iis plus collocaretur. Quia verò Rupertus, etiãsi pacis fœderibus istis peccassent, non ideo eos æterna felicitate diuinitus donatos negat, sed si quid pulueris ab iis cõtractum esset, id cita illa morte penitus absterfum deletumq; ait. Adiungã de militibus, qui eodem Machabæorum tempore, pro religione, arma tulerũt, generalem Thalmudicorum sententiam: *In hoc*, aiunt *sacro bello, pleriq; dum viuerent, filij erant diaboli & peccati. At post mortẽ,* DEI *filij, martyrio eorũ peccata expiante.* & adiungit in psal. 78. Gebuinardus: *Audi, quanta sit vis belli sacri contra Turcas & hæreticos, vt parum probos, sanctos & martyres efficat vbi vincit salutare, vincere gloriosum.* Commodè tamen hoc intelligendũ docent, quæ Imperatori Phocæ, volenti, vt militibus omnibus contra fidei hostes cadentibus, martyrum nomen honosque impenderetur, ab Antistitibus responsa, vt quidem scribit in Can. 13. Balsamon, & Reuerendissimus BARONIVS Tomo Annalium octauo anno Domini 610.

QVÆSTIVNCVLA XXIV.

De Machabæorum historia, quæ tradit Canticorum cap. 6. à versu 7. Thargum Chaldaicus, & an vera?

CVM de Mathathia dixisset iste Thargum ea, quæ ad prioris libri caput 2. allata sunt fol. 422. subiungit. *Tunc surrexerunt Græci & congregauerunt sexaginta Reges de filijs Esau, indutos loricis, ascendentes super equos, & equites, & octoginta duces de filijs Ismael, ascendentes super elephantos, præter reliquos populos & linguas, quorum non erat numerus: & constituerunt Alexandrum Regem super eos principem, & venerunt, vt pugnarent contra eos in Hierusalem. Et in illo tempore erat cœtus Israel similis columbæ perfectæ, & seruiebat vnanimis Domino suo: & apprehendebat legem, & liberabat in verbo legis, in corde perfecto, & pura erant iustitia eius, sicut in die quo egressa est de Ægypto. Tunc egressi sunt filij Hasmonæorum, & Mathathias, & omnis populus Israel, & pugnauerunt contra eos, & tradidit eos in manus eorum: & cum hoc vidissent habitatores prouinciarum, beatos dixerunt, & regnate re, & potentes, & laudauerunt eos. Dixerunt nationes: Quam splendida sunt opera populi huius, sicut manè Pulchri*

sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt iuuenes eius sicut Luna : & pura sunt merita eius sicut Sol : & terror eius erat super omnes habitatores terræ, quando ambulabant vexilla eius per desertum. Vult expositor hic exponere verba illa Cantici; *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea perfecta mea. Vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt: reginæ & concubinæ laudauerunt eam. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Quam accommodata hisce verbis expositio sit; non est huius loci & temporis disceptare, sed quæ de 60. *malchin* siue Regibus Esauiticis, de 70. *douce sin* siue ducibus Ismaëliticis, quæ item de *Alexandro*, vt videtur, Magno vel vera nó sunt, vel *Regum* nomen accipiendum paulò latiùs, vt Satrapæ, potentesque homines intelligantur, prout dictum Tobiæ cap. 2. quæst. 2. Iudith cap. 2. quæst. 1. per *Esauiticos* & *Ismaeliticos*, quicumque Gentiles & Iudæorum hostes, per *Alexandrum*, aut ipse *Alexander Bales*, aut verò, quilibet in isto Syriæ regno, Alexandri successor.

QVÆSTIVNCVLA XXV.

An ex hoc Machabæorum tempore cæperunt Israelitæ vocari Iudæi?

COMMENTARIVS in S. Pauli epistolas vetus ille quidem, sed quem Diuo Ambrosio temere falsoque ascriptum, docti pridem viri ostenderunt, affirmat à Machabæo Iuda cœptos Israelitas vocari Iudæos. *Iudæi*, ait in Romanæ caput. 1. *ex tempore Iudæ Machabæi dici cæperunt, qui in causa cladis, restitit sacrilegijs Gentiũ: & fiducia* DEI *collegit populum, & defendit genus suum. Fuit autem ex filijs Aaron.* At ante Machabæum Iudam, Iudæos iam appellatos, testantur, de Iudæis priuilegia, literæ & historiæ, quas hisce temporibus antiquiores percenset Iosephus libr. 12. & 11.

QVÆSTIVNCVLA XXVI.

An Schismaticos & Hæreticos consoletur Machabæorum historia?

QVIS crederet posse hoc abvllo asseuerari? & tamè nescio qua delirij olla edidit hoc ipsum, Lipsiæ, hoc ipso anno Dauid Chytræus. Licet enim pios vocet, dum tamen seiunctos ab ordinaria potestate sacerdotum dicit, non periphrastice schismaticos & hæreticos describit? Nã operum suorum Tomo 2. fol. 497. de Machabæorum historia scribens: *Est consolatio*, inquit, *piorum seiungentium se ab* ORDINARIA *potestate sacerdotum impiorum, qui vociferantur sentiendum esse cum ordinarijs gubernatoribus, & maiori parte: & inhonestas ac seditiosas esse omnes seiunctiones à* LEGITIMA POTESTATE *seu à communi consensu maioris partis.* Sed *primò* decrepitus iste Lutheri, Melanchtonisque discipulus, patũ aduertit duobus posse modis *impios* dici sacerdotes, ratione scilicet *fidei* & *morum*. Cum *fide impij* sunt, ab iis quidem discedendum; sed vbi ordinarios, legitimosque Pontifices, Machabæorum tempore, isto modo impios fuisse legit? quomodo probat? Sanè qui impij erant Iason, Menelaus, Alcimus, ij non legitimi, sed meri Pseudopontifices, & quidam veluti Antipapæ fuerunt, prout hactenus ostensum. Cum verò *moribus tantum impij* sunt, mordicus illud CHRISTI Domini tenendum Matth. 23. ver. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Dicũt & non faciunt.* At neque legitimos Pontifices vlla mortim improbitate contaminatos tunc fuisse monstrare Chytræus potest, quin sancti potius fuerunt, Onias, Mathathias, alij. Neque Machabæi se *ab ordinaria sacerdotum potestate* seiunxerunt, sed eam omni studio & conatu, contra impios illos rutari ac retinere conati sunt, quin verò ad ipsos, qui è prima sacerdotum classe oriebantur, ordinaria hæc potestas, Ecclesiæ illius voluntate, aliorumque omnium inopiâ, iure optimo pertinebat. Papæ vero Saxonici, Lutherus, Schimidelinus, & Gallici, Caluinus, Beza, cæterique omnes à prisca maiorum religione apostatæ, sunt (ne Antiochos dicam) ipsissimi Iasones, Menelai, Alcimi, horumque asseclæ. Confer *opera*. Non isti nostri ad vertorum ciborum dapes vrgent? Non sacras ædes prophanant? Non cerebrotum suorum idola in iis constituunt. Non iuge sacrificium exterminant? Non sacras templorum opes depredantur? Non ipsos veterum rituum tenaciores irrident, calumniantur, cumque licet, vexant, mactant, excarnificant? Et vide impudentiam. Qui Machabæorum olim libros contempserunt, hi Machabæorum iam nomen & laudem appetunt. Posset iis tamen, quæ Præloquio 3. fol. 369. ex hæreticis dicebam, Chytræi huius elogium adiungi. *Lumen*, ait fol. 498. *vndecimi & octaui capitis Danielis, est historia Machabæorum, recitans successiones regum Syriæ & Ægypti, & ingentes calamitates Ecclesiæ, & politiæ Iudaicæ ab Antiocho Epiphane, & liberationes ac victorias Machabæorum mirandas. Quæ eam ob causam à Da-*

niele erant prædictæ, vt pij præmonerentur, & confirmarentur, ne à DEO *deficerent, ac vt scirent, non eam calamitatem diuturnam fore.* Nunc tandem adsit conclusio.

Conclusio libri secundi.

Caput vlt. Lib. II.

38 IGitur his erga Nicanorem gestis, & ex illis temporibus ab Hebræis ciuitate possessa, ego quoq; in his faciam finem sermonu.

39 Et si quidem bene, & vt historiæ competit, hoc & ipse velim: si autem minus digne, concedendum est mihi.

40 Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est: alternis autem vti, delectabile: ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus.

COMMENTARIVS.

PETIT Author sibi ignosci, & in similitudine vtitur, cuius est *duplex* expositio. *Vna* est, vt ratio petitæ veniæ sit, quod ipse semper orationis tenuitatem adhibuerit, quasi vel meracum semper, vel aquam puram propinarit, cum Auctor, è quo ista collegit, omnia dicendi genera amplum inquam, & tenue, suauissime permiscuerit, quasi diceret; Si minus dignè, seu, si exiliter & mediocriter historiam istam persecutus sum, hoc ipsum erat, quod vt consequerer, fieri potuit. Nam purum vinum, aut puram aquam bibere noxium est: mixta vero & quodammodo diluta, iucundum: Ita & illa orationis constructio, quæ amplis grandibusque verbis mediocritatem, tenuitatemque simul temperat & miscet, eos, qui in lectionem inciderint, oblectat. *Altera*, quam Interpres noster expressit, expositio est, vt, cur ignosci sibi postulet, causa sit, quod interdum esse gratum soleat, ea, quæ exiliore stylo scripta sunt, legere, propter quandam varietatem & vicissitudinem; quam probat similitudine, cui cõsentiunt Hocrates ad Demoniacum, Aristophanes in Pluto, qui verbis iisdem dixerunt πάντων πλησμονή, *omnium est rerum satietas*, & in idyllo 4. Moschus: καὶ εὐφροσυνης νέος ἐσ. *Etiam gaudij satietas est.*

QVÆSTIVNCVLA I.

Possitne sacer scriptor veniam petere?

NEGANT hæretici, idque humani spiritus, non diuini esse aiunt. *Id à Spiritu sancto*, inquit Whitaker. loco citato, *longissimè alienum est. Vera enim semper scribit, atq; ita scribit, vt scribendum fuit, nec vnquam in re vel modo errat, nec venia illa nostra indiget.* Respondeo *primò*, aliud esse, malè agere, aliud videri, & quidem alicui. Rursus, aliud, vera loqui & scribere, aliud facundè & disertè. Rursumque aliud, aptè & conuenienter, ex re ipsa, aliud ex hominum quorundam tantum iudicio & opinione. Denique aliud venia indigere; aliud, non necessitatis, sed humilitatis vel boni cuiusdam finis alius ergò, veniam petere. Spiritus sanctus, & qui eo afflatur, nunquam errat in re, vel modo agendi, aut scribendi: Reuera falsa nunquam loquitur aut scribit, & reipsa semper aptissimè dicit & scribit, prout in Prolegomenis Bibliacis cap. 5. tradidi. Videri tamen interdum potest etiam minus aptè loqui aut scribere, vt quando cum paruulis balbutit, seque nobis accommodat, petereque veniam, non qua indigeat, sed qua nos ipsi indigemus, vt opinionum nostrarum infirmitati sese quodammodo attemperet, vel vt modestiæ nobis exemplum præbeat. Possent hæc omnia probari ex primæ veritatis, summæ bonitatis, & sapientiæ natura, ex iis, quæ de scripturarum stylo in citatis iam Prolegomenis dixi; ex iis quæ de reconciliatione, & veniâ Spiritus sanctus suadet, Matth. 5. 2. Corinth. 12. 13. & ex sanctorum aliorum factis. Respondeo *secundò*. Noster Author veniam petit, non ratione rei sed orationis, neque quoad huius veritatem, sed elegantiam & splendorem; neque hunc, quasi orationi defit, sed comparatè, quòd scilicet deesse videri possit dupliciter. *Primo*. si cum quorundam hominum iudicio splendidiorem orationem requirentium conferatur. *Deinde*, si cum ipso Iasone, cuius metaphrasten agit, vti supra dictum est. Et patent hæc ex similitudine posita, vtrolibet modo intelligatur. Quemadmodum enim Diuus Paulus 2. Corinth. 11. vers. 6. se *sermone imperitum*, non reuera, vt in Paulo num. 8. docui, sed ex aliorum sensu & opinione vocat: Sic & Author noster, quem alioquin satis disertum agnoscit nouæ translationis Commentator, cum plures in eo Atticismos notet. Et Iudæi apud Medinam loco citato, qui etiam ex Græca ista facundia confectum volunt, Hebraicè ipsum non scripsisse. Quamuis enim consecutio ista negari possit, cum qui Hebraicè diserti & facundi sunt, vt Esaias, Oseas, possint etiam Græcè & Latinè, cum quadam orationis maiestate, verti: potest nihilominus id concedi. præsertim cum D. Hieronymus, vt initio dictum est, hunc librum secundum se Hbraice non

Universidad de Deusto
Biblioteca

vidisse, narrer. Cuius rei causa rectè affertur, quod hoc ipso tempore, propter Græcorum Imperiũ, Græca lingua inter Iudæos & in tota Syria peruulgari valdè inceperit. Hebraica tamẽ lingua semper apud Hebræos doctiores retenta est; & Chaldæa vel Syriaca, quam è captiuitate attulerant, interplebeios. Deinde, quia & ij, qui in Ægypto versabãtur Iudæi, simili ratione, propter Ptolemæorum imperium, Græcam linguam notiorem habere incipiebant. Imò sermone ita prorsus Græcisfabant, vt Hebraici vel obliti, vel rudes pæne omnes, non ita multo post, viri sint. vnde & ἑρμηνεῖς nominati. & licet alicubi Iosephus secus dicere videatur; videmus non paucos, in quib. Septuaginta duo Interpretes fuerunt; Græcæ linguæ fuisse scientissimos. *Hic ergo*, inquit Author noster, *erit consummatus*, id est, hoc loco *erit consummatio* seu *finis*, Græcè siquidem est τέλος, & quemadmodum *iussus* pro *iussione*. & à D. Leone serm. de passione Domini, dicitur *exercituum instructus*, pro instructione: ita hìc est *consummatus*, pro *consummatione*.

QVÆSTIVNCVLA II.

Cur, vltra Nicanoris mortem, historiam non produxit secundus Machabæorum liber?

Si quis, ait D. Thomas *quærat, cur in libro isto, non fiat mentio de victoriis factis sub aliis Regib. vel ab aliis fratrib. sicuti sub Ionatha, & Simone; Respondetur, quod qui scripsit librum istum secundum, intendebat tantum secundum modum & formam epistolæ c. 10. ipsum mittere, finaliter ad inducendum Iudæos, qui erant in Ægypto, vt celebrarentur dies victoriæ istius, scilicet, de morte Nicanoris: & ideo mortuo eodem Nicanore, cessat epistola & est finis libri.*

QVÆSTIVNCVLA III.

Cur quæ libri tantum secundi conclusio est, vtriusque iam libri facta est?

QVIA verbis illis, *erga Nicanorem*, aut sublatis, aut aliorum quorumdam accessione locupletatis, vt si, verbi causa, diceretur, *erga Nicanorem, Bacchidem, alios q; gestis*; congruentissimè vtriq; libro clausula esse potest. *Deinde*, quia, eam ob conclusionem maximè factum videtur, vt secũdus hic liber, qui, vti perspicuè hactenus declaratum; temporis ordine, gestarumq; serie, prior esse posset; posteriorem locum obtinuerit. Imo verò videtur eadem conclusio causa esse, cur, suo cum fratre, liberis, postremum in veteris testamenti libris omnib. occupet. Optimè siquidem per vltimam hanc demissamq; veniæ obsecrationem, ad spiritalem testamenti noui gratiam tenditur. optimè item ante librum generationis IESV CHRISTI, de prisco iamiamque antiquando fœdere dicitur; *Hic erit consummatus*, siue, vt dixi; *cõsummatio*. Alioqui, cur & historicis libris aliis, ante Iob & Prophetas, aggregata hæc historia non fuisset? Non enim id factum ratione temporis, cum neque sint Reges ipso Iobo vetustiores, neque Isaia Tobias, aliisue alii. neque ratione certitudinis, cum Tobias, Iudith, & Esther, de quibus, vti suis tractatum locis, dubitauit interdum non nemo, medium veteris scripturæ locum teneant.

Atque *hic* mihi Commentariorum etiam istorum *consummatus. & si quidem bene*, & *vt* Lectorum vtilitati, DEIq; & Ecclesiæ sanctæ honori *competit. hoc & ipse velim: si autem minus digne*, imo vero, quia reuera minus omnino dignè, quã diuini maiestas verbi, multorumq; & sapientum & bonorum vel vota, vel iudicia requirunt; veniam demissimè quæso & obsecro: simulque pium Lectorem rogo, vt ex animo, mecum, adeoq; cum Sanctis, de quib. actum; omnib. dicere dignetur;

GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITVI SANCTO. SICVT ERAT IN PRINCIPIO, ET NVNC, ET SEMPER, ET IN SÆCVLA SÆCVLORVM, AMEN.

* * *

MACHA-

MACHABÆICÆ HVIVS HISTORIÆ, VSQVE AD FAVSTISSIMVM CHRISTI DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI ORTVM, synoptica continuatio.

I. NOSTER iste IOHANNES Hyrcanus & Principatum & Pontificatum tenuit annos 31. Ioseph. lib. 13. ca. 18.

II. ARISTOBVLVS eius filius qui & IVDAS, vt supra fol. 513. dixi, nominabatur, posteaquam matrem Salomen remouerat, ei successit: Antigonum fratrem ex insidiis interemit; primusque regium nomen & diadema sumpsit, licet Iudæi, dum ab Asamonæorum regno numerant, à superiore Hyrcano incipiant. Regnauit annum vnum Ioseph. ib. cap. 19.

III. ALEXANDER ipsius frater, qui & IAMNÆVS dicitur, varia cum variis bella gessit: sæpe victus & victor fuit: duos filios reliquit, Hyrcanum seniorem, & Aristobulum iuniorem, qui ad Herodem vsque de regno inter se decertarunt, vt paulo post patebit Ioseph. loc. cit. cap. 20. Viginti sex annos regnauit apud Iosephum libro 13. cap. 23. Eusebius lib. 1. c. 12. Euseb. lib. 8. demonstr. & apud D. Hieronymum Danielis 9. anno 527.

IV. ALEXANDRA ipsius Alexandri vxor, iam vidua regnum tenuit annos 9. Phariſæorum maxime consiliis & imperiis bene vsa. Ioseph. lib. 13. cap. vlt. qui & sua in vita, nonnm illius annum recenset.

V. Successit HYRCAVNVS, filius, vt dixi senior, factus Rex & Pontifex. Sed ab Aristobulo fratre statim depulsus est, & post varias fortunæ vices, tandem ab Herode Rege occisus, Iosephus lib. 14. & 15.

VI. ARISTOBVLVS vero varia etiam fortuna vsus est, cum & à Crasso templum expilatum esset Ioseph. lib. 14. ca. 12. & ipse à Pompeio captus, ibid. c. 6. Romam missus cap. 8. & cum fugisset, remissus cap. 11.

VII. ANTIGONVS, Aristobuli huius filius, non multo post, ab Antonio securi percussus apud Iosephum lib. 15. Qui Hyrcano, Aristobulo, & Antigono annos 34. tribuit.

VIII. *Herodes* alienigena *ter* Iudææ *Rex* pronunciatus fuit, *primo* Romæ ex Senatusconsulto, Olympiade 184. *Secundò*, ab Antonio. *Tertiò*, à Cæsare Augusto. & hinc eius regni numerantur anni 37. Eorumque anno 29. inchoato, vt doctissimus & Reuerendissimus BARONIVS in Annalium suorum, quos hinc feliciter orditur, apparatu docet; natus est, ex stirpe DAVID Asamonæorum iam Regibus, vt visum est, sublatis; Dominus noster IESVS CHRISTVS, cui,

ET PATRI, ET SPIRITVI SANCTO, SIT GLORIA. SICVT ERAT IN PRINCIPIO, ET NVNC ET SEMPER, ET IN SÆCVLA SÆCVLORVM. AMEN.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX RERVM ET VERBORVM IN MACHABÆOS COPIOSISSIMVS, IVXTA SERIEM ALPHABETICAM CONGESTVS.

A

Acerbitas mortis pro pietate suauis.407.
Ægidius Romanus magnum Augustinianorum decus.370
Aëriani hæretici.457
Affectio vera in cunctis matribus.413
Alcimus pontifex.466
Alepum vrbs.463
Alexander quòd primus regnauerit in Græcia.373
Alexander quomodo viuens pueris suis regnum diuisisse dicatur, negantibus id plerisque scriptoribus.374
Alexander Iaddum pontificem adorauit.373
Alexandri cadauer insepultum diu mansit.374
Alienigenæ non facile admittuntur ad grande consilium.470
Altare holocaustorum quomodo pollutum.434. cõtaminatum quare in locum contaminatum non abiectũ fuerit.434. quare non mundatum ibid.
Amans honorem Deum imitatur.499
Amazones mulieres.516
Ambitio timida & suspiciosa.388
Ambitio hominum ad dignitates omnium sacerrimas nefariè grassatur.389
Amicitias gentium expetere Iudæis non fuit tutum, neque lege concessum.526. & seq.
Anastasiæ templum Constantinopoli.435
Annulus aureus, cuius S. Iacobus [illegible] meminit, quid sit.490
Antesignani duo è cœlestibus visi.449
Antiochus Antichristi figuram gessit.397
Antiochus luxuriosissimus.446.
Antiochus Epiphanes, cum Deum tantopere precatus sit, cur scelerũ veniã tamẽ no impetrauerit.443
Antiochus Soteris filius bene dictus.430
Antiochi epitaphium.445. Votum.446
Antiochi in Ægyptum expeditio prior 387. posterior. 390
Antiochi Epiphanis mors.441 & 442
Aqua & ignis & hostiæ superfusa accenditur.520
Arca in triumpho Romanum fuerit?524
Arca, ignis, tabernaculum quomodo dicãtur comitata Ieremiam? 523. quando hæc eadem vel inuenta iam, vel inuenienda ibid.
Arma doctorum.501
Arma Iudæis Sabbatho gestare an liceat? 424
Arsaces Parthorum Rex.504
Artaxerxes vnde dicatur.365
Arx Macedonia obsessa.463
Asidæi vnde nomen acceperint.467. à cætero Iudæorum populo, institutis & nomine distinct. ibid.
Asperitatis vitæ causa.391
Assamonæi.420. & seq.
Attila Christianorum flagellum.365

B

Bacchanalia.395
Bachanaliorum & res & nomen prophanum: 395
de Bacchide.482. & 484
Banun Iosephi Magister.469
Bella iusta exercere in diebus festis pro tuitione Reipub. fidelium an, & quando liceat.424
Bellorum gerendorũ instrumẽta duo præclara.449
Benbagbag Rabbinus magni nominis.468
Bertramus nobilis in Holsatia Septuagenarius senex Catholicus.463
Bonitas Dei.520

C

Calamitatum in bellis certissimus fons & autor.449
Caluini mors.442
Caluiniani suæ in Synodis egerũt, ne Christi etiam Domini festa esset natiuitas.395
Carolus Magnus Cometam videt.391
Catholicorum syllogismus.458
Causa grauis nisi vrgeat, à propria verbi significatione nunquam in scripturis discedendum.388
Cause felicis status tres, omnib. publicas res & ciuitates florere volentib. diligẽter considerandæ.379
Childebertus Rex præcellentissimus.379
Christus de quib. enscenijs loquatur Ioan. c. 10.436
Circumcelliones.474
Circumcisio vere religionis symbolum.384
Circumcisio in præputiatis suppressa.384
Classis amissa.431
Cœnobium Coloniæ Agrippinæ olim B. Magdalenæ, nunc ab annis iam 400. Machabæorum dicitur. 404
Cogitatio salubris pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur.457
Coinquinatis & infidelib. nihil mundum.410
Colonienses Martyres.450
Coloris rubri aspectus quibusdam obest, & quibusdam prodest.464
Combustio sacrorum librorũ Iudæis grauissima.395
Conradus Coduisius Nobilis Herbipolitanæ ecclesiæ Decanus.460
Contaminationis lapides qui.433
Continuatio Synoptica Machabæicæ historiæ vsq; ad faustissimum Christi Domini & Saluatoris nostri ortum.531
Crassus trabem auream abstulit.379
Creator bonus benè vtitur hominib. malis.447
Cuno Cœnobij Sigebergensis Abbas.512
Cygni naturæ sorte moriuntur.414

D

Darius vnde dicatur.365
Dauid Chytræus reprehenditur.528
Decurionum dignitas quæ fuerit.394
Dedicatio templi & quæ eius memoria.435
Dedicationum festi dies tres apud Iudæos.436
Democles cognomento Pulcher.384
Depositæ viduarum sine offensione seruanda.381
Deus omnia videt.407
Διαδέχεσθαι quid significet.389
Dies festi septem Machabæorũ maxima hominum religione & frequentia celebrantur.404
Dionysia.395
Donatio pro mortuis facta.456
Dux Machabæorum primus Mathathias.418

E

in Ebrietate duo considerari possunt.508
Ecclesia Catholica sola est corpus Christi.440
Eleazar martyr sanctissimus.398. vocatur primitiæ martyrum veteris testamenti.399
Elephanti Indici Africis maiores.464
Elephanti hordei succo mitificantur. ibid.
Elephanti solo vini aspectu & succi mororum irritantur. ibid.
Epitaphium Antiochi.445
Esau quomodo pœnitentiæ locũ non inuenerit.443
Esus carnis suillæ populo Iudaico duplici de causa interdictus.410
Esseni memorabilis disciplina præditi.470
Esseni, antequam solenni modo vxores ducerent, fœcunditatem earum toto triennio probabant.473
Essenorum origo perantiqua.469
Eupolemus legatus.482
Exemplar omnium, qui bella gerere volunt, & ducum & militum.431
Exercitorum in bellis fons & auctor certissimus.449
Expeditionis prioris Antiochi in Ægyptum causa duplex.387. quinq; in ista expeditione Ægyptiaca considerandæ. ibid.

F

Fatum quid.485
Fœlicitatis caducæ exemplum.374
Fibula aurea in mulierib. pectoris ornamẽtum.490
Fides omnibus exhibenda.381
Fortitudo Heroica non communem tritamq; fortitudinis viam, sed arduam magis ingreditur.484
Fragilitatis humanæ exemplum.374

G

Galatarum historia.430
Gazara obsidio.450
Genealogias Iudaicæ nobilitatis Herodes incendit, & quare.396
Gentiles sacros ritus ad inanissima deorum suorum sacra traduxerunt.430
Gentilium Principum in verã Dei religionem magnificentia.378
Gentilitatis veteris lapides.516
Genus Machabæorum sacerdotale.420
Gesta sanctorum multũ vtilitatis important.424
Gesta Iudæ tempore Demetrij regis.465
Gladij in Germania anno 1538. in aëre passim visi. 391
Gloria humana exemplum.374
Gloriam quærere quatenus licitum sit.464. & 499
Gothorum Wandalorumque Rex ad diem pugnæ cilicio stratus preces fundit.430

H

Hæreticos & schismaticos an cõsoletur Machabæorum historia.528
Hebræi olim pro mortuis preces fuderunt, & etiamnum fundunt.459
Heliodorus.381
Heliodorus flagellatus. ibid.
Heliodori gratissimus in Deum animus.381
Heliopolitanum templum.489
Heroës Christiani Iudæ Machabæi nomine decorari solent.486
Historia veritas an à scriptore, vel aliunde potius pendeat.372
Homines mali malè vtuntur creaturis bonis.447
Homines omnes filios suos, ex hac vita migrãdo præcedere volunt, non sequi.415
Homines quosdam ad Angelorum aliquos literas dedisse 512
Homuncionis infelicissimi Dij quandoq; haberi voluerunt.446
Honestas nullis aduersis impeditur.519
Hyrcanus multas Syriæ vrbes cepit.510

I

Iaddus Pontifex.373
Iaddi Pontificis duo filij.377
Idumæi quare Iudæos bello vexarint.449
Ignis dies quis?519
Ignis Spiritus S. typus.520.522
Imbecillitate & inopia ad bonum finem tanquam medio quodam vti licet.484
Impii duobus modis dicuntur sacerdotes.528
Impiorum etiam & gentilium animi veram solidamq; virtutem admirantur.389
Inebriandi verbum pro satietate ponitur in scripturis.508
Inedia rerum summa.394
Institutum Ecclesiæ publicum pro mortuis sacrificandi & precandi.458
Institutæ Gentilium Hierosolymis in populo Dei.383
Inuidia inter Romanos Senatores an fuerit.471. & 481
Ioãnes Hyrcanus Simonis Machabæi filius residuus. 508
Ionathas, Iudæ frater, Dux & Pontifex è Machabæis tertius.486
Iudas Dux & Pontifex Machabæorum secundus. 424
Iudas Machabæus vxorem cur non duxerit.470
Iudæ Machabæi laus & fama illustris.486
Iudæ Machabæi prælia quatuor.426
Iudæi quando cœperint Israëlitæ vocari?528
Iudæi non intentione, sed reuerentia legis carne suilla abstinent.389
Iudæorum duplex canon.369
Iulius Reuerendiss. & illustriss. Academiæ Herbipolitanæ Pater.433

K

Kadisch precatio Iudæorum.439

Universidad de Deusto
Biblioteca

L

Laconica lunæ in proverbiis celebrata. 496
Lactario optima & perfecta triennio, ex veterum Medicorum præscripto absoluebatur. 402
Lapides contaminationis qui. 433
Lapides ignibus trifariam fieri possunt. 434
Lauretanum Sanctuarium. 523
Lectio triplex verborum Danielis c. 8. 444
Leges ciuitatum vincula sunt. 379
Leones an ad pugnam cohortatione aliqua indigeant. 464
Lumen semper ardens in Synagoga Iudæorum Francofurtensium. 459

M

Macedonum regnum nomen, morte Alexandri distractum in multa regna. 375
Machabæi nomen vnde. 365.
Machabæi socialia fœdera cum Romanis ineundo peccarint ne? 526
Machabæi septem truncati an nuptiarum adhuc expertes fuerint. 403
Machabæorum libri canonici. 367 & seqq.
Machabæorum librorum inscriptio quæ? 365. auctor. 366. auctoritas. 397
Machabæorum nomen apud veteres quomodo scribatur. 365
Machabæorum historia bipartita. 373.
Machabæorum liber secundus cur vltra Nicanoris mortem historiam non produxerit. 360
Machabæos armis esse inclytos, bellique defensos cur Dominus voluerit. 525
Mater septem Machabæorum martyrum felicissima. 412
Matrimonia regum veterum nonnulli suis cũ Deabus inire voluerunt. 516
Medici an licitè possint homines medicari in die festo. 424
Menelaus impius Pontifex impietatis pœnas dedit. 463
Menses Hebræorum & Babyloniorum 382 Syrorum vel Syrochaldæorum ibid. Macedonum ibid. & seq. Atticorum ibid. & seq.
Mercatores ad Iudæos emendos constituunt. 426
Metus extrinsecus illatus dissuadendus. 404
Miles legis libũ lacerans in ignem, conijciens morte mulctatur. 396
Modus supplicij per cineres. 463
Monachus canus è Christiana fide ad Iudaismum & circumcisionem transiens horrenda morte miserè perruptus est. 442
Monumentum egregium in vrbe Modin à Simone Machabæo erectum. 499
Mos vetustus pecunias publicas in templo custodiendi. 378
Mors Antiochi Epiphanis. 440. & 442
Mortem sibi ipsi consciscere parui animi est. 448
Mortui quidam ad viuorum aliquos literas dederunt. 512
Mortui an aliquo peccati vinculo adhuc ligẽtur 458
Mortuos precib. sacrificijs eleemosynis iuuari. 458
Munus in bello nullum tam solemne, quam humandi suos. 456

N

Nanæa quæ? 516
Natales regũ dies agitare per antiquũ est. 395
Necessitate cessante non est licitum bellare in diebus festis. 424
Nicanor nonagiuta Iudæos vno talento vendere volebat. 426
Nomen & gloriam quærere non magis est vetitum, quam cibum, vestes, & quæ alia necessaria sunt & commoda. 464. 499
Numerus Senatorum Romanorum sine iustis. 480. & 481

O

Obiectionis hæreticorum contra librorum Machab. auctoritatem. 369
Obiectiones contra preces pro defunctis fusæ. 459
Occasio cur Iudæos bello Idumæi vexarint. 449
Occultorum iudicium nobis non vsurpandum. 475
Officia boni ducis duo. 439
Olympias Alexandri mater. 374
Onias conscelerate occisus. 389
Opera charitatis Sabbatho fieri licitum est & iustum. 423

P

Pacis tempore opera iustitiæ liberius exercentur. 515
Patria Machabæorum duplex. 421
Peccata duobus modis delentur. 456
Peccati nomen pro pœna vsurpatum. 459
Peccatores olim grauissimi morbo pediculari diuinitus affecti. 442
Periculorum auertendorũ modus obseruandus. 379.
Persarum reges, cum Persepolim accederent singulis matronis aureum dabant. 443
Perfidis nomen latius interdum sumitur. 519
Philosophorum Iudaicorum genera tria. 467. 469
Philosophorum plurium congregatio. 374
Pontifex Machabæorum primus Mathathias. 418
Pontifices ab Alexandro magno vsque ad Machabæos. 377. & seq.
Pontifices scenopegiorum solẽnitate maximè in suo pontificali habitu conspici solebant in veteri testamento. 490
Portenta cum apparent omnes communiter tangunt. 391
Præda omnis in eius est potestate, qui dominatur. siue omnino sit monarcha. 431
Præda plurimi inhiant. 431
Prælia quatuor Iudæ Machabæi. 426
Præparatio ad pugnam insignis. 449
Præputium an attractione quadam & medicamentis reducatur. 384
Præputij in circumcisis reductio. 384
Primogenitus cur cæteris præponatur. scriptura causam tradit. 499
Prophetam Machabæi expectant, & quem. 434
Ptolemæus rex, cuius Aristobulus Magister quis. 514
Ptolemæus sibi ipsi veneno vitam eripuit. 448
Punicorum bellorum cur non mentionem fecerit Iudas Machabæus. 479
Purgatorium an sit. 458
Purgatorium vbi sit. ibid.
Purgatorij probatio ex patribus. 458. & seq.

R

Rabbi Abraham Leuita. 513
Rami virides scenopegiorũ dieb. adhibiti. 435
Razias senior seipsum interimens. 473. an peccarit. 474. & seq.
Reges Ægypti magistros Iudæos habere consueuerunt. 514
Reliquiæ septem Machabæorum Romam translatæ. 404
Reliquiæ peccatorum an omnes per mortem tollantur. 458
Ricasij septuplex commendatio. 473
Rustici quadraginta, ne vetitum comedendo conditorem suum offenderent, elegerunt gladiis vitam finire. 418.

S

Sabbatum custodientes flammis exuruntur. 397
Sacerdotum tempore Machabæorum an in dedicatione aliqua etiam recensio & lustratio facta fuerit. 436
Sacrificia propeccatis. 456. & seq.
Sacrificia pro rege gentili oblata. 473
Sacrificia nefaria Menelai Oniæ zelo magno insectatur. 389
Sacrilegij pœna per Angelos inflicta. 380
Salus Reipubl. multo magis est obseruanda, quam salus corporalis vnius hominis. 424
Sanctificatio quid. 433
Sanctorum gesta multum seruoris attribuunt. 474
Senectus portus esse debet, non naufragium vitæ superioris. 398
Sepulchra Machabæorum in Modin. 499
Seruitus liberis omni supplicio grauior est. 519
Simon, Iudæ & Ionathæ frater, è Machabæis Dux & Pontifex quartus. 497
Soror sancti Bernhardi. 424
Soteris filius Antiochus hoc dictus. 430
Speculum vitæ humanæ illustre. 440
Spiritus sanctus extra Ecclesiam Catholicam neminem viuificat. ibid.
Stephanus primitiæ martyrum noui testamenti. 399. & 400
Successionum legitimarum Pontificum ex Aaronis prosapia primus interruptor. 389
Suilla caro calorem nimium præstat corporibus. 410
Sulphure & bitumine in expiationibus & lustrationibus Gentiles vtebantur. 521
Supplicij genus per cineres apud veterum quosdam. 463

T

Tabernaculum, arca, ignis. quomodo dicantur Ieremiam constituisse? 523
Tabularia Iudaicæ nobilitatis Herodes cur combusserit 396
Tarsus insignis Ciliciæ vrbs. 389
Tauri nulla ad pugnam extrinsecus adhibita impulsione indigent. 464
Templum ab Imperatore Zenone in honorem B. Virginis erectum. 369
Templum in honorem septem Machabæorum excitatum. 404
Templi Hierosolymitani purgatio. ibid.
Templa Iudæorum tria: 489
Tempora & loca, per quam infelicia, in quibus diuinarum legum neglectio est. 504
Testimonia S. Augustini de libris Machabæorum. 368
Ticinensis Ecclesiæ recens exemplum. 381
Tympanum quale supplicij genus. 399. & seqq.

V

Vasa offertoria. 467
Vasa munitionis. 504
S. Vincislaus à Curiensi Principe vexatus. 450
Verborum Danielis cap. 8. triplex lectio. 444
Victoria plena quare sæpissime non obtineatur. 431
Victoria contra Eugenium decantata. 449
Victoriarum illustrium duo præclara instrumenta. 449
Vinculum pietatis indissolubile. 415
Virgines templo Hierosolym. deputatæ. 380
Viri armati in Germania Anno 1538. in aëre passim visi. 391
Virtutes filiorum parentibus asscribuntur. 400
Vitellius Saturninus, quòd primus gladium in Christianos egisset, lumina amisit. 442
Vivos quosdam ad mortuorum nonnullos literas dedisse. 512
Votum Antiochi. 446

X

Xerxes vnde dicatur. 363

Z

Zelus inter Senatores Romanos num fuerit. 471. & 481
Zelus Oniæ Pontificis magnus. 389
Zenon Imperator in B. Virginis honorem templum excitauit. 369
Zenonis patria. 378

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDICVLI DVO

QVORVM PRIOR OSTENDIT, VBI CAPITA ET VERSVS, PROVT IN BIBLIORVM Codice ponuntur, in Harmonia iam ista ponantur & explicentur: Posterior verò, vbi & quomodo in Harmonia ipsa.

PRIOR INDICVLVS.

ESTHERIS.

Caput		Pag.
I.		129
II.		310
III.		321
IV.		329
V.		338
VI.		341
VII.		344
VIII.		346
IX.	à v.1. ad 4.	350
	à v.17. ad finem.	352
X.	à v.1. ad 4.	353
	à v. 4. ad finem.	355
XI.		ibid.
XII.		311
XIII.	à v.8. ad finem.	322
	à v. 1. ad 8.	332
XIV.		334
XV.	à v.1. ad 4.	329
	à v.4. ad finem.	339
XVI.		348

MACHABÆORVM LIBRI I.

Caput		Pag.
I.	à v.1. ad v.9.	373
	à v.9. ad v.11.	374
	à v.11. ad 17.	382
	à v.17. ad 21.	386
	à v.21. ad finem.	381
II. totum.		418
III.	à v.1. ad 10.	424
	à v.10. ad 38.	425
	à v.38. ad finem.	427
IV.	à v.1. ad 28.	428
	à v.28. ad finem.	432
V. totum.		437
VI.	à v.1. ad 17.	440
	à v.17. ad 18.	447
	à v. 18. ad finem.	461
VII.	à v.1. ad 26	465
	à v.26. ad 39.	471
	à v. 39. ad finem.	476
VIII.		479
IX.		482
X.		486
XI.		490
XII.	totum.	493
XIII.		497
XIV.		501
XV.		505
XVI.		507

MACHABÆORVM LIBRI II.

Caput		Pag.
I. totum.		510
II.	à v.1. ad v.10.	511
	à v.10. ad finem.	371
III. totum.		376
IV.	à v.1. ad 7.	377
	à v.7. ad 21.	382
	à v.8. ad finem.	386
V.	à v.1 ad 11.	387
	à v.11. ad finem.	393
VI.	à v.1. ad 18.	ibid.
	à v.18. ad finem.	397
VII. totum.		400
VIII.	à v.1. ad 8.	425
	à v.8. ad finem.	428
IX. totum.		441
X.	à v.1. ad 10.	433
	à v.10. ad finem.	447
XI.		450
XII.	totum.	454
XIII.		462
XIV.	à v.1. ad 12.	466
	à v.12. ad finem.	471
XV.	à v.1. ad 38.	477
	à v.38. ad finem.	529

INDI-

INDICVLVS POSTERIOR.

ESTHERIS HARMONIA.

CAPVT	CAPVT
XI. à v.2. ad finem.	V. totum.
I. totum.	XV. à v.4. ad finem.
II. totum.	VI.
XII. totum.	VII. totum.
III. totum.	VIII.
XIV. à v.1. ad 8.	XVI. totum.
IV. totum.	IX. à v.1. ad 17
XV. ad v.4.	IX. à v.17. ad finem.
XII. à v.8. ad finem.	X. à v.1. ad 4.
XIV. totum.	X. à v. 4. ad finem.
	XI. à v.1. ad 2.

MACHABÆORVM HARMONIA

Libri	Caput		Libri	Caput	
II.	II.	à v.20. ad finem.	II.	IX.	totum.
I.	I.	à v.1. ad v.9.	I.	VI.	à v.17. ad 18.
I.	I.	à v.9. ad v.11.	II.	X.	à v.10. ad finem.
II.	III.	totum.	II.	XI.	totum.
II.	IV.	à v.1. ad 7.	II.	XII.	totum.
I.	I.	à v.11. ad 17.	I.	VI.	à v.18. ad finem.
II.	IV.	à v.7. ad 21.	II.	XIII.	totum.
I.	I.	à v.17. ad 21.	I.	VII.	à v.1. ad 26
II.	IV.	à v.21. ad finem.	II.	XIV.	à v.1. ad 12.
II.	V.	à v.1. ad 11.	I.	VII.	à v.26. ad 39.
I.	I.	à v.21. ad finem.	II.	XIV.	à v. 12. ad finem.
II.	V.	à v.11. ad finem.	I.	VII.	à v.39. ad finem.
II.	VI.	à v.1 ad 18.	II.	XV.	à v.1. ad 38.
II.	VI.	à v.18. ad finem.	I.	VIII.	
II.	VII.	totum.	I.	IX.	
I.	II.	totum.	I.	X.	
I.	III.	à v.1. ad 10.	I.	XI.	
II.	VIII.	à v.1. ad 8.	I.	XII.	totum.
I.	III.	à v.10. ad 38.	I.	XIII.	
I.	III.	à v.38. ad finem.	I.	XIV.	
I.	IV.	à v.1. ad 28.	I.	XV.	
II.	VIII.	à v.8. ad finem.	I.	XVI.	
I.	IV.	à v.28. ad finem.	II.	I.	totum.
II.	X.	à v.1. ad 10.	II.	II.	à v.1. ad v.20.
I.	V.	totum.	II.	XV.	à v.38. ad finem.
I.	VI.	à v.1. ad 17.			

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca